


ECHO
SALUTIS ÆTERNÆ
à PETRA
MILITANTIS CATHOLICÆ ECCLESIÆ
ex Sono

TUBÆ PACIS
AD
DISSIDENTES IN OCCIDENTE ECCLESIAS
RESONANS.

Per
R.P.F. VENCESLAUM à S. ELIA,
Carmelitarum Discalceatorum per Utramq; Poloniam & Magnum Ducatum Lituaniæ PROVINCIALEM,

Orbi Christiano
PROMULGATA.

Anno Domini 1701.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Francisci Cezary, S.R.M. Illustriss. ac Reverendiss. Dñi. Episc. Crac. Ducis Severiæ, necnon Scholar, Novoduorscianarũ Ordinarij Typographi,

Sap: 17 *Resonans de altissimis montibus ECHO.*

Isaiæ 51 *Attendite ad PETRAM, undè excisi estis.*

ad Ephes. 5. *Nemo vos seducat inanibus verbis, propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.*

Ierem. 13 *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat.*

Matth. 12 *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis.*

Actor. 13 *Vobis enim verbum SALVTIS hujus missum est.*

ad Thessal. 5 *Induite loricam Fidei & Charitatis.*

ad Ephes. 6 *Et galeam SALVTIS assumite.*

Actor. 10 *Quia non est personarum acceptator Deus, sed in omni gente qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi.*

ad Rom, 10 *Non enim est distinctio Iudæi & Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. &c. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent ei, quem non audiérunt? quomodo audient sinè prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?*

Hæc

Ierem. 13 *Auribus percipite, &c. quia Dominus locutus est.*

Ierem. 6 *Audite vocem TVBÆ.*

Matth. 10 *Et PAX vestra revertetur ad vos.*

TVBA

TUBA PACIS

AD

Universas in Occidente Ecclesias,

SEU

DISCURSUS THEOLOGICUS

DE

UNIONE ECCLESIARUM

ROMANÆ & PROTESTANTIUM,

Necnon

Amicâ Compositione Controversiarum Fidei

Inter hosce Cœtus,

In DEI O. M. quàm maximam Gloriam, Universæ IESU CHRISTI Ecclesiæ bono exhibitus

Per

MATTHÆUM PRÆTORIUM
Memelâ-Prussum.



COLONIÆ, Apud JOANNEM PAULI, 1685.
& AMSTELODAMI, Apud ALEXANDRUM LINTMAN,
ANNO 1685.

Num. 10 *Fac tibi duas TVBAS, &c. quibus convocare possis multitudinem.*

Iudic. 7 *Et dedit TVBAS in manibus eorum.*

Zachariæ 9 *Dominus Deus in TVBA canet, &c. & salvabit eos Dominus Deus eorum.*

Matth. 24 *Et mittet Angelos suos cum TVBA, & voce magna, & congregabunt electos à quatuor ventis.*

In momento, in ictu oculi, in novissima TVBA.

1. ad Cor. 15 *Canet enim TVBA, & mortui resurgent incorrupti.*

ECHO

ECHO
SALUTIS ÆTERNÆ
à PETRA
MILITANTIS CATHOLICÆ ECCLESIÆ

ex Sono

TUBÆ PACIS

Per MATTHÆUM PRÆTORIUM Memelâ-Prussum, Confessionis Augustanæ Alumnum in lucem editæ, *ad Dissidentes in Occidente Ecclesias*

RESONANS,

SEU

DISCURSUS THEOLOGICUS
DE UNIONE ECCLESIARUM

Discursui Authoris Libri TUBÆ PACIS *In aliquibus accommodatus & correspondens,*

Tum aliquas eidem Authori ex mente Dissidentium Objectiones

RESOLVENS,

Ecclesiarumq; Disunionem Per amicam Fidei Controversiarum Compositionem

Ad M. D. G. Animarumq; copiosam salutem

FACILITANS.

Ierem. 4 *Canite TVBA in terra, clamate fortiter, & dicite: congregamini.*

Isaiæ 4 *Vox dicentis CLAMA, & dixi, quid CLAMABO?*

Ierem. 3 *CLAMA Sermones istos contra Aquilonem.*

Psalm. 18 *Lex Domini immaculata convertens animas, testimoniũ Domini fidele, Sapientiam præstans parvulis. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.*

Quia

Psalm. 140 *Iustus Dominus in omnibus vijs suis, & Sanctus in omnibus operibus suis.*

Psalm. 74 *Nolite* ergo *loqui adversùs Deum iniquitatem, &c. quoniam Deus Iudex est.*

Psalm. 10 *Quoniam iustus Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.*

Vndè

Ecclesiast. 31 *Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus, &c. qui quærit Legem, replebitur ab ea, & qui insidiosè ait, scandalizabitur in ea.*

ad Rom. 9 *Numquid iniquitas est apud Deum? absit!*

Nam

S. Augustinus Enarrat. in Psalm. 48 *Omnia Divina Eloquia salubria sunt intelligentibus, periculosa verò his, qui ea volunt ad sui cordis perversitatem detorquere potiùs, quàm suum cor ad eorum rectitudinem corrigere. Hæc est enim in hominibus magna & usitata perversitas, quia cùm debeant vivere ipsi secundùm voluntatem Dei; Deum volunt vivere secundùm voluntatem suam: & cùm ipsi nolunt corrigi, Illum volunt depravari, rectum non arbitrantes quod Ille vult, sed quod ipsi volunt.*

PRO-

PROPHASIS
Authoris Libri Tubæ Pacis
Ad
Vniversas Dissidentes in Occidente Ecclesias.

EXtrema illa Sæculorum Mundiq; Periodo novissima *Tuba canet*, inquit Thomas de Aquino, *receptui & beati vocabuntur ad festum æternæ solemnitatis.* Quo desideratissimâ illâ simulq; consummatâ pace Electi in Cœlis æternùm beabuntur. Ad hanc ut aliquando pertingamus, omni studio atq; curâ adlaborandum, non aliâ securiore viâ, quàm per unionem, concordiam, pacemq; discissæ in tot Sectas Ecclesiæ hîc in terris militantis. Ad hanc Dissidentes omnes in Occidente Ecclesias, omni vi & conatu pro modulo meo permotum eo, amicâ compositione Controversiarum, mihi dictam, non tantùm Prophetæ, accipio Divinam vocem: *CLAMA! ne cesses, quasi Tuba exalta vocem tuam!* Tubam igitur voci DEI obediens arripio, eamq; non meo, sed Divino Spiritu, quia unicam charitatem, pacem, ac unitatem spirante impleo, unam Pacem, Pacem per omnes Occidentales Ecclesias resonare cordicitùs exopto. Nunc cum illa primùm in publicum prodeo, *quæ hactenùs ultra duos annos manibus Theologicæ Facultatis Regiomontanæ tenebatur ac terebatur.* Nunc primùm suam Orbi vocem palàm edit, quam tantoperè silentio pressit, & siluisset porrò, nisi boni publici ratio haud invitum clangorem expressisset. Vos quoque, quotquot estis in vestris Ecclesijs Viri, Principes, Dynastæ, Docti, Cordati, Pacifici, singuli singulas Tubas Pacis apprehendite, cum illis septem Angelis, quos Divus Joannes in Apocalypsi spectavit, per quas Tubas *Prædicatores, prædicationemq; veritatis designari credendum.* Tot non sepia tantùm, sed & cruore rubentibus exantlatis Religionum Regionumq; prælijs tandem receptui canite. Operi huic pacifico, quàm summè necessario, tam summè utili, strenuam manum seriò admovete. Probate vos Filios pacis, demonstrate homines bonæ voluntatis, quibus in terris cœlitùs Pax appromissa, uno eodemq; afflati Spiritu, unitatem ac pacem vestrarum invicem Ecclesiarum ubiq; terrarum resonate, finem ac præmium laboris vestri, cùm novissima illa Tuba in auribus omnium mortalium sonuerit, requiem opulentam, Pacemq; reportaturi, nullâ annorum serie interrumpendam, nullâ armorũ vi & vicissitudine pessundandam. *Qui autem pacis consilia ineunt, sequitur eos gaudium.* Proverb. 12.

Isaiæ 58.

NB.

Ribera in Apocal.

Respon-

Reſponſum Catholici Authoris
Ad
Prophaſim Authoris Libri Tubæ Pacis.

CUm Author Libri Tubæ Pacis varios ſtatus hominum humaniſſimè invitet, ad ſingulas capeſsendas ſimiles Tubas, ut ſuperiùs ex Prophaſi illius patuit; unde pro modulo meo, quantùm alia negotia permiſerint, tam inſtanti perſuaſione Authoris invitatus, (cùm etiam Chriſtiana urgeat Charitas) arripio unam ex Tubis, & alterum Diſcurſum Benevolo Lectori, Diſcurſui Authoris in aliquibus accommodatum, quæ ſentit nobiſcum; in illis verò, quæ contraria ex Diſsidentium ſententijs proponit Author, me reſpondentem, velut alteram Tubam exhibeo. Fateor equidem, huic Operi me imparem fuiſſe: fateor, multa me omiſiſſe meliora, quæ hujus Operis requirebat dignitas; attamen præcipuum meum intentum fuit, ut Viris doctiſſimis, & ſingulari à DEO ſapientiâ decoratis, darem occaſionem, ut ſinguli ſingulas arripiant ſimiles Tubas, ad feliciter terminandam unionem Eccleſiarum. Et primò Sereniſſimis Principibus, à quorum Authoritate commune bonum mutuæ Pacis in materia Religionis plurimùm dependet, cùm illis DEUS Regna & Provincias in hac umbra mortalitatis in Regimen temporale conceſſerit: tùm digniſſimis ſuis honoribus Dynaſtis, alijsq́, doctis, cordatis, pacificisquè Viris, quos omnes Author Tubæ ſingulos ad ſingulas capeſsendas Tubas Pacis in ſua Prophaſi expreſſit, ut in ſuis Eccleſijs cooperari dignentur, ſuis doctrinæ talentis, & ad media mutuæ Pacis in materia Religionis, velut manu ducant, quod feliciter Author Tubæ ſuis Diſcurſibus in ſuo Libro auſpicatus eſt, ſingulisq; Eccleſijs ad hunc aſsequendum finem, per Controverſias porrexit modum, ut tandem compleatur illud dictum Spiritûs Sancti: *Da ſapienti occaſionem, & ſapientior erit.* (Proverb. 9) Non dubito, quin Clementiſſimus DEUS, cujus natura ipſa bonitas, abhinc felices concedet multis mortalibus annos, ut poſt tot diſsidia in materia Religionis, per oſtenſionem veritatis terminatâ inter ſe veræ Fidei mutuâ pace, alteram interminabilem aſsequantur in Cœlis, quam ſincerè exoptat omnibus

Præſentis Operis AUTHOR.

ORA-



DEO HOMINI,

Inter DEUM & Hominem Pacem Concilianti, Regi Regum Diviniſsimo.

SAlutifero plerumq; concentu reſonanti inter Principum Triclinia Tubæ Pacis, aſsociata Pacificans Æmula Echo, Tuo conſpectui ſe ſiſtit REX REGUM DIVINISSIME, Pacis Tuæ nimirùm allecta dulcore, ſub Tuis Togatæ Pacis Auſpicijs, Pacem Mortalibus ferens, ad animorum concordiam evocat Chriſtianitatem. Cùm enim noſtra malorum fœcunda tempora, in eam bonorum ſe profudêre ſterilitatem, ut Mortales communia & antiqua faſtidientes, exotica & recentia amplexantes, vivere recuſent, perimi gaudeant. Starent tamen aliquo modo tot jam edocti caſibus, niſi fatalem in dies ad tot novarum hæreſum monſtra, reſerarent illis januam, ipſo fato atrociores, dogmatum erroneorum peſtiferi afflatus, hæc cæca tabes communem auram veritatis jam pridem infecerat, hâc immani ſtrage vaſtantur Regna, hoc peſtifero tumultuantium animorum exercitu roboratur hoſtis potentia, ſuamq; in mortales exercet tyrannidem. Auſpicata tandem jactatæ per tot procellas, quot Menſes, quot Annos, quot Sæcula, publicæ ſpei anchorâ, adeſt Tuba Pacis & Pacificãs Æmula Echo, à tanta ſtrage revocans Mortales, alliciensque, ut illarum ſalutifero concentu Regnatorum allecta veſtibula uniformem reddant ſonum, meliora ſapiant, & optatæ Pacis compleant deſideria: nam

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Pande Templum Pacis, REX DIVINISSIME, cùm sis CLAVIS DAVID: expande in auxilium manus, quas extendisti in Cruce pro comparanda æterna Pace Electis in Regno Tuo: *Dissipa gentes, quæ bella volunt:* Designa stationem quietis tumultuanti Europæ cum Tuba Pacis, & Pacificans Æmula Echo canūt receptui: qui sedâsti fluctus maris, compone vesanos fluctus discrepantium Religione animorum: compesce motus Dissidentium Religionum, quibus oppugnatur, at nunquam expugnatur Navis Ecclesiæ.

Fluctuat, at nunquam mergitur illa Ratis.

Indue in utrisq; parem procellæ tranquillitatem, ut militans adinstar Triumphantis Ecclesiæ quâm plurimas in Cœlum inserat animas, & senescenti nascentis adauge vires, oberrantesq; ad Ovile tuum revoca Oves, quas gemitu commiserationis jam pridem invitat ramum vitæ offerens ex Arca Ecclesiæ Petri Columba: Dulce inspira melos Tubæ Pacem sonanti & Æmulæ Echo resonanti, ut mortalium dissociati animi benevolas præbeant aures, illarumq; veridicâ harmoniâ allecti spiraculum habeant vitæ. Paxq; Religiosa agat Triumphos, ducatq; in prædam Tibi, REX DIVINISSIME, sociata Religione pectora, ut iterum per lumen veræ Fidei captivam in Cœlum ducas Captivitatem. Interim cùm sit hoc Opus Tuâ gratiâ & auxilio completum, Opus inquam, pacem Divinam spirans, quia in materia Fidei mortalibus exhibitum, Tibi illud, ut Authori & Regi Pacis, Tuo Divinissimo consecro Nomini, & Sanctissimis substerno pedibus.

TVÆ DIVINISSIMÆ MAIESTATIS

infima creatura, & in æternum devotissima,

Fr. Venceslaus à S. Elia, C. D.

ORATIO
Authoris Libri Tubæ Pacis
Ad
INNOCENTIVM XI. Pontif. Max.

QUantis Paternum Sanctitatis Tuæ pectus flagret desiderijs; Universalis in Christi Ecclesia, Pacis, Concordiæ, Unitatisque conciliandæ spectat, non sinè ingenti admiratione Universus Christianus Orbis, quando universorum equidem, tum verò præcipuè Trium, Amplissimi Christianorum Imperij, Nobilissimi Poloniarum Regni, necnon Inclytæ Reipublicæ Venetiarum Populorum, triplicem Colligationis ac Fœderis funiculum, qui difficilè rumpatur, summâ sollicitudine promoves, & non stimulos duntaxat addis, verùm & Sacro Nervum ingentem bello conjuratum, communemq; Christiani Nominis hostem, non contractâ in pugnum, sed expansâ in bonæ causæ pugnam, beneficâ munificentiæ manu expandis, & elargiris. O Beatam Ecclesiam *Beatissime Pater*, Te INNOCENTIO innocenter ejusdem gubernacula moderante! O fortunatam Sedem Petri! quæ talem nacta Successorem, ut non minùs Tu per illam, quàm ipsa per Te illustrissimis radijs Orbi resplendeat Universo. Trahit me proindè haud sanè invitum Tua innocentia morum Religionis Majestas, dignitatis celsitudo, sublimitas virtutum, tanto Antistite dignarum, indefessum planèq; Paternum communis boni studium, ut hoc exile tenuitatis meæ opusculum altissimo Tuo Ecclesiæq; subijciam Judicio, meq; unà Tuis Sanctissimis humillimâ veneratione effundam pedibus. Venio ad Te, Regione ac Patriâ Memellâ Prussus, Religione Augustanæ Confessioni addictus, animo, cum Sanctis Ecclesiæ Patribus ac Concilijs sentiens, Catholicus, *Officio in Ducali Prussia Serenissimi Electoris Principis Brandeburgici, Domini mei Clementissimi, Parochus Nibbudzi*, novo Historiographi ac Secretarij recens titulo, à Serenissimo Poloniarum Rege gratiosè auctus. Venio, inquam, ad Te *Novum Novi Testamenti nostriq; Sæculi Nöemum Arcæ, nimirùm Christi Ecclesiæ Rectorem, ramum virentis Olivæ, id est Pacis Symbolum, ore & corde præferens*, quia ex ultimis penè Zonæ frigidæ subjectis Oris, haud frigido, quin ardentissimo affectu, pacem, concordiam, unitatemq; Dissidentium in Occidente Ecclesi-

Cujus Nationis & Fidei fuerit Author Tubæ Pacis.

arum, moderato pectore volvens, atq; ad illammet unanimi voto ineundam, velut dato receptui signo, post tot in Religionis negotio bellorum moles & molimina, Tuba Pacis evocans universos. In eam enim non vano omine spem venio, fore, ut Te *Sanctissime Pater* Authore, Te Promotore, Te Arbitro, Pax in Occidente auspicato exoriatur, sanciatur, firmetur. *Te enim primum inter omnes Episcopos, primum atq; longè maximum inter magnos Patriarchas, atq; ob hanc dignitatem Patriarchalem, Pontificem Maximum, Episcopum Episcoporum, ingenuè confitentur & venerantur. Tibi Sanctitatis & eruditionis Privilegio &c. curam directionemq; omnium Ecclesiarum commissam, Tibi Primatum Ordinis, Tibi Jus in omnes Occidentales (etiam Orientales) Ecclesias antiquitùs competere; unà mecum moderatiores præcipuè in Ducali Prussia Theologi liberè agnoscunt & subscribunt.* (a) Non dubitamus, eam Tibi inesse mentem, quæ olim gloriosæ memoriæ Liberio ejusdem Romanæ Sedis Pontifici, qui bonum Pacis & concordiæ Ecclesiarum, ob quod plurima agere & pati, gloriosum sibi & planè Romanum ducebat, ipsi Martyrio censuit præponendum. Si quando nunc certè spes affulget longe maxima, diu exoptatæ hujus Ecclesiarū pacificationis atq; unionis, cùm plurimorū jam ex nostris animi eâ quâ in Te ferantur, propensione, amplissima Ecclesiæ bona atq; incrementa, Te Duce, Te Auspice, eventura pollicentur. Tantâ quippe apud universos Reges & Principes Romanæ æquè ac Protestantium Ecclesiæ polles authoritate, ut Tuis consilijs Pacis, haud difficulter acquiescere posse credamus universos. Cœlum proindè ardentissimis in dies pulsamus suspirijs, ac votis, servet Te, *Sanctissime Pater*, DEUS ter Optimus, & ter Maximus, Universalium Occidentalium Ecclesiarum bono, atq; emolumento, sanum, vegetum, incolumem, quàm diutissimè, tam fortunatissimè.

(a) *In Facult. Theol. Regiom. Doctores Theol. præcipui, Christian. Dreierus, Melchi. Zeidlerus, Samuel Wernerus, Ioann. Philippus Pfeifferus.*

SANCTITATIS TVÆ

humillimâ veneratione Cultor
M. P.

*** *** ***

Aliæ Orationes Authoris Libri Tubæ Pacis, ad Serenissimos Reges & Principes, quæ cum sint prolixiores, ipsum intentum Authoris ex illis hic apponitur.

Ad

Ad

Augustissimum Imperatorem LEOPOLDVM I.

SI quando mortalium cujuspiam menti profundè inhæsit dubium, Pietatem ac Religionem haud esse ImperiorumRegnorumq; basim ac firmamentum, Tu exemplo vitâq; Tuâ omnem sustulisti rationem dubitandi, *Augustissime Imperator.* Tanta enim est, tantaq; Augusta Tuæ pietatis Majestas, ut inTe Germano Sole, ipsam pietatem Imperij Romani solium occupâsse, firmâq; possessione stabilivisse videatur. Hausisti nimirùm illam è pientissimo, velut è dulci fonte immortalis memoriæ Parentis Tui *Ferdinandi III.* pectore, cui illud vitæ, rerumq; gerendarum fuit perpetuum Lemma: *Justitiâ & Pietate.* &c. Quamobrem & mea hæc Tuba Pacis, ad unitatem Dissidentes in Occidente Ecclesias evocans, Tuæ Augustissimæ ut Pietati, sic & Consilio atq; Industriæ, sese humillimè substernit, illudq; cum Augusto Doctore, Divo Augustino, Tibi Augustissime Cæsar recum sonat, *Pertinere hæc ad Reges* (atq; imprimis Imperatores) *Sæculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint habere suam Matrem Ecclesiam.* Et illud etiam Tibi Maximo, quia primo *Leopoldo*, repetito clangore ingeminat, quod olim Leo I. Pontifex Rom. ad Leonem Imperatorem exaratum reliquit: *Debes Imperator incunctanter advertere, regiam potestatem Tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.* Quantis Ecclesiæ corpus Imperio toto Dissidiorum in Religione, tam armorum, quàm animorum sit concussum, qualsatumq; turbinibus, sentiunt jam altero Sæculo tot Provinciæ, tot Urbes, tot Populi, ut propterea nihil desiderabilius, nihil utilius, nihilq; salubrius universis, quàm diù exoptata Pax, Unio, & Concordia, Tuo non tantùm Regimine, sed & præsidio possit evenire. &c. Jungent haud dubiè amicas, ad tantum auspicandum opus, Pacis dexteras, Supremus imprimis Ecclesiarum Pastor & Patriarcha, tum vicini quoq; Reges Principesque Imperij, &c. Tuo post DEUM Consilio & industriæ adscribendum, ut meritò à vero tanto operi inscribere liceat Epigraphen: *Digitus DEI est hic, & Dextera Domini fecit virtutem.*

AVGVSTISSIMÆ MAIESTATIS TVÆ

humillimus ac devotissimus servus

M. P.

Ad

IOANNEM III.

Regem Poloniarum Invictissimum.

IMmensa penè, quia toto Orbe Gestorum Tuorum Nominisquè pervulgata magnitudo plus quàm Heroica, in Sago Martioq; campo Virtus. Major quàm Augusta vultûs Tui in Toga Regioq; Throno Majestas, hanc me Tubam Pacis, unà mecum ad Regias Tuas plantas jubet provolvere, *Serenissime ac Invictissime Rex*, Et quidni hasce procumbens, submissisima cum veneratione exambiat, & amplectatur, quæ calcandæ Othomanicæ Lunæ Tubæq; belli dudum assuetæ, cujus in sublime supra tot Regna Christianorum erecta superbè Cornua, utinam non calces duntaxat, sed & conteras, ita ut à Mari ad Mare Regnum Dominationis Imperijq; protendas Sceptrũ, *donec auferatur Luna.* Unam hæc Tuba Religionum in Occidente Dissidentium Pacem resonat, quam Tibi non minùs Consilio, quàm armis parandam Regionibus Superi destinavêre. Multiplicem, eamquè integram propè Pacem auspicato in una, *Te Salvatore eliberata Vienna,* Orbi Europæo reddideras, nisi quot repetitis prælijs, tot novis de hoste Victoriarum Triumphorumq; documentis, ad summũ fastigium Dominus Exercituum per Te deducendam statuisset. *Emant alij exoptatam Pacem auro, Tu illam & ferro redimis.* Pretiosa illa, hæc non absq; pretio, etiam solida. Cessisset illi Auspice DEO nuper Buda Hungariæ, exemplo Strigonij, si Tui fulgur acinacis ejus perstrinxisset oculos. Pudebat eam, alijs victas vinctasq; dare manus, absente Tuâ, Martiali ferro à teneris assuetâ dexterâ. Provocabat insolenter tot ferro armatas manus, quæ ad Tuum corruisset, aut spontè ad Regiæ dexteræ osculum occurrisset. Neq; enim illi dexteræ ausa fuisset resistere, quæ una & *Militis, & Ducis, & Imperatoris* ferrum, etsi dispari ætatum intercapedine, pari tamen Virtutis robore, uno palmo, tot Victoriarum, Trophæorumq; palmis & lauris implexum obambit & complectitur. *Bellum hosti in alieno Imperio, ingentibus ausis intulisti, & adhuc inferre paras, de pace ac tranquillitate Tui securus* Ita quocunq; ad Bellũ cum Bellona pedē effers, Pacem cum Pallade, id est, Tuâ Comite Sapientiâ fidam habes Pedissequam. Post tot igitur cruenta Bella, & quæ jam exantlata, & quæ adhuc Tibi exantlanda manent, incruentam Pacem victore Tuo ferro, atq; inexpugnabili Scuto sanciendam, respectant, & exspectant Europæ totius non Regiones tantùm, sed & Religiones.

Rectè

Rectè enim, sed de Tuo Gentilitio potissimùm, quia semper Victorioso, à Lipsio dictum accipio effatum, *Sub Clypeo meliùs succedere negotia Pacis*. Præluxit Tibi memorando omnibus Sæculis exemplo, ævi sui *Alexander* tam Pace quàm Bello fortunatissimus Rex *Vladislaus*, qui in summa Regni tranquillitate studium Pacis, discordium etiam Religionum, in summis Regijs reponens Curis, pacificũ, quia *Charitativum*, inter Dissidentes in Fide Ecclesias Torunij instituit Colloquium. Quod communi Ecclesiarum Paci atq; Unioni non contemnendum quidem Exordium fuit; at haud expectato, quia sinè Unitatis Pacisq; partium Conventione, conclusum Epilogo. Tibi id, *Serenissime Rex*, Cœlum reservâsse, non vano auguror omine, vel e Tuo Nomine, quod non sinè Numine Divum geris. Joannes enim es; id est, gratia DEI, quæ Paci æterno fœdere juncta. Joannes es; qui vel Quirinali Oraculo, verè *à DEO missus*, quove contra Barbaros hoc Sæculo *non surrexit maior*; Cui proindè ad Pacem ineundam, Dissidentium in Tuo Regno, quin & cæterorum haud Barbara Capita, tantò faciliùs submittentur. Non deerit tanto, tamq; pio Tuo conciliandarum Ecclesiarum conatui, *Summus Ecclesiarum Pastor Paterq;*, qui quanto Te in honore & respectu habet, vel ipsa quàm rara, tam cara Regum munera, Tibi *Serenissime Rex, Heroum maxime*, in pretioso Ense Galeaq; per Illustrissimum Opitium Pallavicinum Archiepiscopum Ephesinum, Nuntium Apostolicum, præsentata loquuntur. Non deerunt & cæteri Reges Principesq; non solùm Catholici Romani, sed & Protestantes, quorum aliqui gloriæ sibi ducebant, sub Tuo Imperio Viennæ à communi Christianitatis hoste in libertatem asserendæ, cum auxiliaribus Copijs adesse. *Universi verò Te, verè hoc Sæculo Nostro fulmen Orientis cœlitùs datum agnoscunt & admirantur.* Age igitur *Rex Invictissime* Pacem, quam inexpugnabili ferro, Scutoq; Regio Europæ Regionibus, unâ manu ferre cœpisti, fortunato alterâ etiam Religionibus, pacifici Regiminis Sceptro asserere postliminio. &c. Sic Te Alterum Ævi nostri Augustum adorabimus, qui Jani fores & pandas ad Sagum bellumq; & claudas ad Togam pacemq; &c.

SERENISSIMÆ MAIESTATIS TVÆ

humill. ac devotiss. servus & Cliens

M. P.

Ad

Ad
Christianissimum Regem Galliæ
LUDOVICUM XIV.

VNus Christianissimus Rex es, & vel ideò tanti Nominis imples mensuram, quia Bella minaris, æqua tamen Pacis Boniq; publici amussi Christianitatis metiris emolumenta. &c. Primogeniti Ecclesiæ Catholicæ Filij nomen obtines, & vel ideò vivam Orbi Europæo spem inspirans fore, ut dum eclypsandæ omni ex parte Lunæ Othomanicæ *Joannes Tertius* Rex Poloniarum, triplici fœderis nexu ingentibus ausis incumbit. Tu quartus, ternis Aquilis Tua Lilia jungas. Quamobrem *Rex Christianissime*, Tu hanc Pacis universarum in Oriente Ecclesiarum Tubam præcipuo Jure Tibi vendicas. &c.

Ad
Serenissimum Regem Britanniarum.

TAntâ igitur Tui Nominis Famâ excitus, ad Tuum me hac cum Tuba Pacis Regium Thronum, tenuitatis licèt meæ conscius, proripio, &c. Lassum jam Regnum Tuum sub tanto in Religionis Negotio dissidiorum pondere, ad desideratam Ecclesiæ Unitatem, Pacem, & Concordiam intimis anhelat suspirijs, nullus dubito. Neque enim desunt in tam florente inter Christianos Regno, & *quòd olim Sancta Angliæ, ab ipsis Angelis meruit appellationem*, qui Pacem Ecclesiarum in summis reponant votis. &c.

Ad
Serenissimum Regem Daniæ.

INveniet proindè & hæc mea Tuba Pacis locum apud Regium Serenissimæ Majestatis Tuæ Thronum, ut potè quæ pro Unitate Religionis, ac quod consequens est, pro una pietate & sanctitate, velut pro aris & focis, non tam dimicat, quàm vocalissimè perorat. &c.

Ad

Ad

Serenissimum Regem Sueciæ.

PRo Pace in Occidente, post tot Religionum Regionumq; bella auspicatò tandem instituenda, Tubam hanc Pacis præfero, Tuoq; Regio humillimo cum venerationis officio conspectui præsento. &c. Ad hanc Pacem Ecclesiæ, cùm cæteros Reges, Dynastas, Principesq; hâc Tubâ meâ excito, etiam ut Tuo in Trione ejus vox resonet, permittes *Rex Serenissime. &c.*

Ad

Serenissimum Principem Saxoniæ.

NEmpè cum alijs Imperij Principibus, tum & Tibi hæcce mea debetur Tuba Pacis, pro cujus integritate numeroso depugnabas exercitu. Ardebat nuper Viennensibus obserata pegmatibus Christiani Tranquillitas Imperij, cùm illi suam accenderet Lunam Turcia, & feralibus flammis crinitùs veluti Cometes exustionem tentabat. &c. Nec auribus duntaxat testis esse voluisti Viennensis prælij, & spectatorem Tu dedisti oculum, nisi quòd ab excusso pulvere Temetipsum in medio hostium, sinè ullo Serenitatis Tuæ respectu non vidisti. &c.

Ad

Serenissimum Principem Brandeburg.

TIbi proindè sigillatim hunc Theologicum Discursum de Unione Dissidentium in Occidente Ecclesiarum inscriptum, dedicatum, nihilq; eo Tuis Juribus, atq; eminenti, quam in Ecclesias Regimini Tuo subjectas geris potestati, ullo modo derogatum velim. &c.

Ad
Serenissimos S. Romani Imperij Electores ac Principes.

REpressus est auxiliaribus Vestris copijs Invictissimi *Joannis III.* Regis Polonarum Scuto junctis ad Viennam Othomanus, & ab educto vaginæ ferro collapsa Imperio tranquillitas cum lauribus pullulavit. &c. Mysterium ergo libens peragam, & Pacis Tubam unitate Orthodoxi Spiritûs, ad Ecclesiarum solatium, ad quietem Regnorum, ad concordiam Populorum, in plausum deniq; Principatui Vestro adimpletam præferam. &c.

Ad
Inclytas S. Romani Imperij Vrbes.

HInc minùs meo aberrabo à proposito, si Vobis in pulchram, tam vanè dissidentium animorum tesseram, manum Tuba Pacis instructam offeram, ut post prælia rationibus veris & æternis depugnata, non alium excutiat sonitum, quàm tranquillum, quàm concordem. Stabunt securissimæ fortunarum suarum Urbes Vestræ nobilissimæ, si ad pacatissimum Tubæ meæ classicum aures reseraverint, & quæ potentissimas devastat urbes, quâve res maximæ dilabuntur, procul ab animo, procul ab Imperio expellatur discordia. &c.

ORA-



ORATIO
Catholici Authoris
Ad
Serenissimos Reges & Principes.

MInimè dubito, quin ad aures Vestras, *Serenissimi Reges ac Principes*, pervenerint piæ expostulationes Authoris Libri TubæPacis, qui commiseratione Christianâ, & sollicito revolvens animo, immensa, & propè infinita dissidia in materia Religionis, inter plurimos privatos cœtus de vera inter se Ecclesia perpetuò litigantes, & nullum advertens medium, ad extinguendum hoc tam grande incendium discordiarum, quod altero jam Sæculo crudeliùs quàm Ætnæ vel Vesuvij ebuliens flamma tot milliones absumpsit hominum, sollicitâ mente recurrit ad Serenissimas Majestates Vestras, ut Vos, tanquam prima Capita in populo Christiano, Vestrâ authoritate hanc ingentem flammam extinguere incipiatis, cuncti prosequentur populi, secundùm illud vulgare: *Ad exemplum Regis totus componitur Orbis*, dum inter alia memoratus Author Cap. 5. pag. 14. ad finem ait: *Horum tamen conversionem intimiùs optamus, ac nullatenùs desperamus, quin hi Cœtus ad unionem unius totius Ecclesiæ Catholicæ accessuri sint, aut authoritate Ecclesiæ Catholicæ convicti, aut exemplo aliorum Cœtuum illecti, aut Serenissimorum Principum mandatis atq; potestate compulsi*, ut tandem redeat, undè exivit, ad suos stygios Manes hoc funestum discordiarum incendium. Si enim gloriosum Alexandro fuit, ut sibi nomen Magni inter mortales comparaverit, cùm primus præiret reportaturus ex hostibus triumphos, quantò gloriosiores non solùm terrenæ, sed æviternæ gloriæ coram DEO Vos expectabunt post sera fata in Cœlo triumphi, si hoc grande & vere Regium Regijs pectoribus Vestris, pro DEO & Ecclesia illius

illius aggrediemini opus, *cùm nihil sit in humanis rebus* (ait Lactantius) *Religione præstantius*, quam sola, & solum unica, vera Christi DEO in terris exhibet Ecclesia, Vobis, Serenissimæ Majestates, primariè DEUS hanc & commisit, & reliquit felicitatem, ut hîc in terra veram Christi defendatis Ecclesiam, ex cujus gremio, & non aliter, perventuri estis ad immortales Coronas, tunc jam verè ex omni parte beati, quia non jam terreni, sed Cœlestes, & immortales. Vos, inquam, pro tutoribus Ecclesiæ suæ in terris reliquit DEUS, apud Isaiam cap. 49. *Reges erunt Nutritij tui, & Reges eorum ministrabunt tibi.* Agite nunc Serenissimæ Majestates invictis animis, hanc à DEO commissam sibi tutellam, agite verè Regium opus, quia pro Rege Supremo Regum, opponite Vos pro causa DEI, & vera illius, unica in terris Ecclesia, cùm non eritis sine ingenti fructu, nam pietas Vestra & vera in DEUM Fides, quæ est Conservatrix Regnorum, Sceptra Vestra in gladios, Coronas Vestras in galeas metuendas efficiet hostibus Vestris, & post terrenas & transitorias subministrabit æternas. Cùm verò Author Tubæ tam sollicitè in suo Libro Tubæ Pacis exoptat colloquia in materia Religionis, suadetq; in sua Prophasi, ut singuli in suis Ecclesijs singulas similes arripiant Tubas: Arripio unam ex Tubis, per modum Colloquij cum Authore disserens, de modis hujus Divinissimi operis, unionis salutiferæ animorum in Fide disceptantium, ut feliciter succedat, optat ille, si amoveantur obices, quos Author Tubæ ponit in suo Libro, ex parte Dissidentium, ponuntur etiam obices & obstacula ex parte Ecclesiæ Romanæ, & solvuntur objectiones Authoris & Dissidentiū, in quibus suam ab Ecclesia ponunt separationē.

☞ *Testis est DEUS, quòd solo intuitu Christianæ chari-*
tatis, sinceræ veritatis, zeloq́; salutis animarum profe-
ram clarè, ut se res habent, præcipuas rationes &
1. *fundamenta Dissidentiū, quibus separati ab Ecclesia Ca-*
tholica, & quibus documentis detinentur, in suis pri-
2. *vatis Cœtibus, diluamq́; præcipuas difficultates, auxili-*
3. *ante DEO, quas habent in reditu ad Matrem suam:*
4. *pòst ingeram magnos & multos scrupulos, præcipuè Vi-*
ris doctis & sensatis, amantibus veritatem, & salutem

anima-

animarum suarum, ut tutiora sequantur, porrigamq́; auxiliante DEO, *suavem, clarum, & efficacem modum, indagandi ipsam Catholicam veritatem, ut unius moris simus in Domo* DEI, *nec sint inter nos Schismata, eruamq́; hunc modum ex ipsis principijs, in quibus nobiscum omnes Protestantes conveniunt.* Hanc binam Tubam, ex Discursu Authoris Tubæ Pacis, & nostro in unum compactam, *conspectui Vestro, omnibusq́; Academijs in Vestris Regnis & Dominijs legendam, trutinandam, & revolvendam, ut cuiq́; placuerit, exhibeo, & quidquid respondendum occurrerit, vel quascunq́; difficultates suis doctrinis oppositas, in hoc bino Discursu Dissidentes Professores, quicunq́; illi sint prædictarum Academiarum, invenerint, alio simili libro, per modum charitativi colloquij, semotis calumnijs, & sinistris imputationibus, vanisq́; subtilitatibus & sophismatibus, contrariam suis dogmatibus doctrinam manifestis, & intellectum docti & sensati viri convincentibus responsionibus diluere non graventur, quod si non fecerint, omnia in hoc libro contenta pro approbatis haberi minimè dubitent, tamen mandate & præcipite, ut respondeãt.* Si verò responderint, Vos, Serenissimi Principes, sitis Arbitri & Judices Responsionum, *si adæquatæ fuerint, Vos judicate ex hoc bino Discursu, cujus causa æquior,* salvo in omnibus ultimato judicio Catholicæ Ecclesiæ. Clementissimus DEUS, ut firmissime spero, dabit multis intellectum, ut penetrent, undè hæc dissidia in Fide originem sumpserunt, & magis consulent saluti suæ, Vosq;, *Serenissimi Principes,* hanc laudem & æviternam gloriam coram toto Cœlo reportabitis, cùm Fides vera, & aurea Pax in materia Religionis, sub auspicijs Vestris majora sumet incrementa, solidabitq; Vestra Regna & Principatus. Quòdsi aliquid



cùm idem Author Tubæ exceptet pag. 54

quid intuitu veritatis, non ad placitum ſcriptum, vel reſponſum in hoc libro viſum fuerit, Sereniſſimas Majeſtates, & alios Viros, ſapientiâ & quâcunq; auctoritate fulgentes, rogatos velim, ne id ſuis perſonis applicare velint, cùm hæc ad Authores præteritarum, & Continuatores præſentium diſcordiarum, pertinere velim, non irritando, ſed veram Chriſti Eccleſiam à tot calumnijs vindicando, & defendendo, cùm defenſio unicuiq; jure naturæ competat, maximè, ubi de cauſa DEI, & ſalute animarum agitur: Relatoris tamen magis, quàm Authoris agam officium; neq; dicam, hæc dico, ſed, hæc dicimus, hæc dicit Dominus, ſtylumq; meum conſultò ad captum omnium temperabo, cùm omnibus ex charitate Chriſtiana debitor maneam, *Charitas enim Chriſti urget nos*, ait Apoſtolus 2. ad Corint. 5. Et quamvis aliquando aſperè loqui videar, hoc pro defectu charitatis computari non debet, cùm ex motivo ejusdem id fiat, dum Diſſidentium opiniones, ſententias, placita, in medium proferam, ut eò citiùs verum, bonum, ſanctum, omnes agnoſcant, nec aliter cum proximis, cum quibus res eſt, agere intendo, niſi quæ concernunt majorem gloriam DEI, & animarum ſalutem, pro quibus usq; ad ſanguinem & mortem certandum. Non enim alium intendimus finem, ut cum Magno Baſilio Epiſt. 70. loquamur: *Quid non impugnamur propter pecunias, non propter gloriæ ſplendorem, non propter aliquid aliud rerum temporalium, ſed propter communem theſaurum, propter hæreditatem Paternam, propter ſanam Fidem, in acie & certamine ſtamus.* Non enim omnis qui parcit, amicus eſt, nec omnis qui verberat, inimicus; nam meliora ſunt vulnera amantis, quàm fraudulenta oſcula odientis: meliùs cum ſeveritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Quis enim nos magis amat, quàm ipſe DEUS, & tamen & magna pollicetur, & magna minatur, ut alliciat ad ſe: & cùm ſit ipſa ſumma Bonitas, tamen non
Matth. 25 parcit malis, præmiabitq; bonos. Undè ait: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum.* Et: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum &c.* Hæc licèt aliqui ingrato animo ſuſcipient, tanquam non veritatis, ſed Perſonalium ſectatores, tamen veritatis amici, & ſuæ ſalutis cupidi cùm adverterint hæc, nullo modo cum veritate cohærere poſſe, conſulent magis rebus ſuis, & ſaluti animarū ſuarum. Sereniſſimis vero Majeſtatibus cum debita ſubmiſſione longævam vitam, fortunatos ſucceſſus, & gratiam copioſam Divinam animitùs exoptat

Præſentis Operis AVTHOR.

Facul-



Facultas Ordinis.

Frater Eugenius à Sancto IOSEPH; *Vicarius Generalis Fratrum Discalceatorum Ordinis Beatissimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo Congregationis Sancti ELIÆ.*

TEnore præsentium facultatem impertimur Admodùm Reverendo Patri *Venceslao à Sancto Elia*, Vicario Provinciali Provinciæ Nostræ Polonæ, ut typis mandare valeat Librum, cui Titulus: *Echo Salutis æternæ à Petra militantis Catholicæ Ecclesiæ resonans*, ab ipso compositum, & à duobus è Nostris deputatis Theologis recognitum, & approbatum. Romæ in Conventu Nostro S. MARIÆ de Scala, die 27. Februarij, Anno Domini 1700.

Locus ✠ Sigilli. **Fr. Eugenius à Sancto Ioseph, Vicarius Generalis.**

Fr. Franciscus Salesius à S. Theresia, Secretarius.

Appro-

Approbatio Ordinis.

EX speciali mandato Admodùm Reverendi Patris Nostri EU-GENIJ à S. JOSEPH, Vicarij Generalis Nostræ Congregationis Carmelitarũ Discalceatorũ, attentè legi Librum, cui Titulus: *Echo Salutis æternæ à Petra militantis Ecclesiæ resonãs*, ab Admodùm Reverendo Patre Nostro *Venceslao à S. Elia*, Nostræ Provinciæ Polonæ Vicario Provinciali Carmelitarum Discalceatorum, doctè & nervosè compositum. Hic Liber, si fateri veritatem debeam, non solùm orthodoxorum animos ad defensionem Catholicæ Ecclesiæ, veræq; Fidei propugnationem manifestis excitat veritatibus, sed etiam hæterodoxa convellit dogmata, & ex suis principijs erronea ostendit, prout cuiq; legenti manifestè patebit; ita ut meritò Hypponensis Antistes Serm. de Temp. 106. exclamaverit: *Sacerdotalis Tuba mentem peccatoris humiliat, animos Sancti Viri corroborat, nec parcit voci, ut parcat saluti, & uno eodemq; sono isti adhortationem dat, illi terrorem incutit.* Et S. Chrysostomus Homil. 1. ad popul. *Tanquam Tuba terribile canens & bellicum, hostes quidem consternit, lapsos autem suorum sensus excitat.* Undè cùm Liber hic ex omni parte sanam Sanctæ Ecclesiæ Romanæ bonisq; moribus consonantem divulget doctrinam, ex eo vel maximè, quòd solidis Sacræ Scripturæ, Sacrorum Conciliorum authoritatibus, necnon irrefragabilibus Sanctorum Patrum effatis dignissimum: exindè judico, animitùsq; exopto, Librum hunc publicæ Orbis Christiani utilitati quantocyùs per Typographiam exponendum, ita sentio. In Conventu Nostro Lublinensi, die quartâ Augusti Anno Dñi 1700.

Frater Archangelus à Sancto Ioachimo,
Sacræ Theologiæ Lector.

Altera

Altera Approbatio Ordinis.

Liber intitulatus: *Echo Salutis æternæ à Petra militantis Catholicæ Ecclesiæ resonans*, Tubamq; Pacis partim amplificans, partim respondens & convellens ea, quæ ex mente Dissidentium in suo Libro proponit & objicit Author Tubæ, Admodùm Reverendi Patris Nostri *Venceslai à Sancto Elia*, Vicarij Provincialis operâ, lucem publicam aspicens, testor, me totum hoc Opus, ex commissione Admodùm Reverendi Patris Nostri EUGENIJ à S. JOSEPH, Vicarij Generalis Carmelit. Disc. non alium auscultâsse, quàm Divini Verbi clangorem, quem quicunq; audierit, tinnient ambæ aures illius. Tanta enim soni illius efficacia, ut & Catholicorum animos veritatis revelatæ à DEO suavi consonantiâ mulceat, & hæreticorum aures verissimâ Fidei Catholicæ probatione obtundat. Addit & Religiosa modestia suaviorem concentum, licèt enim prava dogmata evertat & insectetur, intra modestiæ tamen limites nihil asperum, nihil malevolum, sed omnia Paci consonantia resonant. Quòd si hæc non benè ad Orthodoxiam dispositis fortassis videbuntur molesta, ambrosiâ veritatis condiri debent, nec debere habere locum apud Lectorem illud vulgare, *Veritas odium parit*, cùm eadem separata à falsitate multis auxiliante DEO, & tibi fortasse Lector, ad astra monstrabit iter, si ipsam libenti amplectaris animo. Verbo dicam: Si Echo considero, hîc repercussas gravissimorum Doctorum sententias, hîc Conciliorum Oracula, hîc difficultatum resolutiones, & controversorum inter Dissidentes Articulorum Fidei, plenam in compendio licet prensare intelligentiam: si Petram palpo, allisa hæterodoxa dogmata, & naufragantes cum suis sententijs Sectas benè ex illa spectare possum. Utinam ergo tam Orthodoxas, quàm & hæterodoxas aures hæc Vocis Imago tinniens afficiat, & si non ex facie, sed ex voce dignosci volunt, cum Socrate relegant, & in hoc Libro videant, quid Catholica veritas & hæreticus fucus valeant, certò certiùs experientur. Ita sentio. In Conventu Nostro Grodnensi, die 28. Novembris, Anno Domini 1700.

Fr. Cyrillus à Sancto Adriano,
Sacræ Theologiæ Lector.

Approbatio & Facultas Librorum Censoris per Diœcesim Cracoviensem.

EGo *M. Franciscus Przewoski, Sacræ Theologiæ Doctor, & in Vniversitate Cracoviensi Professor, S. R. M. Secretarius, Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Floriani Præpositus, Ordinarius per Diœcesim Cracoviensem Librorum Censor,* Opus latino idiomate conscriptum, cui Titulus: *Echo Salutis æternæ à Petra militantis Catholicæ Ecclesiæ ad universas in Occidente Ecclesias ex sono Tubæ Pacis per Matthæum Prætorium Memelâ-Prussum resonans,* seu *Discursus Theologicus respondens,* &c. &c. Authore Reverendo Patre Fratre *Venceslao à Sancto Elia,* Vicario Provinciali Carmelitarum Discalceatorum, attentè & diligenter legi, quod cùm nihil bonis moribus & Fidei dissonum in se contineat, sed ad convellendos hæreticorum errores, ac veritatem dogmatum Orthodoxæ Catholicæ Fidei stabiliendam summoperè proficuum sit, ideò illud in lucem publicam edi, & prælo imprimi do & concedo facultatem. Datum in Præpositura Sancti Floriani ad Cracoviam, die quartâ Iulij Anno Domini 1699.

Idem qui suprà, m. pp.

PRÆ-



PRÆFATIO ad Lectorem.

IAm ferè Octuagesimus supra Centesimum vertitur Annus, ex quo mutuæ Dissidentium Religionum confusiones, Christianum Occidentalem disturbant & divexant Orbem, & velut tumentibus discordiarum fluctibus quasi in tempestuoso mari, illam unicam Ecclesiæ navim, ita impetuosè exagitant, ut eam multi opinentur penè submersam, nec immeritò, nisi enim singularis protectio Verbi Divini, nisi promissiones Divinæ, nisi ipsamet Incarnata Sapientia Christus JESUS, non solùm sapienter, sed & fortiter, & verbo virtutis suæ, Ecclesiam suam, & Omnipotenti suâ teneret manu, jam pridem illam collapsam universus cerneret Orbis. Quod verò magis dolendum, mutuarum collisionum necdum operum cernimus finem, quæ eò graviores, quò majora Religionum geruntur dissidia, per quæ Charitas Christiana summopere rumpitur, sine qua nemo videbit DEUM, testante ipsâ Incarnatâ Sapientiâ Joan. 3. *qui non diligit, manet in morte*, & attestante Divo Bernardo, *necesse est perire hominem, etiamsi tradiderit corpus suum; ita ut ardeat*, hæc discordia proh dolor! longâ annorum serie trahitur, cum scandalo Infidelium, qui exosum habent Nomen Christianum, nec hucusq; terminus discordiarum Religionis. Per hunc longum tractum annorum inventi sunt plures præclari Viri, qui dulce nomen Pacis Religionisq; in animo habentes, in hoc desudârunt, ut discrepantes Religionibus animos adunarent in unica, vera Catholica Religione, sed hanc non viderunt optatam felicitatem. Ad hoc intentum instituta fuerunt plura Colloquia, tum inter Catholicos & Protestantes, tum inter ipsos præcisè Dissidentes, plures tentati sunt modi pacis & unionis in materia Fidei in varijs Regnis & Provincijs, inter quæ non postremum illud fuit Serenissimi Principis Vladislai IV. Regis Polonarum Torunij institutum, qui velut alter pacificus Salomon al-

 tissimâ

tissimâ in Regno suo à Divino Numine obtentâ pace, Divinissima altera Religionis unanimem Fidei spiritum stabilire voluit, nec vana spes fuisset intenti finis, si moderatiori animo Dissidentium, & secundùm instructionem Principis, res trutinatæ fuissent, & materia Religionis. Sed sicut hoc Charitativum Colloquium deficiente charitate, (ut inferiùs ostendemus, cùm aliquid de hoc Colloquio Toruniensi dicemus) ita & multa alia nullum consecuta sunt felicem finem. Tamen licèt hi boni & pij multorum conatus in vanum abierint, numquid in obtinenda optata pace & concordia Christiana desperabimus? numquid abbreviata est manus Domini? quasi ipse non possit homines bonæ voluntatis in viam reducere salutis, & dissociatos unâ Fide sociare animos, præsertim illorum, *quibus omnia cooperantur in bonum*, qui ad unitatem Fidei Sanctæ, sine qua impossibile est placere DEO, summis anhelant votis, ut pristina pax & unitas Religionis restituatur Ecclesiæ, ut *sicut est unus DEUS, una Fides, unum Baptisma*, ita omnes uno ore, uno animo dicamus, *Credo unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.*

ad Rom. 8 · *ad Ephes. 4* · *Symbol. Apost. & Nicæn.*

Ante aliquot annos prodijt in lucem liber, sub Titulo *Tuba Pacis*, (sub duplici editione, Coloniæ apud Joannem Pauli, & Amstelodami apud Alexandrum Lintman, Anno ut suprà 1685.) seu Discursus de unione Ecclesiarum Romanæ & Protestantium, Authore Matthæo Prætorio, Memelâ-Prusso, Confessionis Augustanæ Alumno, sciente & permittente Academiâ Regiomontanâ, ut apparet ex sermone ipsius Authoris, qui ad Dissidentes Ecclesias in Prophasi sic ait: *Tubam igitur voci DEI obediens arripio, &c. quæ hactenus ultra duos annos manibus* Theol. *Facultatis Regiomontanæ tenebatur at tenebatur.* In hoc Libro exoptat Author, inter Dissidentes instituenda amica colloquia, auferendosq; obices in materia Religionis, ut in una Ecclesia Catholica omnes unum sentiamus, *& non sint in nobis Schismata, quoniam qui talia agunt. Regnum DEI non consequentur.* Hic Liber memorati Authoris, cùm non pridem pervenerit ad manus meas, supra modum lætari debui, cùm intellexerim, quantum desiderium inest & Authori, & pluribus cum illo, salutiferam toto animo amplecti Fidem, cùm ostendat, plures, idq; præcipuos Theol. Facultatis Regiomontanæ Alumnos, secum idem sentire, & affectare eandem unionem in materia Religionis, ut videre est in multis locis per totum Discursum Authoris, sed præcipuè in Oratione ad Innocentium XI. Pontificem

ad Galat. 5

Maxi-

Maximum, tum ad Serenissimos Reges & Principes Christianos, quæ omnia ad initium hujus Libri apponere placuit, ut inde unicuiq; conijcere liceat, non vanam spem futuræ Pacis in materia Religionis. Placuit itaq; ad hunc Authoris Discursum formare alterum, per modum Colloquij, cum aliquibus necessarijs responsionibus ad Objectiones, quas ponit ex mente Dissidentium, & obijcit in suis Discursibus Author, ad magis indagandam veritatem, & ad majus veræ Fidei lumen Dissidentibus Cœtibus. Quem laborem eò libentiùs aggredimur, quò evidentiùs intelleximus, omnes Protestantes uti frequenter testimonijs SS. Patrum, quotquot enim legerim illorum libros, invenio plurimas auctoritates SS. Patrum, & memoratum Authorem provocare ad Primitivam Ecclesiam, & ipsius tunc Concilia Generalia, & SS. Patrum testimonia, qui Quinto vel Sexto Sæculo vixerunt, immo ad Octavi Sæculi Sanctos Patres provocat Author, dum pag. 7. ait: *Quare decet nos, honorificè de luminibus istis Ecclesiæ sentire, qui vulgò Patres appellantur, & quidem de Classicis istis, qui mox post tempora Apostolorum exorti, annorum octingentorum spatio Ecclesiæ, tam Orientali, quàm Occidentali, summa cum laude præfuerunt, hi Commentationibus suis eandem illustrando, plurimùm non tantùm sui Sæculi hominibus, sed toti etiam posteritati profuerunt, suorumq; temporum historiam accuratè adscriptam ad posteros transmiserunt, eodem ingenti beneficio Orbem Christianum affecerunt. Inprimis laus debet ipsis pro certaminibus, quæ ipsi pro tuendo cœlestis veritatis deposito, adversùs hæreticos acerrima subiêrunt, quæ beneficia ingrata esset Ecclesia, ni agnosceret; impia, nisi agnita in pretio haberet.* Et ibidem superius ait Author: *Sensum genuinum dat Catholica Ecclesia, cuius doctrinam Patres vetustiores monstrant, quod ex miro illorum consensu patet.* Et post pauca ex Tertulliano ait: *Cæterum, quod apud multos invenit, non est erratum, sed traditum Ecclesiæ Catholicæ, quæ sola est columna & firmamentum veritatis* Hucusq; verba Authoris. Optimum sanè consilium, mediantibus Primitivæ Ecclesiæ SS. Patrum testimonijs indagandi veritatem, hunc infallibilem porrigit modum ipsamet Scriptura Divina. *Interroga generationem pristinam, & diligenter investiga Patrum memoriam, hesterni quippè sumus, & ignoramus, quia sicut umbra dies nostri sunt super terram, & ipsi docebunt te, loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.* Et: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* Et: *Hæc dicit Dominus; State super vias vestras, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ*

1 ad Tim. 3

Iob 8

Proverb. 22

Ierem. 6

quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis requiem animabus vestris. Et ipsemet DEUS Deuter. 17. in rebus obscuris ad Summum Sacerdotem & Prælatos remittebat populum, dicens: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & Judicum inter portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus DEUS tuus, veniesq; ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi Judicij veritatem, & facies quodcunq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegit Dominus, & docuerint te juxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum, neq; declinabis ad dexteram, neq; ad sinistram.* Hanc viam tritam non solùm in Veteri Testamento DEUS præcepit,

ad Hebr. 13 sed etiam Christus in Novo. *Obedite Præpositis vestris. Qui vos au-*

Luc. 10 *dit, me audit: qui vos spernit, me spernit. Qui non audierit Ecclesi-*

Matth. 18 *am, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Et ad Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, &c. in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem Fidei, &c ut iam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Hâc viâ genuinam Fidei Orthodoxæ veritatem, auxiliante gratiâ Divinâ, quisq; inveniet, si præcipuè animum à sinistris imputationibus, calumnijs, sinistris objectionibus, quæ injuriâ & vitio tum malorum temporum, tum pravorum hominum irrepserint, illæsum conservabit, nulli parti, nec cuiquam privato homini, sed soli veritati adhærens, secundùm illud: *Amicus Plato, amicus Socrates, magis amica veritas.* Non intendimus tamen, in hoc Discursu longiores texere Controversias, cùm alia negotia Religionis modicum tempus concedant, obiterq; tractare permittant, alijs hunc laborem relinquo, qui ex professo similes materias tractabũt, pluraq; dicent & meliora, zelo salutis animarũ illecti, quæ mihi angustia temporis abstulit, mihi pro nunc sufficiat, dedisse occasionem Viris doctis, ad firmandum magis & perficiendũ hoc Divinissimum Conversionis animarum Opus; & ad mentem Authoris ipsas veritates, testimonijs Sacræ Scripturæ, Primitivæ Ecclesiæ, & SS. Patrum illorum, qui sexcentis annis post Christum doctrinâ & sanctitate floruerunt, firmas ostendere, & aliqua argumenta Diffidentium, ex occasione Discursûs Authoris Tubæ Pacis, incidenter resolvere volumus. Hæc, & multa alia, in pro-

gressu

gressu hujus Libri firmissimum robur præstabunt, ad investigandam & sectandam Orthodoxam Fidem. Pro illis enim exhibemus hoc Opus, qui bonâ voluntate & sincero animo ipsam veritatem Catholicam in sua puritate intelligere & amplecti desiderant, cùm illos anxia & perplexa angat conscientia, & non satis securos facit in suis Cœtibus de sua salute, urgetq; ad investiganda tutiora media obtinendæ salutis, non securos in sua Fide. Pro illis, inquam, qui, ut ait S. August. contra Epist. Fundam. cap. 1. *imprudentius fortassis, quam malitiosius hæresi adhæserunt, non habentes fortassè perspectas fraudes hæreticorũ.* Et cùm Author Tubæ in suis Discursibus fere omnes habeat difficultates, quæ passim solutæ inveniuntur in Catholicis Authoribus, & in illorum libris, qui de Controversijs scripserunt, quæ si repetenda forent, ingens excresceret Volumen, nec tam citò possit prodire in lucem. Nos illa tractanda assumpsimus, in quibus Summa Fidei Catholicæ consistit, & quæ magis de veritate illius informare possunt; illos verò, quos tenet pruritus disputandi & ostentandi ingenia sua, ad plures Controversistas remittimus, qui satis fusè Controversias Fidei, sufficienti satis apparatu argumentorum, contra Dissidentes scripserunt, illic licebit illis, sua ingenia exercitare, illic sufficientes suarum Objectionum experientũ solutiones. Non enim in his primariè Fidem Catholicam fundamus: licèt enim Ecclesia Catholica pro sua veritate tuenda, habeat optima argumenta in sui defensionem, & adversæ partis refutationem, ut ex Catholicis Authoribus, & illis, qui Controversias scripserunt, patet, & ex dicendis etiam inferius patebit. Sed in revelatione Divina, Ecclesiæ in Concilijs Generalibus factâ, authoritate S. Scripturæ per Ecclesiam Universalem explicatæ, in Traditione Apostolorum & Ecclesiastica, probatis Concilijs, Ecclesiæq; Catholicæ consensu, SS. Patrum testimonijs, Fidem Catholicam stabilitam dicimus, his tamen non obstantibus, contentiosus secundùm suum privatum sensum semper inveniet quod objiciat, & reprehendat, ut meritò Apostolus præmoneat, hunc gravem defectum inesse aliquibus hominibus, ad Tit. 3. dum ait: *Stultas autem quæstiones, & Genealogias, & contentiones, & pugnas Legis devita, sunt enim inutiles & vanæ.* Ergo vanas & inutiles contentiones illis hominibus relinquamus, quos Apostolus ibidem ex contentione, ut *hæreticos proprio judicio condemnatos*, vitare jussit.

jussit. Nos hâc contentione relictâ, proponemus illa, quæ Sacra Scriptura juxta sensum Catholicæ Ecclesiæ, quæ Primitiva Ecclesia, quæ Sancti Patres, quæ probata Concilia, quæ Traditio Ecclesiastica, quæ consensus Doctorum Ecclesiæ Universalis per tam longum tractum Sæculorum firmavit. Proponemus etiam aliqua Dissidentium argumenta dicta, Objectiones, motiva, prout jacent in libris illorum, quibus nituntur, & contra Ecclesiam pugnant, & hoc ex occasione Authoris Discursûs, non animo exacerbandi, sed indagandæ veritatis gratiâ. Cùm verò Author in hoc Libro suo duo habeat, unum, in quo convenimus, alterum, in quo disconvenimus; pro majori itaq; commoditate legentium illa, in quibus adversa pars convenit nobiscum, primò expediemus: ad illa verò, in quibus disconvenit, respondebimus, ut veritatem magis firmemus. Quia verò suprema Veritas est Christus JESUS, ille Lectorem in viam veritatis inducat, illuminetque, ut tali animo hoc Opus revolvat, quali (scilicet majoris gloriæ DEI) prodit in lucem. Ipsemet Spiritus S. qui est lumen cordium, auferat velamen errorum à cordibus omnium, & veram inspiret Fidem, ut per illam assentiantur revelatis Veritatibus Divinis, quæ sic excedunt captum humanum, ut nisi superna illustratio descendat à Patre luminum, & nisi homo captivet intellectum in obsequium Fidei Sanctæ, non intelliget, ut Isaiæ 7. dicitur: *Nisi credideritis, non permanebitis.* Credet verò, & permanebit, si plus revelationi Divinæ, plus S. Scripturæ per Universalem Ecclesiam explicatæ, plus authoritati ejusdem Ecclesiæ, probatisq; Concilijs, plus SS. Patrum testimonijs, quàm privatorum hominum erroneis & vacillantibus tribuet rationibus. Resonet ergo ex hac bina Tubarum voce, pacificans conscientias hominum, Echo utriusq; Discursûs in auribus eorum, qui plus animarum suarum salutem, quàm omnes mundi hujus divitias, imò & ipsam vitam æstimare non dubitant, ut ex hoc mutuo Mystico concentu resonet mutua Pax in materia Religionis, ex qua ut interminabilem pacem, & beatam, beatificamq; assequamur visionem Maximi DEI ipse efficere dignetur, qui & pro nunc, & pro semper, & in æternum, sit ab omnibus, & per omnia benedictus.

PRO-

PROPHASIS
Ad
Dissidentes in Occidente Ecclesias,
Seu
MYSTICA CLAVIS

Ad aperiendam angustam portam, & arctam viam, quæ ducit ad vitam. *Matth. 7*

His qui in tenebris & umbra mortis sedent. *Cant. Zach. in Luca 1*

Hæc dicit Dominus, numquid non apertè revelatus sum? *1 Reg. 2*

Proindè

Dicam veritatem in conspectu tuo. *Iudith 5*

Filij hominum usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. *Psal. 4*

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? *Ioan. 8. v. 46*

Nesciebamus hic esse veritatem, nec eam discere volebamus, falsis rumoribus terrebamur intrare Ecclesiam, *S. Augustinus Epist. 48 ad Vincen de Donatistis,*

ſiam, quos falſos eſſe neſciremus, niſi intraremus. Gratias Domino, qui trepidationem noſtram abſtulit, expertos docuit, quàm vana & inania de Eccleſia ſua mendax fama jactaverit. Hinc jam credimus & illa falſa eſſe, quæ Authores hujus hæreſis criminati ſunt, quando poſteri eorum tam falſa & pejora finxerunt.

S. Hieron. Legant priùs, & poſteà deſpiciant, ne videantur non ex judicio, ſed ex odij præſumptione ignorata damnare.

S. Cypr. Epiſt. 52 ad Ant. Oportet enim non quod maligni, perditi, atq; Apoſtatæ dicant, audire, verum etiam, quid modeſti & graves viri ſentiant faciantvè, de vitæ ipſorum ac diſciplinæ exploratione perpendere.

S. Bernardus Serm. 64 in Cantica. Nam etſi hæreticus non ſurrexerit de fæce, Eccleſia tamen confirmatur in Fide.

Apocal. 10. Levavit manum ſuam ad Cœlum, & juravit per viventem in ſæcula ſæculorum, qui creavit Cœlũ &c. quia tempus non erit ampliùs.

SERI-

SERIES SS. Patrum, qui intra Annum 500. vel 600. post Christum vixerunt, doctrinâque & Sanctitate floruerunt; & aliorum probatorum Authorum, qui in hoc Libro citantur.

S. Petrus.
S. Paulus.
S. Andreas.
S. Jacobus.
S. Joannes.
S. Matthæus.
S. Judas.

Romani Pontifices & inclyti Martyres.

S. Clemens. An. 80
S. Anacletus. 84
S. Evaristus. 97
S. Alexander. 106
S. Sixtus I. 117
S. Telesphorus. 127
S. Higinus. 139
S. Pius I. 143
S. Eleutherius. 173
S. Victor I. 186
S. Zephyrinus. 198
S. Calixtus. An. 218
S. Fabianus. 237
S. Cornelius. 251
S. Stephanus I. 273
S. Felix I. 270
S. Marcellus I. 304
S. Melchiades 310
S. Sylvester I. 314
S. Marcus. 336
S. Julius. 336
S. Siricius. 363
S. Innocentius. 402
S. Zozimus. 417
S. Leo Magnus. 440
S. Hormisda. 514
Vigilius. 537
S. Pelagius II. 580
S. Gregorius Magnus. 590
Agatho. 679

Alij SS. Patres & probati Authores.

Apollinaris Episcop. Hieropolitan. An. 172
Arnobius Rhetor. 290
Athanasius Alexandr. Episc. 340
Ambrosius Mediolan. Ep. 380
Amphilochius Iconij Episc. 390
Augustinus Hipponensis Ep. 400
Athanasius Presbyt. Alexan. 449
Anselmus Laudunensis, author glossæ interlinearis. 1100
Basilius Magnus. 380
Beda Presbyter. 720
Burchardus Episcopus Wormatiensis. 1020
Bernardus Abbas Clareval. 1140
Clemens Alexandrinus Presbyter. 190
Cyprianus Carthag. Episc. 240
Cyrillus Hierosolymitanus Archiepiscopus. 350
Joan. Chrysostomus Constantinopolitanus Patriarcha. 380
Cyrillus Alexandrinus Archiepiscopus. 430

Joannes Cassianus Monachus Massiliæ. An. 435
Cassiodorus Abbas, Tripartitæ historiæ author. 520
Cyrillus Monachus. 540
Dionysius Areopagita Atheniensis Episcopus. 80
Dionysius Archiep. Alexan. 250
EGesippus Historiograph. 120
Eusebius Cæsariensis Ep. 330
Effrem Diaconus Edessenus. 380
Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus. 390
Eucherius Lugdunen. Episc. 430
FLavianus Epis. Constant. 249
Fulgentius Ep. Ruspens. 480
GRegorius Nazianzenus. 380
Gregorius Nissenus Ep. 380
Gennadius Archiep. Const. 460
Galasius Papa. 496
Gregorius Presb. Alexandr. qui scripsit vitam S. Chrysost. 600
HIlarius Pictavorū Episc. 350
Hieronymus Stridonensis Dalmata Presbyter. 380
Hesichius Monachus. 400
Hilarius Arelatensis Episc. 460
Hysichius Hierosolym. Epis. 590
JUstinus Martyr. 150
Irenæus Lugdunensis Ep. 160
Juvencus Presbyter. 330
Isidorus Cordubensis. 420
Justinianus Imperator. 529
LActantius Firmianus. 320
Liturgiæ novem.
1. Romana.
2. Petri.
3. Jacobi.
4. Marci.
5. Basilij.
6. Chrysostomi.
7. Hierosolymitana.
8. Æthiopica.
9. Mediolanensis.
MArtialis Lemovicens. Ep. 50
Maximus Taurinen. Ep. 420
Marcianus Imperator. 450
ORigenes Alexandrinus. 230
Osius Cordubensis. 290
Optatus Milevitanus. 370
PAtianus Epis. Barcilonæ. 350
Prudentius Poëta Christ. 380
Possidonius Calamensis Ep. 400
Philo Episc. Carpathensis. 400
Paulinus Presb. Mediolan. 400
Paulinus Nolanus Episc. 420
Petrus Chrysologus Ravennas Episcopus. 430
Palladius Cappadociæ Ep. 430
Proclus Ep. Constantinop. 439
Prosper Aquitanicus Regiensis Episcopus. 450
RUffinus Aquilejensis Presb. 400
SEverus Sulpicius. 420
Socrates Historicus. 430
Sedulius Presbyter. 450
TErtullianus Carthagin. 200
Theodoretus Cyri Ep. 440
Theophylactus Bulgarum Archiepiscopus. 480
VIncentius Lirinensis Monachus. 430
ZOzomenus Historicus. 430
Zeno Veronensis Episc. 663

Conci-

Concilia Generalia Catholicæ Ecclesiæ Romanæ in Oriente & Occidente celebrata.

Primum Nicænum celebratum Anno 327. tempore S. Sylvestri Papæ, in quo convenerunt Episcopi 318. duæ potissimùm Controversiæ definitæ; una de die Paschatis, ut die Dominico post quartamdecimam Lunam Martij celebretur: altera de Divinitate Christi, & cum Patre æqualitate, adversùs Arianos. *Concilia in Oriente celebrata.*

Secundum Constantinopolitanum I. celebratum An. 381. tempore Damasi Summi Pontificis, ad quod convenerunt Episcopi 150. contra Macedonium, negantem Spiritûs Sancti Divinitatem.

Tertium Ephesinum I. celebratum An. 431. sub Cælestino I. convenerunt Episcopi 200. contra Nestorium, qui Christum in duas Personas dividebat, & Sanctissimam MARIAM Matrem DEI esse negabat.

Quartum Chalcedonense celebratum An. 451. sub Leone I. Pont. Rom. adversùs Eutychetem, qui unam tantùm Naturam in Christo asserebat post Incarnationem, aderant in eo Episcopi 630.

Quintum Constantinopolitanum II. habitum An. 553. sub Agathone Summo Pontifice, aderant Episcopi 289. contra eorum hæresim, qui unam tantùm voluntatem in Christo ponebant.

Sextum Constantinopolitanum III. An. 680. sub eodem Agathone celebratum, contra Monothelitarum hæresim.

Septimum Nicænum II. An. 787. sub Adriano Papa celebratum, convenerunt Episcopi 350. adversùs Iconomachos, qui Sacras Christi & Sanctorum Imagines omni honore spoliabant.

Octavum Constantinopolitanum IV. celebratum An. 869. sub Adriano II. Summo Pontifice, convenerunt Episcopi 383. contra Phocium intrusum, qui depositus est, & Ignatius anteà depositus restituitur, Imaginibusq; honor redditur.

Nonum Lateranense I. Episcoporum trecentorum & ampliùs, An. 1122. contra Saracenos, pro recuperanda Terra Sancta; tempore Calisti II. Romani Pontificis. *Concilia celebrata in Occidente.*

Decimum Lateranense II. Episcoporum mille, Anno 1135. contra Antipapas, & pro Jure Cleri, sub Innocentio II. Rom. Pont.

Undecimum Lateranense III. Episcoporum ferè trecentorum, pro Reformatione Ecclesiæ, & contra Waldenses, An. 1179. tempore Alexandri III. Romani Pontificis.

Duodecimum Lateranense IV. Patrum 1283. An. 1215. contra varias hæreses, & pro Terra Sancta recuperanda, tempore Innocentij III. Romani Pontificis.

Decimum tertium Lugdunense I. An. 1245. contra Imperatorem Fridericum, & pro terra Sancta recuperanda, tempore Innocentij IV. Romani Pontificis.

Decimum quartum Lugdunense II. Patrum ferè 1000. contra errorem Græcorum, tempore Gregorij X. Rom. Pont. A. 1274.

Decimum quintum Viennense An. 1311. Episcoporum 300. contra varias hæreses, tempore Clementis V. Rom. Pont.

Decimum sextum Florentinum An. 1483. Patrum 141. contra errores Græcorum, tempore Eugenij IV. Rom. Pont.

Decimum septimum Lateranense V. An. 1517. Patrum 114. contra Schismata, & pro varijs negotijs, tempore Julij II. & Leonis X. Summorum Pontificum.

Decimum octavum Tridentinum, inchoatum An. 1545. & absolutum An. 1563. coactum fuit contra Lutheranos & alios plurimos, qui se à Lutheranis diviserunt in plurimas Sectas, sub Paulo III. Julio III. ac Pio IV. Romanis Pontificibus.

Concilia verò Provincialia, quæ celebrata sunt à tempore Apostolorum, numerantur circiter mille, quæ videnda sunt in varijs Authoribus, qui de Concilijs scripserunt, sicut & illa, quæ reprobata sunt, quæ sine consensu Romanorum Pontificum contra Canones celebrata sunt.

Lactantius Firmianus,

Libro IV. Institut. de vera Sapientia, Cap. XXX.

Vixit An. 320 Lactantius.

SOla Catholica Ecclesia est, quæ verum Cultum retinet. Hic est Fons Veritatis: hoc est Templum DEI; quò, si quis non intraverit, vel, à quo si quis exiverit, à spe Vitæ ac Salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri; agitur enim de Vita & Salute: cui nisi cautè ac diligenter consulatur, amissa & extincta est.

S. Augu-

S. Augustini Sententiæ quatuor notatu dignissimæ, ex lib. de Fide ad Petrum, cap. 37. 38. 39. 40.

FIrmissimè tene, & nullatenùs dubites, omnem extra Ecclesiam Catholicam baptizatum, participem fieri non posse vitæ æternæ, si ante finem vitæ hujus Catholicæ non fuerit redditus atq; incorporatus Ecclesiæ. Quia, *si habeam,* inquit Apostolus, *omnem Fidem, & noverim omnia Sacramenta, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Nam in diebus diluvij neminem legimus extra arcam potuisse salvari.

Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, non solùm omnes Paganos, sed & omnes Judæos, Hæreticos atq; Schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiant vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.

Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, quemlibet Hæreticum sive Schismaticum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunque eleèmosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenùs posse salvari. Omni enim homini, qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet unitatem, neq; Baptismus, neq; eleèmosyna, quamlibet copiosa, neq; mors pro nomine Christi suscepta, proficere poterit ad salutem, quamdiu in eo hæretica vel Schismatica pravitas perseverat, quæ ducit ad mortem.

Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, non omnes, qui intra Ecclesiam Catholicam baptizantur, accepturos esse vitam æternam; sed eos, qui percepto Baptismate rectè vivunt, id est, qui abstinuerunt se à vitijs & concupiscentijs carnis. Regnum enim Cœlorum sicut infideles, hæretici atq; Schismatici non habebunt, sic Catholici criminosi possidere non poterunt.

CAPUT



CAPVT I.

DISCVRSVS AVTHORIS, LIBRI TVBÆ PACIS.

DE VNIONE DISSIDENTIVM IN OCCIDENTE ECCLESIARVM.

I. Ecclesia Christi ab omnibus creditur. Vna Sancta Catholica & Apostolica. II. Eaq; visibilis necessariò.

CRedimus omnes etsi Dissidentes in alijs Fidei articulis Ecclesiæ in Occidente, *Vnam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Symb. Apostol. & Nicen. *Extra quam nulla Salus Neq; enim potest habere Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam Matrem. Vnam hanc Ecclesiam Spiritus Sanctus in persona Domini designauit* Cant. 6. una est Columba mea &c. *Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se Fidem credit?*

Ideò hanc Deus *visibilem* per totum Orbem diffusam *tanquam Ciuitatem supra montem constituit, abscondi nesciam. Ad quam in ultimis temporibus in vertice montium constitutam confluent gentes. Quæ facta est Mons magnus implens totam terram. Quam qui non videt contra lucernam oculos in candelabro positam claudit.* Quoniam *facilius est Solem extinguere, quàm Ecclesiam dissipare.* Adeoq; qui Ecclesiam inuisibilem clamitant, *peiores Iudæis, quibus ignoscendum, quia offenderunt in lapidem, qui nondum creverat.* (in montem) *Quales autem sunt isti, qui in ipsum montem offendunt.* Nimirum *qui oderunt fratres, qui in tenebris ambulant, & nesciunt quo eant.*

Cypr: Ep. 62. ad Pom: Origenes hom. 3. in Iosue. Cypr. de unitate Eccles: Matth. 5. Esai: 22. Dan. 2. S. August: Tract. 4. in Ioan. S. Chrysost hom: 4. de Verb: Isai: S. August. Tract. 4 in Ioan. 5. Idem Tract: 1. in Epist: Ioann.

Discursus Theologicus

Discursui Authoris Tubæ Pacis per notas superius positas Correspondens.

Quòd Ecclesia Vera Christi, debeat esse una S. &c.

OCulo prophetico à longe præuidens S. Propheta Dauid, vocem illam Diuinam, Sancti Iesu Christi Euangelij universo Orbi per Ora Apostolorum notificandam, merito eam omnibus
Psal. 18; & ad Rom: 10; prædixit nobis. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis Terræ verba eorum.* Insonuit hæc Apostolicæ Tubæ vox universo Orbi, audiuit eam Oriens cum Occidente, audiuit Meridies cum Septemtrione, audiuimus & nos, quotquot in universo orbe nomine Christiano insigniti sumus, & cùm audiverimus, credidimus, quia
ad Rom: 10. *ex auditu Fides per Verbum Christi.* Firma itaq; & indubitata Fide credimus Ecclesiam Sanctam Catholicam, ita enim in Symbolo Apostolorum dicimus: Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam.

Credimus etiam eadem fide eandem *Ecclesiam unam & Apostolicam.* Quia illi Sancti & Antiqui Patres in Concilio Nicæno Generali primo ad confutandam Arij hæresim per has duas notas *unam & Apostolicam,* Symbolum Apostolorum magis explicarunt. Et ex hoc tempore dicimus & credimus, *unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.*

Hæ notæ distinguunt unicam & veram Christi Ecclesiam, à multis alijs falsis, quibus nullo modo consonare possunt, prædictæ notæ, nisi veræ Christi Ecclesiæ, per quas vera Ecclesia, ab alijs falsis, distinguitur, & manifestè ostenditur. Credimus & confitemur quod *una sit Sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia*, secundùm Symbolum Apostolorum & Nicænum.

Ideò de prædictis notis ad Mentem Authoris, qui suum primum Discursum ab his notis incæpit, dum ait. Credimus omnes etsi Dissidentes. &c. *Vnam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.*

Discursus Theol.

Quòd Ecclesia Christi vera debeat esse una unitate Fidei.

Colli-

COlligitur ex pluribus Sacræ scripturæ verbis hæc unitas fidei *Ioann: 17.*
Rogo pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum ut omnes unum
sint &c. *& ut ipsi in nobis unum sint* Et Apost: *Vnum Corpus & unus* *Ad Ephes. 4.*
Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestra unus Dominus, vna *unitas Fidei ex*
Fides, vnum Baptisma. Et ibidem. *Occurramus omnes in unitatem Fidei.* *unitate Dei.*
hic ostendit Apostolus. Ex unitate unius Dei, unius Spiritus, unius
Mystici Corporis Ecclesiæ, unius Baptismi, unicam tantùm veram
esse Fidem, sicut unus est Deus. Ad hanc unitatem Fidei conser-
vandam hortatur idem Apostolus. *Obsecro vos Fratres, ut id ipsum* *Ad Corynth 1.*
dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata, Dissensiones, secta, &c. Quo- *Ad Gal. 5.*
niam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur. Et solliciti
seruare vnitatem Spiritûs in vinculo pacis : Et ipse dedit, quosdam qui- *Ad Ephes. 4.*
dem Apostolos, quosdam quidem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios *Ibidem*
autem Pastores & Doctores ad Consummationem Sanctorum in opus Mini-
sterij ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem
Fidei, & Agnitionis Filij Dei: ut &c. iam non circumferamur omni vento
doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.

Per Apostolos ergo, per Prophetas, per Evangelistas per Pasto- *Prædicatio Ve-*
res & Doctores Ecclesiæ ad agnitionem Christi, ducit nos Aposto- *ra Fidei per A-*
lus, sed in unitate Fidei, non in diversa Fide. Ad hanc unitatem *post. Proph. E-*
Fidei, sic nos cum quadam Emphasi inuitat Apostolus: *si qua con-* *Vang. Doct.* *ad Philip. 2.*
solatio in Christo, si quod solatium veritatis, si qua Societas Spiri-
tus, si quæ viscera miserationis, implete gaudium meum ut idem sapiatis
eandem Charitatem habentes, unanimes in id ipsum sentientes. Et Ioan. *Ioan. 13.*
13. In hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habue-
ritis ad invicem. Huius tam sollicitæ admonitionis Apostoli red- *Lib. 3. de Bapt.*
dit rationem S. Augustinus, dum ait. *Non habent Dei charitatem qui* *contra Donat.*
Ecclesiæ non diligunt unitatem. Foris ab Ecclesia constitutus & separatus à *Cap. 16. Tom. 7.*
Compage unitatis & vinculo Charitatis æterno supplicio punieris, etiamsi *Epist. 204.*
pro Christi nomine viuus incenderis. Idem: *Sanguinem fundere potest,*
Coronam accipere non potest.

Idem in Ioann. Tract. 118. *Refert Tunicam Christi inconsutilem,* *Tunica Christi*
per quam dicit denotari Ecclesiam, quæ omnium partium significat unitatem. *inconsutilis Sym-*
S. Epiphan. Hæres. 3. *Hanc fidem Ecclesia adepta per totum mundum* *bolum Vnitatis* *Ecclesiæ.*
dispersa diligenter conservat, quasi unam domum inhabitans. S. Chry- *Chrysost. in 1.*
sost. in illud. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corynthi* &c. ait. *Ecclesiam Dei* *ad Corinth: 1.*
appellat, ut ostendat in unum eam redigi oportere. Nam si Dei est, una
est non Corynthi solùm, sed universi Orbis Ecclesia. Ecclesia verò Dei, *S. Basil. Orat.* *in Maman.*
Tunicam inconsutilem, desuper contextam adepta, quæ à militibus,

S. Irenæ. lib. 1. aduersus hæreses cap. 3. *ne ſcinderetur conſeruata eſt. Hanc prædicationem cùm acceperit, & hanc fidem, quemadmodùm prædiximus Eccleſia, & quidem in vniverſum mundum diſſeminata diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans, & ſimiliter credit ijs videlicet, quaſi unam animam habens & unum Cor, & conſonanter hæc prædicat & docet, & tradit, quaſi unum poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis una & eadem eſt.*

S. Cyprianus. de Vnit. Eccl. *Vnam eſſe Eccleſiam, etiam in Cantic: Cantic: Spiritus Sanctus, ex perſona Domini deſignat & dicit. Vna eſt Columba mea, perfecta mea, una eſt Matri ſuæ electa. Hanc unitatem Eccleſiæ qui non tenet, tenere ſe Fidem credit? qui Eccleſiæ renititur, qui Cathedram Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit. Quando & beatus Apoſtolus Paulus hoc idem docet, ut SACRAMENTVM unitatis oſtendat, dicens unum Corpus, & unus Spiritus, una ſpes vocationis noſtræ, unus Deus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus. Quam unitatem firmiter tenere & vindicare debemus,* Concludo cum S. Cypriano. Ibidem *Hanc unitatem, qui non tenet; non tenet Patris, & Filij Fidem, vitam non tenet & ſalutem.*

Diſcurſus Theol.

Quòd Eccleſia vera Chriſti debeat eſſe Sancta.

PRimò dicitur, Sancta, quia Chriſtus eſt Caput illius, & ſponſus, qui eſt Sanctus Sanctorum, quia conſecrata eſt Deo, quæ ipſius ſupremum reſpicit cultum, & promovet honorem, quia in ea doctrinæ & SACRAMENTORVM reperitur Sanctitas, Quia extra illam nulla ſalus, nulla Sanctitas, & hæc Sanctitas in Materia Fidei, & in materia morum conſiſtit, ex parte Eccleſiæ præcipientis.

Sancta etiam dicitur, quia firma & ſtabilis. Sicut enim ille habet Sanctitatem eminentiori modo, qui eſt confirmatus in gratia, habens firmitatem in bono, ne ruat in malum. Ita & Eccleſia tale robur accepit à Chriſto Domino, & ab eodem Domino confirmata & corroborata, ut poſt ejus ad Cælum aſcenſum, plures & acerrimos impetus pertulerit, nunquam tamen concidit à ſua perfectione, nec eſt labefactata, immo etiam futuris temporibus ſemper in eodem ſtatu immota manebit, adeoq; firma, ut nulla res eam poſſit labefactare. Templum Ieroſolymitanum caſurum prædixit Chriſtus, & lapis ſuper lapidem non remanſit E: contra

Eccle-

Ecclesiam fundauit supra firmam petram, & promisit usq́, ad consumationem sæculi mansuram, & secundùm promissionem ipsius manebit, & hoc est adeò firmum & verum, ut nullus amplius dubitandi maneat locus, quia æterna Veritas locuta est, quæ alias dixit. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, & portæ inferi, non prævalebunt adversus eam.* Luc. 21. Matth: 16.

S. Chrysostomus in illum locum Isaiæ id confirmat. *In Anno quo mortuus est Osias, ait: A quàm multis oppugnata est Ecclesia, nec unquam tamen victa! Quot Tyranni, quot Duces, quot Imperatores, Augustus, Tyberius, Caius, Claudius, Nero, homines literis ornati, potentes tot modis oppugnarunt, recentem ac teneram, at non deiecerunt, quin potius ij qui oppugnarunt, silenter obliuioni traditi, illa verò oppugnata Cælum transcendit.* S. Chrysost: hom. 4. Simile quid de hæresibus cum Ecclesia pugnantibus dicendum est, quæ non minori odio oppugnant Ecclesiam, quas S. Gregor. M. portas inferi vocat, in Psalm. 7. Pœnit. sic scribens: *Portæ inferi hæreses sunt; quæ dum multos in fide infirmos fucata verborum Calliditate decipiunt, quasi inferorum eis aditum pandunt,* nec hic tamen Sanctitas vacillavit Ecclesiæ. Et hæc Sanctitas in Materia Fidei, & in materia morum consistit, nec illam impediunt peccatores intra Ecclesiam existentes: Sanctitas enim per quam constituitur Ecclesia in esse Sancti, ex formali completiuo Sanctitatis, quod est gratia & Charitas, & non sola Fides, quam habet in se, licet non in singulis membris, comprehendens tamen bonos & malos.

Discursus Theol.

Ecclesia vera Christi debet esse Cathol: idest universalis.

CHristus de hac universitate Ecclesiæ ad Apostolos ait! *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & usq́, ad ultimum terræ.* Actor 1. Ex quibus verbis Christi manifestè patet, quòd vera Christi Ecclesia illa debeat esse, quæ se extendit manifesta in universum Orbem, & opponitur particularibus Cætibus; hanc enim manifestationem; clarè denotant verba *in omni Iudæa & Samaria & usq́, ad ultimum terræ,* unde ad hanc doctrinam Christi conformiter S. Augustinus. *Ipsa est Ecclesia Catholica, quòd per totum Orbem terrarum diffunditur, hanc ignorare nulli licet, ideò secundum Verbum Domini nostri Jesu Christi abscondi non potest.* Epistola 170. ad Severin.

S. Cyrillus Ierosolym: ante mille quadringentos annos hanc uni- In Catech: 18.

universitatem per totum Orbem diffusam ita expressit. *Catholicà vera Ecclesia est, quia per universum Orbem terrarum est diffusa, à Finibus terræ usq; ad extremum.* Vnde idem prosequitur. *Catholica enim proprium nomen est Sanctæ huius Ecclesiæ, & Matris omnium nostrorum, quæ est sponsa Domini nostri Iesu Christi.*

S. August: lib. de Vera Relig: Cap: 7.

Ad illam nos sic S. Augustinus allicit his verbis: *Tenenda est nobis Christiana Religio, & eius Ecclesiæ Communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis, velint enim, nolintue ipsi quoq; hæretici & Schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, nihil aliud, quàm Catholicam vocant, non enim possunt intelligi, nisi hoc nomine eam discernant, quod ab universo Orbe nuncupatur.* Et dat rationem, quare in eadem Ecclesia Catholica remaneat, & ipsius sectetur Fidem, dum ait: Contr: Epist. Fundamenti Cap. 4. *Tenet postremò me ipsum nomen Catholicæ, quod non sine causa, inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia obtinuit.*

Hoc ipsum observavit Lactantius lib. 4. cap. ultimo Diui: Instit. *Sola Catholica Ecclesia est, quæ verum Cultum retinet, quam unicam ab alijs discernit.* Drogo Hostiensis.

Lib: de Sacra: Pass: Domini:

Quot sunt hodie, qui dicant nos sumus de domo Christi, nos sumus de domo Ecclesiæ, & sunt de domo Caiphæ.

Illa ergo Ecclesia, quæ est universalis, idest Catholica, per universum Orbem diffusa debet esse vera sola Ecclesia, quia talem Christus fundavit, ut est universalis. *Euntes in universum Orbem, prædicate Euangelium omni Creaturæ.* Et tali promisit suam assistentiam. *Ero vobiscum, usq; ad Consumationem sæculi.* Non quod hæc universalitas Ecclesiæ extendatur simul & semel ad omnes partes Orbis, sed quod in multis Regnis fuit, & modò est, vel futura est, & successive omnes partes mundi comprehendat, quod nulli Ecclesiæ hæc universalitas competit.

Marci 16.

Quæ universalitas Ecclesiæ etiam ad Fidei universalitatem extendi debet, quæ ex unanimi consensu, integritate, atq; antiquitate compacta est, quæ universalitas tam locorum, quàm Fidei, nulli Ecclesiæ, quàm Catholicæ competit. Vnde S. Augustinus. *Videte Fratres, quomodo commendatur universitas toto Orbe diffusa, & non solùm dolete Iudæos, qui hanc gratiam omnibus invidebant, sed plus hæreticos plangite: si enim dolendi sunt qui collecti non sunt, quanto amplius qui collecti diuisi sunt.*

Discur-

Discursus Theol.

Quòd Ecclesia vera Christi debeat esse Apostolica.

ECclesia Apostolica illa dicitur, quæ ab Apostolis propagata est Apostolicam conservat doctrinam & ritum Christianæ Religionis ac Sacrarum ceremoniarum à Traditione Apostolica derivatam, ut probant Sancti Hieronymus & Augustinus contra Donatum. Potissimùm verò dicitur Apostolica, ob successionem legitimam *Lib. 2.* Pastorum ab Apostolis usq; deductam, unde S. Irenæus de hac successione ait. *Hac enim ordinatione & successione Episcoporum, ea* *Lib: 3. cap: 3* *quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, ad nos usq; pervenit, & est plenissima ostensio, & unam & eandem fidem esse, quæ ab Apostolis usq; nunc confirmata Ad nostra verò tempora per successionem conservata manet.*

Hanc successionem Pastorum ac Episcoporum in Ecclesia Dei, ita esse necessariam affirmat. S. Hieronym: contra Lucif: ut sine illis Ecclesia subsistere non possit, dum ait: *Ecclesia non est quæ non habet Sacerdotes,* isti autem Sacerdotes seu Pastores debent esse legitimi, debent intrare per Ostium, ne illis conveniat illud quod Christus Dominus de falsis Pastoribus pronunciauit, *qui non intrat per* *Ioann: 10.* *Ostium, ille est fur & Latro.* Ostium autem quo intrant legitimi Pastores, est Canonica & legitima Ordinatio & successio. Vnde S. Paulus non prius in Ecclesia Pastoris Officium exercuit, nisi Apostoli *Act, 13.* illi imposuissent manus. Vnde & in Nicæna 1. Synodo Generali Cap. 4. Statutum est, ex Traditione Apostolica, ut Episcopus à Tribus ad minimum Episcopis ordinetur. Hinc S. Anicetus Martyr Epist. 2. scribit. S. Iacobum ordinatum fuisse Episcopum Ierozolymæ, à SS. Petro, Iacobo, & Ioanne. S. Paulus de Ordinatione S. Timothei ita scribit. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est Tibi, cum impositione manuum Presbyterij.* Nomine Presbyterij cætum plurium Episcoporum intelligit S. Chrysostomus Theoph: & alij: Sacerdotes verò à solis Episcopis ordinari debent, ut pluribus locis suo loco ostendetur. Vnde de primo ad ultimum, sicut vera Ecclesia non potest esse sine Sacerdotibus, veri Sacerdotes sine legitima Ordinatione, legitima Ordinatio, sine legitima successione, successio sine reductione ad Apostolos usq; Ita vera Ecclesia esse non potest, nisi quæ sit Apostolica ex successione Pastorum legitima, ab Apostolis deducta, & usq; ad Apostolos reducta. Hanc successionem legitimam, quantum S. Augustinus

August: contra Epist. Manich: Cap. 4. æstimabat, audiamus: *Multa sunt alia, quæ in eius gremio nempe Ecclesiæ me iustissime tenent; tenet consensio Populorum, atq; gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, Charitate aucta, veritate firmata, tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendauit, usq; ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* S. Hieronymus de hac successione firmatam Ecclesiam commendat adversus Lucif. *Brevem animi mei sententiam proferam, in illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usq; ad diem hanc durat, & semper durabit.* S. Irenæus conformiter, cum alijs SS. Patribus. *De hac successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præcognitio, peruenit usq; ad nos*; qui autem hanc successionem sibi falso usurpant, quid de illis dicat. S.
Cypr. lib: de simp. Prælat: Cyprianus, audiamus. *Qui se ultro sine Diuina dispositione præficiunt, qui se præpositos sine ulla Ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt,* hunc sermonem contra
Idem lib: 1. Ep: 6. Novatianum sic concludit: *Novatianus in Ecclesia non est, neq; Episcopus.* Idem S. Cyprianus de hac successione Apostolica diu-
Lib. 2 Epist: 12. tius tractans, addit hæc: *Et hac una ratione Ecclesia a quibusdã confictis & simulatis coniurationibus est dignoscenda.* Origenes. *Hæreticis*
Trac. 19. in Matth: *credere non debemus, neq; à Paterna Sacerdotum doctrina & Ecclesiastica Traditione exire.* S. Augustinus contra Epist: Fundam. ~~ait:~~
Cap: 4. *O Infelix anima cui te committis? cur non potius te subdis Evangelicæ Auctoritati, ab ipsis Apostolorum temporibus, usq; ad hæc nostra, per successiones legitimas commendatæ?*

De visibilitate veræ Ecclesiæ: quòd sit omnibus conspicua, redibit sermo inferius.

Discursus Authoris

Pag: 2. N. 3.

Neq; solos duntaxat Electos & Sanctos complectitur.

ET quamvis electi qua tales, vel potius status membrorum Christi verorum, in sensus incurrere non possint, qui nempe soli sunt Deo cogniti: attamen illam Catholicam, unam Ecclesiam ad solos Electos ac Sanctos restringere, quid aliud est, quàm Pelagianorum, olim ab Ecclesia damnatam hæresim ex Orco revocare,
S. Augusti hær: 88. quippe illi dicebant. *Vitam Iustorum in hoc sæculo, nullum omnino habere peccatum & ex his Ecclesiam Christi hac mortalitate perfici, ut*
sit

ſit omninò ſine macula & ruga, quaſi non ſit Eccleſia Chriſti, quæ in toto terrarum Orbe clamat ad Deum. Dimitte nobis debita noſtra. Hæc eſt malitia Diaboli, *qui volens perdere genus humanum, & hominis gloriæ inuidens, diverſas excogitauit machinationes, primum per ignorantiam, deinde per Idololatriam, quandoq; per morum prauitatem, nunc verò poſtremò per impoſturam & deceptionem hæreſum, ut undequaq; hominem auerteret à Cæleſtibus.* Epipha hæres. 76.

Diſcurſus Theologicus. Correſpondens.

Quod Chriſtus Dominus, non ſolùm juſtos, ſed & peccatores Fideles in ſua Eccleſia voluit conſeruare.

LIceat hic inveſtigare Intentiones Chriſti Domini Salvatoris noſtri, venientis ad nos, nonne venit peccatores ſalvare? *Venit enim* dicit Evangelium *Filius hominis ſaluare quod perierat.* & iterum. *Sinite utraq; creſcere.* Quis itaq; audebit peccatores excludere ab Eccleſia Chriſti, propter quos in hunc Mundum venit, eosq; curæ & ſolicitudini Eccleſiæ tradens, dicit. *Si peccaverit in te frater tuus* &c. quomodo peccans homo frater eſſet, ſi Eccleſiæ particeps non eſſet? ad primum peccatum deberet deſinere eſſe Frater, ſed adhuc poſt Correptionem inter te & ipſum ſolum frater eſt, & membrum Eccleſiæ. Sed ſi ſecundam admonitionem ſpreverit, judicio Eccleſiæ modo deſinit eſſe frater, quia incipit eſſe ethnicus & publicanus, & tunc deſinit eſſe membrum Chriſti. Idem Chriſtus Dominus voluit ſedentes ſuper Cathedram, quamuis impij & ſcelerati eſſent, honorari. *Omnia quacunq; vobis dixerint facite:* hinc manifeſtè patet ex his verbis peccatores, non tantùm ſimpliciter peccatores, ſed inſignes peccatores fuiſſe membra Eccleſiæ, quibus Chriſtus grauiſſima peccata exprobrauit. *Væ autem vobis ſcribæ & Phariſæi, Hypocritæ:* & illud væ Octies in eodemloco repetijt, & tamen illos audire juſſit, non tantùm tanquam membra, ſed tanquam præcipua membra & Capita in populo Dei. Etiam ipſemet Chriſtus Iudam inter Collegas alios, Apoſtolico Collegio annumeratum, ſuſtinuit, & in Sacramentorum Societatem admiſit.

Matth. 18. cap. 3. Cap: 18. Cap: 23. Cap: 23.

S. PAVLVS. Corynthiorum Eccleſiam reprehendit, de Contentione, æmulatione, fornicatione, in qua ſuſtinebat ad tempus inceſtuoſum Corynthium, ad Galatas 5. *Præoccupatum aliquo delicto*

iubet sustinere in Spiritu lenitatis. Et in Epistola ad Titum. Contradictores, seductores, inobedientes redarguere, non eijcere jubet, & solum hæreticum vitare præcipit.

Et in Apocalypsi 2. Episcopi Asiæ de multis peccatis & criminibus reprehenduntur, & tamen fideles erant, ut notavit S. Augustinus. Ex Concilijs & SS. Patribus in Collationibus contra Donatistas, ubi præter auctoritates scripturæ, adducta est Authoritas, S. Cypria: qui lib. 3. Ep. 3. ad Maxenti. ait. *Nam etsi videntur in Ecclesia esse Zizania, non tamen impediri debet, aut fides, aut Charitas nostra; ut quoniam in Ecclesia Zizania esse cernimus; ipsi de Ecclesia recedamus.*

S. Clemens. Rom: Constit. Apost. Cap: 14. *Non est crimen habitare* justos *cum impijs, sed idem sentire,* & iterum, *in hoc mundo iusti & iniusti una congregantur Societate vitæ, non Sanctitatis.* S. Hieronymus in Cap. 1. ad Ephes. *Quomodo enim Caput, plurima sibi habet membra subiecta, è quibus sunt nonnulla vitiosa & debilia, ita & Dominus noster Iesus Christus, cùm sit Caput Ecclesiæ, habet membra; omnes qui in Ecclesiâ congregantur, tam Sanctos, quam peccatores.*

S. Augustinus Tom. 9. in Ioann. Tract. 5. *Nos fatemur in Ecclesia Catholica bonos & malos esse, sed tanquam grana & paleas: aliquando qui baptizatur à grano, palea est, & qui baptizatur à palea, granum est,* & serm. de Tempore 107. *Habet Ecclesia in se fortes, habet infirmos, habet iustos, habet iniustos.* In Canticis Canticorum. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter Filias.* *Cant: 2.*

S. Augustinus interpretatur de Ecclesiæ unitate. Cap. 3. & ait: *Vnde appellat spinas, nisi per malignitatem morum, & easdem unde Filias, nisi propter Communionem Sacramentorum.* Et in Psal. 47. sic ait: *Sunt ergo Filiæ malæ, & inter illas est Lilium in medio spinarum.* S. Chrysostomus in Psal. 39. *Non ex perfectis universa constat Ecclesia, sed habet etiam odio & sordiæ deditos.* S. *Cyprianus* de Opere & Eleemosyna Cap. 10. *Quotidie deesse non potest, quod peccetur in Conspectu Dei, Sacrificia quotidiana non deerunt, quibus possint peccata tergi.*

Quomodo autem cùm Ecclesia quotidie clamet ad Deum. Et dimitte nobis debita nostra, & tamen Sancta sit, & sine ruga & macula. S. Augustinus hæresi 88. contra Pelagianos, quibus cum objecisset hæc, ait: *In id etiam progrediuntur, ut dicant vitam iustorum, in hoc sæculo nullum habere peccatum, Et ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula & ruga; quasi non sit Christi Ecclesia, quæ in toto terrarum Orbe clamet ad Deum. Et dimitte nobis debita nostra.*

Expli-

Explicat ſe Sanctus Doctor de Fide & operibus Cap. 26. *Niſi eſſent quædam, ſine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in Oratione quam docuit. Et dimitte nobis &c.*

Ea de Cauſa Chriſtus Dominus Eccleſiam ſuam in decem virginibus prudentibus & fatuis adumbrauit. *Simile eſt inquit regnum Cælorum 10. virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obviam ſponſæ & ſponſo, quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Quod S. Gregorius exponens dicit: *Quia mali cum bonis admixti ſunt, rectè ſimilis Virginibus prudentibus & fatuis eſſe perhibetur.* Matth. 25. Hom. 12. in Evang.

Concludit S. Auguſtinus in Collat. Diei tertiæ, aſſerens in Eccleſia Chriſti eſſe juſtos & peccatores, dum ait: *Eam Eccleſiam, quæ nunc habet permixtos bonos & malos, non eſſe alteram à Regno Dei, ubi non erunt mali commixti, ſed eandem ipſam unam, & S. Eccleſiam, nunc eſſe aliter, tunc autem aliter futuram*

Diſcurſus Authoris

Pag. 2. N. 4to.

In varios à ſe invicem Diſſidentes cætus ſciſſa Eccleſia.

HInc unitas Eccleſiæ ſciſſa & diuulſa, exortaq; varia Schiſmata, ut vix paucis diſcernere liceat, quænam illa *vna ſit Sancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia,* cùm multi ſint cætus, qui tale nomen ſibi tribuunt, ſeſe tamen inuicem condemnant. Etſi id non fiat ab omnibus imprimis ſimplicioribus, quibus non ſuppetit iudicium ad dijudicandas res Fidei controverſas, tamen à Doctioribus ac Clericis, ut vocant, qui Eccleſiaſticum repræſentant Cætum, à quorum Ore & iudicio, omnia illa membra hac in re ut plurimum dependent. Scilicet eſt hic & nunc. *Eccleſia Romana Catholica, per quatuor mundi partes, utraſq; Indias diffuſa ſatis:* Eccleſia Proteſtantium, quarum altera Lutherana, altera Calviniſtarum dicta hoc etiam Nomine Evangelicæ, gaudere volunt Sociniani, Memnoniſtæ, Quakeri. Tum Eccleſia Græca in 4. Patriarchatus, Conſtantinopolitanum. Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum diuiſæ, quibus accedit Eccleſia Ruſſorum ſeu Moſchorum. Præter has inveniuntur in non contemnendo numero Eccleſiæ, hinc inde Orientales, ut ſunt Georgianorum in Iberia Albania, & ad mare Caſpium: Maronitarum. Syriorum in Syria, tum Armenianorum, Iacobitarum, Cophtorum, Abyſſinorum, Indorum, Neſtorianorum, quorum qui-



libet ferè cætus, putat se veram Ecclesiam, ab alijs segregatus se extollit, cæterosq; ferè condemnat.

Discursus Theologicus Respondens.

Quomodo varij privati homines recedentes ab unitate universalis Ecclesiæ, constituerint privatos cætus, manente eadem inter scissuras inconcussa vera Christi Ecclesia. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

Matth. 16.

Nemo id negare potest, quòd in primitiua Ecclesia post Romanam, celeberrima fuit Græca Ecclesia in vera fide, iunctaq; per multa tempora Ecclesiæ Romanæ. Ab hac græca Ecclesia, tam pretiosissima dona emanârunt, floruerunt ibi namq; Patres plurimi Sanctitate ac doctrina celeberrimi, quorum munimentis erudimur ad veram fidem, accendimur ad pietatem: Ingens tum fuit Græciæ splendor, tum ob Christiani Orbis Imperium, cum Constantinus magnus relictâ Româ ob reverentiam Primatûs à Christo traditi Romano Pontifici, sedem Imperialem transtulit ad Orientem, Tum ob disciplinas, quæ à Græcis ad omnes ferè nationes emanârunt, augent splendorem illius tot in Oriente celebrata Orthodoxa Oecumenica Concilia, in quibus ad Commune totius Christiani Orbis bonum, fides Catholica augmentum habuit, tot hæresum monstris condemnatis. Sed quis non indoleat, qui vel modicam Christianæ pietatis Charitatem habet, quòd tam magna pars Ecclesiæ, tam nobilium germinum productrix ab Ecclesia recesserit, cum irreparabili ruina tot animarum. Cùm enim Constantinus Magnus, sedem Imperialem, Bizantium transtulerit, aliqui Græci cum Constantinopolitano pro tunc Episcopo, præsentiâ Imperatoris inflati. Anno Domini. 381. Episcopum Constantinopolitanum, qui antea nec Patriarchatûs munere fungebatur, tribus Orientis Patriarchis postpositis; Secundum à Romano Pontifice facere voluerunt: sicut ex Concilij Constantinopolitani Can. 5. patet, nec hoc quidem contenti, A.D. 451. Constantinopolitanum Episcopum Romano Pontifici parem efficere conati sunt, ut ex Actiô. 27. vel secundùm Binium. Act. 28. Concilij Chalcedonensis patet: Propè verò Ann. 600. Episcopum Constantinopolitanum Oecumenicum, ideſt Orbis terræ Episcopum, sive universalem Pastorem nominare ausi sunt. Ac deniq; Anno. 1054. apertum Schisma prodire cæpit.

Noster P. Thomas à Iesu de Conversione omnium gentium lib. 6. cap. 2. pag 237.

Nam

Nam Imperante protunc Constantino Monomacho; Patriarcha Constantinopolitanus. Nomine Michaël: cupiens re ipsa, universalis fieri Patriarcha, cuius dignitatis Nomen jam pridem sibi usurpaverant ejus Antecessores, proclamare cœpit Romanum Pontificem, omnesq; Latinos excommunicatos, eo quòd Spiritum Sanctum, à Patre Filioq; procedere assererent, hac occasione magis auctum est Schisma Græcorum, per hoc Tempus scissionis probati Auctores, numerant Ecclesiam Græcam, 13. vicibus accessisse ad Ecclesiam Romanam, & præcipuè ultimis Temporibus in Concilio Lugdunensi An: 1274. tempore Gregorij X. & in Concilio Florentino, sub Eugenio IV. sed de his latiùs infra; cùm iterum ex occasione Discursus Authoris de Græca Ecclesia sermo redibit. Multi tamen ex his cum toties redibant in Obedientia Romanæ Ecclesiæ remanserunt, ut inferius patebit, alij ad eam revertuntur, ut recentissimè in Regno Poloniæ Ritûs Græci Ruthenorum redijt Diæcesis Premisliensis & Leopoliensis satis ampla utraque.

Pro hoc ingenti beneficio, glorificemus omnes, æternum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, quòd tam amplas Diæceses, reduxerit in gremium Matris Catholicæ Ecclesiæ, illosq; diligamus, tanquam Fratres nostros, & commembra nostra unius Ecclesiæ & Capitis Christi, optemusq; illis omnia bona, tanquam nobismet ipsis, exhibeamus manifesta signa amicitiæ, & Fraternitatis omnibus, ut in nobis omnibus, per omnia magis glorificetur Deus ex mutua nostra fraterna Charitate, & unitate Fidei Sanctæ.

Ruthenorum populi, quos antiquo vocabulo Russos scriptores appellant, ad unionem Romanæ Ecclesiæ accesserunt sub Clemente VIII. Pont. Max. ut latiùs. Cardinal: Baronius ad calcem 7. Tom. Annali: præcipua appendice adjecit. Anton: Possevinus; meminit etiam hujus Unionis in Apparatu sacro, verbo Rutheni, pro hac unione, celebrata fuit Synodus Brestæ, An. 1594. ad quam convenerunt Legati Summi Pontificis, & multi ex Prælatis, tum Latinis, tum Græcis. In hac Synodo decretum fuit deliberationis & Conclusionis. RR. Dnorum Archiepisc. & Episcop. Ruthenorum de recipienda & suscipienda Communione, S. Rom: Ecclesiæ. Factum Die 2. Mens. Decembr. An. 1594. de his fusiùs redibit sermo inferius.

Thomas à Iesu lib. 6. cap. 10 pag 324.

Georgiani à S. Georgio dicti, quem velut præcipuum Patronum, & in suis prælijs contra Paganos, velut Signiferum venerantur, non sunt alieni ab erroribus. Paulus 3tius Pontifex maximus, An: D.

An: D. 1545. Regi Georgianorum ſcripſit, ut Fidem Catholicam conſervet, Oratoresq; ad Sedem Apoſtolicam mittat. Rex verò ad Pontificem dedit literas. Quarum tenor talis eſt:

Excelſe & Splendidiſſime, & Sanctiſſime, & Beatiſſime Dñe Noſter, Pater noſter, & Papa, Paſtor Paſtorum, Princeps Principum, &c. aurea Tuba, &c. totius Orbis Prædicator, ipſarum Eccleſiarum luminare &c. Dominator Eccleſiæ Catholicæ, Gubernator Magnæ & Illuſtriſſimæ Romæ, ſicut ſol &c. maxime Princeps, &c. Regum vates Domine & Dominator & Pater ſpiritualis Sanctiſſime Papa, profundam genu flexionem facimus, & ſalutamus Sanctam dexteram ejus. &c. Gratias agentes DEO Omnipotenti, & Dominæ noſtræ Deiparæ & S. Virgini MARIÆ, &c. & Venerandæ & vivificanti Cruci, &c. Precamur optimum DEUM, ut ſuſtentet Imperium maximæ ſanctitatis tuæ, & per Orationes tuas Sanctas, liberet nos ab injurijs inimici, &c. Nunc Chriſtianitas, & totus mundus eſt in te, & in manibus tuis, ô Domine mi Sanctiſſime, nunc da virtutem & auxilium, ut ſalvetur Populus Chriſtianus, DEUS retribuat tibi Regnum cæleſte, & nos cum auxilio DEI, & per pias preces tuas Sanctas, donec vixerimus, non faciemus voluntatem Agarenorum, &c. Ideò refero ſanctitati tuæ, ut ſcias ex parte mea, quòd bene valeo, & Caput meum & vitam meam pono ad mortem propter Chriſtianitatem, & etiam refero ſanctitati tuæ, ut ſcias ex parte mea, da auxilium & miſericordiam Chriſtianis, & ſalva eos à manibus iniquorum, & precor & rogo, ne obliviſcaris noſtri, in orationibus tuis ſanctis omni tempore, & præcipuè ne obliviſcaris ſcribere nobis, ut ſciamus ſanitatem tuam, & populi tui piorum Chriſtianorum, ut cor noſtrum cognoſcas, pre ſuo referet ſanctitati tuæ Ter Jacob Sacerdos, Sanctæ Orationes tuæ ſint nobiſcum. Amicus animo & Corpore. Amen. Anno 7104. Chriſti 1546. Idichion 9.

Thomas à Jeſu lib. 7. cap. 21. pag. 410.

Armeni in Concilio Florentino tempore Eugenij IV. unionem ſuſceperunt cum Eccleſia Romana, & quamvis aliqua pars eorum diſſentiat à Romana Eccleſia, major tamen eorum numerus ac præcipuè Patriarchæ & Epiſcopi, paratiſſimi ſunt, ad integrandam eandem unionem, præſtandamq; obedientiam Apoſtolicæ Sedi

Thomas à Jeſu lib. 7. cap. 21. pag. 402 & ſequen.

Sub Imperio Regis Potentiſſimi, quem Europæi Præsbyterum Joannem vocant, inter Magnos ætatis noſtræ Monarchas, meritò recenſendi, ut qui inter utrumq; Tropicum à Mari rubro ad Æthiopicum ferè Oceanum pertingunt, degunt, Abijſſini, his autem

Alexan-

Alexandrinus Patriarcha præest. &c. In his Regionibus, magnus utriusq; sexûs Monasteriorum numerus. Plura de eorum vivendi more & Religione apud Alvarezium: Illud unum subijciam, Abyssinos majori ex parte rectè sentire de Primatu Romani Pontificis, id constat ex literis ipsorum Imperatoris Davidis (quæ apud Damianum Goës) ubi David Æthiopiæ Rex, & ipse prorsus agnoscit Roman. Pontificem Caput omnium ; sic ad Clementem VII. P. M. hæc ejus verba sunt.

In Nomine Patris Omnipotentis. &c. Has literas ego Rex mitto, &c. Pax sit Tibi juste Domine, Pater Sancte, potens, purè sacrate, qui es Caput Pontificum omnium, & neminem metuis, cùm nemo tibi possit maledicere, qui es vigilantissimus supra animas curator, & amicus peregrinantium consecratus Magister & prædicator Fidei, & earum rerum hostis, quæ conscientiam offendunt, amator optimorum morum, Vir Sanctus, quem omnes laudant & benedicunt. O Felix Sancte Pater, ego tibi reverenter obedio, cùm sis pax omnium, & cuncta bona merearis, & ita æquum est, ut omnes tibi obedientiam præstent, sicut Sancti Apostoli præcipiunt, & apud DEUM hic verè justum est. Ita etiam præcipiunt, ut veneremur Episcopos, Archiepiscopos, & Prælatos. Similiter ut Te loco Patris amemus, & loco Regis revereamur, & tibi uti DEO fidem habeamus, propterea dico ego humiliter ad terram genibus flexis, tibi Pater Sancte, sincerò admodum corde, quod tu Pater meus es, & ego Filius tuus. &c. *Thomas à Iesu lib. 7. pag. 365.*

Deinde Nicodemus Abbas Æthiops & Hierosolymitanus Vicarius Patriarchæ apud Sanderum de visibili Monarchia Ecclesiæ. An. 1432. Palam est inquit eos, qui à Romana Ecclesia defecêre, coruisse, & dum quisq; suam fidem veriorem prædicat, quæ à Dæmone est, relicta Apostolorum sententia, in vias sui sensus abijsse omnes ; Æthiopicam tamen, integram liberam perdurasse, quia nequaquam perfidia & voluntaria defectione, ut aliæ Ecclesiæ peccasset, ac propterea in servitutem & exterminia non incidisse ; Sed locorum distantia, & itinerum periculis, sejunctam fuisse, necnon Pontificum, (intellige Episcopos in illis partibus propter motus non semper residentes) negligentia accidisse, ut nulla visitationis memoria, aut literarum ratio, apud eos à 500. Annis extaret. Nihilominus Æthiopes tanta veneratione sedem Romanam colere, ut pedes eorum osculentur, qui Româ veniunt in Æthiopiam, vestiumq; eorum partes rapere, & reliquiarum loco

servare.

servare. Nec mirum, si enim Regina Saba, abijt Hierusalem, ut audiret Sapientiam Salomonis, plusquam Salomon summus Pontifex est. Regem item Æthiopum tantifacere Romanum Pôtificem, & latinorum fidem, ut nihil æquè in votis habeat, atq; ut cum Romanis jungantur Æthiopes, & se Pontificis subdat pedibus, avidissimèq; amplexurum esse, quæ de concordia ineunda statuentur in Synodo, Pontificem autem omnium Ecclesiarum caput fatetur: suoq; splendore Orbem illustrare, cui omnes Patriarchæ, Episcopi, Imperatores, ac Reges inclinantur, nec se legatos disputandi gratiâ mittere, sed ut summi Pontificis sententiam de Fidei rebus sequantur. Quis enim, ait, soli lumen auferat? ingens est inquit & vetusta latinorum scientia & Orbi nota; nec oportet Discipulum esse supra Magistrum. Hucusq; Nicodemus Abbas Æthiops. Anno 1441. die 18. Octob. ad Eugenium IV. P M. Vnde appositè Author Tubæ, pag: 3. ver: 1. ait: *Est hic & nunc Ecclesia Romana Catholica per quatuor mundi partes utrasq; Indias diffusa satis*, cùm etiam Armeni ex Indijs miserint Oratores suos ad Concilium Florentinum, petentes instrui in fide à Romana Ecclesia, & uniri cum illa in fide & charitate.

Thomas à Iesu lib. 7. cap. 5. pag. 366.

Vnde simile quid contingit schismaticis & hæreticis, istisq; longinquis nationibus superius enumeratis. Quod contingit Iudæis, & Sanctis tribus Regibus Christum quærentibus, & dicentibus. *Vbi est qui natus Rex Judæorum?* illi enim à longe venientes, agnoverunt ut DEUM, & crediderunt in eum. Iudæi in medio sui habentes, obcæcati, non agnoverunt ut verum Messiam, & usq; ad hodiernam diem Sanctum Nomen ejus blasphemant. Vt Apostolus de illis narrat. 2. *Corin.* 3. *Vsq; in hodiernum diem, cùm legitur, Moyses, velamen positum est super cor eorum.*

Similiter Schismatici & hæretici propinquiores blasphemant Nomen Christi in Prælatis illius, in quibus gentes remotæ ex longinquis Regionibus venerantur, SS. Nomen Christi, & subdunt colla sua vicem Christi gerentibus Prælatis Ecclesiæ; secundùm illud, *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.*

Luca 10.

Jacobitæ sive Jacobini, qui se Syros vocant magni per Ægyptum populi, in Concilio Florentino sub Eugenio 4to. P. M. uniti sunt Sedi Apostolicæ. Per Andream Abbatem S. Antonij Oratorem Joannis Patriarchæ Jacobinorum, qui ad Concil: sic ait: Beatissime Pater Dne Eugeni, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ universalis summe Pontifex, Vereq; Christi Vicarie, ac Beati Petri Successor; & San-

ctiſſima univerſalis Florentinenſis Synode, totum hoc Sanctum Decretum cum inſertis & Sanctis Decretis unionis Græcorum & Armenorum quod nunc in veſtra præſentia publicè lectum eſt.

Ego Andreas humilis Abbas S. Antonij, Orator R. Pris Dñi Ioannis Patriarchæ Iacobinorum, habens ipſius Decreti plures dies, notitiam & inſtructionem cognoſco, confiteorq; omnia in ipſo Decreto contenta, Divinæ ac Catholicæ veritati conſona exiſtere: Nomine igitur præfati Domini Patriarchæ, omniumq; Iacobinorum, ac meo quemadmodum veſtra ſanctitas atteſtatur præfatum ſaluberrimum Synodale Decretum cum dictis inſertis Decretis omnibuſq; ſuis Capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis, & ſtatutis, omnemq; doctrinam in ipſo deſcriptam nec non quidquid tenet & docet, S. Sedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia, cum omni devotione & reverentia ſuſcipio & accepto. Illos quoq; Doctores & SS. Patres, quos Eccleſia Romana approbat reverenter ſuſcipio, quaſcunq; verò perſonas, & quidquid ipſa Rom. Eccl. reprobat & damnat, pro reprobatis & damnatis habeo, pollicens, nomine quo ſupra, ipſum Patriarcham Iacobinoſq; & me ipſum tanquã veræ obedientiæ Filios veſtris & Sedis Apoſtolicæ ordinationibus & juſſionibus fideliter & ſemper obtemperaturos. Datum Florentiæ in publica ſeſſione Synodali ſolemniter in Eccleſia Domûs, S. Mariæ Novellæ, apud quam nunc reſidemus; celebrata Anno 1441. pridie Nonas Febr.

P. Thomas à Ieſu lib. 7. cap. 16. p. 397.

Nota hanc Confeſſionem Græcorum & unionem in hoc Concilio, non ſubito, nec verbo tantum factam eſſe, ſed poſt diuturnam deliberationem, ut patet ex præſentia, ipſiuſmet Palæologi Imperatoris & Vicariorum trium Patriarcharum Alexan: Antioch. Hieroſol. tum Legati Armenorũ, tum ex ſubſcriptionibus omniũ, excepto uno Marco Epheſino, quæ omnia ſigillo Imperatoris fuerunt confirmata.

Idẽ lib. 6. cap. 7. p. 277.

Neſtoriani à Neſtorio nominati damnati in Concilio Epheſino. Tamen inter Neſtorianos, Aſiaticos, quam plures ſunt, qui Apoſtolicæ ſedi parent; hi obedientiam præſtiterunt. S. Rom. Eccleſiæ tempore Pontificatûs Papæ Iulij 3tij. Et tempore Gregorij 13. Patriarcha Procuratorem ſuum Archiepiſcopum Ermetem Eliam miſit, qui nomine Patriarchæ ſui debitam Sedi Apoſtolicæ obedientiam præſtitit & Profeſſionem Fidei emiſit. Exinde Apoſtolicam confirmationem & Pallium nomine Patriarchæ ſui, in publico Conſiſtorio obtinuit, atq, ita compluribus menſibus, in Sanctæ Fidei dogmatibus eruditus, & de obedientia S. Rom. Eccles. præſtanda

Thomas à Ieſu lib. 7. cap: 3. pag. 356. & 357.

certior factus, Roma diſceſſit, Anno 1502. Bullas Apoſtolicas Pallium Patriarchale à Sede Apoſtolica Patriarchæ ſuo deferens.

Maronitæ in Oriente, & circa Carmelum & vicinas Regiones, Montis Libani in Syria incolæ & Damaſci Aleppi, copioſo numero inhabitantes omnes ſunt Catholici, quibus Romanæ Eccleſiæ Miſſionarij inſerviunt.

Maronitæ ut teſtatur Bernardus Luzemburgus, cum 500. Annorum ſpatio fuiſſent excluſi à Conſortio Fidelium, hoc eſt ab Anno. 699. tandem Diuinâ Inſpiratione ad unitatem Fidei ſunt reverſi per manus Emerici Antiocheni Patriarchæ Eccleſiæ Rom. obedientiâ exhibitâ, unde eorum Patriarcha interfuit Generali Concilio Romano, celebrato ſub Innocentio 3tio. ſummo Pontifice, circa annum Domini. 1215.

Iacobitæ Syri dicti à quodam Iacobo Syro ob damnationem Eutichetis & Dioſcori in Concilio Chalcedonenſi ab Eccleſia receſſerunt, varios habent errores, *inter alios unam tantum* Naturam in Chriſto Domino confitentur. Non credunt SS. Trinitatem, ſed unitatem tantum. ſed hi cum his & alijs erroribus diuiſi ſunt in 14. ſectas. Eutichianiſtas. Acephalos. Monophiſitas, Theodoſianos, Iulianiſtas, Triteiſtas, Agnoetas, Severitas, Phantaſiaſtas, Manichæos. &c. &c.

Cophti varijs locis, & circumfuſè. Indias Incolunt, utuntur autem in ſuis Eccleſijs libro quodam fabuloſo, quem ſecreta Petri appellant, & in Miſſis ſuis legunt Evangelium Nicodemi: Prateolus in Elencho Hæreticorum. verbo Iacobitæ.

Georgiani ſive Iberi, qui non ſunt Eccleſiæ Romanæ uniti, ſequuntur errores Græcorū Schiſmaticorum, de eorum alijs erroribus. Vide Vincentium Beluacenſem in ſpecul. hiſtor. lib. 3. Cap. 93. & S. Antoninum 3. par. hiſtor. tit. Cap. 8. Abyſſini Schiſmatici ſequuntur Dioſcori damnati in Concil. Chalcedonen. errorem. & ideo tria tantum prima Concilia admittunt. Nicænum, Conſtantin: Epheſinum. Vide alios errores apud. P. Thomam. à Ieſu lib. 7. cap. 6. pag. 367.

Ex his clarè patet. Hos omnes orientales populos & Ruſſos, & Georgianos, ſive Iberos, Æthiopes, Indos, Armenos, Iacobitas, Neſtorianos in duplici eſſe differentia, alios Orthodoxos & Romanæ Eccleſiæ unitos, alios Schiſmaticos, qui omnes partim ob diſtantiam locorum, partim malitiâ aliorum Schiſmaticorum decepti, ab Eccleſia Romana ſeparati ſunt. Græci verò Orientales, præſentia Imperatorum inflati ut ſuperiùs oſtendimus Epiſcopum Conſtanti-

ſtanti-

ſtantinopolitanum ſecundum Patriarcham poſt Romanum Pontificem facere voluerunt, ut patet ex Canone 5. Concilij Conſtantinopol. Generalis ſecundi, nec hoc contenti: Sed An. D. 451. Patriarcha Conſtantinopol. parem ſe efficere voluit Romano Pontifici, ut patet ex Canone Concil. Chalcedonen: reprobato à S. Leone pluribus Epiſtolis, eo quod non ſolùm præter Auctoritatem Rom. Pontificis Anatolius eum clandeſtinè procurauit, ſed etiam quod duo manifeſta mendacia hic Canon continebat. vide Summam Conciliorum Fran. Long. fol. 219. ſed hanc injuſtam uſurpationem luunt: huc uſq; ſub grauiſſimo Iugo Turcarum, ut teſtantur Gennadius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, & varij Prælati Ruthenorum, in Decreto deliberationis, de recipienda & ſuſcipienda Communione S. Romanæ Eccleſiæ ad Clementem VIII. Gennadius primo ſic ait. ſub Nicolao V. Pontifice Maximo, cùm Legati à Conſtantino Imper: qui vocabatur Dragates, ad eum miſſi adhuc ſuperſint, quibus literas dedit plenas timoris & horroris, ubi aperté cum execratione vaticinatur excidium & internecionem extremam infelicium Græcorum. In quibus poſt alia multa (cum Convitia & probra reſciſſet, quæ à græcis quotidie impudentiſſimè jactabantur) mirè & hoc dicit: Omnes gentes decretum quod ſancitum eſt receperunt; Græci neq; receperunt, neq; ſpes eſt eos unquam recepturos, quæ ſuper Concordia & conjunctione decreta ſunt. Procraſtinationes enim procraſtinationibus ſemper ab eis prætexuntur, excuſationes & reſponſiones in ſingulis. Neq; verò Græci arbitrentur Romanum Pontificem ita eſſe mente deſtitutum, omnemq; Occidentalem Eccleſiam, ut non intelligant, quæ in ſingulis dilationibus reſpondendo nugantur. Optimè cuncta novimus: Sed toleramus in Ieſum reſpicientes ſempiternum Sacerdotem & Dominum, qui ſterilem illam ficum, uſq; ad Annum tertium juſſit aſſervari, agricolâ iam ad excidendam arborem ſe accingente, quia nullum fructum ferebat. O magnam Calamitatis ruinam! Anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo Primo, hanc conſcripſit Epiſtolam, & milleſimo quadringenteſimo, quinquageſimo tertio capta eſt Conſtantinopolis. Num poteſtis dicere, hæc vera non eſſe? minimè gentium, cùm id ſit manifeſtum, & res ipſa apertè loquatur. Tres, inquit, annos expectabimus, ſi vos forſan à Schiſmate & ſeparatione converteritis, & vos verè decreto adjunxeritis, ſecundum Salvatoris de Ficu præceptum ſin minus exſcidemini, ne terram otioſam, & inutilem reddatis. Hoc miraculorum miraculum maximum, quod ut in Epiſtola ipſa

Thomas à Iesu lib. 6. cap. 5. pag. 303.

la ipſa ſcribit Nicolaus Papa, Græcorum gens illa magna & formidabilis, Sapiens, clara, fortis, terrarum Domina, ob Divinam ultionem, ita in barbarorum ſervitutem abducta eſt. Hæc narranti mihi ſubit lamentari, & deplorare excidium gentis noſtræ. Hucuſq; Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus, adverſus ſuos Gentiles Græcos, recitans Oraculum apertiſſimum à Nicolao V. prolatum, & eventu comprobatum, ipſo temporis ſpatio, quod prænunciavit.

QuandoConſtātinopolis capta. Idem Ibidem.

Id etiam accidit Græcis, ut quando diffidebant à nobis in proceſſione Spiritus Sancti, an eſſet à Filio & Patre, ipſo die ſecundo Pentecoſtes, qui Filio eſt Sacer, Conſtantinopolis caperetur: diuino ſcilicet Spiritu ipſorum obſtinatos animos puniente, & eos omnino derelinquente.

Thomas à Ieſu lib. 6. cap. 1. pag. 324.

Teſtantur etiam varij Prælati Ruthenorum, de hoc graviſſimo iugo ſub Turca, in Decreto deliberationis de recipienda & ſuſcipienda Communione, S. Romanæ Eccleſiæ, ad Clementem. 8 dat. die 2. Decembr. Anno 1594. quod ſic incipiunt. In nomine Sanctæ vivificantis & individuæ Trinitatis, Patris, & Filij & Spiritus Sancti.

Nos infra nominatæ perſonæ, qui huic ſcripto noſtro ſubſcripſimus, notum facimus, quod introſpicientes diligenter vocationem & officium noſtrum, quod eſt huiuſmodi ut noſmetipſos, & hominum Chriſtianorum gregem Ovium Chriſti nobis à Chriſto commiſſum, ad Concordiam & unionem promoveremus, prout nos Salvator noſter Chriſtus JESUS edocuit, eamq; doctrinam ſanguine ſuo obſignauit, ac potiſſimum his infeliciſſimis temporibus noſtris, quibus multæ ac variæ hæreſes inter homines graſſantur, ob quas plurimi recedentes à vera & Orthodoxa fide Chriſtiana; legem noſtram deſerunt, & ab Eccleſia Dei, veroq; in Trinitate illius cultu, ſe ipſos ſeparant. *Quod non alia de cauſa accidit, quam ob diſſenſionem noſtram cum Dominis Romanis, cum quibus, cùm ſimus unius Dei homines, & tanquam unius Matris Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ Filij, ab ijs diuiſi ſumus, unde mutuo auxilio præſidioq; invicem nobis prodeſſe nequivimus.* Et quamvis aſſiduè Deum pro unione in fide orationibus noſtris precemur, nihilominus quonam pacto hæc unio inter nos ſtabiliatur aliquando, nunquam nobis ſerio curæ fuit, ſpectando ſemper ſuperiores noſtros & expectando ſi de hac ipſa unione inciperent eſſe ſoliciti.

Verùm cùm noſtra ſpes hac in re, ut hoc eorum cura & ſtudio perfici poſſit, in dies minuatur, *non ob aliam rem, quam quod iſti ſeruitute Paganorum oppreſſi, etiamſi fortaſſe vellent, non poſſunt:* Igitur ex Inſpiratione Spiritus Sancti, cujus hæc ſunt opera, & non hominum, conſide-

siderantes cum ingenti dolore nostro, quanta impedimenta homines habeant ad salutem, absq; hac unione Ecclesiarum Dei, in qua incipiendo à Christo Salvatore nostro, & à Sanctis illius Apostolis, prædecessores nostri persliterunt, ac unum summum Pastorem, primūq; Antistitem in Ecclesia Dei hic in terris (ea de re Concilia & Canones manifestos habemus) & non quempiam alium *præter Sanctissimum Papam Romanum profitebantur, illiq; parebant in omnibus*, ac quamdiu id uniformiter in suo robore permansit, semper in Ecclesia Dei ordo, cultusq; Diuini incrementum fuit: inde consecutum est, ut difficillimum foret hæreticis sua disseminare prava dogmata. *Postquam autem multi superiores esse cæperunt, eam sibi Auctoritatem, potestatemq; arrogantes, nunc clarè cernimus ad quantas discordias & Schismata ob pluralitatem superiorum Ecclesia Dei devenit: ex quo fit, ut hæretici tantas sumant vires.*

Itaq; nolentes ut Conscientiæ nostræ tanto pondere aggravarentur, si animarum salus multarum ob eas in Religione discordias diutius periclitaretur (licet hac ipsa de re nos prædecessoresq; nostri meditati fuerint, idq; tentaverint) videntes institutum Concilium intermissum esse, proposuimus auxiliante Deo, mutuo vinculo nos ipsos ad prosequendum hoc negotium excitare & confirmare, ut quemadmodum antea, eodem labio, & eodem Corde possemus laudare & glorificare venerandū & magnificum nomen Patris & Filij & Spiritus Sancti *cum fratribus nostris charissimis Dominis Romanis, permanentes sub eodem Pastore visibilis Ecclesiæ Dei, cui hæc præeminentia semper debebatur.*

Quocirca id nobis mutuò promittentes coram Deo, quantum in nobis fuerit, corde sincero & candido, ac diligentiâ in hujusmodi negotio necessariâ ac debitâ, nos omnem daturos operam spondemus in Communi, & quilibet per se, adhibitis medijs convenientibus, ut Fratribus nostris Ecclesiasticis, communiq; plebi ad ineundam unionem & concordiam simus auctores, idq; diuinâ adjuvante gratiâ perficiamus.

Vt autem majus incitamentum ad finiendum habeamus, quoq; major à nobis cura & solicitudo impendatur: scriptum præsens conficimus, quo sinceram promptamq; voluntatem nostram, ad amplectendam *cum Ecclesia Romana unionem & consensum testamur.* Et Deus omnipotens largitor omnium bonorum auctorq; ad concordiam sit dux & protector, tam Sancti negotij huius, cui uti corda nostra, ita & eam voluntatem, præsenti scripto testantes, manu propria subscribimus: saluis tamen & in integrum observatis Cæremonijs & riti-

& ritibus Cultus diuini peragendi & Sanctorum Sacramentorum iuxta conſuetudinem Eccleſiæ orientalis, correctis tantummodò ijs, articulis, qui ipſam unionem impedirent, ut more antiquo fierent omnia, ſicut olim unione durante fuerunt. Datum. Anno Domini, milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo quarto. die ſecunda Decembris.

Locus Sigillorum.

Deinde ſequuntur ſubſcriptiones, videlicet.

Michäel Metropolita Kiouienſis Halicienſis, & totius Ruſſiæ manu propria.

Ipation Dei gratia. Protothronius Epiſcopus Vulodimirienſis, Breſtenſisq; manu propria.

Cyrillus Terleczki Exarcha Metropolitæ Kiouienſis, Epiſcopus Luceorienſis Oſtroſienſisque manu propria.

Gregorius nominatus Archiep. Vladika Polocenſis Vitebſcenſisque manu propria.

Dionyſius Zbiruyſki Epiſcopus Chelmenſis, Belſenſisque manu propria.

Leontius Peleziſki Epiſcopus Pinſcenſis Turouienſisque manu propria.

Ionas Hohol Archimandrita Kobrinenſis Eccleſiæ S. Salvatoris manu propria.

Idem Ionas nominatus Epiſcopus Pinſcenſis Turovienſisque manu propria hanc concordiam fratrum meorum ſubſcripſi.

Cùm hæc ſtatuiſſent in ſequentem annum, ubi primùm per temporis opportunitatem licuit, honorificam ad Romanum Pontificem decernunt legationem, duobus ad id muneris obeundum electis legatis Epiſcopis, quibus ad eundem eiuſmodi literas dederunt.

Literæ Dominorum Archiepiſcopi Kiovienſis & aliorum Epiſcoporum Ruthenorum ad S D.N. Clementem Papam VIII. ſuper eorum unione cum Sancta Eccleſia Romana, datæ die 12. Iunij Anno Dñi M.D XCV.

Sequenti Anno mittunt legatos duos Epiſcopos cum literis ad Rom. Pontif. Archiepiſcopus Kiouienſis cum alijs Epiſcopis & Prælatis Ruthenorum, quas ſic incipiunt.

Sanctiſſime Pater Domine & Paſtor ſupreme Eccleſiæ Chriſti Dñe Clementiſſime: Repetentes memoriâ conſenſum in omnibus atq; unionem orientalis & occidentalis Eccleſiæ, quam maiores noſtri

stri sub obedientia & Regimine Sanctæ sedis Apostolicæ Romanæ coluerunt. &c: adiuvante Dño ad unionem quæ antea inter orientalem & Occidentalem Ecclesiam viguit, inq; Florentina synodo ab Antecessoribus nostris adstricti, sub obedientia, atq; Regimine Sanctitatis vestræ uno ore & corde glorificemus, & laudemus omnes Diuinissimum & Sanctissimum Nomen: Patris & Filij & Spiritus Sancti &c. Mittimus ad Sanctitatem vestram Charissimos Fratres nostros. &c. Episcopum Wlodimiriensem, & Episcopum Luceoriensem &c. quibus mandauimus, ut Sanctitatem vestram adeant &c. suo & omnium nostrûm Archiepiscopo: & Episcoporum, totiusque Ecclesiastici nostri status, & ouium comissarum nobis diuinitus nomine, sedi S. Petri, & Sanctitati vestræ, uti summo Pastori Ecclesiæ Christi, debitam obedientiam deferant &c. Quæ omnia petita à nobis si obtinuerimus, Sanctitati vestræ, cum omnibus successoribus suis, nos & successores nostri dicto audientes, subq; Regimine Sanctitatis vestræ semper esse volumus, in quorum maiorem fidem, literas præsentes, manibus nostris subscripsimus, atq; muniuimus sigillis. Datum ex Regno Poloniæ & M. Ducatu Lithuaniæ die XII. Iunij. An. 1595. juxta Calendarium vetus: Sanctitatis vestræ humillimi apud Deum oratores & serui.

Thomas à Iesu lib: 6. cap. 1. pag: 326.

Memorati Episcopi cùm pervenirent ad locum, præsentârunt aliquos articulos, siue conditiones, quas requirebant, ante unionem cum Ecclesia Romana: quæ Romæ à Congregatione Eminentissimorũ Cardinalium examinatæ & attentè discussæ ac grauissimi Theologi de illis consulti permissumq; est eis, ut omnibus ceremonijs & ritibus antiquis uterentur, dum modò Fidei Catholicæ non contradicerent. Admissi deniq; ad S. Ecclesiæ Communionem, Fidei Professionem juxta consuetam formam fecerunt, ac ritè Evangelijs tactis, juramento ac subscriptione firmarunt. Tomas à Iesu lib. 6. parte. 3. Cap. 1. de Conver. omnium Gent. pag. 334. & sequens.

Præcipuus error Græcorum disunitorum, non credunt Spiritum S. procedere ex Filio, contra Concilium Ephesinum Gñale III. in quo approbata est Epistola S. Cyrill. Alexandrini ad Nestorium scripta, in qua hæc verba sunt expressa. *Spiritus appellatus est veritatis, veritas autem Christus est, unde & ab isto similiter sicut ex Patre procedit.*

Hæc Epistola approbata etiam est à Synodo. IV. Act. 5. & à Synodo VI. Act. 17. & à Synodo VII. Act. 7. Atq; hæ Synodi maxima ferè ex parte ex Græcis fuerunt, fuitq; communissima & constantissima prioris æui SS. Patrum Sententia, tam Græcorum, quàm

Latinorum, maximè S. Athanaſij, qui in Symbolo ait. *Spiritus Sanctus, à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Et hoc Symbolum lectum eſt in Concilio Toletano IV. can. 1. An. 633. ante Schiſma Græcorum. Et convicti ſunt de hac re Græci ſæpius ut in Concilio apud Barum Ann. M.XC. Item ad. Ann. 1215. In Concil. Lateranen. Cap. 4 Porro Lugduni in Concilio, ubi Græcis conſentientibus cantatum eſt Symbolum cum additione Filioq; ter Græcè ter Latinè, deniq; in Concilio Florentino ad Ann. 1438. ſed de his iterum redibit ſermo inferiùs.

Anno. 1274. In Concilio Lugdunen. Palæologus Imperator Græcorum in ſua Confeſſione Fidei profeſſus eſt Proceſſionem Spiritûs S. à Patre & Filio, dum ait. Credimus, & Spiritum S. plenum & perfectum, verumq; Deum ex Patre Filioq; procedentem, coæqualem & conſubſtantialem, coomnipotentem & coæternum per omnia Patri & Filio. Quare autem Græci hanc Proceſſionem Spiritus Sancti à Filio non admittebant, reddit rationem Eugenius IV. ad Finem Concilij Florentini, ex mente ejuſdem concilij, factâ iam plenâ unione, & concordia in Materia Fidei cum Palæologo Metropolitis, Metropolitanis, & multis Prælatis græcorum his verbis, in Definitione Fidei dum ait: Convenientes enim Latini ac Græci in hac Sacroſancta Oecumenica Synodo, magno ſtudio inuicem uſi ſunt, ut inter alia etiam articulus ille de Diuina Spiritus Sancti Proceſſione ſumma cum diligentia & aſſidua inquiſitione diſcuteretur. Prolatis verò teſtimonijs ex diuinis ſcripturis, plurimiſq; auctoritatibus Sanctorum Doctorum Orientalium & Occidentalium, aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibuſdam verò ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum Sanctum, & ad eandem intelligentiam adſpicientibus omnibus ſub diverſis vocabulis, Græci quidem aſſeruerunt, quòd id, quòd dicunt Spiritum Sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant Filium; ſed quia eis videbatur (ut ajunt) Latinos aſſerere Spiritum S. ex Patre & Filio procedere, tanquam ex duobus Principijs, & duabus ſpirationibus, ideò abſtinuerunt à dicendo, quod Spiritus Sanctus à Patre procedat & Filio: Latini verò affirmarunt, non ſe hac mente dicere, Spiritum Sanctum ex Patre Filioq; procedere, ut excludant Patrem, quin ſit fons ac principium totius Deitatis, Filij ſcilicet ac Spiritus Sancti, aut quòd id, quòd Spiritus Sanctus procedit ex Filio, Filius à Patre non habeat; ſiue quòd duo ponant eſſe principia ſeu duas ſpirationes: ſed unum tantum aſſerant eſſe principium, unicamq; ſpirationem Spiritus Sancti prout hacte-

hactenus aſſeruerunt. Et cum ex his omnibus unus & idem eliciatur veritatis ſenſus, tandem in infraſcriptam Sanctam & Deo amabilem, eodem ſenſu, eademq; mente, unionem, unanimiter concordarunt & conſenſerunt. In nomine igitur Sanctæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus Sancti, hoc Sacro universali approbante Florentino Concilio diffinimus, ut hæc Fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur & ſuſcipiatur, ſicq; omnes profiteantur, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumq; eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex utroq; æternaliter tanquam ab uno Principio, & unica ſpiratione procedit: Declarantes quòd id, quòd Sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc ſignificetur, Filium quoq; eſſe, ſecundùm Græcos quidem cauſam, ſecundùm Latinos verò Principium ſubſiſtentiæ Spiritûs Sancti, ſicut & Patrem. Et quoniã omnia quæ Patris ſunt, Pater ipſe unigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrẽ, hoc ipſum quòd Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo etiam æternaliter genitus eſt. Diffinimus inſuper, explicationem verborum illorum, *Filioq;* veritatis declarandæ gratiâ & imminente tunc neceſſitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam. Hucuſque verba Definitionis Concilij Florentini poſt unionẽ cum Græcis & Armenis ad finem Concilij publicatæ.

Alius error eſt Græcorum Disunitorum, dicunt qui ſunt peccatis onuſti, licet ſumant Euchariſtiã non ſumere Corpus Dñi contra illud *Apoſt. 1. Corin: 11. Quicunq; mãducaverit Panẽ hunc vel biberit Calicẽ Dñi indigne reus erit corporis & Sanguinis Dñi* His verbis clarè oſtẽditur, quòd peccatores verè ſumant Corpus Chriſti, licet indignè, ideò ad iudicium accipiunt. Vide plures errores apud Authores tam Latinos, quàm Græcos, quos enumerat. *P. Thomas à Jeſu lib. 6. cap. 1. pag. 235*

De Proteſtantibus verò & alijs Diſſidentibus fusè inferius dante occaſionem & invitante Authore Tubæ Pacis dicemus. Vnde de iſtis omnibus enumeratis cætibus ſic reſpondendum Authori, qui ex his omnibus manent in charitate & unitate Catholica, poſſe gloriari de recta fide cum omnes licet diverſi Natione et Ritibus, tamen unam Orthodoxam habent fidem: illi verò, qui ſunt in varia Schiſmata diſſipati, & varios ſequuntur (ut videmus) errores non poſſe gloriari apud ſe unuſquiſq; veram habere Eccleſiam, cùm non una, ſed tot Eccleſiæ deberent eſse, quod ſunt iſti inter ſe diuiſi cætus.

Hos autem ſupra Nominatos cætus, & illorum manifeſtos errores

ideò adduximus, ut manifeſtè oſtendamus, non poſſe illos gloriari apud ſe habere veram Eccleſiam, ſtantibus tam craſſis erroribus in materia Fidei. Sunt & alij ferè infiniti per Orbem cætus. varijs & nefandis infecti erroribus, quos ſi quis numerare velit, planè non poterit, inter tot ergo innumerabiles cætus totq; Schiſmatibus diuiſos, tot hæreſum monſtris infectos, debet eſſe illa unica Spiritus S. Columba. Cant. 6. Illa *columna & Firmamentum veritatis adversùs quam portæ inferi non prævalebunt.* Scilicet *una Sancta Catholica & Apoſtolica* viſibilis per totum Orbem diffuſa Eccleſia, extra quam nulla ſalus, nulla vita æterna, ut ex ſequentibus diſcurſibus patebit.

Ad Tit. 3. & Math. 16.

Et cùm Author Tubæ in hoc diſcurſu mentionem fecerit de Patriarchatu Conſtantinopolitano, & tribus alijs Græcæ Eccleſiæ, non inconveniens erit aliquid dicere de Patriarcha Conſtantinopolitano, quæ habent Acta Concilij Florentini his verbis: Dum hæc Florentiæ agerentur in ultima ſeſſione, ſubitâ morte defunctus eſt Conſtantinopolitanus Patriarcha &c. Literæ autem penes mortuum relictæ, ſequentia continebant. Ioſeph miſeratione Diuinâ Conſtantinopolis & Novæ Romæ Archiepiſcopus ac Oecumenicus Patriarcha. Quoniam ad extremum vitæ meæ perveni, idcircò pro meo munere dilectis Filijs benignitate Dei meam ſententiam his literis palam facio. Nam quæ Dñi noſtri Ieſu Chriſti Catholica & Apoſtolica Eccleſia Romæ veteris ſentiat, ac celebret, omnia me quoq; ſentire crederéq; profiteor, ac ipſis plurimùm acquieſco. Beatiſſimum autem Patrum Patrē ac ſummum Pontificem; Romæq; veteris Papam Dñi noſtri Ieſu Chriſti Vicarium eſſe concedo, atq; animarum Purgatorium eſſe non inficior. Datum Florent. 8. Iun. 1439. Laonicus Chalcocondylas rerum Turcicarum lib. 1. ait. Ioannes Paleologus Græcorum Rex aſſumptis Byzantij Epiſcopis & Græcorum doctis ad colloquium venit cum Rom: Pontifice Eugenio IV. Tandem Græci pariter & Romani in Religionis negotio convenerunt. Idem Chalcocon lib. 6. ait, Huc cùm perveniſſent Græci, multa diu egêre cum Pontifice in religionis negotio volentes id ad optimum deducere finem. Poſtremò eò ventum eſt, ut inter ſe conſentirent, & concordiam inter ſe conglutinarent. Itaq; in hanc ſententiam euntes decreverunt, in poſterùm nihil in religionis negotio innovare. Et ut iſta rata manerent ſcriptis & obteſtatione Sanctorum, ſanxerunt ſe deinceps unanimes in religionis negotio fore. Binius Tom. 4. in principio notarum ſupra Concilium Florentinum Oecumenicum XVI, An. 1538. celebratum; Vltra Palæologum Imperatorem Græcorum

corum & Ioſephum Patriarcham Conſtantinopolitanum interfuerunt huic Concilio Vicarij trium Patriarcharum, & Concilio ſubſcripſerunt.

Ad hoc Concilium Armeni ex Indijs miſerunt Oratores ſuos, poſtulantes & ſupplicantes, inſtrui & erudiri, in his quæ ſunt Fidei à Romana Eccleſia, & uniri cum ea in Charitate Chriſti, qui examinati in paucis reperti ſunt diſſentire à Catholica Fide, & in illis ſubjecerunt ſe correctioni Apoſtolicæ ſedis, quæ de conſilio Prælatorum decreuit, eos ritibus ſuis, qui non ſunt contra Veritatem Fidei, permittendos, ut & Græcis, licèt diſſimiles ſint à moribus Eccleſiæ Latinæ, quibus verò à Fide vera diſcrepabant, his prohibere debere, quibus acquieverunt. Hæc paſſim Authores, qui de Concilijs ſcripſerunt præſertim Nauclerus in Chron. Binius Tom. 4. in notis Conc: Floren. verbo ad Marg. Armeni, vide etiam ibidem finem Bullæ Eugen. 4 n. 8. quid de concordia cum Rom. Eccl. & Ritibus Armenorum dictum ſit. Franciſcus Longus in Summa Concil. Florent. 16. fol. 587. ubi fusè deſcribit hanc perfectam concordiam inter Eccleſiam Catholicam Romanam, Græcam, & Armenos, & paſſim alij etiam Græci Authores ut Georg. Pachimerius lib. 5. hiſtor. Iacobus Navarchus Ondiſcho: Epiſt. Aſiatica. qui omnes unionis factæ in dicto Concilio meminerunt Facta etiam eſt mentio hujus unionis Armenorum in Decreto Concilij Florentini quæ habetur apud P. Thomã à Ieſu lib. 7. cap: 20. pag. 404. his verbis: Nam & pridem magnã illam Græcorum unionem multas longè latèq; continentium nationes & linguas hodie verò hanc ipſam Armenici populi qui per Septemtrionem & Orientem in magna copia diffuſus eſt in eodem fidei & charitatis vinculo cum ſede Apoſtolica ſtabilivit Deus Laudemus jugiter & toto corde benedicamus Dominum, qui facit mirabilia magna ſolus &c. obſecrantes ut quemadmodum ipſi Græci atq; Armeni unum cum Eccleſia Romana effecti ſunt, ita fiant & cæteræ nationes præſertim Chriſti charactere inſignitæ &c. in eodẽ Decreto Concilij Florentini eſt expreſſum quòd Armeni doctos Oratores ſuos ex remotiſſimis Regionibus per multos labores mariſq; pericula ad Sacrum Concilium deſtinarunt, & Synodale Decretum cum omnibus ſuis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis & ſtatutis, omnemq; doctrinam in eo contentam, necnon quidquid tenet & docet Sancta fides Apoſtolica & Romana Eccleſia cum omni devotione & obedientia acceptarunt & ſuſceperunt.

Discursus Authoris

Pag: 3. N. 5.

Causæ huius scissionis privatorum cætuum ab unica & vera Christi Catholica Ecclesia.

Epiph. hæres. 75.



HÆc Schismata, prout & *hæreses, aut gloriæ cupiditate, aut arrogantiâ, aut voluptatum libidine sunt introductæ, aut similibus alijs de causis, inuidiâ scilicet, contentionis studio odio, item Curiositate,* cui plurimi inter viros Politicos, præsertim in Ecclesijs Protestantium, (plerumq; Presbyterij, cui tamen duplus honor debetur, contemptores, Sacras res, adeoquè altiora se præsumptuosè, quasi omnibus Mysterijs sibi perspectis, ceu inaugurati SS. Trinitatis secretarij intimi, familiarissimi rimantur, non determinatas res determinant:) dediti sunt; fluctuantes alias hinc inde Euripi doctrinæ. *Verba tamen Theologorum Curiosis auribus captant, quæstiones obijciunt, tentandi gratiâ, neque inquirunt ut ignorantiæ, medela sit aut ex his capiant quid utilitatis; sed ut ubi repererint responsionem minus facientem ad ipsum affectum, hanc iustam belli & litigij ἀφορμὴν fore putent. Hi illustre nomen Fidei, privatis ipsorum contentionibus, diffidijs convellunt, scilicet.*

S. Basilius lib. de Spiritu S. Tom. 2. oper.

Sæpè scelus cæli Zelus velamine texit,
Religio velum est, quod tegit omne scelus

S. Gregor. nanz. orat. 21.

Hinc illa Religionum Differétia, unitate Ecclesiæ illius unius laceratâ.

Discursus Catholicus

Correspondens ad cap. 1. p. 3. n. 5. Auth.

In quo declaratur, unde Schismata & Hæreses promanarunt.

EX hac Sententia S. Epiphanij ab Authore in superiore Discursu adducta, quilibet non obscurè omnem hæresim cognoscere potest, præsertim ille, qui verè & sincerè quærit salutem animæ suæ. Omnis enim hæresis, non aliunde procedit, nisi ex gloriæ cupiditate aut arrogantia, aut carnis voluptate. *Quoniam initium omnis peccati superbia est*: In hanc superbiam omnis hæreticus primò elatus cum inciderit, abijcit immaculatam legem Dei, & tradit se voluptatum libidini, & impudicitijs, ex his nascuntur, inuidia, contentio, cum alijs hæreticis, odium contra Ecclesiam & Prælatos illius, postea cum ab Ec-

Eccl. 10.

ab Ecclesia recesserit à Dæmone excæcatus, putat se supra omnes sapere, inde inaudita excogitat & docet in ruinam multorum, non ut prosit, sed ut vanam gloriam aucupet. Vnde benè S. Ephiphanius ab Authore superius adductus. *Hæreses, aut gloriæ cupiditate, aut voluptatum libidine, aut similibus alijs de causis sunt introductæ* S. Cyprian. Ep. 55. *Neque enim aliunde hæreses sunt, aut nata sunt Schismata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur; &c. cui si secundùm magisteria Diuina, obtemperaret Fraternitas uniuersa, nemo dissidio unitatis, Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens seorsim foras nouam hæresim conderet. Hæc sunt initia hæreticorum, & Ortus atq; conatus Schismaticorum eorum male cogitantium, ut sibi placeant, & Præpositum superbo tumore contemnant; sic de Ecclesia receditur, sic altare prophanum foris collocatur, sic contra pacem Christi, & Ordinationem, atq; unitatem Dei rebellatur. Etsi contumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen à Christo non recedit* S. August. Tract. 27. in Ioan. ait *nihil enim sic debet formidare Christianus quàm separari à Corpore Christi. Si enim separatur à Corpore Christi, non est membrum eius; si non est membrum eius, non vegetatur Spiritu eius.* Idem epist. 65 Idem Epist. 69 ad Floren.

Iustinus Quæst. 4. de Orthod. *nunc ergo cùm damnent alij alios, ob opinionum dissensiones perspicuum est omnes hæreses occasionem habuisse ab ambitione & mutua inuidia hæresiarcharum, propter quam causam lupi graues ab Apostolo nominati sunt.* Origo hæresis.

Similes verò causas legimus 2. Petr. cap. 2. sic: *In vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis &c. & multi eorũ sequentur luxurias &c. in conviviijs suis luxuriantes vobiscum oculos habentes plenos adulterij.* Et cap. 3. *venient in nouissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes dicentes ubi est promissio.* Quid clarius Apostolus de præsentibus hæresibus dicere potuit, quæ licet videant promissiones diuinas impleri de Ecclesia Catholica, tamẽ malunt credere suis deceptoribus & humanis rationibus, quàm Authoritati Diuinæ & SS. Patribus. Et 2. ad Timot. 3. *Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa; erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi &c. ingrati, scelesti &c. sine pace criminatores, incontinentes &c. proterui, tumidi, & voluptatum amatores, magis quàm Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes &c. & captivas ducunt mulierculas peccatis oneratas.*



S. Hieronym. in cap. 16. Ezech. *Asserunt nihil nocere luxuriã & passiuam libidinem &c. cibis omnibus indifferenter utendum. Nulla enim hæresis, nisi propter gulam ventremq; constituitur, ut seducat mulierculas oneratas peccatis.* Idem in cap. 3. Ierem.

 Hic

Hîc S. Hieronymus clarè expreſſit illum hominem, qui cum ſuis diſpenſauit in adulterio cum conjugibus, quod nunquam, nec in ſtatu naturæ, nec legis ſcriptæ licitum fuit, nam tales lapidabantur, multò magis nec in ſtatu legis Evangelicæ, de quo ſic 1. Corynth. 6. habetur. *Nolite errare, neq; Fornicarij, &c. neq; adulteri, neq; molles &c. regnum Dei poſſidebunt.* Idem S. Hieronymus in Ierem cap. 3. *Omnis hæreticus &c. calorem Fidei perdidit, nec audire poteſt illud Apoſtoli, Spiritu ferventes, & quia ſe voluptatibus tradidit, receſſit à Domino, & diſperſit vires ſuas alienis dogmatibus, & voluptatem ſecutus eſt.*

S. Auguſt. lib. 1. de Symb. cap. 5. ait. *Non inſultent hæretici per partes conciſi, non ſe extollant qui dicunt ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, ad partes inducunt, unitatem promiſit Deus in unum collecti ſunt, non per Schiſmata diſſipati ſunt.* S. Iuſtinus Martyr quæſt. 4. ad Orthod. *Nunc ergo cum damnent alij alios ob opinionum diſſenſiones perſpicuum eſt omnes hæreſes occaſionem habuiſſe ab ambitione, & mutua inuidia.* S. Hierony. in cap. Iſai. ait. *Propter luxuriam & voluptates & lucra de populis inter ſe habent diſcordiam, ut de una hæreſi duæ fiant, mollibus, rigidis, mixtis, & rurſùm quæ diuiduntur in partes.* S. Hilarius lib. de Trinit. *Hæretici omnes contra Eccleſiam veniunt, ſed dum hæretici omnes ſe adinuicem vincunt, nihil ſibi vincunt, victoria enim illorum triumphus Eccleſiæ eſt, dum in eo hæreſis contra alteram pugnat quod in altera hæreſi Eccleſiæ fides damnat.* Lutherus in Pſalm. 5. ait Nulli hæretici victi ſunt vi aut aſtu ſed mutua diſſenſione nec aliter cum illis pugnat Chriſtus, quàm miſſo inter eos Spiritu vertiginis & diſſenſionis.

Reflectamus oculos à primo uſq; ad ultimum, in omnes hæreticos, tam antiquos quàm recentes, ſi hæc indicia non inueniantur in illis, qui cum à ſuperbia incæperint receſſum ſuum ab Eccleſia, excitatis inter ſe mutuis odijs & diſſenſionibus tradiderunt ſe poſtea impudicitijs, & alios multos in illas induxerunt.

CAPVT II.

Diſcurſus Authoris

Pag. 4.

I. *Extra hanc unam Eccleſiam nulla ſalus.* II. *Eccleſiæ unius vera Fides Symbolo Apoſtolorum tanquam compendio continetur.* III. *Hæc unitas fidei includit Sanctitatem morum, inprimis dilectionem, quâ ſervanda unitas.* IV. *Ex cuius defectu exorta Schiſmata in hæreſes degenerantia.*

Iam

Iam verò *firmissimè tenemus ac nullatenus dubitamus, quemlibet hæreticum seu Schismaticum, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunq; Eleèmosynas fecerit, & si pro Christi nomine etiam Sanguinem fuderit, nullatenus posse saluari.* Nam extra unitatem Ecclesiæ Catholicæ constituti *non habent Dei Verbum, nec Sacramenta ad salutem, sed ad damnationem: Sunt alieni à Christo, à Deo, ab eius gratia, & carent spe æternæ salutis.* Quapropter summo laborandum nisu, ut unitas Ecclesiæ reducatur, neq; potest esse Diuinius, aut maius opus, quàm Ecclesiæ dissensionibus obviam ire, & pristinam quasi, quantum fieri potest, restituere unitatem. Nam qui in unitate, in pace manet, in Christo qui est Princeps Pacis manet. Vnitas autem Ecclesiæ consistit in una fide. *Vnum scilicet Corpus, & unus Spiritus, sicut & vocati sumus in una spe vocationis nostræ unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Hæc fides Ecclesiæ fundamentum est, per hanc fidem, infirmæ adversus eam sunt portæ inferorum.* Quippe *est virtus, per quam servantur Electi Dei, & barbari quoq; sapientissimi sunt, & placent Deo, conversantes in omni Iustitia & Castitate & sapientia.*

S. Fulgent. ad Petrum D. de fide.

S. Augu. Epist 166.



Ephes. 4.

Hilar. lib. 6. de Trin.

Vna hæc Fides continetur in Symbolo Apostolico, quod *Regula omninò una est sola immobilis & irreformabilis, &c.*



Hæc unitas Fidei Sanctitatem morum & obedientiæ, inprimis fraternam *dilectionem,* Ideoq; *studeamus servare unitatem Spiritûs in vinculo Pacis,* immo *super omnia induamus Charitatem, quæ est vinculum perfectionis, præcedat quidem fides, timor ædificet, perficiet dilectio, hæc complectitur unitatem sine qua nemo potest se exhibere Martyrem,* neq; habet vivam fidem quæ *per charitatem efficax est.* Hac unitate Fidei, ac dilectione sumus ac permanemus *fratres, absq; inimicitijs ac dissensione, vinculo charitatis nos omnes colligamur.*

Ephes. 4. Colos. 3.

Cyprian. de unit. Eccles.

Ex cujus defectu exorta sunt Schismata, quæ inveterata, degenerant in hæreses. *Ergo teneamus Charitatem sine qua, & cum Sacramentis & cum fide nihil sumus. Tenemus autem charitatem, si amplectimur unitatem, si non per verba nostra in parte confingimus, sed per verba Christi, in universo orbe cognoscimus.*

August lib. 2. contr. lit. Petil. cap. 77.

DISCVRSVS THEOLOGICVS.

Correspondens. ad Caput II. Auth.

Quod Ecclesia Catholica sit medium necessarium ad Salutem, extra quam nulla est salus.

CVm tot cætus inveniantur, qui nullam inter se unitatem habent,

quæ

quæ conſiſtit in una fide,nullam inter ſe habent veram Eccleſiam, immo cùm ſe adinuicem condemnant hæreſi, ſunt extra Catholicam Eccleſiam, quæ in unitate, Sanctitate, & univerſitate, ſucceſſione Apoſtolicâ conſiſtit. Proinde non habent verbum Dei, nec Sacramenta ad Salutem, ſed ad damnationem, ſuntq; alieni à Christo Deo, & ſpe æternæ ſalutis. Vnde meritò his diuiſis, & varijs Schiſmatibus & hæreſibus infectis cætibus, omni conatu, quærenda eſt *una Sancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia*, extra quam nec Baptiſmus, nec Eleëmoſynæ, nec Martyrium quidquam proſunt, quærenda inquam cum quærentibus & conquerentibus ubinam ſit vera Eccleſia. Sic enim Fieldus Diſſidens in initio Libri ſui conqueritur, ubinam ſit vera Eccleſia? dum ait: *Cùm funeſtas Chriſtiani orbis diſcordias, & infinitas propè de Religione Diſſidentium & neſcientium, quid certi ſtatuant, aut cui parti adhæreant diſceptationes perpendo &c. in illam planè ſententiam impellor, ut nullam Theologiæ partem magis neceſſariam exiſtimem, quàm illam, quæ de vera Eccleſia dignoſcenda tractat. Cùm enim tot, ac tam inexplicabiles ſint, hoc tempore de Religione controverſiæ, ut pauci tempus, pauciores ſcientiam habeant, illas omnes, penitus examinando quid aliud veritatis ſtudioſis ſupereſt, quam ſedulò & ſedulò indagare, quænam tandem ſit illa in terris Sanctorum hominum Societas? Illa Sponſa Chriſti, illa Dei viventis Eccleſia, quæ eſt columna & firmamentum veritatis ut illâ ſemel inventâ communionem eius amplectantur, Conſilium ſequantur, eius deniq; IVDICIO acquieſcant.*

Iſte Author clarè oſtendit inter hos omnes cætus nullibi veram eſſe Eccleſiam,cùm illam ſedulò quærere ſuadeat, veram tamen eſſe in terris, ut potè diſſidens non agnovit, quæ ſit *columna & Firmamentum veritatis*, illâq; inventâ Communionem ejus amplecti, & iudicio ejus acquieſcere ſuadet.

Similia reperiuntur in notis. Marg. Biblior. Angl. 1576. in c. 60. Quærenda ab his diuiſis cætibus, cum alijs dubitantibus, ubinam vera ſit Eccleſia? ſic Paulus Eberus Diſſidens in comm: cum ☞ Melan. in Epiſt. ad Corynth ait. *Cùm mala quiſq; oculis intuetur, meritò dubitat, an noſter Evangelicus cætus ſit vera Eccleſia, nec ne?* ſed alij in majores redacti anguſtias, & ſibi & alijs in ſua fide manentibus, timebant æternam damnationem. Sic Lutherus, dubitando de ſua Fide, ſecum loquitur. *Quàm ſæpè mihi cor palpitauit, meq; còarguit, atq; obiecit, tu ne ſolus ſapiens? cæteri omnes errant, ac tantopere errarunt? Quod ſi tu erres, ac tot in errorem ſeduceres, perpetuo ſupplicio condemnes* Idem *Pergraves mihi fuerunt iſtæ cogitationes: Tu ſolus purum atq; emacula-*

In præfat. lib. de abuſu miſſæ Tom 2. ien. fol. 9. ſer. cōv fol. 9.

Serm conu. fol. 10.

culatum verbum Dei babes, cæteri omnes eo destituuntur? Quod Christiana Eccleſia decreuit, totq́; annos credidit, tu impugnas, & tanquam falſum evertis? quin & tua doctrina politicum & Eccleſiaſticum regimen conturbat. Idem. *Iſtas cogitationes nunquam ex animo dimitto, quin* fol. 158. *optimè vellem banc me cauſam nunquam incepiſſe.* Idem. *Nunquam ma-* fol. 273. *iores gravioresq́; tentationes babui, quàm ex meis Concionibus, cogitabam enim iſta, tu ſolus incæpiſti, iſtâ tentatione ſæpè ad infernum usq́; demerſus ſum.* Et *libros ſuos æternâ oblivione ſepultos optavit*, addens Præfat. Tomi 1. *ſperare ſe, ubi horum temporum curioſitas ſaturata fuerit, brevi monimenta ſua interitura.*

Alterum etiam ex præcipuis alterius Cœtus ſimili perplexitate de ſua fide loquentem Calvinum audiamus. Sic ille ait: *Nos certè,* Lib. 3. Cap. 2. §. 17. *dum Fidem docemus eſſe debere certam & ſecuram, non certitudinem aliquam imaginamur, quæ nullâ tangatur dubitatione, nec ſecuritatem quæ nullâ ſolicitudine impetatur.* Et §. 18. ait: *In fideli mente certitudinem permixtam eſſe dubitatione.* Ampliùs & pejùs ait ſuprà: *In cunctis ſemper mixtam eſſe Fidei incredulitatem.* Idem Calvinus in Præfat. Catechiſt. Gene. ad miniſtros in Friſia Orient. ait: *De poſteritate ego ſic ſum anxius, ut tamen vix cogitare audeam &c. Atq́; utinam, non paulò pòſt ſentiant Filij noſtri, fuiſſe hoc verum potiùs vaticinium, quàm Conjecturam*; quæ anxietas Calvini, purè humanam denotat fuiſſe fidem. Melanchton ſimiles anguſtias paſſus in conſcientia Anno 1530 in Comitijs Auguſtanis in ſubſcribendis articulis Schmalchaldic. teſtis *Chytræus in hiſt. Auguſt. Confeſſionis Tom. 6. Ien. fol. 522 a.* Idem Melanchton cuidam Nobili Joanni Bartholomæo Velbergk ſuaſiſſe dicitur, *ut in veteri Catholica precandi ac communicandi ratione perſiſteret, ſibi vebementer dolere, addens, quòd relicta Philoſophia in Theologicis ſcribere cæperit, nullius ſe digiti iacturam refugere, ſi iſtum revocare laborem poſſet, ſed nunc ſe nimis profundè cauſæ immerſum nullum regreſſum invenire.* Zwinglius quàm timidè ac dubitanter ſuam de Cæna ſententiam in lucem protruſerit, cujusq; Spiritûs teſtimonio illam firmârit, teſtis eſt & ipſe Kemnitius *in Libell. de Cæna Domini fol. 216.* De Oecolampadio Selneccerus ſcribit, eum in morbo hâc precatione Part. 1. Comment. in Pſal. fol. 215. uſum: *IESV Chriſte, patefac mibi veritatem tuam, an etiam bactenus de Sacra Cæna Tua rectè docuerim & ſcripſerim.* Centuriatores in Præfat. Cent. 5. poſtquam oſtenderunt præcipuos articulos, de libero arbitrio, de Fide juſtificante, de bonis Operibus, non defendi ampliùs à plurimis Lutheranis Luthericè, ſed Catholicè, ſubjungunt: *Periit iam, idq́; repentè, veritas patefacta, Philoſophia, Papiſmus, & alia*

Sectæ longè latèq; in Templo DEI primam Cathedram occupant. Illyricus in Præfat. omnium Centuriarum, graviter conquæritur, quòd Lutherani ita immutaverint doctrinam Lutheri, ut vix pauci inveniantur, qui doctrinam in toto sequantur Lutheri.

Castilio Calvinista in Apolog. Protest. Tract. 2. Cap. 3. Sect. 5. ait *Vtrum clara veritas suis effulsisset, an non? & perpetuas has discordias non levi argumento esse, quod densis adhuc tenebris obvolveretur.* Andreas Duditius apud Bezam Ep. 1. Theol. ait: *Omni doctrinæ vento agitati, modò ad hanc, modò ad illam partem aeferuntur, horū quæ sic hodie de Religione scire fortaßè poßis, sed quæ cras de eadem futura sit opinio, neq; tu certo affirmare queas, &c. à capite ad calcem si percurras, omnia nihil propè modum invenies affirmari, quod alter statim non impium clamitet.* Subdit Beza in eadem Epist. pag. 5. *Theologi à seipsis in dies dißident, &c. menstruam fidem habent.* Vide Samuelem Maresium, qui Theologiam Calvin. sic deturpatam dicit monstrosis opinionibus, ut idioma illius non assequerentur illi, qui anteà vixerunt.

Bullingerus lib. cui Tit. Fundamentum firmum, cap. 1. pag. 5. ait: *Ipsi inter se Evangelici acriter pugnant, & audiuntur inter eos infelicia multiplicia nomina, cùm Lutheranorum, tùm Zwinglianorum commovit vehemens & implacabilis hæc dissensio non paucos, adeò ut animū veluti despondentes dicerent, se post hàc nihil ampliùs nisi quod illis libeat credituros, quinimò fidem abjicientes clamant, quid oro fidei in tot factiones distractæ tribuas.* Gregor. Major Orat. de Confusionibus Dogmatum veteribus & recentibus ait: *Simplicium animos commoveri, tentari, perturbari sat scio, adeò, ut planè dubitent, ubinam veritas inveniri poßit, & an vera Ecclesiâ usquam extet.* Si simplicium animi perturbantur, tentantur. ubinam vera sit Ecclesia; quid de viris doctis & sensatis sentiendum, quas angustias conscientiæ experiri debēt, cùm non videant veram apud se Ecclesiam, ut Paulus Eberus clarè fassus est in Præfat. Comment. Philip. in Epist. ad Corinth. dum ait: *Vniversa nostra Evangelica Congregatio tot Schismatibus & offendiculis patet, ut nihil minus sit, quàm quod se esse glorietur.*

In his primis suorum Cœtuum hominibus, quis dubitabit, non fuisse Fidem Divinam firmam, sed solùm purè humanam cum formidine ad oppositum, nec illos habuisse donum illud Cœleste veræ & vivæ Fidei, de qua Apostolus ad Corinth. 12. *Alteri datur Fides in eodem Spiritu.* Nec illam mensuram Fidei divisit DEUS inter illos, de quo idem Apostolus ad Rom. 12. Fides enim vera, nullam admit-

tit

tit formidinem, ut quis de ſua ſalute & aliorum timeat, dubitetq; in Fide cum formidine ad oppoſitum, ut patet in his, qui ideò timuerũt, ideò dubitârunt, quia non habuerunt niſi Fidem purè humanam, & ſolam opinionem. Et contrarium patet in SS. Prophetis, & alijs extraordinariè miſſis à DEO, qui ſine omni formidine ad oppoſitum, ſed vivâ Fide, commiſſas ſibi à DEO exequebantur miſſiones, & in SS. Martyribus, qui crudelia tormenta, intrepidè ſine omni cunctatione, ſubire non dubitârunt, quia DEUS inter illos menſuram veræ Fidei diviſit, excludentis omnem formidinem, ut potè veræ revelationi divinæ, quæ falli non poteſt innitentis. Unde patet, quòd prædicti homines, de ſua Fide dubitantes, nunquam mortui fuiſſent pro illa, ideò. quia ſolùm purè humanam habebant.

In gratiam ergo horum hominum ex Fide purè humana pœnas inferni exhorreſcentium, loquamur nos iterum de Eccleſia, quæ eſt *una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica* conſequenter ſola vera Eccleſia Chriſti, in qua ſola Fides viva divina, ut eſt gratuitum donum DEI, quod tamen oblatum non omnes amplectuntur, conceditur. Hæc autem vera Chriſti Eccleſia non poteſt meliùs videri, nec evidentiùs oſtendi, quàm per ſupradictas Notas. Cùm enim Chriſtus Apoſtolis prædixiſſet, multos Pſeudoprophetas in mundum venturos, ut ſeducerent multos. Matth. 24. Et Apoſtolus præmonuiſſet de hæreſibus. 1. Cor. 11. Sancti Apoſtoli Spiritu Sancto repleti, ad dignoſcendam veram, eamq; unicam Chriſti Eccleſiam, inter tot cœtus Schiſmatibus diviſos, & ſuccedente tempore varijs hæreſibus infectos (quorum quilibet veram ſe Eccleſiam habere jactitat) in ſuo Symbolo eam ſolam Chriſti Eccleſiam ab his omnibus cœtibus diſtinctam monſtrârunt, illo Articulo Symboli: *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam*, Quem Articulum Symboli Apoſtolorum magis, Primum Concilium Generale *ut ſuperiùs patuit.* explicuit, per illas duas notas, *Vnam & Apoſtolicam*. Quia SS. Apoſtoli non dixerunt, Credo Sanctas Eccleſias Catholicas, ſed Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam, ideò Concilium explicavit, hanc Sanctam Eccleſiam debere eſſe unam veram inter tot falſas, ſicut eſt una vera Fides inter tot falſas, ſecundùm illud ad Epheſ. 4. *Vnus DEVS, unum Baptiſma, una Fides.*

Dixit etiam Concilium & explicavit, Eccleſiam eſſe Apoſtolicam, ut oſtenderet, hanc unam ſolam procedere ab Apoſtolis, per continuam & legitimam ſucceſſionem, non ab alijs Auctoribus, nec à privatis hominibus, à quibus omnes, & ferè innumeri cœtus denominantur. Hæc ſola ſicut una, ita & Apoſtolica dicitur. Hæc cla-

ra explicatio veræ & unicæ Chriſti Eccleſiæ, per has notas,ab alijs innumeris cœtibus diſtinctæ, non ſine ſpeciali DEI conſilio, facta eſt in Concilio I Generali, ut videant Schiſmatici & hæretici, quòd Concilia habeant plenam poteſtatem in continua aſſiſtentia Spiritûs Sancti explicandi ſe in articulis implicitis Fidei, contra hæreticos imminente neceſſitate, de quo hæretici accuſant Eccleſiam additionis. In hoc enim Articulo Symboli, *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam*, latebat ſenſus Catholicus, unam & Apoſtolicam. Concilium ex implicito fecit explicitum, & propoſuit credentibus *unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam* credendam, ad magis dignoſcendam veram Chriſti Eccleſiam, inter tot falſas Schiſmaticorum & hæreticorum, quæ debet ſola eſſe *una Sancta Catholica & Apoſtolica*. Hæ notæ ſemper manifeſtabant, & manifeſtant Sole clariorem veram Chriſti Eccleſiam, quia nullus cœtus, tam Schiſmaticorum, quàm hæreticorum, vel unicam ex his unquam potuit habere Notam. Et ideò his Notis ab Apoſtolis traditis infenſi ſemper fuerunt hæretici, & alias diverſas ab his excogitabant, ſed non poterant probare unquam per illas, ſuam veram eſſe Eccleſiam. Ut, v. g. fuit hæc Nota excogitata: Ibi eſt vera Eccleſia, ubi prædicatur ſincerè verbum DEI. Hanc Notam ſtatim omnes Schiſmatici & hæretici ſibi appropriabant, & quilibet cœtus dicebat, & modò dicit: Apud me ſincerè prædicatur Verbum DEI. Ergo apud me eſt vera Eccleſia. Altera Nota fuit excogitata hæc: Ubi legitimè adminiſtrantur Sacramenta, ibi eſt vera Eccleſia. Similiter iterum omnes cœtus dicebant, & quilibet illorum dicit, Apud me legitimè adminiſtrantur Sacramenta. Ergo apud me eſt vera Eccleſia. Sic nihil certi omnes probare poſſunt de vera apud ſe Eccleſia. Sicut enim nullus cœtus probare poteſt, quòd apud illum ſincerè prædicatur Verbum DEI, & legitimè Sacramenta adminiſtrantur, cùm omnes id ſibi vendicent, & nullus alteri has notas cedit. Sequitur, nullum cœtum probare poſſe, quòd apud illum vera ſit Eccleſia. Nihil ergo certi haberi poteſt, de agnoſcenda vera DEI Eccleſia, niſi ex Notis Apoſtolicis, quas Apoſtoli dictante Spiritu Sancto, in Symbolo ſuo tradiderunt. Has Notas nullus unquam cœtus, nulla hæreſis potuit appropriare, cùm per illas ſola & unica Chriſti Eccleſia manifeſta appareat omnibus, qui veritatem, & animarum ſuarum ſalutem ſincerè quærunt. Has quatuor Notas Apoſtolicas & Author Tubæ propoſuit in principio libri ſui pag. 1.

Nullum melius & evidentius ſentiens medium inveniendi & cognoſcendi veram Chriſti Eccleſiam inter tot falſas, nullum efficacius docu-

documentum trahendi multos ad veram fidem, cùm per has notas veram Chriſti Eccleſiam cognoverint. Et certè, ſi veram Chriſti Eccleſiam deſcendentem ab Apoſtolis, quiſq; cognoſcere velit, eam per Notas Apoſtolicas à Spiritu Sancto in Symbolo Apoſtolorum traditas, quærere debet, non per alias recenter excogitatas, ad defendendos omnium hæreſum errores, cùm hæ Notæ recenter excogitatæ omnibus competant hæreſibus, nec una alteram illis privare poteſt, ut ſuperiùs clarè patuit.

Per has Notas Apoſtolicas, & non alias, ſicut quilibet veram Chriſti Eccleſiam agnoſcere poteſt, ita ad unitatem pervenire poteſt Eccleſiæ, extra quam nulla ſalus, quia Schiſmatici & hæretici ſunt alieni à Chriſto & ejus gratia. Schiſmata verò, ait Author pag. 5. inveterata degenerant in hæreſes, quod maximè conſiderandum omnibus. Cùm idem Author pag. 59. adducit Lutherũ Tom. 2. Germ. Jenenſ. 101. Epiſt. ad Antorp. dicentem: Tot ſunt inter nos Religiones, quot homines. Ibidem ait de multis Schiſmatibus inter diſcipulos Lutheri de ruina & interitu Lutheranæ Eccleſiæ, de varijs Schiſmatibus Proteſtantium, de impijs dogmatibus, quòd Politici Articulos Fidei cudant, & Eccleſiæ Proteſtantium obtrudant, hæc & ſimilia, cùm ſint inveterata, ait Author, & degenerant in hæreſes, veræ Chriſti Eccleſiæ competere non poſſunt. Sed plura videbis pag. 39. & ſequent.

Omnes ergo Cœtus aberrantes à vera Eccleſia conſulant S. Auguſtinum, qui veram demonſtrat Eccleſiam, extra quam nulla ſalus, dum ait lib. de Fide ad Petrum, Cap. 37. 38. 39. 40. Qui extra Eccleſiam Catholicam præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros. Idem: Qui Eccleſiæ Catholicæ non tenet unitatem, neq; Baptiſmus, neq; Eleemoſyna quælibet copioſa, neq; mors pro Chriſti nomine ſuſcepta proficere poterit ad ſalutem, quàm diù in eo hæretica vel Schiſmatica pravitas perſeverat, quæ ducit ad mortem.

CAPVT III.

Diſcurſus Authoris

Pag. 6.

I. VNa Fides Symbolo Apoſtolico contenta, in ſenſu Univerſalis Eccleſiæ intelligenda. II. Alias ab hæreticis in proprium ſenſum trahitur. III. Hinc iuxta Eccleſiæ & Doctorum SS. Patrum explicationem intel-

intelligenda: *IV. Qui Divinâ Providentiâ primis illis Sæculis Ecclesiæ dati, per quos pura Christi doctrina conservata, & ad posteritatem propagata.*

Rectè porrò *per verba Christi in universo Orbe cognoscimus & amplectimur Unitatem,* nimirùm si unam fidem istam Symbolo Apostolico contentam in sensu Universalis Ecclesiæ per universum Orbem diffusæ intelligamus. Non literam solùm fidei hujus Symbolicæ accipiamus, multò minùs in hac persistamus, ne ansam hæreticis cavillandi fidem demus. Sic Arius Alexandro Cavillationibus eum captans, proposuit Symbolum Apostolicum, quod & fecit Eunomius hæreticus.

Ruff. in expost. Symboli.

Hæretici enim simpliciter ac fideliter dicta, ad argumenta sui dogmatis trahebant, ac sua venena occultabant. &c.

Hi SS. PP. præsertim prioris Antiquitatis docent, quâ ratione *Apostolica dicta Apostolicè* intelligantur. Nam omnes quidem Scripturas prætendunt, sed non omnes habent, non secùs ac cuncti apud se gloriantur, veram esse Ecclesiam, quæ tamen apud cunctos non est. Non enim quia videntur Ecclesiæ Christi habere nomen, idcircò pertinent ad ejus Consecrationem, *ex August. Lib. de Nupt. & Concupisc.* Sic non omnes in Scripturis fundata habent dogmata, licèt omnes hoc ipsum jactitent, citant enim Apostolica, sed non Apostolicè intellecta, quemadmodum alicubi loquitur Nazianzenus. Contrà hæreticè de sola litera solliciti, interiora S. Scripturæ negligunt, vim inferentes verbis. Interiora, id est, sensum genuinum dat Catholica Ecclesia, cujus doctrinam Patres uetustiores monstrant, quod ex miro illorum consensu patet. *Numquid verisimile est, ut tot, ac tantæ (Ecclesiæ) in unam fidem erraverint? nullus inter multos eventus est unus exitus? variâsse debuerat error Ecclesiarum? cæterùm quod apud multos unum invenit, non est erratum, sed traditum* Ecclesiæ Catholicæ, quæ sola est *Columna & firmamentum veritatis.*

Meisnerus par. 3. Consult. Cathol. p. m. 403.

Tertull. lib. de Præsc. cap. 4.

1. Tim. 3.

Quare decet nos honorificè de luminibus istis Ecclesiæ sentire, qui vulgò Patres appellantur, & quidem de Classicis illis, qui mox post tempora Apostolorum exorti annorum octingentorum spatio Ecclesiæ tam Orientali, quàm Occidentali, summa cum laude præfuerunt. Horum studio & fidei primùm debetur Scriptorum Biblicorum conservatio & propagatio. Hi Commentationibus suis eadem illustrando, plurimum non tantùm sui sæculi hominibus, sed toti etiam posteritati, profuerunt, suorumq; temporum historiam accuratè descriptam ad posteros transmiserunt, eodemq; ingenti beneficio,

Georg. Milius in August. Conf. Art. 1, de Trin. fol. m. 24. b.

Orbem

Orbem Chriſtianum affecerunt. Imprimis laus debet in ipſis pro certaminibus, quæ ipſi pro tuendo Cœleſtis Veritatis depoſito, adverſus hæreticos acerrima ſubierunt. Quæ beneficia, ingrata eſſet Eccleſia ni agnoſceret; impia, niſi agnita in pretio haberet.

Diſcurſus Catholicus

Correſpondens ad Caput III. Authoris.

Quòd ſenſus declarativus veritatum Fidei, ſit ſenſus communis Vniverſalis Eccleſiæ.

OPtimum ſanè medium porrigit Author: ut quiſq; non proprio judicio, nec judicio alicujus privati hominis, vel privati cœtûs alicujus; ſed ſenſu ac judicio Univerſalis Eccleſiæ per univerſum Orbem diffuſæ. Hanc unam fidem Symbolo Apoſtolico contentam amplectatur. Sicut & Sacram Scripturam non proprio ſenſu, ſed ſenſu ejusdem Eccleſiæ Univerſalis, interpretetur. Nam qui aliter faciunt, citant quidem Apoſtolica, ſed non Apoſtolicè intellecta, ad ſua prava dogmata, quod eſt propriè hæreticorum. Senſum verò genuinum Apoſtolicorum dogmatum & veræ Fidei dat Eccleſia Catholica per univerſum Orbem diffuſa, in Concilijs Generalibus, cujus doctrinam verè Catholicam Patres vetuſtiores monſtrant, quod ex miro illorum conſenſu patet. Ut non nos, ſed Sancti Patres. ſint tam Sacræ Scripturæ, quàm Fidei noſtræ interpretes & judices, hunc modũ inveſtigandi veritatem, & dignoſcendi verum à falſo ipſemet præſcripſit DEUS in Vet. Teſt. in multis locis, ut Deut. 32. *Memento dierũ antiquorum. &c. Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Et Job. 8. *Interroga generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga Patrum memoriam, &c. & ipſi docebunt te.* Et Prov. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.* Et Jerem. 6. *Hæc dicit Dominus. State ſuper vias veſtras, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis requiem animabus veſtris.* Et Deut. 17. *In rebus difficilibus,* remittebat Deus ad Prælatos populi, *veniesq; ad Sacerdotem, &c. & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, & quæres ab eis, &c. & facies quodcunq; dixerint, qui præſunt loco, & ſequeris ſententiam eorum.* Et in Nov. Teſtam. ait Chriſtus Dominus de Prælatis Eccleſiæ: *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et *Qui non audierit Eccleſiam.* *Luc. 10.* Et Apoſtolus ad Epheſ. 4. *Ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quos-*

dam

dam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi, & reddit rationem Apostolus, quare DEUS constituit Pastores & Doctores in Ecclesia, *ut iam non simus* (ait) *parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Et 1. Corinth. 12. *Posuit DEUS in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores.* In quem locum Vincent. Lirin. libro contra hæres. cap. 4. sic ait: *Hos ergo in Ecclesia DEI divinitùs per tempora & loca dispensatos, quisquis in sensu Catholici dogmatis, unum aliquid contempserit, non hominem contemnit, sed DEUM, à quorum veridica unitate, ne quis discrepet, impensiùs obtestatur idem Apostolus 1. Corinth. 1. Obsecro autem vos Fratres, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata.* S. Athan. epist. ad Epict: *Hoc solummodò ad ea respondere sufficit, quòd ista non sint Catholicæ Ecclesiæ, neq; ista Patres nostri senserunt.* S. Basilius Hom. 18. contra Sabelli: *Dominus ita docuit, Apostoli prædicárunt, Patres observárunt, Martyres confirmárunt, satis tibi sit, ut dicas, quemadmodum edoctus es.* Idem Epist. 61: *Dogmata Patrum contemnuntur: Apostolicæ traditiones annihilantur, recentiorum hominum inventa Ecclesiis inseruntur.*

In Concilio Nicæno I. Generali; Patrum testimonio tanquam firmissimo medio usos Episcopos, testatur S Athanasius Epist ad Afros. *Episcopi non sibimetipsis adinvenientes verba, sed habentes ea à Patribus testimonia conscripserunt.* Concilium Ephesinum contra Nestorium ait: *Hoc itaq; rectæ Fidei ratio protestatur, in tali sensu Sanctos Patres fuisse comperimus.* Idem Concilium Epist. ad Nestorium ait: *Sequentes itaq; omnium SS. Patrum confessiones, quas loquente Spiritu Sancto protulerunt, & intentioni eorum æquis vestigijs inhærentes profitemur. &c.*

Concilium Chalcedonense Generale IV. Actione 2dâ, post lectum Fidei Symbolum Concilij Nicæni I., clamaverunt Patres; *Hæc est Catholicorum Fides. &c. Omnes ita credimus, Papa Leo sic credit, Cyrillus ita credit, Papa Leo ita interpretatus est, &c. quæ à Sanctis 150. Patribus exposita sunt.* Ibidem post lectum Symbolum Fidei Concil. Constant. I. simili modo clamârunt Patres, *Hæc omnium Fidei, hæc Orthodoxorum Fides.* Posteà lecta Epistola Leonis Papæ ad Flavianum Episcopum de hæresi Eutichetis, quâ perlectâ clamârunt item Patres: *Hæc Patrum Fides, hæc Apostolorum Fides, omnes ita credimus, Orthodoxi, ita credimus, anathema qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus est. &c. Hæc vera Fides, Catholici ita sacimus, hæc Patrum Fides.*

Tole-

Toletanum Concilium sub Agathone Papa Anno 684. Cap. 1. Num. 4. ait: *Maiorum institutionibus contraire, & SS. Patrum Decreta convellere, quid aliud est, quam vinculum Societatis Christi abrumpere, & usurpatæ præsumptionis licentiâ statum totius Ecclesiæ dissipare.* In Concilio Florentino contra Græcos disputatum est testimonijs SS. Patrum de processione Spiritûs Sancti. Vide Session 25. & alias.

A Concilio Tridentino in salvo conductu data est omnis facultas Protestantibus disputandi, *secundùm Sacram Scripturam, Apostolorum Traditiones, probata Concilia, Catholicæ Ecclesiæ consensum, & SS. Patrum Auctoritates,* cujus rei meminit etiam Author Tubæ pag.46., ubi ait, publicâ Fide & plenissimâ assecuratione datum fuisse hunc salvum Conductum, absq; omni dolo securitas promissa in itinere, in loco, in eundo, stando, redeundo, disputando, sub pœna nullitatis Synodi, tamen Protestantes non accesserunt nimis arduam conditionem ponentes, nempe ut ex sola S. Scriptura res controversæ decisæ fuissent, ex qua sola nihil unquam certi concludi potest, & alias septem similes conditiones apposuerunt. Sed de his fusiùs sermo inferius redibit.

CAPUT IV.
Discursus Authoris
Pag. 8.

I. NUllum in Ecclesia dogma novum, & cum tota antiquitate pugnans, recipiendum. II. Hæretici quidem Ecclesiæ dant ansam, ut nova nomina invenire debeat, non dogmata. III. Qui repudiatâ in his Ecclesiæ auctoritate sensum veterem Catholicum non recipit, non integrum Fidei recipit Symbolum.

Proindè nullum dogma in Ecclesia novum, & cum tota antiquitate pugnans recipiendum, imò diligentissimè cavendum, ne nova ac impia dogmata in Ecclesias nostras serpant. *Nobis nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere, quod aliquis de suo induxerit. Apostolos Domini habemus Auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod aliquis de suo induceret, elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignarunt.* Tertull. lib. de Præsc. cap. 6.

Ansam quidem sæpiùs dant Ecclesiæ Catholicæ hæretici, ut ad retundendas hæreticorum novellas res, locutiones novas, seu nomina invenire debeat. *Sic adversùs impietatem Arianorum hæreticorum, novum nomen Patri Homousion* (in Concilio Nicæno) *condiderunt, sed non rem*

August. Tract. 97. in Ioann.

rem novam tali nomine significarunt. Hoc enim significatur Homousion, quod est, Ego & Pater unum sumus. Christi nimirùm Ecclesia sedula ac cauta, depositorum apud se dogmatum Custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, deniq; quid unquam aliud Conciliorum Decretis enisa est? Nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentiùs crederetur: quod antea lentiùs prædicabatur, hoc idem posteà instantiùs prædicaretur: quod anteà securiùs colebatur, hoc idem sollicitiùs excoleretur. Hoc, inquam, semper neq; quicquam præterea hæreticorum novitatibus excitata, Conciliorum suorum Decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi ut quod priùs à maioribus solâ traditione susceperat, hoc indè posteris etiam per Scripturæ Chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis literis comprehendendo, & plerumq; propter intelligentiæ lucem, & novum Fidei sensum, novæ appellationis proprietate signando.



Vincent. Lirin. adv. prof. Novit. cap. 32.



Irenæ. lib. 1. cap. 2.

Exindè *cùm una & eadem fides sit, neq; is, qui multum de ea potest dicere, ampliat, neq; is, qui minùs deminorat.* malè Ariani improbârunt Catholicis, quòd in explicatione Symboli Apostolici vocem ὁμοούσιον apposuerint, cùm illud additamentum sit tantummodò *explicatio* Symboli, & *dicti Christi, Ego & Pater meus unum sumus*, non additio novi Articuli. Addunt enim literis Symboli verum sensum, quem sæpiùs novis verbis coguntur exprimere, ad hæreticorum novitates, quibus sanctam Antiquitatem depravant, retundendas. Sicq; *addita quædam videntur, per quæ novellæ doctrinæ sensus crederetur excludi.*

Cassian, lib. 6. de Incarn.

E contrà, qui repudiatâ Ecclesiæ auctoritate sensum veterem Catholicum, quem additis alijs, & pro ratione temporum, ac Hæresium novis verbis exprimit, non recipit, non integrum recipit Symbolum, non totam Fidem Catholicam. *Evacuat* potiùs *penitùs omnē Symboli fidem, omnem Spei Sacramentiq; virtutem, redeundum ergo ad viam rectam, recipiendus sensus pristinus, tenendus plenus Symboli Ordo, perfectaq; fidei veritas.* Mortuam dicere possumus fidem, cui deest sensus verus & Catholicus, qui est quasi anima fidei, à qua qui deviant, novum quasi cudunt Fidei Articulum, addunt aliquid, aut in diminutionem fidei diminuunt quippe sensum Catholicum, additamenta sua contra illum sensum obtrudendo, cui Ecclesia Catholica occurrere solet & debet. *Et necesse est illos veritatis inventione convertere, & commentis eorum apponere refutationem, non ut novum ad pietatem, quasi fidei desit semper aliquid, exquirentes, sed ut contra ea, quæ ab illis innovata sunt, excogitantes, quæ salubria iudicantur.* Cùm itaq; soli Ecclesiæ Catholicæ, Fides Apostolica ac Catholica concredita,

Concil. Chalced. in Serm. ad Marcian. Tom. 3. Concil.

dita, non aliter (illa) *probari debet, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva quod aiunt voce, quam per Epistolas posteà. Si hæc ita sunt, constat proindè, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & Originalibus, fidei conspiret, veritati deputandam, id sinè dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à DEO suscepit. Reliquam verò omnem doctrinam, de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & DEI.* *Tertull. de Præscript. adv. hæresic. cap. 5.*

Discursus Catholicus

Correspondens ad Caput IV. Authoris.

Consensus Sanctorum Patrum & Doctorum, est infallibilis regula investigandi veritates in materia Fidei, & explicandi sensum Sacræ Scripturæ, ac refutandi nova Dogmata perniciosa, veritati & Fidei contraria Catholicæ.

EXindè in alijs cœtibus ab Ecclesia separatis, nova & impia dogmata sunt introducta, quia relicto genuino sensu Ecclesiæ Catholicæ & SS. Patrum consensu, suum obtruserunt hæretici, qui sæpiùs dant occasionem, ut Ecclesia ad novellas illorum fabulas, tanquam sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, sensum verum apud SS. Patres investigare debeat, tamen nihil permutat, nihil minuit, nihil addit, non apponit superflua, sed Conciliorum Decretis enisa est, quod anteà simpliciùs credebatur, ut patet in Concilio Nicæno, contra impietatem Arianorum in Nomine Homousion, per quod facta est explicatio Symboli, & dicti Christi, *Ego & Pater unum sumus.* Hanc explicationem perpetuam in Ecclesia contra hæreticos, tam antiquos, quàm recentes, expressit Vincentius Lyrinen. adversùs prof. Novit. Cap. 32. dum ait: *Neq; quidquam Hæreticorum novitatibus excitata Conciliorum suorum Decretis perfecit Ecclesia, nisi ut quod priùs à Majoribus solâ traditione susceperat, hoc indè posteris per Scripturæ chirographum consignaret. &c. plerumq; propter intelligentiæ lumen, & novum Fidei sensum, novæ appellationis proprietate signando.* Solius ergo Catholicæ Ecclesiæ privilegium est, ut se in Concilijs contra hæreticos ad nova illorum commenta explicet: & ad hanc explicationem utitur consensu, & testimonio Patrum, quod ita semper credi-

creditum sit, quod expressit idem Vinc. Lyrin. contra prof. Novit. cap. 6. 7. 8. *Quia Patrum doctrina est interpres traditionis Ecclesiasticæ (sine qua omnes hæretici abutuntur Sacrâ Scripturâ ad defendendos suos errores) ex Patrum verò Testimonio, quid eo tempore prædicaretur agnoscimus. Successio enim doctrinas quæ vera doctrina nota est, & traditionis Apostolicæ vestigium indè deprehenditur, quòd ea, quæ à Patribus accepta sunt, & fideliter custodita, immutata permanent ut nullo modo antiquitati dogmatis novella præsumptio succedat.* Unde S. August. lib. 2. contra Julianum ait: *Quos SS. Episcopos, qui Scripturas Sanctas ingenti gloriâ tractaverunt, oportet, ut populi Christiani vestris profanis novitatibus anteponant, eisq; potiùs eligant adhærere, quàm vobis.* Ibidem exponens illud Apostoli, Non quod volo, &c. subdit: *Proponimus hic auctoritatis molem Sanctorum, qui Episcopi ante nos fuerunt.* Et posteà ait: *Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt, quod didicerūt, docuerunt, quod à Patribus acceperunt, hoc Filijs tradiderunt. Quia cuiuscunq; dogmatis,* ut docet Lyrinen. his verbis: *non debet esse auctor, sed custos, non institutor, sed sectator, non ducens, sed sequens.*

Est ergo doctrina SS. Patrum norma & regula credendorum, cui Ecclesia innititur in definiendis dogmatibus contra hæreticos, ipsis Patribus utitur, tanquam incorruptis testibus & Consiliarijs, pro hac veritate, & firmanda SS Patrum auctoritate, salutarem doctrinā adducit Author Tubæ omnibus hæreticis notandam, pag. 37. num. 4. dum ait: *Certa quædam, & quasi generalis ac regularis via, iam à maioribus tradita, & apud nos Catholicos deposita, &c quam &c* Nobis describit in præclaro suo Opere Vincent. Lyrin. in Commonit. adv. hæres. in Præfat. Cap. 1. *Si quis vellet emergentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosq; vitare, & in fide sana, sanus atq; integer permanere, duplici modo munire Fidem suam DEO adiuvante deberet, Primò legis auctoritate, tùm deindè Catholicæ Ecclesiæ Traditione, quia videlicet S. Scripturam pro ipsa sui altitudine, non uno eodemq; sensu universi arripiunt. &c. Aliter enim Novatianus, aliter Photinus, & uterq; fuit hæreticus.* Num. 5. ait ex eodem Lyrin. *Idcircò multum necesse est, propter tantos tam varij erroris anfractus, ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea secundùm Ecclesiastici & Catholici sensûs normam dirigatur. Nempè ut id teneamus, quod ab omnibus creditum est. Hoc ita demùm fit, si sequemur universitatem, antiquitatem, & consensionem, sequemur autem universitatem hoc modo, Si hanc unam Fidem veram esse fatemur, quam tota per Orbem terrarum confitetur Ecclesia; Antiquitatem verò ita, si ab illis nullatenùs sensibus recedamus, quos SS.*

Maiores

Maiores, & Patres noſtros celebráſſe manifeſtum eſt. Conſenſionem quoq; itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium Sacerdotum, pariter & Magiſtrorum definitiones, ſententiasq; ſectemur. Eandem materiam fusè proſequitur pag. 38. N. 6. & 7. & pag. 39, 40, 41, 42. Et pag. 39. & Origenem in exemplum adducit, qui dum DEI gratiâ abutitur, dum ingenio ſuo indulget, ſibiq; ſatis credit, dum parvi pendit antiquam Chriſtianæ Religionis ſimplicitatem, dum ſe plus cunctis ſapere præſumit, dum Eccleſiaſticas traditiones, & Veterum magiſteria contemnens, quædam Scripturarum Capitula, novo more interpretatus, &c. miſerè cecidit. Sic de omnibus exiſtimandum; quicunq; more Origenis proceſſerunt, recedentes à SS. Patribus & Eccleſiaſtica Traditione; Undè gravis error patet eorum, qui in Concilio Tridentino, ex ſola S. Scriptura diſputare voluerunt, nec voluerunt admittere SS. Patres & Eccleſiaſticam traditionem, cùm absq; his duobus nihil certi ex S. Scriptura haberi poteſt, ut per ſe patet, quomodo diviſi cœtus, & penè innumerabiles, unusquisq; ad ſuos errores, trahit S. Scripturam, patet etiam non obſcurè, qui habet veram fidem, ſi habet illam, quam tota per Orbem terrarum confitetur Eccleſia.

Undè benè advertit Author Tubæ, dum p. 9. N. 2. ſic ait: Anſam quidem ſæpiùs dant Eccleſiæ Catholicæ hæretici, ut ad retundendas hæreticorum novellas res, locutiones novas ſeu nomina invenire debeat.

CAPUT V.

Diſcurſus Authoris

Pag. 11.

I. HÆreticorum eſt, ſemper addere aliquid fidei. II. Aliud eſt additamentum, aliud explicatio veteris fidei: illud hæretici, hanc Eccleſia Catholica adhibet. III. Idq; exemplis comprobatur de Filio, DEO Patri ὁμοουσίῳ, de Proceſſione Spiritûs Sancti. IV. Proceſſio Spiritûs Sancti & à Filio, probatur Conciliorum & SS. Patrum teſtimonijs. V. Miranda eſt pertinacia Græcorum, nec minor eſt obſtinatio Sociniſtarum, Anabaptiſtarum ſeu Mennoniſtarum, Quakerorum, &c. qui ſe toti Eccleſiæ Catholicæ eiusq; fidei opponunt. VI. Hi minimè audiendi, etſi meris Scripturæ vocibus loqui videantur.

Quare hæreticorum eſt, addere ſemper aliquid Fidei, neq; cuivis privato concedendum, ut Eccleſiam inſimulet additionis & diminutionis in Fide, eo enim ipſo Eccleſia proſtituta, hæreſeos condemnatur.

Aliud eſt additamentum, aliud explicatio veteris Fidei: aliud res nova, aliud res vetus, novo Vocabulo inſignita. Explicatio alicujus Articuli Fidei Apoſtolicæ, non eſt additio rei novæ, ſed veteris, & implicitæ rei dilucida expoſitio: Eccleſia enim Catholica ſenſim, ut homo ætate, temporisq; progreſſu, proficere debuit (poſt ſublatos Doctores Apoſtolicos) in Fidei doctrina, & traditione Scripturæ ac Patrum, ut hæreſibus ingruentibus diſertè magis ac explicatiùs exponeret, quæ anteà implicitè credidit.

Undè ſi in Concilio Nicæno Eccleſia Catholica magis explicitè fidem expoſuerit, quàm in Symbolo Apoſtolico: In Synodo Conſtantinopolitana magis diſertè, quam in Nicæna: In Synodo Conſtantinopol. III. magis dilucidè, quàm in Synodo Conſtantinopol. II. fidem definierit, illud omnino profectui illius adſcribi putamus. *Sicut* adoleſcens fidelis, qui priùs credenda Eccleſiæ implicitè agnovit, cum ætate in doctrina Fidei, tam ex S. Scriptura, quàm ex Doctoribus Catholicis proficit. Quare ſi Eccleſia Catholica, nunc paulò exſertiùs aliquid definit, in fide Apoſtolica, non rem novam definit; ſed rem veterem explicatiùs demonſtrat, quæ priùs implicitè ab omnibus credita eſt, modò Eccleſia hodierna non definiat, quod eſt contrarium Antiquitati Orthodoxæ. Sic in primitiva Eccleſia Dominus JESUS Chriſtus non expreſsè Patri *ὁμοούσιος* dictus eſt, ſed nec ejus contrarium fuit traditum. Hinc etiam minimè probandi Græci, qui Eccleſiam Occidentalem, quòd addidiſſe viſa ſit Voculas has in Symbolo Conſtantinopolitano, in Articulo de Proceſſione & miſſione Spiritûs Sancti *& à Filio*, falſitatis & additionis novæ arguere non ſint veriti: cùm tamen non ſit novæ rei additio, ſed expreſſio ſenſûs Catholici, cujus contrarium nunquam in Eccleſia veteri definitum. Eccleſia Catholica Fidei fida cuſtos, hunc ſenſum à Chriſto & Apoſtolis accepit, quem additis verbis his, *Filioq;* ſuis communicat. Nam miſſionem Spiritûs Sancti *etiam à Filio*, ita per Proceſſionem explicavit Eccleſia Catholica, in Symbolo Athanaſij, in Concilio Alexandrino, ex quo Concilio Cyrillus Alexandrinus ad Neſtorium Epiſtolam ſcripſit, in qua expreſſa ſunt verba hæc: *Spiritus appellatus eſt Veritatis, Veritas autem Chriſtus eſt, undè & ab iſto ſimiliter, ſicut ex Patre procedit.* Hæc Epiſtola, quæ habetur in Concilio Oecumenico Tom. 1. Cap. 14., eſt approbata, tam ab ipſo Concilio Epheſino, quàm à IV. Synodo Act. 5., & à V. Synodo Act. ultimâ, & à VI. Synodo Act. 17., & à VII Synodo Act. 7. Atq; hæ Synodi maxima ferè ex parte ex Græcis fuerunt, fuitq; communiſſima & conſtantiſſima pri-

S. Cyrill. Alex. in Concilio Epheſino Generali Tertio.

oris

oris ævi SS. Patrum sententia, tam Græcorum, (*Athanasius in Symb: Spiritus S. à Patre & Filio non factus &c. sed procedens: & hoc Symbolum lectum in Conc. Tolet. IV. Can. I. An. 633., ante Schisma Græcorum*) quàm Latinorum, & convicti sunt hac in re Græci sæpiùs, ut potè in Concilio apud Barum, Anno M.XC. item Anno 1215. in Concilio Lateranensi Cap. 4. Porrò Lugduni in Concilio, ubi Græcis consentientibus cantatum est Symbolum, cum additione *Filioq;* ter Græcè, ter Latinè. Deniq; in Concilio Florentino ad 1438.

Miranda hic sanè est pertinacia Græcorum illorum, qui potissimùm huic veritati repugnantes, unitatem Ecclesiæ rescindere non dubitârunt. Nec minor est obstinatio, immo & malitia Socinianorum, Anabaptistarum seu Mennonistarum, Quakerorum, & aliorum, qui toti Ecclesiæ Catholicæ ejusq; fidei in tot Oecumenicis Concilijs confirmatæ & stabilitæ, sua figmenta, deliramentaq; obtrudentes resistunt. Hos non curemus, quidquid de novis Fidei additamentis nobis oggan[n]iant, cùm extra Ecclesiam se posuerint, atq; apud ipsos nulla sit fides Christiana, quippè quæ sensu Ecclesiæ Catholicæ, quæ anima Fidei, destituta est. Quomodo ergo poterunt de nostra Catholica Fide aut de ejus additamentis judicare? Qui nos eosdem audire debeamus? Qui Ecclesiam, ejus unitatem, doctrinam, judiciumque respuunt. Christus præcepit Ecclesiam audire, quam qui non audit, sit velut Ethnicus & Publicanus.

Etiam de alijs omnibus hæreticis idem sentiendum, qui se per hæreses extra Ecclesiam Catholicam posuerunt.

Discursus Catholicus

Correspondens ad Caput V. Authoris.

Sensus Explicitus ex Implicitis declaratus, quo Ecclesia Catholica utitur ad refutandos Hæreticorum errores, nihil novi in materia Fidei addit.

HOc semper fuit vitium omnium Hæreticorum, qui cùm se per Schismata & hæreses separaverint ab Ecclesia Universali, aliquid addunt vel minuunt in Fidei destructionem, & hoc indè provenit, quia cùm secundùm Apostolum ad Tit. 3. *subversi sunt, & proprio judicio* (per superbiam) *condemnati*, repudiatâ Ecclesiæ Catholicæ auctoritate, & sensu veteri Catholico rejecto, etiam unanimi consensu SS. Patrum & Doctorum Ecclesiæ, Pastorumq; illius, quos *posuit Spiritus Sanctus ad regendam Ecclesiam DEI*, Act 20. illosq; audiendos præcepit, tum Ecclesiasticâ Traditione repudiatâ in explicanda Sacra

Scriptura, suum sensum obtrudunt. & licèt meris Scripturæ verbis loqui videntur, tamen subdolè agunt, quia secundùm proprium sensum Sacrâ Scripturâ abutuntur, ad defendendos suos errores, multa sunt exempla, tam de antiquis, quàm recentibus hæreticis, in Controversistis, qui satis clarè illorum fraudes in abusu Scripturæ propalârunt, ex hoc abusu Sacræ Scripturæ falsa dogmata, novos Articulos Fidei cudunt, & incautos decipiunt, contra quos, cùm se Ecclesia in Concilijs explicat, & illorum commenta condemnat, accusant Ecclesiam additionis, vel diminutionis in fide. Undè benè Author in præcedenti Discursu ait, neq; cuivis privato concedendum est, ut Ecclesiam insimulet additionis vel diminutionis in Fide: Aliud enim est additamentum, aliud explicatio veteris Fidei. Additamentum enim est, quando hæreticus, postquam recesserit ab Ecclesia, tanquam privatus, secundùm suum sensum, contra sensum SS. Patrum, explicat perversè Scripturam pro suo errore. Explicatio verò est veteris Fidei, quando Ecclesia rem veterem explicatiùs demonstrat, quæ priùs implicitè ab omnibus credita est, est expressio sensûs Catholici in Concilijs, cujus contrarium Ecclesia nunquam tenuit. Patet hæc explicatio statim ab initio Ecclesiæ. Nam in Symbolo Apostolorum sic legimus: *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Concilium Nicænum Generale Primum, explicavit magis Symbolum Apostolorum, & expressit sensum Catholicum, qui in Symbolo Apostolico latebat, *Unam & Apostolicam.* Ex quo enim Fides Catholica processit ab uno Authore JESU Christo, debet esse Una, secundùm

Ephes. 4. illud, *Unus Dominus. Una Fides*, illam verò acceptam à Christo primò cùm prædicarent per Orbem Apostoli, debet dici Apostolica. Ergo Concilium per hanc explicationem nihil novi apposuit, sed quod implicitum erat, expressiùs exposuit, secundùm exigentiam fidelium, & fidei conservandæ adversùs insultus hæreticorum. Si enim DEUS non providisset Ecclesiæ hoc medium explicandi se contra hæreses, cùm hæretici pugnando cum Ecclesia spargunt suos errores, & fingunt, quidquid illis ex proprio capite placet, & multos inficiunt suâ hæresi. Ecclesia verò si se non explicaret, nec condemnaret hæreses, fideles nescirent, quos ut hæreticos cavere deberent, sic prævalerent hæreses contra Ecclesiam, quæ sunt portæ inferi. Etiam in alijs sequentibus Concilijs explicabat se semper Ecclesia ut etiam in præcedenti Discursu ostendit Author de processione Spiritûs Sancti Num. 4. ubi SS. Patres & varia Concilia adducit de processione Spiritûs Sancti à Patre & Filio. Cùm enim Græci negarent processio-

nem

nem Spiritûs Sancti à Filio, fundabant se in illis verbis, in Symbolo Constantinopolitano, *Qui à Patre procedit.* Cur autem Concilium Constantinop. non adjecerit à Filio, sed satis esse censuerit protunc dicere, *qui à Patre procedit* Ratio hujus: Quia eo tempore dubium non erat, an Spiritus Sanctus à Filio procederet, id enim hæretici concedebant, ut constat ex S. Basilio lib. 2. ad Eunomium; sed dubium erat de Patre, à quo alienum omninò Spiritum Sanctũ tanquam solius Filij hæretici esse dicebant. Concilium autem ut remedium morbo adhiberet, id posuit in Symbolo quod necesse erat. Scilicet à Patre procedere Spiritum Sanctum, cujus processio tunc à Filio non negabatur. Illa autem particula *Solo* adjectio erat Jeremiæ Patriarchæ, ut diceret, qui à solo Patre procedit; Concilij verò, *qui à Patre procedit.* Addidit ergo prædictus Patriarcha, sed in diminutionem veræ fidei, & secundùm suum sensum novum condidit articulum, contra sensum Catholicæ Ecclesiæ, quem cum tot Concilijs contrarium tenuit, & determinavit Ecclesia cum idem sentientibus SS. Patribus, ut ex superiori Discursu Authoris patuit.

Si Authores Schismatum & hæresum hoc benè perpendissent, quòd Ecclesia Catholica habeat Jus Naturale explicandi se contra nova illorum dogmata, vel cùm aliquid implicitè ad credendum negant, explicitè illud credendum proponit, nunquam Ecclesiam accusarent erroris, & in hoc vel maximè decepti sunt omnes hæretici, cùm aliquid negant, vel suum sensum Ecclesiæ obtrudunt. Ecclesia se contra illos explicans, illorum hæreses condemnat, de quibus Vinc. Lyrin. locum 1. Tim. 6. explicans contra Proph. vocũ novit., ait: *Quis unquam hæreses instituit, nisi qui se prius ab Ecclesiæ Catholicæ Universitatis & Antiquitatis consensione discreverit* Ad has verò suas hæreses ut plures trahant, & incautos decipiant, duas alias fraudes ab initio suæ hæresis præcipuè exercent hæretici. Prima. Dicunt se in multis sentire cum Catholicis, & illa parva esse, nec nocere integritati Fidei, in quibus dissentiunt, ut paulatim separent Cœtus ab Ecclesia ad suam hæresim. Sic Ariani dicebant, in parva re dissentire à Catholicis, tantùm in uno verbo, Homousion. Alia fraus. Simulant se SS. Patres venerari, & illorum sequi doctrinam, obscuriora dicta illorum in suam partem trahentes, hoc expressit Vinc Lirin cap. 11. sic: *Captant plerumq; veterum cujuspiam Viri Scripta, paulò involutius edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant, ut illud nescio quid, quodcunq; proferant, ut neq; primi, neq; soli sentire videatur.* Cùm verò jam multos in suos errores traxerint, quasi testimonijs SS.

 Patrum,

Patrum, cùm autem ex SS. Patribus fraus illorum à seductis deprehenditur, quòd Patres non pro illis, sed contra illos ubiq; loquantur, & ubiq; illorum falsa dogmata condemnant, & perversam doctrinam illorum omnibus manifestam faciunt, loco honoris, quem ab initio Patribus ficto animo deferebant, ut eò plures ad suas hæreses traherent, erroris, fallitatis, & superstitionis SS. Patres arguunt, tantoperè, ut quantum simulatæ & fictæ reverentiæ Patribus detulerint, tantum veræ contumeliæ in illos effutiunt, ut Patrum veridicas sententias de fraudibus illorum obtenebrent. Expressit hoc S. Augustinus contra Julianum, dum ait: *Tam sunt graves Patrum Sententiæ, ut te videam sub earum onere laborare. quia graves, quia onere premunt veritatis, ideò reijciendæ, ut confusio sequatur, ut pro luce veritatis, recipiantur tenebræ falsitatum.* Et lib. 1. cap. 2. contra eundem ait: *Convinceris undiq;, luce clariora sunt testimonia tanta Sanctorum.* S. Basilius testatur, quòd nihil magis formident hæretici, quàm hoc: quandò non unum & alterum, sed multitudinem Doctorum & Patrum illis objiciunt Catholici. Undè ad Eunomium sic ait: *Eorum qui nati sunt eo tempore, quando capit prædicari Evangelium, nullam rationem habebimus dignitatis eorum, qui omnigenis donis spiritualibus claruerunt, quibus tu omnibus inimicam & adversam hanc viam impietatis recens excogitasti; sed clausis in totum animi oculis, & omnium Sanctorum memoriâ ex mente eiectâ, otiosum ac purgatum cor suum, quisq; inductionibus & Sophismatibus tuis supponemus. Magnam profectò potentiam nactus fueris, si qua varijs suis insidijs diabolus non sit assecutus, ea assequi tibi contingat, ut Traditionem, quæ apud Sanctos obtinuit, vestro invento impio viliorem iudicemus.* Alij privatum lapsum alicujus detegentes, SS. Patrum voluerunt infirmare doctrinam, ut Donatistæ ex lapsu S. Cypriani oppugnabant Ecclesiam, quibus sic S. August. lib. 2. contra Crescon. cap. 32. respondet: *Eius Viri* (scilicet S. Cypriani) *cuius laudem consequi non valeo, cuius multis libris mea Scripta non comparo, cuius ingenium diligo, cuius ore delector, cuius charitatem miror, cuius martyrium veneror, hoc quod aliter sapuit, non accipio: non accipio, inquam, quod Beatus Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua Beatus Cyprianus sanguinem fudit.* Pulchrè Tertullianus privatos aliquorum lapsus excusat, lib. de Præscript. cap. 3. dum ait: *Ex personis probamus Fidem, an ex Fide pers nas, quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si Vidua, si Virgo, si Doctor, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit, ideò hæreses veritatem videbuntur obtinere.* His & alijs plurimis fraudibus, hæretici volentes infirmare doctrinam Patrum,

varijs illos afficiendo contumelijs, ut omnibus notum est, seipsos loco illorum, tum Doctores, tum Apostolos, tum Evangelistas constituebant. S. Irenæus lib. 3. cap. 2. & lib. 5. cap. 17 scribit de Gnosticis Hæreticis tempore Apostolorum, qui se solos jactabant sapere, ipsis quoq; Apostolis se præferendo, & erant pessimi hæretici, ut notum est omnibus. Samosatenus hæreticus ex Euseb. in Histor. Eccles. lib. 7. cap. 24. seipsum magnoperè efferens, in Verbi DEI interpretes petulanter debachatus est. Idem fecit Arius, teste Theodor. lib. 1. Histor. cap. 4. Nestorius totam Ecclesiam traducebat, cùm diceret, se solum intelligere S. Scripturam. Ex Synodo Ephesina & Lirinen. lib. cont. Proph. voc. Novit. cap. 24. Eutychetis Hæresiarchæ hæc vox fuit in Concilio Chalced. Act. 1. se solas Sacras Scripturas sectari. Jacobitas Hæreticos rejecisse omnes veteres Patres, scribit Nicephor. lib. 18. cap. 25. Manichæus dicebat se Apostolum JESU Christi, ut patet ex Epist. S. August. contra eundem cap. 5. Alij, alia sibi imposuerunt nomina, & vocârunt se Prophetas, Isaiam, Jeremiam, Evangelistas; sed vita illorum minimè correspondebat his officijs, nam fuit impura & criminosa, prout ipsimet sibi ad invicem varia crimina exprobrabant. Qui ergo vult agnoscere veritatem, nec falli fraudibus hæreticorum, consideret connexionem Ecclesiæ Primitivæ, quomodo illa venerabatur doctrinam SS. Patrum, & illorum testimonijs explicabat se contra hæreticos. Sic antiqui hæretici cum modernis habent connexionem, quia sicut illi SS. Patres reijciebant, & contumelijs afficiebant, idem & moderni faciebant, & tamen in hoc etiam infideles inveniuntur: Nam quando cum Catholicis disputant, reijciunt Patres; cùm autem contra alios hæreticos, assumunt testimonia SS. Patrum. Et quando volunt, illos recipiunt, quando volunt, reijciunt. Sic Lutherus in Cap. 5. ad Galat. ait: Hilarius, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, Evangelium & fidem in Christum, absq; ulla hypocrisi purè & simpliciter tradiderunt, hæreticis restiterunt. Melanch. contra Anabapt. & lib. de Cæna Domini ait: Existimo, ad confirmandas mentes consensum vetustatis plurimùm valere optimi Magistri, atq; duces nobis esse possunt, Irenæus, Tertullianus, Augustinus, qui plurima hujus generis posteritati reliquerunt. Illyric. in Præfat. suarum Demonstrat. Sanè verissimum & indubitatum est, quòd nisi Ecclesia DEI sinceriq; Doctores, ac Sancta Concilia, tunc istis adeò claris expressis verbis Essentiæ hypostasis Consubstantialitatis in declaranda Filij DEI Divinitate, nisi fuissent, &c. nunquam profectò satis explicatum fuisset, quid-

Hamus pro simplicibus.

quidnam esset aut non esset mysticum illud verbum. Calvinus in Epist. ad Sadoletum ait: Statue tibi ob oculos veterem Ecclesiæ faciem, qualem Chrysostomi aut Basilij ætate apud Græcos, Cypriani, Ambrosij, Augustini sæculo apud Latinos extitisse, ipsorum munimenta fidem faciunt. Idem lib. 3. Instit. cap. 3. Sect. 10. Neq; opus



est multum investigando laborare, quando unus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter magnâq; diligentiâ omnium sententias collegit. ex illo igitur sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis habere certi volunt. Gravina fol. 9. Et in alio loco idem adversarius eosdem SS. Patres contumelijs affecit, singulis errores objiciendo. Idem præcipuus adversarius alibi dixit Lutherus: Protestor, me prorsùs nihil dicere aut retinere velle, nisi quod in & ex sacris literis primò, dein dè ex Ecclesiasticis Patribus ab Ecclesia Romana receptis, hucusq; servatis, & ex Sacris Canonibus ac Decretalibus Pontificijs habetur, & haberi potest. Postquam verò multos traxerit post se, hâc suâ simulatione, quasi in honore haberet Patres & Sacros Canones, idem alibi hæc protulit: Quamdiù consistimus in Concilijs, & Patribus, semper versabimur in ijsdem erroribus; & posteà Jus Canonicum combussit. Combinet hæc quisq; si potest, cùm ex uno ore, ab uno homine, tam diversa prodierunt, & laus SS Patrum, & contumelia. Respondet ad hæc S. Bernardus Epistolâ 190. *Quid secretius tibi revelatum iactas, quod tot prætererit Sanctos, effugerit sapientes, tu verò de tuo nobis tradis, & à nemine accepisti, qui loquitur mendacium, de suo loquitur.* S. Basilius Epist. 61. *Dogmata Patrum contemnuntur, Apostolicæ traditiones annihilantur, recentiorum hominum inventa Ecclesiæ inferuntur.* Vincent. Lirin. de hæreticis sui temporis hæc scribit cap. 14. *Nobis authoribus, nobis principibus, nobis expositoribus damnate, quæ tenebatis, rejicite antiquam Fidem, paterna instituta, maiorum deposita; & recipite, quanam illa? horreo dicere.* S. Augustin. Con. 3. in Psalm. 30. ait, *Contradicunt multis linguis, diversæ hæreses, diversa Schismata personant, tu curre ad tabernaculum, Ecclesiam Catholicam tene, à regula veritatis noli discedere, & protegeris à contradictione linguarum.* Hæc de doctrina SS. Patrum, quibus Ecclesia semper utitur tanquam *Pastoribus & Doctoribus, ad Eph. 4.* sibi Divinitùs concessis, tanquam Consiliarijs & incorruptis testibus, cùm se contra hæreticos explicat. Undè benè ad nostram rem pag. 7. ai Author: Sensum genuinum dat Catholica Ecclesia, cujus doctrinam Patres vetustiores monstrant, quod ex miro illorum consensu patet. Et inferiùs ait: *Quod apud multos unum invenit, non est erratum,*

erratum, ſed traditum Eccleſiæ Catholicæ, quæ eſt *Columna & Firmamentum veritatis*. 1. Tim. 3. Reſpondemus itaq; omnibus SS. Patrum calumniatoribus, quicunq; à primordijs Eccleſiæ uſq; ad hoc tempus, illorum ſanctitatem, doctrinam, & auctoritatem magiſterij Divinitùs conceſſi calumniati ſunt. Fatemur ingenuè, aliquos ex Patribus, ex communi infirmitatis lege, humani interdum aliquid paſſos, & ante determinationem Eccleſiæ aliter aliquid ſenſiſſe, vel locutos eſſe, verùm fidem non tangebant; ſed vel conſequentias indè deductas, vel quæſtiones particulares facti, vel juris, vel explicationẽ alicujus Scripturæ circa myſticos ſenſus, aliquando fidem tetigerunt, ſed circa veritates nondum ab Eccleſia definitas, eo tamen animo, ut ubi ſcirent judicium Eccleſiæ, gratanter ſuſceperunt Decreta Eccleſiæ, ut patet in S. Cypriano, ratione Baptiſmi hæreticorum, nunquam tamen ab unitate Eccleſiæ ſe ſeparârunt. Undè optimè S. Auguſtinus Serm. 14. ait: *Ferendus eſt diſputator errans in alijs quæſtionibus non diligenter digeſtis, nondum plenâ auctoritate Eccleſiæ firmatis, ibi ferendus eſt error, non tamen tantum progredi debet, ut etiam fundamentum ipſum quatere videatur.* Sed quid hoc ad infringendam graviſſimam illorum auctoritatem, etſi enim aliqui in quibusdam ex infirmitate errârunt, nunquam tamen ab unitate Catholicæ fidei aberrârunt, ſed ſuum privatum ſenſum corrigentes, communi conſenſui Eccleſiæ ſubjecerunt, quod expreſſit S. Auguſt. de S. Cypriano contra Creſc. cap. 31. dum ait: *Quamdiù aliter ſapuit Cyprianus, ſi ſcripta ejus eſſe conſtat &c. unitatem pacemq; Catholicam etiam cum Collegis ſuis &c. non reliquit &c.* Et alibi ait: *In Catholica unitate permanſit, & charitatis ubere compenſatum eſt, & paſſionis falce purgatum eſt.* (a) Licet ergo calumniatores SS. Patrũ, non ſemel volebant probare, errâſſe Patres nunquam probare poterant, nec unquam illorum calumnijs SS. Patrum violata eſt vel violanda auctoritas. Undè appoſitè ad noſtrum intentum Author Tubæ pag. 40. adducit ex Lirinenſe l. c. c. 4. n. 23 Concil Epheſinum Generale III., in quo de Patribus ſedentibus in Concilio, ait Lirinen: *hoc catholiciſſimum, feliciſſimum, atq; optimum viſum eſt, ut in medium SS. Patrum Sententiæ proferrentur. Hâc ratione Neſtorius Catholicæ univerſitati contrarius, beatus verò Cyrillus Sacroſanctæ antiquitati conſentaneus judicatus eſt. Et compertum eſt, tunc in iſto Concilio, neminem ex tot doctiſſimis, & magni nominis magnæq; auctoritatis Prælatis, qui eò convenerant, auſum non eſſe, aut præſumpſiſſe quicquid ex proprio ingenio promere, ſed omnes præcaviſſe, ne aliquid poſteris traderent, quod ipſi à Patribus non accepiſſent.* Sic S. Athanaſi-

(a) *Qui objiciunt errores Patribus hanc injuriam redũdare in Chriſtum, acſi non ſtetiſſet Verbo, qui promiſerat per Apoſtol. ad Epheſ. 4 Eccleſiæ Paſtores & Doctores ad cõſummationem Sanctorũ, &c. ut non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominũ, redundare etiam in Spiritum S. hanc injuriam, qui Act. 20. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI.*

ium contra Arianos veterum Patrum traditione processisse scribit Socrates lib. 6. cap 20. Author Tubæ pag. 41. de hac re sic iterum agit: *Et ipsi Romani Pontifices &c. hoc strictim observarunt.* Ita Hormisda in explicatione mysterij Incarnationis Domini, provocat ad veterum definita; Leo & Concilium Ephesinum non recedunt à veterum Patrum traditione; Agatho Rom. Pont. ad Apostolicorum prædecessorum definita, & eorum fidem traditam. Sic Innocentiũ I. ☞ Rom. Pontif. Orientales Episcopi in dubijs fidei rebus consuluerunt, non ut nova præcepta daret, sed tradita à Petro Romanæ Ecclesiæ, quæ Apostolicas traditiones diligentissimè servavit, & benè custodita alijs communicare poterant. *Videantur de hac re Acta Synodi VI. Generalis.* Idem Lirinen. cap. 2. v. 3. ait: *Id teneamus quod ab omnibus creditum est. Sed hoc ita demùm fit, si sequamur universitatem, antiquitatem, & consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo:* ☞ *si hanc unam fidem veram esse fatemur, quam tota per Orbem terrarum confitetur Ecclesia: antiquitatem verò ita; si ab illis nullatenùs sensibus recedamus, quos SS. Maiores & Patres nostros celebrâsse manifestum est. Consensionem quoq; itidem: si in ipsa vetustate omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiasq; sectemur. Quid igitur faciet Christianus Catholicus, si se aliqua Ecclesiæ particula ab universalis fidei communione præciderit, quid utiq; nisi ut pestifero corruptoq; membro sanitatem universi Corporis anteponat? Quòd si novella aliqua contagio &c. Ecclesiam commaculare conetur? tunc item providebit, ut antiquitati inhæreat, quæ prorsùs iam non potest ab ulla novitatis fraude seduci; quòd si in ista vetustate duorum aut trium hominum &c. error deprehendatur? tunc omninò curabit, ut paucorum temeritati vel inscitiæ, si quæ sunt, universaliter antiquitùs Universalis Ecclesiæ Decreta præponat, &c. tunc operam dabit, ut collatas inter se maiorum consulat atq; interroget sententias: eorum duntaxat, qui diversis licèt temporibus & locis, in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione & Fide permanentes, Magistri probabiles extiterunt.* Econtra verò, quicunq; hæreticos cognoscere volunt, & hæreticam doctrinam vitare desiderant, auro notandam dorinam prædicti Lirinensis ipsi quoq; notent, & diligenter observent, qui c. I. omnes hæreticos & doctrinam hæreticam mirificè delineavit, dum ait: *Quidquid verò, quamvis ille sanctus & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor ac Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias, ac occultas, & privatas opiniunculas, à communis, publicæ, ac generalis scientiæ auctoritate secretius sit. &c. iuxta sacrilegam hæreticorum ac Schismaticorum consuetudi-*

suetudinem universalis dogmatis, veritate dimissâ, unius hominis noviti- um testemur errorem. Consideret benevolus Lector præclaram do- ctrinam Vincent. Lirinen. contra omnes hæreticos, qui relictâ uni- versâ dogmatis veritate, sua commenta noviter excogitata obtru- dunt Ecclesiæ. Si enim nec Sancto cuivis, nec docto, nec Episcopo, nec Confessori, nec etiam Martyri, licet præter omnes & contra o- mnes sentire; quid sentiendum de hominibus privatis criminosis, va- rijs vitijs infectis, qui seipsos ad docendum intruserunt, qui seipsos adinvicem hæreseos damnârunt, qui in multis sibi ipsis contrarij fue- runt, qui manifestos, multos, crassosq; errores commiserunt, qui anti- quas hæreses suscitârunt. Unde cuilibet debet esse illa vox suspecta Lutheri, ut Catholicæ antiquitati contradictoria & veritati: Valdè speciosum & robustum videtur argumentum Papistarum, Ecclesia tot sæculis sic sensit & docuit, sic senserunt & docuerunt omnes primiti- væ Ecclesiæ, Doctores, Viri sanctissimi, quis es tu, qui audes ab eis dis- sentire. &c. & illa similis huic. Satis esse queat adversus omnium Pontificum, Patrum, omnium Conciliorum sentias. Sed redeamus ad superiorem Discursum Authoris de Græcis.

In Concilio Florentino Generali, cùm Græci optarent unionem cum Ecclesia Romana, iterum disputantibus & objicientibus Vocem Symbolo *Filioq;* additam, illicitam esse. Quomodo illis responsum, vide Sessiones plures eiusdem Concilij. Inter multas alias responsi- ones hæ etiam habentur: Spiritus S. procedit ex Patre, ut conceditis, ergo etiam ex Filio, quia auctoritate Scripturæ, & SS. Patrum testi- monio, omnia bona essentialia Patris, sunt bona Filij, juxta illud Jo- ann. 17. *Mea omnia tua, & tua mea sunt.* Secundò responsum est. Expositiones, per quas fides magis exponitur & explicatur, non solum sunt licitæ, sed etiam necessariæ ad confutandos hæreticos. Ergo ex- plicatio verborum illorum Filioq; veritatis declarandæ gratiâ, & im- minente tunc necessitate, licitè & rationabiliter Symbolo fuit appo- sita, probatur anteceden. Symbolum Apostolorum magis explica- tum est per Nicenum Concilium I., Concilium enim in Symbolo contra Arium explicuit se his verbis: Credimus in unum DEUM Patrem Omnipotentem &c. Et in unum Dominum JESUM Chri- stum, Filium DEI, ex Patre natum unigenitum, id est, ex Substan- tia Patris, DEUM ex DEO, Lumen ex Lumine, DEUM verum ex DEO vero, natum, non factum, consubstantialem Patri. *Eos au- tem* qui dicunt, erat aliquando, quando non erat, antequam nasce- retur non erat, &c. vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem

Filium

Filium DEI, anatematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia. Hæc omnia minimè reperiuntur in Symbolo Apoſtolorum explicitè. Idem enim Arius, cùm ex illo loco S. Scripturæ, *Pater maior me eſt*, concluderet, DEI Filium creaturam eſſe, non tantùm licitum, ſed neceſſarium fuit, ut Patres explicarent Symbolum Apoſtolorum ſuprà dicto modo, & declarent, quâ ratione major Pater Filio, quâ eidem æqualis eſſet, eadem ſemper eſt neceſſitas, explicandi ſe, quoties nova exoritur hæreſis. In eodem Symbolo Concilij Nicæni legimus, Credimus in Spiritum Sanctum; ſed cùm exſurgeret hæreſis, & diceret, Spiritum Sanctum non à Patre, ſed à Filio procedere, Concilium Conſtantinopolitanum Generale II. explicavit ſe contra illam hæreſim his verbis: Qui à Patre procedit; cùm hæc verba nec in Symbolo Apoſtolorum, nec in Nicæno primo inveniantur explicitè. Quod autem licuit Patribus & Paſtoribus primitivæ Eccleſiæ, idem non eſt negandum poſteriorum Sæculorum ordinarijs Paſtoribus, quia Chriſtus promiſit, ſe affuturum Eccleſiæ *uſq; ad conſummationem ſæculi*, deindè univerſus Orbis veneratur hæc duo Concilia, Nicænũ I. & Conſtantinopolitanum, nec ullus reprehendit illa de additione, exceptis Arianis, & alijs tùm hæreticis. Imò ipſemet Apoſtolus ad Epheſ. 4. cùm dixiſſet, Unus Dominus, Una Fides, Unum Baptiſma, intulit, unum Corpus, id eſt Eccleſia una, unus Spiritus debet eſſe in nobis. Alia Objectio præcipua Græcorum fuit, adducebant Symbolum Epheſinum, quo prohibitum fuit, ne quis aliam Fidem à Nicæno Concilio ſcribat vel profiteatur, proindè illicitam eſſe additionem *Filioq;*, in quem finem etiam addiderunt quædam teſtimonia S. Cyrilli, & IV. Concilij Chalcedonenſis Symbolum recitari mandârunt, in cujus fine iſta habentur: S. Generalis Synodus definit atq; determinat, ut aliam fidem conſcribere, aut componere, aut docere liceat nemini. Ad auctoritatem Concilij ſic reſponſum eſt, ſicut & ad Epiſtolam S. Cyrilli. Per ea nihil aliud prohiberi, quàm ut adverſa fides nova non componatur aut proferatur, ſed explicare aliquem obſcurum Articulum fidei ſemper licitum, imò neceſſarium, cùm aliqua exſurgat hæreſis, ut ſuperiùs dictum eſt. Similiter ad definitionem Concilij Chalcedon. reſponſum, Interdictum eſſe mutationem ſenſûs non verborum, quibus dogmata implicita magis explicantur, ut factum eſt in Concilio Nicæno contra Arium, per plura verba explicatus eſt ſenſus Catholicus, qui latebat in Symbolo Apoſtolorum, quod licèt perfectiſſimum erat, quoad fidem & veritatem, non autem quoad notionem & claritatem. Dogmata enim in Symbolo expli-

citè

citè vel implicitè continentur: implicita ut innotescant fidelibus, opus est explicatione maximè tunc, cùm aliqua hæresis negat, quæ dignosci & extirpari non posset, si hæc non esset licita explicatio. Tandem post multas alias disputationes probatum est; quod Romanæ Ecclesiæ eandem particulam, *Filioq;*, explicitè majoris claritatis gratiâ Symbolo apponere licuit, cùm SS. Patres, S. Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Hilarius, Basilius M. qui apud Græcos in magna veneratione sanctitatis & doctrinæ habetur, expressè lib. 5. contra Eunomium cap. 3. docet, Spiritum Sanctum ex utroq; procedere. Gregor. Nyssen. Joan. Chrysost. Cyrill. Hierosol. Epiph. Fulgent. Leo, Tertullianus, & maximè Cyrillus Alexandr. in Epistola ad Nestorium ait: *Quandoquidem Spiritus veritatis nominatur, Christus autem veritas est, undè & ab isto similiter sicut ex Patre procedit.* Hæc Epistola, quæ habetur in Concilio Oecumenico Tom. I. cap. 14. est approbata, tam ab ipso Concilio Ephesino, quàm à 4to Concilio Chalcedonensi Generali Act. 5. quæ Concilia Græci recipiunt: tum & à Quarta Synodo Act. ultimâ, & à Sexta Synodo Act. 17. At hæ Synodi maxima ferè ex parte ex Græcis fuerunt, fuitq; communissima & constantissima SS. Patrum tam Latinorum, quàm Græcorum sententia. Adducit Author Tubæ ad marg. pag. 12. SS. Patres tam Græcos quàm Latinos. quòd Spiritus S. procedat à Patre & Filio, & testimonia illorum, ut SS. Athanasij, Gregorij Nyssæni, Cyrilli utriusq;, Basilij, Epiphanij, Augustini, &c. quòd Spiritus S. procedat à Patre & Filio.

Consentit Author, quòd Ecclesia Catholica debeat se explicare semper contra hæreses, dum ait pag. 84. A tempore horũ sex Conciliorum Oecumenicorum (nempè Nicæni I. & sequentium) variæ hæreses & Schismata exorta impulerunt Ecclesiam Catholicam, ut ad illas tollendas, in legitimè institutis Concilijs, præviâ accuratâ examinatione, circa novellas quæstiones hæreticorum dilucidè se explicaret, atq; certum quid definiret, adeòq; cùm ad finem mundi hæreses sint futuræ, utiq; semper usq; ad finem mundi, necesse habebit Ecclesia sese exertiùs explicare, & quid credendum agendumvè sit, statuere ac decernere, cùm Ecclesia nunquã hæreses & Schismata tolerat, sed illas primâ quasi radice succidit, ait Author pag. 85. Et pag. 42. David Selneccerum adducit, qui in Enarr. 3. Symb. p. m. 20. ait: Synodi non cudunt novos Articulos, aut dogmata nova, sed tantùm sunt testes de dogmatibus & sententijs, quæ anteà in Scri-

Scriptis Propheticis & Apostolicis tradita sunt, & ostendunt, quòd illa dogmata non sint nova, sed semper ita in Ecclesia DEI, ex Propheticis Scriptis tradita sunt. Et pag. 57. ait.: Et quî posset esse certitudo, tum dogmatum fidei, quòd sint vera, tum hæreseos, quòd sint condemnata, tum & Ecclesiæ, quòd sit *Columna veritatis*, si nulla esset certitudo in his, quæ decernunt Concilia Generalia.

CAPVT VI.

Discursus Authoris

Pag. 15.

I. *Habemus Fidem Catholicam sufficienter in VI. Oecumenicis Concilijs priorum Sæculorum declaratam, quæ omnes ferè, qui verè Christiano nomine censentur, admittunt. II. Illis autem Concilijs Ecclesia Fidem explicavit solùm contra illius temporis hæreticos. III. Postmodùm tamen nova Schismata & hereses exortæ. IV. Ecclesia universim discissa in Occidentalem & Orientalem, in hac non pauca Schismata, in illa præcipuæ auctoritatis Græca Ecclesia. V. Cuius Status deplorandus. VI. De cuius unione hîc non est institutum loqui, sed solùm de Ecclesijs Occidentalibus, Romana & Protestantibus.*

Atq; ut ad nostra regrediamur. Habemus Fidem Catholicam Symbolo Apostolico comprehensam VI. Oecumenicorum Conciliorum, ut potè Nicæni I. Constantinopol. I. Ephesini I. Chalcedonensis I. 2. Constantinop. II. Constantinop. III. quæ sinè omni ex-

ceptione à Protestantib9 (prætensis) Evangelico-Catholicis, qui saniorem de rebus Fidei sensum habent, nec non à (prætensis) Reformatis, uti & Græcis, atq; à Romanis Theologis assumuntur. Cui
NB. assentiunt Russi & Moschi. Hi ut & Græci, cæteri etiam in plurimis ijs, quæ non sunt planè definita in prædictis Concilijs, cum Romanis conveniunt. Ab his, quod Fidem in Concilijs prædictis attinet, declaratam parùm & sæpiùs, non nisi formulis loquendi dissentiunt, Syriani, Georgiani, Maronitæ, immo & Armenij, Jacobitæ, Cophti, Abyssini, Nestoriani, Indi, nam qui *versùs eos peregrinantur, Catholicos offendunt, nec nisi quibusdam ritibus & Ceremonijs à nobis* (Catholicis) *differentes vident*.

Fides hæc in prædictis Concilijs definita, quamvis Apostolica, & ob hanc illorum temporum Ecclesia ratione cœlestis veritatis, purissima

riſſima habenda ſit, non tamen Eccleſia illa tunc temporis ſe in omnibus explicavit, tam diſertè, ut nulla omninò hæreſis puram illam fidem accedere, cœtumq; illum Catholicum contaminare potuerit. Eccleſia quidem Catholica fidem Apoſtolicam in prædictis Concilijs contra tum temporis hæreticos, ut potè Arium, Eutychen, Macedonium, & alios explicavit, non contra adhuc futuras hæreſes, quas illi ne ſomniare poterant.

Nimirùm poſt tempora horum Conciliorum, tum nova Schiſmata & hæreſes exortæ, tum ſingulares ac novæ loquendi formulæ additionesq; Fidei invectæ, quæ primam anſam Schiſmati dederunt.

Sic diſciſſa olim Eccleſia Catholica in Orientalem & Occidentalem, hæc in Romanam, Lutheranam & Calviniſtarum, & quas hæ paſſim pro hæreticis habent, Sociniſtarum, Anabaptiſtarum, ſeu Memnoniſtarum, Quakerorum, &c. In Orientali Græca eſt potiſſimæ auctoritatis, quæ non modò in Fide, ſecundùm illa VI. Concilia, cum Romana noſtraq; Eccleſia, ſed & in plurimis Fidei Articulis conſentit paſſim cum Romana, in quibus diſſentiunt Proteſtantes à Romana & Græca, ſcilicet in aſſertione *Tranſubſtantiationis*, & generatim *in Sacrificio, & toto ritu Miſſæ, Invocatione Sanctorum, Confeſſione Auriculari, in Oratione & Oblatione pro defunctis, Imaginum veneratione, Purgatorio, &c.* In plurimis autem alijs diſſentit à Romana & Eccleſijs Proteſtantium, quamvis harum unionem non deſperamus.

Deplorandus porrò eſt Status illarum Orientalium Eccleſiarũ, qui nimis preſſus, cum ſtupenda rerum ſacrarum & Chriſtianæ Religionis, illic dominante ignorantiâ, literarumq; ruditate, non in plebe, ſed & Clericis, ut in Fidei Articulis, aut probum ſenſum, aut confeſſionem ab illis (quamvis non omninò omnibus) temerè expectes. Cæterùm non vana ſpes eſt, quin ad unitatem Eccleſiæ reduci poſſint, ſi Catholici Epiſcopi, Principesq; in Occidentali Eccleſia tum per certos Miſſionarios, qui homines iſtos in Oriente erudirent, tum alijs modis feliciter cum Turca peracto bello, ulteriùs cooperante DEO, in id allaboraverint.

Hos omnes cum tota Occidentali Eccleſia, proh dolor! in tot Schiſmata diſciſſa, uniri etſi optemus, non tamen de unione harum Eccleſiarum jam nobis eſt propoſitum diſſerere: ſed in primis, quâ ratione Controverſiæ Fidei inter Proteſtantes & Romanos Catholicos amicè, ſalvâq; veritate componi poſſint.

Discursus Catholicus

Correspondens ad Caput VI. Authoris.

De Legitimis Concilijs Generalibus, in quibus fundatur veritas Fidei, & de numero eorum.

EX superiore Discursu Authoris patet, quot Concilia Græci recipiant. Cùm enim pag. 12. septem Synodos enumerâsset, in quibus fuit approbata Epistola S. Cyrilli Alexandr. ad Nestorium, in qua docuit, Spiritum S. procedere à Patre & Filio, ibidem de his septem Synodis Author ait: Atq; hæ Synodi maxima ferè ex parte ex Græcis fuerunt, fuitq; communissima & constantissima SS. Patrum sententia, tam Græcorum, quàm Latinorum. nempè de processione Spiritûs Sancti. Idem ex Concilio Florentino ex Sess. 5. & 6. patet, quòd Græci recipiant 7. prima Concilia. Octavam Synodum Græca Catholica Ecclesia unà cum Latina, tanquã Sanctam, & legitimam, & Oecumenicam, semper judicavit & tenuit, nec ab illa unquam sententia deflexit. Diximus à Græca Catholica hanc Synodum semper fuisse receptam, quia non inviti concedimus, prout ex libello Photij & Joanne Psello de septem Synodis constat, quòd Græci, Schismatici, quos in Concilio Florentino Marcus Ephesinus sequitur, hanc Synodum Octavam cum sequentibus, non tantùm non recipiant, verùm etiam omninò reijciant, & quandam Pseudosynodum Photianam sub Pontifice Joanne VIII. Constantinopol. post obitum S. Ignatij celebratam substituant. Hoc Concilium à Græcis Orthodoxis fuisse receptum, ostendit Breviarium Octo Synodorum, quod in aditu &c. apud Baderum pag. 9. ab Anastasio in Vita Adriani Secundi Sancta & approbata Synodus appellatur, ut potè quod auctoritate Hadriani Pontificis Romani confirmata, inter alias Oecumenicas annumerari, & in Fidei professionibus ex more fieri solitis, post alias septem Oecumenicas, publicâ lectione & professione approbari meruerit. Vide Breviarium Concilij Octavi Oecumenici, & Notas in Concilium VIII. Oecumenicum Tom. 3. Conciliorum apud Binium, & Bellarm. de Concilijs Tom. 1. In professione verò solemni Fidei Romanorum Pontificum, cùm in Pontificem electi, & jam consecrandi eandem faciunt, hæc inter alia leguntur: Sanctaq; Octo Universalia Concilia,

id est, Nicænum, Constantinopolitanum & Ephesinum, Primum Chalcedonense, Quintum quoq; & Sextum, item Constantinopol. & Septimum item Nicænum, Octavum quoq; Constantinopolitanum, usq; ad unum apicem immutilatè servare, & pari honore & veneratione digna habere. &c. Et multa alia ad hoc Concilium notata vide, quæ de veritate hujus Concilij informant, cùm ibidem objectiones solvuntur, & deteguntur aperta mendacia.

Item celebratum est Concilium Generale Lugdunense Anno 1274. in quo Græci cum Ecclesia Romana unionem susceperunt. De hoc Concilio varij Authores scripserunt. Et primò Trithemius in Chron. Hirsaug. sic ait: Concilium Generale Lugduni celebravit (Gregorius X.) Anno Pontificatûs sui secundo, in quo multi Cardinales, Archiepiscopi, Abbates, alijq; diversi generis Prælati compa- fuerunt, multa ad electionem Summi Pontificis, ad expeditionem in Saracenos, ad unionem Græcæ Latinæq; Ecclesiæ, & ad pacem Christianorum pertinentia, maturè statuentes. Ibi comparuit Palæologus Imperator Constantinopolitanus cum magno comitatu, qui tertiâ decimâ vice in sententiam Romanæ Ecclesiæ Græcos suos toties deficientes Concilio necessario pertraxit. Blondus Decade 2. lib. 8. ait: Gregorius Pontifex Lugduni Concilium indixit, contulit se ad id Concilium Michaël Palæologus, Græcorum Imperator, & unioni Orientalis ad Occidentalem Ecclesiam consensit. Secutiq; sunt illum nonnulli Tartari Gentis Scythicæ Proceres, sacro Baptismatis charactere superfusi, Christianos se & Catholicos fore professi sunt. Meminit ejusdem Synodi Robertus Gaguinus lib. 7. his verbis: Anno Salutis 1274. Patrum Synodus, Præside Gregorio X. Romano Pontifice, Lugduni habita est, &c. adfuit Concilio Palæologus, Græcorum Imperator, Ecclesiæq; Occidentali se univit. Nauclerus & Joannes de Oppido scribunt, in hoc Concilio Græcos professos esse, Spiritum S. à Patre Filioq; procedere, ejusq; rei gratiâ coram toto Concilio Symbolum Nicænum decantâsse.

Binius Tom. 3. in Notis Concil. fol. 1496.

Matthæus Westmonasteriensis, res in hac Synodo gestas summatim recensens, addensq; Orientalium Fidei confessionem, ista habet inter alia, quæ sequuntur: Anno Gratiæ 1274 Kalendis Maij, sub Papa Gregorio X. apud Lugdunum fuit Concilium maximum celebratum, &c. In hoc etiam Concilio de conversione Græcorum, post Schisma lætitia magna fuit. Qui Græci literas auro bullatas cum literis Prælatorum de Græcia attulerunt ad Concilium, quarum

 tenor

tenor ſequitur. Literæ Palæologi Imperatoris Græcorum: Sanctiſſimo & Beatiſſimo Patri, & Summo Pontifici Apoſtolicæ Sedis, Univerſali Papæ & Communi Principi Chriſtianorum Omnium, Venerabili Patri Imperij Noſtri, Domino Gregorio, Michaël à Chriſto DEO fideliter Rex, & Imperator, & Moderator Græcorũ, Ducas, Angelus, Comneus, Palæologus, & Spiritualis Filius magnæ Sanctitatis Veſtræ, decentem honorem & reverentiam, cum ſincera & pura affectione, & omni poſtulatione. Quoniam miſſi ſunt à Magna Sanctitate Veſtra ad Imperium meum Nuncij DEO placentes, Ordinis Fratrum Minorum, &c. & detulerunt literas Magnæ Sanctitatis Veſtræ Imperio meo. In quibus inter alia de Confeſſione Fidei, quâ docet, & prædicat, & confitetur Sacroſancta Romana Eccleſia, continebatur, & oportebat de his magnis reſponſionem facere decenter. Ecce hæc facit Imperium meum, habeat autem Confeſſio Fidei in litera ſic: Credimus Sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum DEUM Omnipotentem, totamq; in Trinitate Deitatem ejusdem Naturæ &c. Credimus ipſum Verbum DEI æternaliter natum ex Spiritu Sancto & MARIA ſemper Virgine cum Anima rationali, &c. DEUM verum, & Hominem verum, &c. in duabus, Divina ſcilicet & humana, Naturis unius perſonæ, &c. *Credimus & Spiritum Sanctum, plenum & perfectum, verumq; DEUM, ex Patre Filioq; procedentem*, coæqualem & conſubſtantialem, & coòmnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio. Credimus hanc Sanctam Trinitatem, non tres Deos, ſed unum DEUM Omnipotentem, æternum, &c. Credimus Sanctam Apoſtolicam & Catholicam, unam eſſe veram Eccleſiam, in qua unum datur Sanctum Baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum. Credimus etiam veram reſurrectionem hujus carnis, quam nunc portamus, & vitam æternam, &c. Hæc eſt vera Fides Catholica, & hanc ſupradictis Articulis tenet & prædicat Sacroſancta Romana Eccleſia, &c. dicit & prædicat eos, qui poſt Baptiſmum in peccatis labuntur, non rebaptizandos, ſed per veram pœnitentiam ſuorum conſequi veniam peccatorum. Quod ſi verè pœnitentes in charitate deceſſerint, & omiſſis eorum, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis eorum, animas pœnis purgatorijs aut caracterij, ſicut nobis Frater Joannes explanavit, poſt mortem purgari, & ad pœnas hujusmodi relevandas, prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet

Sacrificia, Orationes, & Eleëmoſynas, & alia pietatis opera, quæ à fidelibus pro alijs Fidelibus fieri conſueverunt, ſecundùm Eccleſiæ inſtituta. Illorum autem animas, qui poſt Sacrum Baptiſma ſuſceptum &c. poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, prout ſuperiùs dictum eſt, ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi. Illorum autem animas, quæ in mortali peccato decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. *Hæc Sacroſancta Eccleſia Romana firmiter credit, & aſſeverat*, & quòd nihilominùs in die Judicij omnes homines ante Tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, reddituri de proprijs factis rationem. Tenet etiam, & docet eadem Sancta Romana Eccleſia Septem Eccleſiaſtica Sacramenta. Unum ſcilicet Baptiſma, de quo dictum eſt ſuprà: aliud eſt Sacramentum Confirmationis, quod per manuum impoſitionem Epiſcopi conferunt, chriſmando renatos: aliud eſt Pœnitentia: aliud Euchariſtia: aliud Sacramentum Ordinis: aliud Extrema Unctio, quæ ſecundùm doctrinam Beati Jacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum Euchariſtiæ ex Azymo confert Sancta Romana Eccleſia, tenens & docens, quòd in ipſo Sacramento panis verè tranſubſtantiatur in Corpus, & vinum in Sanguinem Domini Noſtri JESU Chriſti. De Matrimonio verò tenet, quòd nec unus vir plures uxores, nec una mulier permittitur habere plures viros, ſoluto verò legitimo Matrimonio per mortem conjugum alterius, ſecundas & tertias deindè nuptias ſucceſſivè licitas eſſe dicit, ſi impedimentum Canonicum aliud ex cauſa alia non obſiſtat. Ipſa quoq; *Romana Eccleſia ſummum & plenum primatum ſuper univerſam Eccleſiam Catholicam obtinet, quod ſe ab ipſo Domino in Beato Petro, Apoſtolorum Principe ſive Vertice, cuius Romanus Pontifex eſt Succeſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe, veraciter & humiliter recognoſcit.* Et ſicut præ cæteris tenetur Fidei veritatem defendere, ſic &, ſi quæ in Fide ſubortæ fuerint Quæſtiones, ſuo debent judicio definiri, &c. Eidem omnes Eccleſiæ ſunt ſubjectæ, &c. Ad hanc autem ſic poteſtatis plenitudo conſiſtit, quòd alias Eccleſias, & Patriarchales præcipuè, diverſis Privilegijs eadem Romana Eccleſia honoravit, ſuâ tamen obſervatâ prærogativâ. Hæc quidem in generalibus Concilijs, hæc autem in aliquibus alijs, ſemper ſalvâ ſubſcriptâ Fidei veritate, prout plenè lecta eſt, & fideliter expoſita, veram Sanctam Catholicam & Orthodoxam Fidem cognoscimus, & eam acceptamus, etiam corde & ore

ore profitemur, quia hanc veraciter tenet, docet, & prædicat Sanacta Romana Eccleſia, inviolabiliter obſervatura, eandem Confeſſionem, & in ea omni tempore perſeveraturos, nec ab ea unquam ullo tempore receſſuros, quoquo modo, aut deviaturos, vel diſcrepaturos promittimus. Quem quidem & primatum ipſius Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, prout in præmiſſa benè continetur, ad ipſius Eccleſiæ obedientiam ſpontaneam venientes fatemur, & recognoſcimus, acceptamus, & ſponte ſuſcipimus, prædicta ſiqvidem profitentes, & attendentes, & acceptantes, & promittentes nos ſervaturos, prout dictum eſt. Rogamus magnam Sanctitatem Veſtram, ut Eccleſia noſtra Græcorum dicat S. Symbolum, ſicut dicebat hoc ante Schisma usq; in hodiernum diem, ut permaneamus in Ritibus noſtris, quibus utebamur ante Schisma, qui ſcilicet Ritus non ſunt contra ſupradictam fidem, nec contra Divina præcepta, nec contra doctrinam Novi & Veteris Teſtamenti, nec contra S. Concilium Univerſalium iſtorum Patrum approbatorum à Sanctis Spirituali dominatione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ celebratis. Hoc igitur non grave eſt Veſtræ magnæ Sanctitati, nec inaſſuetum, & nobis nunc difficile, propter infinitam multitudinem populi. Commiſimus autem & præſentibus Nuncijs Imperij Noſtri, ut prænotata per præſentes literas Imperij Noſtri confiteantur, & attendant vice Imperij Noſtri coram Magna Sanctitate Veſtra. Præſentes literas de Noſtra recognitione, acceptatione, & confeſſione propriâ manu, DEI gratiâ Imperiali ſubſcriptione ſignavimus, & Sigillum Noſtri Imperii inferiùs fecimus appendi. Allatæ etiam ſunt literæ ad eundem Gregorium X. à Prælatis Græciæ, quæ inter alia hæc continebantur: Sanctiſſimo, Reverendiſſimo, ac Beatiſſimo Papæ, Antiquo Romanorum Domino Gregorio, Magno Pontifici, Excellentiſſimæ Apoſtolicæ Sedis & Venerabiliſſimo Domino, & Patri Noſtræ humanitatis. Nos, qui Eccleſiaſticam complemus Ordinationem, Veſtræ Romanæ Sanctiſſimæ Eccleſiæ ſalutem, & Spiritualis ſubjectionis affectionem ubiq; Metropolita Epheſius præhonoratus Exarchus totius Aſiæ, cum ea quæ circa me eſt Sancta Synodo Metropolita, &c. alij tres Metropolitæ conſequenter enumerantur cum ſuis Synodis. Epiſcopus Metropolitanus Conconij cum his, qui circa me ſunt Epiſcopis. Alij Metropolitani Epiſcopi conſequenter enumerantur viginti duo, Archiepiſcopi novem. Adhuc autem nobis cum Pontificibus & magna Synodo, &c.

do, &c. cum totali Venerabili Clero, cum his autem, qui Clerum complent, &c. non ſolùm nunc, ſed priùs beatiſſimæ & Sanctiſſimæ Veſtræ Eccleſiæ magnam faciebamus diviſionem integritatis, & Eccleſiarum Chriſti totaliter Civitatem dilacerabamus. Quomodo qui unius Paſtoris ſumus, non in unum & inter unum aggregamur Ovile, nec unum replemus mandatum Chriſti? &c. ad unicam hanc unionem, per quam *Apoſtolicæ Sedi antiquæ Romæ* (*ab antiquiſſimis attributos*) *Primatus attribuere aſſentimus*. &c. Scitote quid nos volumus, quod Pontificalis Sedis tota plenitudo, cum toto Venerabili Clero, & omnibus Officiarijs, Sacerdotibus, Diaconis, & Lectoribus Sanctiſſimæ Eccleſiæ DEI convenit in unum, ut attribuat promptæ Veſtræ Sanctitati & Apoſtolicæ Sedi, quod ad honorem pertinet, *nec alium Primum & Summum Pontificem Eccleſiarum omnium nominaturi* Undè & noſtrum Patriarcham &c. obſecravimus, &c. ut ſi recedere ipſum ab intentione contingat, nobisq; inclinaverit, & nos reddet benevolos eſſe, quod præteritis temporibus, throno Apoſtolicæ Sedis, inſuper excellens honor attributus eſt, ſic habebimus ipſum Pontificem etiam ſpiritualiter ſicut priùs præſidentem. Si verò immutabiliter ſe habeat in ſententia, tunc dependebit omnis neceſſitas, & ipſum deijcere, & Patriarchali Principatu privare. Nos autem conſtituemus & promovebimus alium, qui ubiq; conſentiat nobiscumq; ejuſdem voluntatis eſſe, & reddere convenientem Primatum Summitati SanctitatisVeſtræ. Hoc igitur proponimus (à DEO honorate Domine) nos, quot Patriarchalis Conſtantinopolitanæ Sedis ſublimes Pontifices cum omnibus (qui circa nos) Venerabilibus Clericis, per hoc Scriptum Noſtrum Vobis conjungi habes, &c. & nos inclinamus promptè, & magnæ Veſtræ Altitudini ſubmittimus, & valdè gratanter ea quæ ſunt ſpiritualis ſubjectionis totius aſſerimus, & nihil eorum denegamus, quæ ante Schiſma præſtabant Patres noſtri, his, qui Apoſtolicam regebant Sedem, ſed ſtatim & nos attribuimus. Alia quidem ſignabunt Nuncij, & glorioſæ Veſtræ Sanctitati notificabunt. &c. Sacramentum Græcorum. Ego Nuncius habens ab eis ſufficientem (ad infrà ſcripta mandata) ſubſcriptam Fidei veritatem, prout plenè lecta eſt, & fideliter expoſita à me, DEI & Domini Noſtri veram Sanctam Catholicam Fidem eſſe cognoſco, eam accepto, & corde & ore confiteor, ipſamquè, prout tenet fideliter, docet, & prædicat Sancta Eccleſia Romana, inviolabiliter ſervatu-

vaturum, & in ea omni tempore perseveraturum, nec ab ea ullo unquam tempore recessurum, vel quoquo modo deviaturum, nec discrepaturum promitto, fateor, recognosco, accepto, & sponte suscipio. Et ipse omnia præmissa tam circa Fidei veritatem, quàm circa ejusdem *Ecclesiæ Romanæ Primatum & Episcoporum recognitionē, acceptationem, susceptionem, observantiam, ac perseverantiam servaturum*, (præstito Corporaliter juramento) promitto & confirmo. Sic DEUS ipsum adjuvet, & hæc Sancta Evangelia.

Has literas attulerunt Nuncij Græcorum, tam ab Imperatore Palæologo, quàm à Metropolitis & Metropolitanis, & alijs Prælatis Græcorum ad Gregorium X. & venerunt ad unionem cum Ecclesia Romana in Concilio eodem Lugdunensi, ubi Græcis consentientibus, cantatum Symbolum cum hac explicatione *Filioq;*, tam Græcè, quàm Latinè. Et sine dubio, quòd ex hac multitudine tam Prælatorum, quàm populorum Græcorum plures remanserint in unione suscepta, licèt etiam plures post breve tempus recesserint ab Ecclesia Romana Catholica. Deniq; iterum in Concilio Florentino ad An. 1438. susceperunt unionem cum Ecclesia Romana, ut superiùs patuit. Unde cum distinctione dicendum est, quæ Concilia Græci recipiunt: Græci scilicet Orthodoxi, & Romanæ Ecclesiæ uniti, omnia probata Concilia cum eadem recipiunt Ecclesia: Græci Schismatici non recipiunt Octavam, in qua fuit depositus Schismaticus Photius, qui per vim & dolum occupaverat Sedem Constantinopolitanam, legitimo Patriarchâ S. Ignatio detruso. Vide Notas Concilij Octavi Generalis in 3. Tom. Conciliorum Binij. Et substituunt loco Octavæ Synodi, quandam Pseudosynodum Photianam, sub Pontifice Joanne VIII. post obitum S. Ignatij celebratam. Quare autem tam sæpè Græci recedebant ab Ecclesia Romana, quam veram Christi Ecclesiam, & primatum illius supra omnes Ecclesias agnoscebant, inter alias causas fuit etiam hæc, quòd Patriarchæ Constantinopolitani freti potentiâ Imperatorum Orientalium, sæpiùs Arianorum, volebant sedem suam Romanæ Sedi æquare, ut patet ex Concilio Chalcedonensi IV. Generali, in quo clandestinum Canonem 27. cum duobus mendacijs intrusit Anatolius, ad comparandum Primatum suæ Sedi Constantinop. Legatis absentibus & contradicentibus Romani Pontificis, ut superiùs patuit.

De Photio autem ultra Baronium, qui Tom. 10. suorum Annalium describit illius mores, qualisnam fuit, vide in Notis Concilij Octa-

Octavi Generalis Jambicos Verſus, quibus graphicè delineatus eſt Photius, horum Verſuum fit mentio in Actione 8va Synodi veræ Octavæ Oecum. in Codice Græco pronunciatorum, quos Anaſtaſius Latinè reddidit, ibidem ſic habetur de Photio: Photius igitur dictus Conſtantinopolitanus Patriarcha, qui Octavæ Synodi tempore multorum in Eccleſia malorum, & turbarum Auctor fuit, quiq; fraudulenter à Sede Patriarchali abdicavit Prædeceſſorem ſuum, ac proindè à Nicolao hujus nominis Primo Pontifice, ut Summo, ſic Sanctiſſimo, & ab Octava Generali Synodo damnatus eſt anathemate, ac Patriarchali ſpoliatus dignitate, Schiſma inter Græcam & Latinam Eccleſiam fovit & auxit, cùm etiam in populo Conſtantinopolit. pernitioſiſſimum ſereret errorem, quo aſſerebat, duas eſſe in homine animas, &c. Patet etiam ex ſuperiùs allatis Græcorum Prælatorum literis, cùm Imperator Palæologus, & omnes Metropolitæ & Metropolitani Epiſcopi, cùm toto Clero & populo ſuſcepiſſent unionem, ſolus Patriarcha Conſtantinopolitanus eandem recuſavit, de quo conquæruntur Græci in literis ſuperioribus ad Gregorium X., & minantur illi depoſitionẽ, niſi à Schiſmate reſipiſcat.

Proteſtantes etiam omnes, unà cum prætenſis Reformatis, aliàs Calviniſtis, ante Annum 1517. omnes unanimiter tenebant cum Eccleſia Romana, & aſſumebant ea Concilia, quæ anteà tenuit, & modò tenet eadem Eccleſia, tanquam probata & legitima Concilia. Nec mirum eſt, quòd modò non omnes Proteſtantes æqualiter teneant Concilia, & aliter, ut ait Author pag. 15. qui ſaniorem de rebus Fidei ſenſum habent, alij verò aliter. Nam & Lutherus in hac re fuit varius. Author Tubæ pag 42. citat illum Tom. 7. Germ. fol. 562. qui contra Zwiinglium ſic ait: *Si diutiùs ſteterit mundus, iterum erit neceſſarium, propter diverſas Scripturæ interpretationes, quæ nunc ſunt, ad conſervandam Fidei unitatem, ut Conciliorum Decreta recipiamus, & ad ea confugiamus.* Tamen idem Lutherus ad Cap. 15. Act. Apoſtol. ait: *Spiritus Sanctus non Concilijs, ſed ſolùm Chriſtianorum quos novit cordibus ſe adeſſe velle promiſit.* Et poſt pauca ait: *Incerta ſunt Concilia, neq; fidendum eſt illis, nullum enim unquam purum fuit, quin Fidei aliquid addiderit, vel detraxerit.* Idem in Diſputatione Lipſica ait: *Concilijs nihil derogo, ſed omnium ſacratiſſimum fuit Nicænum.* Idem in 510. Artic: *Concilia concludere & ſtatuere volunt, quid credendum ſit, cùm ſæpè nullus ibi ſit, qui divinum Spiritum vel modicum olfecerit. Sicut contingit in Concil. Nicæno.*

Idem alibi: *Non dixi, neq; consului, neq; est intentio mea, ut unus aut aliquot Episcopi propriâ auctoritate incipiant alicui utramq; speciem porrigere, nisi ita constitueretur, aut mandaretur à Concilio Generali.*

Calvinus, licèt alibi fuerit hostis Conciliorum, tamen lib. 4. Instit. cap. 5. §. 1. *se priscas has Synodos, Nicænum, Constantin. Ephesinum, Chalcedonense, ac similes libenter amplecti, revererique ut sacrosanctas*, ait. Si prisca dicit se venerari & amplecti Concilia, quare non alia posteriora, cùm ejusdem sint Ecclesiæ, contra quam Christus promisit, non prævalituras portas inferi, quod & Calvinus fatetur lib. 4. Instit. cap. 8 dum ait de Ecclesia: *Est enim nostra omnium Mater, penes quam gratiæ suæ thesauros depositos esse voluit Dominus, quò & eius fide conserventur, & per eius mysterium dispensentur.* Et infrà addit: *Quòd ergo non extinguitur in mundo veritas, sed salva perstat, id fit, quòd fidam habet custodem Ecclesiam.* Melanchton in Locis Commun. ait: *Vult enim DEUS in Ecclesia esse ministerium Vocis, quare audienda est Ecclesia, ut doctrix.* Sed Ecclesia nulla fuit alia, nisi Romana, à qua illi recentissimè discesserunt. Ergo Ecclesia Romana audienda est ut doctrix.

Lutherus lib. de Potest. Papæ ait: *De nullo privato homine certi sumus, habeat, nec ne, revelationem Patris, Ecclesia autem ipsa est, de qua dubitare non licet.* Sed Ecclesia ante Lutherum, Calvinum & Melanchtonem constanter semper docuit, hæc vera & legitima esse Concilia, & universus Christianus Orbis, exceptis hæreticis, pro talibus illa venerabatur & recipiebat, ergo & modo Ecclesia audienda, ut doctrix, nec de doctrina illius dubitare licet: cùm pro legitimis agnoscit illa, præsertim cùm illi fuerint privati homines. Sic enim Erasmus de Luthero ait: *Lutherus privatus nuper natus cum suis amicis, in quibus nec &c. tantum ingenium, &c. nec magnitudo, nec sanctimonia, nec miracula, &c.* Idem Erasmus lib. 2. fol. 1218. ait, *cùm ipse Lutherus toties mutârit sua placita, & subindè nova paradoxa suppullulent.* Nam ipse, qui superiùs dixerat, Ad conservandam Fidei unitatem, ut Conciliorum Decreta recipiamus, & ad ea confugiamus: neq; propriâ auctoritate aliquot Episcopis utramq; speciem alicui porrigere jussit, nisi ita constitueretur, & mandaretur à Concilio Generali; tamen idem Lutherus lib. de Capt. Babil. ait: *Satis esse queat, adversùs omnium Pontificum, Patrum, omnium Conciliorum sententias.* Nota Lector, omnium, nullo excepto, etiam Nicæno, quod anteà sacratissimum vocat, modò contra illud sentire jubet.

Ex Grassina fol. 3. 34.

bet. Et hæc ſunt veriſſima Lutheri dicta, qui non credit, quærat in fontibus Originalibus, & inveniet hæc ſibi contradictoria.

Dicendum ergo eſt, quòd ſicut per illa Sex prima Concilia, explicavit ſe contra hæreſes Eccleſia, ut Arij, Macedonij, Neſtorij, Eutichetis, Monothelit. & alias hæreſes: ſic explicavit ſe in alijs ſequẽtibus Concilijs, usq; ad Tridentinum incluſivè contra alias hæreſes, poſt illa Sex Concilia emerſas, & ſic explicabit ſe usq; ad conſummationem ſæculi. Quòd autem poſt illa Sex Concilia prima emerſerint varia Schiſmata, & multæ hæreſes, non indiget probatione, Cùm ſatis res ſit ſubjecta oculis, quando ipſimet hæretici ſeipſos produnt, & multarum hæreſum ſeipſos condemnant. Etiam ex ipſomet Authore patet hæc explicatio Eccleſiæ contra hæreſes, usq; ad Tridentinum incluſivè, qui in ſuperiori Diſcurſu pag. 16. num. 2. ait: *Eccleſia quidem Catholica fidem Apoſtolicam in prædictis Concilijs (nempè Sex primis) contra tum temporis hæreticos, ut potè Arium, Eatichen, Macedonium, & alios explicavit, non contra adhuc futuras hæreſes, quas illi ne ſomniare poterant. Nimirùm poſt tempora horum Conciliorum, tum nova Schiſmata & hæreſes exortæ.* Et pag. 13. num. 5. palàm hæreticos oſtendit, dum ait: *Nec minor obſtinatio, imò & malitia Socinianorum, Anabaptiſtarum ſeu Memnoniſtarum, Quakerorum, & aliorum, qui toti Eccleſiæ Catholicæ, eiusq; Fidei, in tot Oecumenicis Concilijs, confirmatæ & ſtabilitæ, ſua figmenta deliramentaq; obtrudentes reſiſtunt. Hos non curemus, quidquid de novis Fidei additamentis nobis oggamant, cùm extra Eccleſiam ſe poſuerint, atq; apud ipſos nulla ſit Fides Chriſtiana, quippè quæ ſenſu Eccleſiæ Catholicæ, quæ animâ Fidei deſtituta eſt.* Et pag. 84. idem Author verſ. 18. ait: *Sic & à tempore horum Sex Conciliorum Oecumenicorum variæ hæreſes & Schiſmata exorta impulerunt Eccleſiam Catholicam, ut ad illas tollendas, in legitimè inſtitutis Concilijs, præviâ accuratâ examinatione circa novellas quæſtiones hæreticorum, dilucidè ſe explicaret, atq; certum quid definiret. Adeòq; cùm ad finem mundi hæreſes ſint futuræ, utiq; ſemper, usq; ad finem mundi, neceſſe habebit Eccleſia, ſeſe exertiùs explicare, & quid exercendum agendumvè ſit, ſtatuere, ac decernere, modo ſupradicto. Quare Sex Concilia Oecumenica omnes omninò hæreſes, etiam futuras, ad finem usq;, ſuâ tum temporis definitione amputare haud potuerunt, quippè nondum exortas.*

Ex hoc Diſcurſu Authoris clariſſimè patet, cùm judicio omnium, etiam adverſariorum, dentur hæreſes plurimæ poſt illa Sex

Concilia & varia Schismata, debuit se omninò Ecclesia contra illas per alia Conc. Generalia explicare, & illas cõdemnare, cùm Ecclesia Cathol. nunquã pati potest hæreses, ut etiam ipse Author p. 85. ℣. 3. sic ait: *Cùm nunquam Ecclesia hæreses & Schismata toleraverit, quin protinùs Oecumenicis Concilijs in prima quasi radice illas succiderit.* Cùm verò constat nobis pro certo de hæresibus, constat etiã, in nulla Ecclesia celebrata esse Concilia Generalia, quæ se explicaret contra exortas post Sex Concilia hæreses, illaq; condemnaret, nisi in sola Ecclesia Romana; sequitur necessariò, omnia Concilia Romanæ Ecclesiæ, tam prima Sex, quàm subsequentia alia, quæ pro legitimis & probatis recipit, talia esse, aliàs prævalerent particulares hæreses contra Universalem Ecclesiam, si non darentur Concilia, in quibus se contra illas Ecclesia explicaret, illasq; condemnaret: & sequeretur etiam, quòd à tempore horum Sex Conciliorum deficeret Ecclesia, nec modò esset alicubi: Si illo tempore tantùm contra tunc præsentes hæreses explicaret se Ecclesia Romana, modò verò contra nunc exortas non se explicaret, maximè cùm constet, quòd nec Ecclesia Lutherana, nec Calvinistarum, cùm sint privati cœtus, explicaverint se contra modernas hæreses in Concilio Oecumenico, quod pro tali universus Christianus haberet Orbis, immo cùm sciant benè de his hæresibus, tolerant illas, cùm Ecclesia Christi vera hæreses tolerare non potest. Nam & Lutherus scivit de Quakeris, de Anabaptistis, & alijs hæreticis, & ab illis defendebat Ecclesiam Romanam; & tamen nec ille, nec Ecclesia Lutherana, nec Calvinistarum, in aliquo Concilio Oecumenico condemnavit eos, cùm omninô debeant dari Concilia Oecumenica ad condemnandas hæreses, ut etiam benè advertit Author pag. 37. vers. 14. dum ait: Et quî posset esse certitudo, tum dogmatum Fidei, quòd sint vera; tum hæreseos, quòd sint condemnatæ; tum & Ecclesiæ, quòd *sit Columna veritatis, si nulla esset certitudo in his, quæ decernunt Concilia Generalia*; quomodo v. g. scirent Lutherani & Calvinistæ de Arianis, Nestorianis, Pelagianis, & alijs quos habent pro hæreticis, si illos Concilia Generalia vel Romani Pontifices pro talibus non declarâssent? Patet ergo ex his, quòd modò nullibi daretur Ecclesia, quam cùm etiam ipsi Protestantes dari adstruant, apparet, quòd sola Ecclesia Romana, ut à principio sui, usq; ad hoc tempus celebravit Concilia Generalia, in quibus sicut ab initio condemnaverat hæreses Arij, Macedonij, Nestorij, Eutichetis; sic in confe-

quen-

quentibus condemnavit alias hæreses, etiam Anabaptistarum, Quakerorum, & aliorum hæreticorum, quos etiam ipsimet pro hæreticis habent, & explicavit se contra illos novissimè in Concilio Tridentino, & anathematizavit omnes hæreticas Propositiones, ut videre est Canones illius. Consentit Author Tubæ, dum sic de eodem Concilio Tridentino loquitur pag. 45. num. 5. *Ad id Concilium Romanus Pontifex omnes Christi Fideles, Imperatorem Romanum, omnes Reges, Duces, Principes, & alios humanissimè per viscera misericordiæ IESV Christi Domini Nostri convocavit, rogavitq; vellent interesse huic, ab ipsis expetito Concilio, consulere, tractare, & perficere, quæ ad unionem Ecclesiæ necesse, hasq; rogationes sæpiùs iteravit, & ad Protestantes Duces, & Principes, quibus & Salvus Conductus à Iulio III. 1550. datus, qui quoq; à Synodo ter iteratus, ubi publicâ Fide & plenissimâ assecuratione, omnibus ad Concilium hoc vocatis, ac interessentibus sufficientissima, absq; omni dolo securitas promissa, in itinere, in loco, in eundo, stando, redeundo, disputando, sub pœna nullitatis Synodi, liberaq; data, causas controversas secundùm Sacram Scripturam, Apostolorum Traditiones, Probata Concilia, Catholicæ Ecclesiæ consensum, & Sanctorum Patrum auctoritatem tractandi.* Illo etiam addito, *ut Religionis prætextu aut delictorum, circa eam commissorum aut committendorum, minimè puniantur.* Hucusque Author, qui ibidem citat Bullam Indict. Pauli III. Et pag. 46. num. 6. de hoc Concilio Tridentino sic loquitur: *Profectò hoc Concilium non pro aliqua privata, aut pro Romani Territorij tantùm Synodo meritò habendum foret, partim quia in illud omnes ferè Ecclesiæ Occidentales & condescenderunt, & Decretis illius Concilij acquieverunt, partim, quia ipsi Protestantes Principes ad illud, ceu ad Generale, liberum, & Christianum Concil. in optima, ac solemnissima Iuris forma provocárunt, & appellárunt, ipsamq; appellationem nunquam &c. deserere intenderunt, aut potuerunt, &c. partim, quia ad illud à tribus successivè Pontificibus Romanis, Paulo III. Iulio III. Pio IV. summo conatu Imperator Romanus, Reges, Principesq; Protestantes omnes, per viscera misericordiæ DEI, propter pacem & concordiam Ecclesiæ universalem invitati, per Bullas seu Literas publicas, salvosq; conductus toties datos, partim, quia à tot doctissimis ex maiori Orbis Christiani parte collectis viris, actaq; per annos ferè viginti, quanto tempore, id quod sciam, nullum Concilium celebratum, omnes ferè controversiæ expensæ, ac trutinatæ sunt. Partim, quia in eo Articuli complures, ut de Missæ Sacrificio, bo-*

NB.







nis

nis Operibus, Invocatione Sanctorum, cultu Imaginum, oratione & oblatione pro defunctis, &c. &c. quos tota Ecclesia inter Græcos, Russos, Æthiopes, Indos, Syrios, Abyssinos, Armenios, Maronitas, Cophros, &c. tenuit unanimiter tot sæculis, (exceptis solùm Protestantibus) approbati.

NB. Nota Lector ultima verba, quos tota Ecclesia tenuit unanimiter tot sæculis. Et ipsi Protestantes idem tenuerunt cum tota Ecclesia ante An. 1517. Partim, ait Author, *quia rationes, quas nos Protestantes contra illud Concilium adducimus, non sanè pro convictis à Pontificijs habentur.* Rationes verò Protestantium notæ sunt, quæ fuerunt octo. Inter alias hæ fuerunt præcipuæ, ut Romanus Pontifex non indicet Concilium, nec ei præsideat. Hæc conditio videtur, quòd ideò posita sit, ut nihil fieret ex Concilio. Nam Canon Concilij Nicæni Primi talis est: *Non debent præter Romani Pontificis sententiam Concilia celebrari,* quem etiam citat Author pag. 53. Et Concilium Chalcedonense Act. 16. ait: *Trecentorum decem & octo SS. Patrum, Canon. 6. quòd Ecclesia Romana semper habuit Primatum.* Moxq; eundem recitat Canonem: *Synodo Nicænæ Sylvester Pontifex Romanus per suos Legatos auctoritatem contulit.* Quomodo ergo Romanus Pontifex jure suo privari potuit indicendi Concilia, & præsidendi illis approbandiq; illa, cùm in ejus possessione fuerit, à primordijs Ecclesiæ usq; ad Concilium Tridentinum, aut quis valor fuisset Concilij, si præter sententiam illius debeant celebrari Concilia, & ille debet conferre auctoritatem SS. Concilijs, ut patet de Sylvestro in Nicæno, de Cælestino in Ephesino, de Leone in Chalcedonensi. Et ipsi adversarij hanc áuctoritatem attribuebant Summo Pontifici. Melanchton Epist 74. ait: Sunt aliqui Episcopi, qui Ecclesijs præsunt: Romanus Pontifex omnibus Episcopis præsidet; Et hanc politiam Canonicam, nemo puto sapiens improbat, aut improbare debet. Monarchia enim Pontificis Romani in hunc finem, meo quidem judicio, utilis est, ut unitas doctrinæ servetur. Alia Conditio, ut ex sola Scriptura Divina sententiæ ferantur, non ex Traditionibus, vel Canonibus: Concil. verò Trident. antiquã Ecclesiæ praxim in omnibus Concilijs observatã in salvo conductu expressit sic: Libertasq; data causas controversas, *secundùm S. Scripturã, Apostolorũ Traditiones, probata Concilia, Catholicæ Ecclesiæ consensum, & SS. Patrũ auctoritatem tractandi.* Hunc modũ semper servavit Ecclesia in Concilijs disputandi cum hæreticis, & illos convincendi. Nam in sola Scriptura, non secundùm sensum Ecclesiæ, sed secundùm pro-

proprium sensum intellecta, hæretici semper suos fundârunt errores. Sic Arius ex illo loco, Pater major me est, dicebat Filium minorem Patre, etiam secundùm Divinitatem. Sabellius etiam ex eodem loco suam hausit hæresim. Nec ulla in Ecclesia DEI fuit hæresis, quæ suos errores non fundaret in Scripturis, secundùm suum privatum sensum intellectis, prout notum est omnibus.

Quæramus v. g. ex omnibus hæreticis, quare tam pertinaciter suos defendant errores, omnes statim allegant Scripturam, sed non secundùm sensum Ecclesiæ, nec secundùm consensum SS. Patrum, sed secundùm se intellectam, ut palliatæ S. Scripturâ hæreses non appareant, quòd sint hæreses. Satis clarè hanc fraudem hæreticorum expressit Vincent. Lyrin. alicubi, dum ait: *Probè noverunt fætores suos nulli placituros, si nudi & simplices exhalentur, idcircò eos cælestis eloquij velut quodam aromate aspergunt.* Etiam Lutherus in Præf. Histor. quæ contingit in Stafort. Anno 1536. Sacram Scripturam vocavit Librum hæreticorum; Nam licèt illa Divina sit, hæretici tamen secundùm suum sensum suas semper fundârunt hæreses, in malè intellecta.

Undè auro notandam doctrinam exhibet Vincent. Lyrin. in Communit. adversùs hæreses in Præfat. & cap. 1.; quem etiam citat Author Tubæ pag. 37. N. 4. ubi sic ait: (vide superiùs pag. 85.) *Quòd si quis vellet exurgentium hæreticorum fraudes reprehendere, laqueosq; vitare, & in fide sana sanus atq; integer permanere, duplici modo munire fidem suam Domino adiuvante deberet. Primò scilicet legis auctoritate, tum deindè Catholicæ Ecclesiæ Traditione, quia videlicet S. Scripturam pro ipsa sui altitudine, non uno eodemq; sensu, universi arripiunt, sed eiusdem eloquia aliter atq; aliter, alius, atq; alius interpretatur, ut penè, quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur. Aliter enim Novatianus, aliter Photinus.* Idem loc. cit. cap. 1. ait: *Idcircò multum necesse est, propter tantos tam varij erroris anfractus, ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea secundùm Ecclesiastici & Catholici sensûs normam dirigatur, nempè ut id teneamus quod ab omnibus creditum est.* NB.

Considera itaq; Lector: Si justa hæc fuerit conditio, ut ex sola Scriptura sententiæ ferantur, non secundùm antiquam Praxim omnium Conciliorum, ut superiùs ostensum. Alia conditio fuit, ut Theologi Principũ ac Statuum, non minùs quàm Episcopi in Concilio sententias decisivas ferant. Et hæc conditio nunquam fuit

practicata in omnibus Concilijs, cùm ad solos Episcopos pertineat decidere in Concilio. Sic legimus in Concilio Chalcedon Act. 1. quod etiam citat Author pag. 50. *superstuos mitte foràs, Episcoporũ Synodus est, non Clericorum.* Sic Basilius Imperator & Filij ejus subscripserunt: Sed quod notandum, ait Author, post Legatos Romani Pontificis & Patriarchas, veluti Testes Decretorum, & futuri Vindices in transgressores illorum. Sic Theodosius II. Imperator Romanus hâc lege misit Comitem Clandidianum ad Ephesinũ Concilium, ne in illis, quæ facienda sunt de pijs dogmatibus Quæstionibusq; communicaret, quia illicitum est, eum qui non est ex Ordine SS. Episcoporum, Ecclesiasticis se immiscere tractatibus. Justinianus quoq; ait: *Si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habent Civiles Magistratus, cum ea disceptatione, sed Religiosissimi Episcopi, secundùm Sacros Canones, negotio finem imponant* Sic Athanasius ad Constantium Imperatorem Romanum ait: *Si Iudicium Episcoporum est, quid cum eo commune habet Imperatorum.* Sic Osius eidem Imperatori: *Tibi DEUS Imperium commisit, nobis ea, quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Imperator bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.* Si ergo Judicium in Concilijs nunquam fuit Imperatorum nec Clericorum, quomodo poterat esse in Concilio Tridentino Laicorũ & hominum Sæcularium. Vide Lector, si justa hæc fuerit conditio.

Alia conditio fuit, ut salvus Conductus daretur, non solùm Personis, sed etiam Causæ Principali, ut nec Personæ possint puniri, si nolint Concilio assentiri: nec Fides & Confessio Lutheranorum possint damnari etiamsi eam Theologi defendere non possint. Hæc conditio videtur exprimere hæc: Volumus vexari Episcopos totius Orbis, & sumptus facere, ac labores maximos pati, ut ad Concilium veniant, & tamen cùm venerint, nolumus quidquam statui, nec lites unquam finiri. Nam si nec personæ, nec sententiæ convinci possunt, nihil omninò in Concilijs unquam decernetur.

Benevole Lector, judicium tuum appello, quid senties, si in primis Concilijs, nempè Nicæno Primo, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi, impositæ fuissent hæ Conditiones, quid putas, fuissetné condemnatus Arius, Macedonius, Eutiches, Nestorius, cum suis hæresibus? si veritatem amas, fateri omninò debes, usq; ad hodiernum diem prædictæ non fuissent damnatæ hæreses: & hoc etiam fateri debes, non fuisse Conditiones Protestantium, sed effugia, ut nunquam celebraretur Concilium, & errores magis ac magis serpe-

ſerperent. Vide alias Conditiones ſimiles & Solutiones illarum, & magis de veritate informaberis. Unde non immeritò Author pag. 47. ait: *Quia rationes, quas nos Proteſtantes contra illud Concilium adducimus, non ſanè pro convictis à Pontificijs habentur.* Non exindè ergo Concilium Tridentinum ſuum debet habere valorem, quòd aliqui illud non receperunt. Nam omnia Concilia aliqui reijciebant, etiam prima, ſed indè, quòd cum ijsdem omnibus ſolennitatibus, eâdem praxi & formâ celebratum eſt, ut alia Concilia Catholicæ Eccleſiæ, cui Romanus Pontifex, ut alijs, per Legatos præſidebat, & contulit Auctoritatem, ut Nicæno Sylveſter, Epheſino Cæleſtinus, Chalcedonenſi Leo. *Ad hoc Concilium* (ait Author Tubæ pag. 46) *Principes Proteſtantes appellaverunt, ipſamq; appellationē deſerere nunquā intenderunt. Tum quia à tot doctiſſimis ex maioris Orbis Chriſtiani parte collectis Viris actum. Quia in illud Concilium omnes ferè Eccleſiæ Occidentales & condeſcenderunt, & Decretis illius acquieverunt,* etiam Orientales Orthodoxi Græci, & aliæ gentes. *Quia in hoc Concilio omnes Controverſiæ expenſæ ac trutinatæ, & Articuli complures, quos tota Eccleſia tenuit unanimiter, tot Sæculis approbati, exceptis ſolùm Proteſtantibus,* qui pauci admodùm illo tempore fuerunt, & ſi veritatem fateri licet, ab uno privato, hæc proteſtatio Ortum habuit, & ſi tantum bonum ſolus impedire potuit Lutherus, poſitis talibus conditionibus, quibus novum & inauditum modum in Eccleſia celebrandi Concilium expetebat, vel potiùs nolebat illud, ut eò liberiùs errores diſſeminarentur. NB.

Fuit itaq; Tridentinum unum ex Catholicis Concilijs, tum quia cum ijsdem ſolemnitatibus celebratum eſt, ut prima & antiqua Concilia; tum quia conditiones inſolitæ poſitæ fuerint ad impediendum illud, more antiquorum hæreticorum, Arij, Neſtorij, Eutichetis, contra prima; tum quia Eccleſia Catholica, ſicut incæpit, ſic debet ſe explicare contra hæreſes, uſq; ad conſummationem ſæculi, illaſq; hæreſes condemnare, ut de facto explicavit, & multos errores tam novos quàm antiquos noviter excitatos, condemnavit in eodem Concilio. Nam S. Auguſtinus Epiſt. 162. vocat *Concilium, ultimum Eccleſiæ iudicium,* & S. Leo Epiſt. 50. & 61. ad Concilium Chalcedon. & Epiſt. 52. ad Maximum Antiochen. ait: *Concilio qui non aſſentit, pro hæretico habendus*; quos etiam Author citat pag. 37. quod maximè omnibus conſiderandum in Articulis plurimis Fidei (ut ait Author in præcedenti Diſcurſu pag. 16. N.4.) ſcili-

scilicet in Transubstantiatione in Sacrificio, & toto ritu Missæ, in Invocatione Sanctorum, Confessione Articulari, Oratione, & Oblatione pro defunctis, Imaginum Veneratione, Purgatorio, etiam Græca Ecclesia in his consentit cum Romana, & tam longo sæculorum tractu hos Articulos constanter retinuit, nec illos unquam, etiam in tot Schismatibus dimisit, etiam & nunc inviolabiliter retinet, quid aliud denotat, nisi quia per antiquitatem recommendatur veritas illorum. Si enim Ecclesia Græca compertum habuisset aliunde, non ex Traditione Apostolorum primitivæ Ecclesiæ emanâsse, nunquam illos tam constanter per tot sæcula retinuisset, nec conveniret in illis cum Ecclesia Romana, & quod magis notandum, quòd Ecclesia Græca nunquam de his Articulis aliquod dubium aliquando moverit, sed semper tanquam Articulos retinuerit, nec Ecclesiæ Romanæ, quòd sint abusus objecerit, cùm Ecclesia Græca, respectu Lutheri, Protestantium & Calvini, sit antiquissima.

Cùm vero Author Tubæ in fine hujus Discursus de multis & crassis erroribus Orientalium Ecclesiarum mentionem fecerit, quorum statum deplorandum ait nimis pressum, cum stupenda rerum sacrarum & Christianæ Religionis illic dominante ignorantiâ, literarumq; ruditate non in plebe, sed & Clericis, ut in fidei Articulis aut probum sensum, aut confessionem ab illis (quamvis non omninò omnibus) temerè expectes, videndi sunt plures Authores ipsimet Græci, qui de erroribus Græcorum scripserunt, ut Gennadius, Emanuel Caleta, Georgius Trapezuntius, Bessarion Nicænus, Patriarchæ Constantinopolitani, qui eleganter errores Græcorum refutârunt, eorumq; calumnijs in Ecclesiam Romanam objectis, piè & doctè responderunt: Tum alij, ut D. Anselmus, S. Thomas, Rabanus, Hugo Etherianus, Turrecremata, Antonius Possevinus, Azorius, Arcadius, Cassianus, Sacovitius, quondam Archimandrita Dubinensis, posteà per dispensationem Sedis Apostolicæ Sacerdos Romani ritus, ut benè de Ritu Græco informatus, multos & graves illorum errores, & absurda ferè circa omnia Sacramenta in sua Perspectiva enumerat, qui videndus est pro exacta de crassis in multis Disunitorum Græcorum erroribus informatione.

Thomas à Iesu lib. 6. pag. 236.

CA-

CAPVT VII.

Discursus Authoris

Pag. 17.

I. PRomovendo hanc Vnionem Ecclesiarum; non agimus I. contra S. Scripturam. II. Neq; contra praxim veteris, prioris Ecclesiæ. III. Neq; contra pietatem. IV. Neq; agimus contra sanam rationem. V. Neq; contra nostros Libros Symbolicos Prutenicarum Ecclesiarum. VI. Neq; contra consensum Theologorum, Protestant. Lutheran. VII. Non agimus contra Pacta Conventa inter Imperatores, Principes Roman. Catholicos & Protestantes.

I. Hoc autem intendentes, non putamus nos agere contra S. Scripturam, quæ cum omnibus pacem & concordiam habere præcepit: quidni cum illis, qui nobiscum habent unam fidem, (prætentam) unum Dominum, unum Baptisma. Si de necessitate præcepti Divini est diligere inimicos, quidni Fratres, qui nobis pacem & concordiam offerre, & ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ nos vocare non negligunt? An non dilectio est plenitudo Legis, quæ intuitu pacis & veritatis hodiernas Fidei differentias componere non commoveat. Nonne diligere debemus, ac sequi veritatem & pacem, qui poterimus neglectâ unitate ac concordiâ Schisma pessimum illud monstrum evitare. Quantum vero malum sit Schisma, sequens Caput docebit. *ad Hebr. 12.*

II. Neq; agimus contra praxim veteris prioris Ecclesiæ, ut patet ex infinitis fere adhortationibus SS. Patrum. Certe prior Ecclesia vult, ut associemur illi Ecclesiæ, cujus fides prædicata est ab ipso Apostolo Paulo, ad quam perfidia non potest habere accessum. Quæ maxima, ut ait Irenæus, & antiquissima, & omnibus cognita, ad quam propter potentiorem principalitatem, necesse est convenire omnem Ecclesiam. Nam qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidet? *Cypr. cit. loco,* cum qua Ecclesia conjungi tot voluerunt Imperia & Regna, tot pij Imperatores & Reges adhuc conjunguntur. Cujus Cathedræ unitas ab omnibus servata, nec cæteri Apostoli sibi quisq; defenderent, ut tam Schismaticus, & persecutor esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret, cui nolle primas dare summæ profecto *Cyprian. Epist. 55.*

impietatis est. * Cujus Sedis Episcopis, omnium Episcoporum judicium, omnium Ecclesiarum cura commissa fuit, & quidem perpetuo privilegij jure. Dubitamus denique, (concludo cum Augustino,) nos ejus Ecclesiæ gremio condere, quæ usq; ad Confessionem generis humani, ab Apostolica Sede, per successionem Episcoporū, frustrà hæreticis circumlatrantibus, culmen authoritatis obtinuit. &c. Et pag. 19 ait: Si qua difficultas in Religione movebatur, & Schismata gliscebant, tutissimum existimabant cum Romano Patriarcha communicare, eidemq; velut nodo Ecclesiarum præcipuo adhærescere, ne facili à Catholicæ Ecclesiæ Communione divellerentur. Hucusq; Drejerus. Quod si ita est. eccur abhorreamus ab unione & conjunctione cum eadem Ecclesia, atq; ejusdem Episcopo.

III. Neq; nos agere credimus contra pietatem, si cum omni patientia colere majores, & honorificare Matrem, & sic thesaurizare nobis, pœnamq; maledictionis, quam habet ille, qui exasperat Matrem, effugere debeamus. Utiq; cum Romana Ecclesia uniri necesse est. Quippe, quæ nos filios Ecclesiæ Catholicæ, per Episcopos & Missionarios à Sede sua, nostrosq; majores à Paganismo ad Christianam fidem genuit, in qua & salvos illos factos nulli dubitamus. Ex hac Matre sumus fratres facti filij DEI per Baptismum, inter quos semper sit necesse concordia & unitas, quod DEO bonum & jucundum.

Eccles. cap. 3.

IV. Neq; agimus contra sanam rationem. An non ratio nobis suadet, Rempublicam Civilem, varijs concussam diffidijs ac hostilibus armis, ad pacem & concordiam reducere? Multò magis Rempub. Ecclesiasticam varijs scissam dissensionibus.

V. Non vult ullo modo, ut Ecclesia Augustanæ Confessionis addicta separetur ab Ecclesia Romana, &c. quia in nullo Articulo Fidei Ecclesiæ Augustanæ Confessio ab Ecclesia Catholica Romana, sed tantùm ratione paucorum quorundam abusuum, in vulgaribus ritibus discrepat. Sanè ob abusus ac ritus vulgares, tam noxium fovere Schisma in Ecclesia Christi Catholica, non est homine Christiano dignum. Nam Canones Ecclesiastici ubiq; eosdem ritus non postulant, neq; similes unquam omnium Ecclesiarum ritus fuerunt; ritus-

Advertant omnes Dissidentes, si ob paucos abusus recedere licebat à Vera Christi Ecclesia.

* *Codex Iustiniani Lib. 1. de Sum. Trinit. & Fide Cathol. Tit. 1. cunctos populos &c. Item, idē Iustin. in Ep. Resp. Ioanni P. ubi inter alia testatur, sibi magnum studium fuisse, servare unitatem Sedis Apostolicæ Romanæ, properasse eidem Sedi Sacerdotes universi Orientalis tractus subijcere & unire, Vide Ioan. Fr. Hackij Scrutinium verit. fid. Part. 2. pag. 257.*

ritusq; aliqua ex parte (non sublati, sed) correcti sunt, & pauci tantùm abusus, & quidem in vulgaribus ritibus, in nulloq; Fidei Articulo dissensus est, eæ quæ quæstiones, tantùm videntur habere controversiam. Cùm Ecclesiæ apud nos de nullo Articulo Fidei dissentiant ab Ecclesia Catholica, tantùm pauca quædam abusus omittant.

Lutherus sæpiùs repetit in Colloq. Convival. ut de Sacram. fol. 211. apparet

VI. Neq; agimus contra consensum Theologorum Protestantium, quod confirmatur eo, quòd de Romana Ecclesia à Theologis Protestantibus Eccl concedatur. In Ecclesia Romana esse fidem Catholicam in sensu Catholico, adeòq; in Romana Ecclesia posse quemq; salvari, qui in fide Romana & charitate permanet. Quare ergo cum illis non unimur in terris, cum quibus unionem speramus beatissimam in Cœlis?





VII. Nec credimus, nos agere contra Pacta Conventa, quæ sunt inter Imperatores ac Principes Catholicos, Romanos & Protestantes. &c. Item Gedanenses Theologi in Censura super Disput. Latermanni p. m. 51. Ut totas, ajunt, Ecclesias Pontificias non damnamus, sed in eo cœtu Pontificio Ecclesiam hodie superesse dicimus, etiam ante Lutheri tempora olim superfuisse. Lutherus in Epist. ad Anabaptistas Tom. 1. Jen. par. 320. Nos fatemur, sub Papatu multum, imò omne bonum Christianum esse, & indè ad nos devenisse. Fatemur, esse in Papatu veram Scripturam, verum Baptismum, verum Sacramentum Altaris, veras claves in remissionem peccatorum, verum prædicandi Officium, verum Catechismum. Plus dico, esse in Papatu veram Christianitatem, imò ipsum Nucleum Christianitatis. &c. Et Theologia Wittenbergensis in Colloquio Badensi, apud Osiand. in Epit Cent. 16. pag. 1064. ita scribunt: Ecclesiam indè ab adscensione, usq; ad hæc tempora nunquã interruptam, sed perpetuâ successione in terris permansisse, firmiter credimus. Covellus in defensione Hookeri pag. 68. Romanenses de Familia JESU Christi esse, libenter agnoscimus, dum autem nosmet reformamus, non nos ab Ecclesia (uti sperandum est) segregamus, in qua antè fuimus. In Ecclesia fuimus, & in eadem manemus, quemadmodum & Romanenses. Somus in defens. contra Penrij Cap. 25. p. 182. Judicio omnium eruditorum, & omnium Ecclesiarum reformatarum, in Papatu vera Ecclesia est.







VIII. Non enim putamus, aversabuntur unionem cum illa Ecclesia, in qua salvari posse, membra illius adstruunt. Nam præterquam, quòd cum nostra Augustana Confessione, cui adhærescere

se

se dicunt. fateantur totam dissensionem, à Romana Ecclesia esse tantùm de paucis quibusdam abusibus, in vulgaribus ritibus, concedunt, attestante Serenissimo Rege Angliæ Jacobo, Pontificios veræ, antiquæ, Catholicæ, & Apostolicæ Fidei fundamentis adhærescere, fatenturq́; , affirmante Covello, membra Ecclesiæ Romanæ, membra esse veræ Christi Ecclesiæ, & qui in illa Ecclesia vivunt & NB. moriuntur, salvari posse. Qui ergo repugnabunt illi Ecclesiæ, hic in terris uniri, cum qua in cœlis sperant unionem æternam & beatissimam. &c.

Discursus Theologicus

Respondens ad Caput VII. Authoris.

In quo demonstratur, Dissidentes non habere eandem Fidem cum Ecclesia Catholica Romana, quamvis Lutherus & Confessio Augustana dicant, quòd ratione paucorum tantùm abusuum in vulgaribus ritibus discrepent ab Ecclesia Romana.

Cùm Author Tubæ Pacis in suo superiori Discursu suadeat unionem cum illa Ecclesia Dissidentibus, *cuius Fides prædicata est ab* (ad Rom. 1.) *ipso Apostolo Paulo, ad quam perfidia non potest habere accessum, quæ* (Iren. lib. 3. c. 3.) *maxima & antiquissima est, & omnibus cognita*, ait Irenæus, *& ad eam propter potentiorem principalitatem omnem necesse est convenire* (Cypr. Ep. 55.) *Ecclesiam.* Nam *qui Cathedram Petri, supra quam Ecclesia fundata est, deserit, in Ecclesia se esse confidet?* cum qua Ecclesia conjungi tot voluerunt Imperia & Regna, (ait Author) tot pij Imperatores & Reges adhuc conjunguntur, & multa alia in antecedenti Discursu honorificentissimè dixerit, non aliam Christi veram Ecclesiam intelligit, nisi solam Romanam: Nulli enim Ecclesiæ in superiori Discursu Authoris allegata competunt, nisi soli Romanæ, nec cum alia vult & suadet unionem Protestantibus, nisi cum Romana, cum qua, & non cum alia, juncta est Cathedra Petri, supra quam fundata est unica & vera Christi Ecclesia, quod per quatuor Notas in præcedentibus Discursibus probatum est. His notis Apostolicis fuerunt semper infensi hæretici, quorum unus ex Symbolo Apostolorum erasit hanc Notam, (scilicet *Catholicam*,) & posuit *Christianam*; ne prode-

ret

ret suam hæresim, cùm omnes hæretici vocentur Christiani: non autem Catholici. Verùm cùm istæ Notæ sint Apostolicæ ex Symbolo Apostolorum, ad investigandam veram Christi Ecclesiam, sunt regulæ probatissimæ. Nos iterum, quòd soli Ecclesiæ Romanæ hæ Notæ competant, probabimus, ad prætensos verò abusus, quos Confessio Augustana & Lutherus objicit, quòd non sint abusus, nisi ex illorum imputatione, & sinistra interpretatione, inferiùs sufficientissimè respondebimus, & manifestè ostendemus, quòd nec Lutherus, nec Confessio Augustana habuerint coram DEO justam rationem sui recessûs ob paucos prætensos abusus ab Ecclesia Catholica Romana: Quintam addemus Notam, gratiam miraculorum, quæ magis veritatem Ecclesiæ Catholicæ Romanæ firmabit, nec ulli Ecclesiæ falsæ competere potest.

Discursus Catholicus

Quòd Ecclesia Romana Catholica sit Una.

IN Soliditate Petræ à Christo Domino hanc unicam Ecclesiam Catholicam, testimonio S. Scripturæ & SS. Patrum, perpetuò firmatam, nempè solam Romanam, per Notas Apostolicas ut veram, & unicam Christi Ecclesiam inter tot falsas, & universalem inter tot privatos cœtus, iterum probabimus.

Actor. 4. Multitudinis credentium, cor unum, & anima una erat. &c. *Ad Ephes. 4.* Solliciti servare unitatem Spiritûs in vinculo pacis, unũ Corpus, & unus Spiritus, &c. unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. *Ibidem*: Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & non circumferamur omni vento doctrinæ. *Ioann. 17.* Non pro eis rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum, ut omnes unum sint, sicut Tu Pater in me, & ego in Te, ut & ipsi in nobis unum sint. *Matth. 16.* Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. *Vndè S. Augustinus*: In Cathedra *Epist. 166.*
unitatis posuit doctrinam veritatis. *S. Ignatius Martyr ad Philipp.* Unus DEUS, una Fides, una quoq; Ecclesia esse debet. *Origenes Hom. 3. in Iosue*: Nemo ergo sibi persuadeat, nemo semetipsum decipiat, extra hanc domum, id est extra Ecclesiam, non salvatur. *Cyprianus Epist. ad Mag.* Ecclesia una est, ut Cant. 4. & 6. demonstratur, quæ una intus & foris esse non potest. *Epiphan. hæres. 3.* Hanc fidem

fidem Ecclesia adepta per totum mundum dispersa diligenter con-
servat, quasi unam domum inhabitans. *Augustinus in Ioan Tract. 118.*
Tunicam inconsutilem Christi Domini (ait) Ecclesiam denotare,
quæ omnium partium significat unitatem, quæ charitatis vinculo
continetur. *Theodoretus in Psal. 47.* Una quidem per totum Orbem
atq; mare. Propterea omnes dicimus, pro Sancta, & unica Catho-
lica, & Apostolica Ecclesia. *S. Chrysost. in 1. Corinth. 1.* Ecclesiæ
DEI, quæ est Corinthi, *ait*: Ecclesiam DEI appellat, ut ostendat,
in unum eam redigi oportere: Nam si Dei est, una est, non Corin-
thi solùm, sed universi Orbis Ecclesia; DEUS enim eam conjungit
ei, quæ omnibus est communis. *Cyprianus Lib. 4. Epist. 9. ait*: Dum
Sacerdoti DEI non obtemperatur, dum Episcopus, qui unus est, &
Ecclesiæ præest, superbâ quorundam præsumptione contemnitur.
S. Pacianus ait: Locutus est Dominus ad unum scilicet Petrum, ut
unitatem fundaret ex uno. *S. Augustinus inquit*: Romanæ Eccle-
siæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, per
in Psal. 60. Communicatorias Literas esse conjunctum. *Idem*: Hæc Christi
Possessio, hæc Christi Hæreditas, hæc Christi Corpus, hæc una Christi
Ecclesia, hæc Unitas, quâ nos sumus, clamat Matth. 16. Super
hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. *In hæc verba S. Cyprianus*
Distinct. 24. *ait*: Ut unitatem manifestaret, unam Cathedram instituit. *Et pau-
lò pòst ait*: DEUS unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, &
Cathedra una, super Petram Domini voce fundata, aliud Altare con-
stitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum Altare, & unum
Sacerdotium non potest, quisquis alibi collegerit, spargit. *Optatus*
Lib. 2. *Milev. contra Parm.* Scire debes, in Urbe Roma Petro primam Ca-
thedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Aposto-
lorum Caput Petrus, qui Cephas est appellatus, in qua una Cathe-
dræ unitas ab omnibus servaretur. *Idem ibidem ait*: Qui contra
singularem Cathedram Petri alteram collocat, Schismaticus & pec-
cator est. *S. Hieronymus ad Damasum ait*: Ego interim Beatitudi-
ni tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior, super illam
Petram ædificatam Ecclesiam scio, quicunq; extra hanc domum A-
gnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noè non fuerit, pe-
ribit regnante diluvio. *S. Gregor. Nazianz. in Carmine de vita sua*:
Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & sem-
per eam retinet, sicut decet Urbem, quæ toti Orbi præsidet, semper
Epist. 166. de DEO integram fidem habere. *S. Augustin.* In Cathedra unita-
tis,

cis, posuit doctrinam veritatis. *Idem:* Objiciuntur crimina malo- , *Epist. 162.*
rum hominum, non nostra, sed aliena, & ipsa partim incognita, quæ ,
si etiam vera & præsentia videremus, & zizanijs propter frumentū ,
parcentes, pro unitate toleraremus. *S. Ambrosius de Obitu Satyri:* ,
Si cum Episcopis Catholicis, id est, si cum Ecclesia Romana consen- ,
tiret. *Ultimò ad homines Confessio Calviniana ait:* Admittimus ,
Tria Symbola, videlicet Apostolorum, Nicænum, & Athanasij, &c. ,
Et art. 25. eadem Confessio ait: Credimus ergo, quòd nullus in par- ,
tem suadere debeat, aut seipso contentus manere, sed omnes simul ,
unitatem Ecclesiæ teneant, atq; se ipsos instructioni communi, ac ,
jugo Christi subijciant, & hoc in quocunq; loco, ubi DEUS verum ,
Ecclesiæ Ordinem stabiliverit. Confessio Augustana Artic. 1. *Sym-* ,
bolum Nicænum, recipiens unitatem Ecclesiæ agnoscit: Et Artic. 7. id
expressiùs fatetur, inquiens: Item docent, *quòd una Sancta Ecclesia perpetuò mansura sit.*

Quòd Ecclesia Romana sit una unitate visibilis Capitis.

NOn potest fallere DEUS, quod promiserat per Prophetas. Ezech. 34. *Suscitabo super eas Pastorem unum,* Et cap. 37. *Et Pastor unus erit omnium vestrúm.* Et Jóëlis 1. *Et ponent sibi Caput unum.* Quæ loca expressè loquuntur de Ecclesia visibili Christi, ergo in ea dari oportet singulare Caput unum ministeriale: Nam Ecclesia Christi militans assimilatur Regno, ut Matth 13. legitur, *Colligent de regno eius omnia scandala* Et Apocal. 5. *Fecisti nos DEO nostro Regnum* Et 1. Corinth. 12. *Cùm tradiderit Christus Regnum DEO & Patri.* Sed in Regno datur unus Supremus Princeps, Ergo & in Ecclesia militante debet dari visibilis Vicarius, ut in Regno Christi, cùm illud visibiliter non regat Christus, Vicarius debet regere visibilis in perpetua assistentia Spiritûs Sancti, Joan. 14. Neq; indè sequitur, Christum non esse Regem, Vicarius enim & Prorex non evacuat dignitatem & titulum Regis, nec ministeriale officium principalitatem causæ expellit, sed constituit & infert: Et si Regalis erat Ecclesia Christo vivente, Regalis permanet ipso absente, Luc. 1. *Et Regni eius non erit finis.* Non enim immutari debuit essentiale Constitutivum illius, post ascensum Christi in cœlum: unde benè S. Epiphan. lib. 1. hære. 29. ait: *Manet enim thronus eius, & Re-*

& Regni eius non erit finis, & Sedes super thronum David, ita ut Regnum David cum Pontificatu transtulerit, ac largitus sit Servis suis, hoc est Pontificibus Ecclesiæ Catholicæ.

Confirmatur. Nam Ecclesia militans à Triumphante derivatur & exemplatur; sed in Triumphante unus est Supremus DEUS, qui præsidet omnibus, Ergo etiam in Ecclesia militante, cùm sit una cum Triumphante, debet habere Vicarium, & velut Proregem, ne fiat confusio in Regno ejus, ut fit in hæresibus omnibus, major habetur figurata Exodi 24. *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* Et Job 38. *Nunquid nôsti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?* S. Greg. ibidem: *Ordo quidem cœli in terra ponitur, hoc est in militante Ecclesia, cùm à Triumphantis Ecclesiæ exemplari militans disponitur.* Apocal. 21. *Vidi Civitatem Sanctam, Hierusalem novam descendentem de cœlo a DEO.* Unde S. Dyonisius cap. 6. Hierar. Eccles. ait: *Nostra enim Hierarchia a DEO, traditis ordinibus sanctè disposita, sanctis & cœlestibus Hierarchijs conformis est.* Cui doctrinæ alludens S. Bernard. lib. 3. de consid. ad Eugenium ad rem nostram ait: *Non vilem reputes formam hanc, quæ in terris formam habet in cœlo. Vidit hoc, qui dicebat, vidi Civitatem Sanctam, &c. Sicut enim Seraphim & Cherubim, & cæteri Ordines sunt sub uno Capite DEO, ita & hîc Patriarchæ, Archiepiscopi, & reliqui sub uno Pontifice Summo, quod non est parvi pendendum, quòd DEUM habet auctorem, & quòd de cœlo ducit originem.* Hunc S. Bernardum Lutherus & Confessio Augustana agnoverunt pro Sancto. S. Cyprianus Epist. 2. ad Anton. lib. 4. *Cùm sit à Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item Episcopatus unus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.* Et lib. 1. Epist. 6. *Idcircò Dominus, intimans nobis unitatem de divina auctoritate venientem, ponit & dicit: Ego & Pater unum sumus, ad quam unitatem redigens Ecclesiam suam d nuò dicit, & erit unus grex, & unus Pastor.* Et Epist. 3. ad Cornelium ait: *Neq; enim aliundè hæreses obortæ sunt, aut nata sunt Schismata, quàm indè, quòd Sacerdoti DEI non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.* S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. *Super Petrum fundatur Ecclesia, &c. inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto Schismatis tollatur occasio.* Optatus Milevit. lib. 2. *In qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, &c. ut iam Schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.* Hilarius

us in Psal. 121. in illud: *Hierusalem quæ ædificatur ut civitas*, sic ait: *Vnum corpus Ecclesia est, non quâdam corporum confusione permixtum, nec singulis in indiscretum acervum & informem cumulum unitis, sed per fidei unitatem, & capitis societatem.* Chrysostom. Hom. 34. in cap. 13. ad Hebræos ait: *Si ex choro ipsum Coriphæum auferas, nequaquam modulatus chorus &c. & phalanges militum si ducem non habeant, nullo modo acies illa numero vel ordine procedit; Et navis si gubernatore privetur, pessumat necesse est; & grex si pastorem abstulerit, cunctus dispergetur, & peribit.* Idem Homil. ultimâ ad Hebr. *Malum est, ubi non existit primatus, & multarum cladium occasio, & confusionis turbarumq́; principium.* Si hæc omnia non experiantur omnes hæreses, qui hæc non videt, Solem in cœlo non videre dicendus est. Unde bene S. Cyprianus Epist. 3. expressit, quod in hæreticis fecit diabolus, idem fieri velit in vera Ecclesia Christi, dum ait: *Vt gubernatore sublato, atrocius atq́; violentiùs circa naufragia Ecclesiæ hostis grassaretur*, invidens hanc felicitatem Ecclesiæ, quam S. Ambrosius expressit in cap. 3. ad Rom. dum ait: *DEI habentes imaginem, ut sub uno sint cæteri*

Confirmatur 2dò. In Ecclesia militante datur ordo potestatis, secundum illud: *Omnis potestas à DEO*, & illud: *Si quis Ecclesiam non audierit*; sed potestas attenditur penes prælationem & subjectionem. Prælatio verò mensuratur per ascensum & descensum, non per æqualitatem: porrò in ascensu status faciendus est de necessitate penes unum, secundum illud: *Tibi dabo claves cœlorum*, & *Pasce oves meas*, ne cogamur abire in infinitum. Major patet, nam Ecclesia non est multitudo confusa, sed ordinata, ut Cant. 4. dicitur: *Quæ enim à DEO sunt, ordinata sunt.* Iniquum ergo est dicere, non magis esse à DEO ordinatam Ecclesiam adesse gratiæ, quàm naturæ processum, adesse naturæ, sed processus naturæ est ordinatissimus, ut inferiora gubernentur per media à superioribus, & inter hæc datur unum supremum, ut videre est inter corpora cœlestia moventia sublunaria; in corpore etiam animalis, ubi diversa membra diversis muneribus deputata ad unum reducuntur, à quo motus dirigantur, scilicet à capite. Pulchrè ad rem nostram inter alios Patres Albertus pulchritudinem unitatis Ecclesiæ ad unum caput reducit, exemplificans in omni ordine. In Angelis, ubi gradatim ordines inferiores ad superiores secundum illuminationis & obedientiæ ordinem adunantur; In Arboribus, ubi ramusculi ad vir-

gas, virgæ ad ramum, multi rami ad stipitem, multi stipites uni radici infiguntur; In animalibus multæ grues unam sequuntur, sicut & multæ apes; In hominibus multa membra ad unum caput; In legibus divinis, in quibus per media ad primam fit reductio, id est, ad legem divinitatis; In virtutibus, ubi omnes ad unam primam charitatem; In universis ad extremum operibus Christi, qui ad contrapositionem diaboli universa ad unitatem trahit, ideò ait: *qui mecum est, colligit: qui non est mecum, dispergit.* Considerent hæc omnes hæreses, & dispersæ redeant ad unitatem Ecclesiæ, sed ad homines, quos ut suos magistros observare debet. Lutherus de potestate Papæ ait: *Si potestas Papæ non esset à DEO, nec iure divino, tam diù subsistere non potuisset.* Catechismus Calvin. Dominicâ 49. ait: *Extra Ecclesiam nihil est, præter damnationem & mortem, quicunque separant se à communione fidelium, ut partes agant sectarias, nullam sperent salutem, quamdiù in illa divisione permanserint.* Idem dicit Confessio Helvetica Art. 17. Scotica Art. 16. Belgica Art. 27. *Credimus & confitemur unicam Ecclesiam universalem, &c. credimus quòd cùm &c. salus non sit extra illam.* Similia docent Synopsis puræ Theol. Disp. 40. Thes. 24. Ursinus in Catach. de Eccles. quæst. 7. Paræus in Coll. Theol. Disp. 11. Danæus lib. de visib. Eccl, Lutherus in Locis Commun. Class. 1. Cap. 35. pag 195. *Cùm DEUS voluerit habere Ecclesiam Catholicam per totum Orbem, necesse fu-*
NB. *it, unum aliquem populum, imò unum aliquem Patrem istius populi unius eligi, ad quem, & suos posteros, spectaret totus Orbis, & fieret unum Ovile, & sic ex omnibus gentibus, in infinitum variatis moribus, tamen unica fieret Ecclesia.* Covellus in examinatione doctrinæ pag. 107. dicit, *quòd Ecclesia, licèt per varia regna sub diversis Magistratibus Christianis extendatur, unam tamen Societatem constituit, & subdit, quod peioris conditionis esset, quàm privata aliqua Respublica, imò quàm Spelunca Latronum, si medijs destitueretur, vel convincendi hæreses, vel exterminandi.* Hæc ille. Quidam Jacob in rationibus à verbo DEI petitis, pag. 24. *Si enim propriè una visibilis Ecclesia, & regimen Ecclesiasticum, per Orbem terrarum diffusum, hoc in aliquo certo loco manere debet. Cùm enim Christus præcipiat, dic Ecclesiæ, aliquem certum locum invenit, Urbi autem Romanæ maximè omnium convenire videtur Caput esse, & fontem totius Regiminis Ecclesiastici.* Melanchton in Epist. Theologicis Ep. 74. *Quemadmodum sunt aliqui Episcopi, qui præsunt plurimis Ecclesiis, &c. Ponti-*

fex

fex Romanus omnibus Epiſcopus præſidet, & hanc Politiam Canonicam
nemo puto ſapiens improbat, aut improbare debet, &c Monarchia e-
nim Pontificis Romani in hunc finem, meo quidem judicio, utilis eſt,
ut unitas doctrinæ ſervetur. Lutherus Leoni X. ſcribens ait: *Bea-*
tiſſime Pater, proſtratum me pedibus B. T. offero, cum omnibus quæ
ſum & habeo, vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ut
placuerit, vocem tuam vocem Chriſti in te Præſidentis & loquentis au-
diam. His verbis agnovit Lutherus Romanum Pontificem Vicarium
Chriſti, cùm vocem illius ut vocem Chriſti audire promiſerat. Ja-
cobus Andreas, primarius ex Lutheranis, prout refert Hoſpinian.
in Hiſt. Sacram. Part. 2. pag. 309. ait: *Demonſtrare conatur, Eccle-*
ſiarum ſtatum tranquillum tueri difficile eſſe, niſi ad Supremum Pontifi-
cem. & adminiſtratorem aliquem rerum Summa deferatur. Cartu-
vrigthus in defenſ. Uvhitgiſti: *Si neceſſarium eſt, ad unitatem in Ec-*
cleſia tuendam unum Archiepiſcopum aliis præeſſe, cur non pari ratio-
ne toti Eccleſiæ DEI unus præerit Archiepiſcopus? Idem 2. Replic.
pag. 2. *Ad pacem Eccleſiæ tuendam æquè neceſſarium eſt Papam præ-*
eſſe Archiepiſcopis, atq; Archiepiſcopos omnibus unius Regni Provinciis.
Fieldus Proteſtans ad ſuos reſpiciens ſummè diviſos, ſuadet illis, ve-
ram Chriſti quærere Eccleſiam, & inventâ illâ ait: *Ut illâ ſemel in-*
ventâ communionem illius amplectantur, conſilium ſequantur, ejus de-
niq; judicio acquieſcant. Hic Proteſtans clarè oſtendit, quòd in nul-
lo privato Cœtu potuerit veram Chriſti Eccleſiam invenire, ideò il-
lam alibi quærere jubet. Hookerus in Præfat. de Eccleſ. Politia
Sect. 6 ait: *Hoc unum ſat ſimus tam naturâ & experientiâ, quàm*
ipsâ Scripturâ edocti, contentionibus iſtis tandem finem imponendum
eſſe definitivè, alicuius Iudicis ſententiæ nos ſubmittendo, cui neutra
litigantium pars ſub quovis prætextu contradicat, alioquin ſemper con-
fuſio erit, nec ſpes ulla pacis conſequendæ. Beza apud Sarviam lib.
de diverſis Miniſtror. gradibus pag. 491. & Epiſt. 1. Theol. ad Du-
ditium pag. 13. refert ſequentem propoſitionem Duditij, & appro-
bat, dum ait: *Romana Eccleſia non ita multis diſſenſionibus ſcinditur,*
& habet vetuſtatis venerandæ, ſucceſſionis ordinariæ, conſensûs perpetui
ſpeciem plauſibilem, & ſi veritas eſt, quam veteres Patres mutuo con-
ſenſu ſunt profeſſi, ea a Pontificiis tota ſtabit. Patet ergo ex ipſis diſ-
ſidentibus, neceſſarium eſſe in Eccleſia vera Chriſti Supremum
Judicem, ut unitas fidei ſervetur, cum qua convenit doctrinæ
veritas, unde appoſitè S. Auguſtinus *in Cathedra veritatis poſuit do-* *Epiſt. 166.*

ctrinam unitatis. Similiter & Theodoretus lib. 2. de curandis Græc. affect. ait: *Multimodas falsitatis semitas esse, si à veritatis regula recesseris, &c. mendacium enim multiplex & varium, sed veritatis gratia simplex.* Hæc autem unitas ut annexa veritati consistit in consensu doctrinæ, colligatione membrorum, & subordinatione ad unum Caput ministeriale, vices gerens Christi in terris; sed omnes hæretici his carent omnibus, ergo carent unitate, quæ est nota veræ Christi Ecclesiæ, consequenter veritate doctrinæ uno tantùm colligantur vinculo, scilicet conspiratione in destructionem Sponsæ Christi Universalis Ecclesiæ, ut ait S. Hieron. in cap. 7. Isaiæ: *In Ecclesiæ oppugnatione consentiunt, juxta illud, quòd Herodes & Pilatus inter se discordantes, in Domini Passione amicitiâ fœderantur.* Probatur minor ex Divo Paulo, explicante naturam hæresis, cujus regula est proprium judicium uniuscujusq; hæretici, seu privatus spiritus explicandorum dogmatum: sed judicium privatum nequit esse origo unitatis, sed fons essentialis dissensionis, ut per se patet, cùm hæretici se ad invicem condemnent ex diversitate suorum dogmatum, & instabilitate doctrinæ, unde apposite de illis Tertull. de Præsc. cap. 42. *Mentior, si non etiam à regulis suis variant inter se, dum unusquisq; proindè modulatur quæ accepit, quemadmodum in suo arbitrio composuit.* Recurrunt quandoq; ad Magistratus Sæculares, vel conventicula, quibus acquiescendum esse statuunt, sed quid prodest? si tot diversos constituunt judices, quot Principes & particulares Magistratus, idq; contra praxim veteris Ecclesiæ. Sic S. Athanasius Epist. ad Solit: *Si judicium Episcoporum est, quid cum eo habet commune Imperatorum?* Sic Osius ad Constant. Imper. *Tibi DEUS Imperium commisit, nobis ea quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Imperator bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.* Quomodo Magistratus possunt res fidei dijudicare? cùm id Imperatoribus in primitiva Ecclesia non licebat: undè appositè ex hac varietate incompetentium judicum, reprehendit hæreticos S. Hilarius, scribens ad Constantium Augustum: *Excidimus ab ea fide quæ una est, & dum plures fiunt, ad id esse cæperunt, ut nulla sit.* Explicatur magis. Ibi nullam esse unitatem, ubi canon fidei omninò inconstans & laceratus, sed hoc fit apud hæreticos, Ergo. Probatur minor: Apud hæreticos non est constans regula recipiendi S. Scripturæ Codicem, nec eum explicandi, cùm non habeant legitimum judicem; quidam enim tam ex antiquis quàm modernis hæreticis, unam aut alteram partem

Scri-

Scripturæ recipiunt, prout opportunum illis videtur pro suis stabiliendis erroribus: alij unam admittunt, alij eandem negant, cùm viderint eam pugnare cum suis erroribus: alij totam, alij partem suscipiunt: alij mutilant, alij perversè illam explicant, in qua explicatione mirificè inter se variant, ita ut rectè dixerit S. Augustinus: *In Evangelio quod vultis, creditis; quod non vultis, non creditis, ut potiùs vobis, quàm Evangelio credatis.*

Ex Opposito autem, quòd ubi non sit unitas, ibi Ecclesia vera non est, sed hæreses & perditio. Oseæ cap. 10. *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Et Matth. 12. *Omne Regnum in seipsum divisum desolabitur.* 1. Cor. 14. *Non est DEVS dissensionis, sed pacis.* Justinus Martyr ad Orthodoxos de hæreticis: *Fidem nostram, dum sibi adversantur, affirmant.* Irenæus lib. 4. cap. 69. *Hæretici semetipsos quales sunt arguunt, de eisdem verbis non consentientes: nos autem unum, & solum verum DEVM Doctorem sequentes, & regulam veritatis habentes, de eisdem semper eadem dicimus.* Cyprianus de Unit. Eccles: *Conventicula sibi diversa constituunt, veritatis Caput, atq; Originem reliquerunt.* Gregorius lib. 7. Epist. 3. *DEI est gratia, quòd in ipsis, qui à Sanctæ Ecclesiæ doctrinâ divisi sunt, unitas non est.* S. Athanasius contra Arianos: *Quotannis enim in unum coëunt, veluti qui Tabulas Pactaq; scribant, simulantq; se pro Fide Scripta conficere, mirè interim & fœdè, & ridiculè, cùm Scripta eorum non modò ab alijs, sed etiam ab ipsismet explodantur.* S. Basilius Epist. 77. *Si alias licet, atq; alias Confessiones Fidei scribere, & pro temporum varietate mutare, falsa est sententia eius, qui dixerat, unus Dominus, una Fides, &c.* S. Hilarius contra Constantium: *Periculosum nobis admodùm, atq; etiam mirabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates, & tot nobis doctrinas esse, quot mores, & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt, dum aut ita fides scribuntur ut volumus, aut intelliguntur, & cùm secundùm unum DEVM, & unum Dominum, & unum Baptisma, etiam Fides una sit, excidimus ab ea Fide, quæ una est, & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, ut nulla sit.* lib. 2.
Optatus Milevitanus: *Negare non potes, scire te, in Vrbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, undè & Cephas appellatus est, in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ut iam Schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.*

Sicut ergo per unitatem veritas doctrinæ in Ecclesia probatur:

sic extra Ecclesiam falsitas per dissensiones & mendacia, quod etiam & Lutherus fassus est, Lib. de Votis Monasticis, dum ait: *Mendacia certiùs dignoscere non potes, nisi quando sibimetipsis contraria sunt; à DEO enim ordinatum est, quòd impij semper seipsos confundant, & quòd mendacia non consonent, sed semper contra semetipsa testantur.* Idem in Postilla ait: *Nulli haeretici victi sunt unquam vi & astu, sed mutuâ dissensione: nec aliter cum eis pugnat Christus, qui misso inter*
NB: *illos spiritu vertiginis & dissensionis, sicut inter Sichimitas, inter Babilonica Turris Operarios, & in Nova Lege inter Arianos, Donatistas, & Pelagianos,* addo inter Lutheranos, quod sui oblitus omisit Lutherus.

Habes itaq; Orthodoxa unitas Ecclesiæ testimonium, non solùm à SS. Patribus, sed etiam ab Adversarijs tuis, habes ubi per unitatem veritas doctrinæ, & per mendacia & dissensiones falsitas dignosci facilè possit, habes quicunq; sincerè quæris veritatem, pro bono animæ tuæ.

Ad illa verò, quæ Author Tubæ ait in præcedenti Discursu, *qui nobiscum habent unam fidem, scilicet Catholici Romani cum Protestantibus,* sic SS Patres Authori respondent.

S. Cyprianus Epist. 76. ad Magn. *Quòd si aliquis illud opponit, ut dicat, eandem Novatianum legem tenere, quam Catholica Ecclesia tenet, eodem Symbolo, quo nos baptizare, &c. Sciat quisquis opponendum putat, primum, non esse nobis unam & Schismatis legem, neq; eandem interrogationem, nam cùm dicunt, credis remissionem peccatorum, & vitam aeternam per Sanctam Ecclesiam? mentiuntur in interrogatione, quando non habent Ecclesiam.*

S. Augustinus lib. de Vera Religione cap. 5. ait: *Ecclesia autem Christiana, etiam paria Sacramenta celebrantes, tamen quia sententiâ dispares sunt, à Catholica Communione excludit.* Idem Epist. 103. *Omnes qui nobis communicant, noverint ab haeresibus aut Schismatibus, quantùm Catholica distet Ecclesia, & quantùm sit cavenda pernities, vel zizaniorum, vel praecisorum de vite Domini Sarmentorum.* Idem in Psal. 54. in illa verba Psal. *Redimet in pace animam meam* ait: *Baptismum habebamus utrique, in eo erant mecum: Evangelium utriq; legebamus, erant in eo mecum: Festa Martyrum celebrabamus, erant ibi mecum: Paschae solennitatem frequentabamus, erant ibi mecum, sed non omninò mecum; in Schismate non mecum, in haeresi non mecum; in multis mecum, in paucis non mecum. Sed in his paucis, in quibus*
☞ *non mecum, non eis prosunt multa, in quibus mecum.* Idem Tom. 3.

pag.

pag. 61. *Sub ipſis ergo paucis in Symbolo conſtitutis, plerumq́ hæretici venena ſua occultare conati ſunt.*

S. Ambroſius lib. de Fide contra Arianos, & in Luc. cap. 9. ait: *Chriſtum etiam ſibi hæretici videntur habere, nemo enim Chriſti nomen negat, qui non omnia quæ Chriſti ſunt confitetur, unum dogmatum eius ſi retraxeris, retraxiſti ſalutem tuam.* Idem habet S. Gregorius Nazianz. Tract. de Fide: *Nihil periculoſius his hæreticis eſſe poteſt, qui, cùm integrè per omnia decurrant, uno tantùm verbo, ac ſi veneni guttâ, veram illam ac ſimplicem Fidem Dominicam, & exindè Apoſtolicæ Traditionis inficiunt.*

Ex his patet clarè, Catholicæ Eccleſiæ & Schiſmatibus, hæreſibusq́; non eſſe eandem Fidem, cùm Schiſma & Hæreſis non habet unam Eccleſiam, extra quam vera Fides eſſe non poteſt, & unà cum Schiſmatibus & hæreſibus.

Objicit adverſa pars, quòd in Eccleſia Catholica Romana multi Doctores & Scholaſtici, multas inter ſe excitant Controverſias & Contradictiones. Reſpondetur, quòd nunquam in materia Fidei & dogmatibus illius, ſed de illis materijs, quas ſalvâ Charitate, & Unitate, pro exercitio & ſubtilitate ingenij, quisq́; defendit, cùm non ſint determinatæ ab Eccleſia. Sic reſpondet huic Objectioni S. Auguſtinus, dum ait: *Alia ſunt, in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſſimi, atq; optimi regulæ Catholicæ defenſores ſalvâ Fidei compage non conſonant.* Quod ſi controvertunt in materia dogmatum, ſed quomodo, & quo fine, explicat S. Auguſtinus contra Donat. & ait: *Sanitas pacis hoc facit, ut dum diutiùs aliqua obſcuriora quæruntur, & propter inveniendi difficultatem, diverſam pariant in fraterna cogitatione ſententiam, donec ad verum liquidum perveniatur, & vinculum maneat unitatis, ne in parte præciſa remaneat inſanabile vulnus erroris.* Exemplum eſt de S. Cypriano, qui putans non eſſe Traditionem Apoſtolicam, rebaptizandos hæreticos, cum omnibus Epiſcopis Africanis tenuit, contra S. Stephanum, ante determinationem Eccleſiæ, nunquam tamen ab unitate Eccleſiæ receſſit, immo eandem poſteà alijs Epiſcopis ſuaſit, de quo ſic S. Auguſtinus lib. 1. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 25. *Quamvis commotiùs, ſed tamen fraternè indignaretur, vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut in tali diſceptatione nullum inter eos malum Schiſmatis oriretur.* Undè ipſe poſteà Cyprianus dimiſsâ contrariâ ſententiâ, ſic ſcribit ad Jubianum: *Servetur a nobis patienter, & firmiter charitas unanimis,*

lib. 2, cap. 4.

Collegij honor, vinculum Fidei, & concordia Sacerdotij. Idem S. Cyprianus testatur, se scripsisse libellum ad eundem Jubianum de bono patientiæ, timens, ne scinderentur illi Episcopi ab unione Ecclesiæ, in quo libello illa auro notanda verba omnibus hæreticis apposuit: *Impatientia* (ait) *ab Ecclesia Hæreticos facit, & ad Iudæorum similitudinem, contra Episcopi pacem & charitatem, rebelles ad hostilia & furiosa arma compellit.*

S. Hieronymus contra Lucifer. Episcopos Africanos suam sententiam mutâsse testatur his verbis: *Deniq; ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, nostrum emisêre Decretum.*

Et S. Augustin. lib. contra Crescon. S. Cyprianũ posteà S. Stephano, & S. Sixto ejus Successore, sub quo & martyrium passus, semper adhæsisse testatur his verbis: *Pro tantis meritis flagrantissimæ charitatis, & quia in ea vite permansit, tanquam sarmentum tanto fructu pacis & dilectionis opulentum.* Qui verò hunc lapsum S. Cypriani exprobrabant, sic illis S. August. cap. 31. contra Crescon. respondet: *Cuius multis literis mea Scripta non comparo, cuius ingenium diligo, cuius ore delector, cuius charitatem miror, cuius martyrium veneror, hoc quod aliter sapuit non accipio: non accipio, inquã, quod de baptizandis hæreticis & Schismaticis S. Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit.*

Famosæ satis Disputationes sunt inter Thomistas & illos, qui mediam Scientiam sectantur, tamen non sunt in materia Fidei, sed Theologica, utraq; pars expresse fatetur, se illæsum servare liberum arbitrium, & initium Fidei facere DEUM, diversificantur in modo explicandi, quomodo hoc fiat, ut utrumq; extremum componatur; Thomistæ ex principio certo, quòd omne donum desursùm est, colligunt necessitatem prædeterminationis, ne alicujus formalitatis supernaturalis admittatur primum principium, Creatura: Alumni verò mediæ Scientiæ ex alio principio nostri liberi arbitrij deducunt, non dari prædeterminationem, ne jura libertatis lædantur. Nihil hîc de Fide: sic & in omnibus materijs nihil quæ tangunt animatam Fidem. Vade in Africam, Americam, vade ad ipsos Indos, nullam contradictionem in Fide audies, sed summum consensum in omnibus Fidei articulis per totum Orbem, ubi sunt Catholici, invenies.

De

De Nota Secunda,
Quòd Ecclesia Romana sit Sancta.

SAnctitatem Ecclesiæ expressit Apostolus ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed ut sit Sancta, & immaculata* Et 1. ad Corinth. 3. *Templum DEI Sanctum est, quod estis vos.* 1. Petri cap. 2. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* 1. ad Corinth. cap. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri IESV Christi.* ad Tit. 3. *Per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abundè per IESVM Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ* Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus.* 1. Corinth. 11. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi* Actor. 22. *Baptizare, & ablue peccata tua.* Apocalypf. 1. *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis in sanguine suo.* Psal. 92. *Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Domus hæc est Ecclesia, etiam Calvino teste lib. 4. cap. 7. §. 25. Sed hæc omnia nulli Ecclesiæ competere possunt, nisi Romanæ, Ergo Ecclesia Romana est Sancta.

Ecclesia Romana est Sancta vel maximè ex eo, quia habet Authorem & Fontem Sanctitatis Christum JESUM, dicit Apostolus, *Christus est Caput Ecclesiæ* Ab hoc Capite promanârunt Sacramenta Sancta, quibus Romana Ecclesia utitur. S. Ambrosius dicit: *Author Sacramentorum, quis est nisi Dominus IESVS,* à quo firmata in doctrinis sanctis, à quibus in nullo usq; ad hæc tempora recedens firma, & stabilis perseverat in primæva Sanctitate. Si firma ergo & Sancta, si in omnibus promissio Divina impleri debet, multò magis de Ecclesiæ firmitate, in cujus duratione & perpetuitate consistit salus humana, undè benè Psalmista: *Deus fundavit eam in æternum.* In quæ verba hæc S. Augustinus: *Quæ est ergo ista Civitas? Videamus ne fortè, quia dictum est in Civitate Dei nostri, in monte sancto eius, debeamus quærere istum montem, ubi etiam exaudiri possimus.* Et postquam hanc Civitatem dixerit Ecclesiam Christi, subjungit: *Sed fortè ista Civitas, quæ mundum tenuit, aliquando evertetur? absit!*

ad Ephes. 5.

Psalm. 47.

S. August. in eundem Psal.

Deus fundavit eam in æternum, quid times ne cadat fundamentum? Ut hoc fundamentum caderet, quæ non tentârunt hujus sæculi Principes, quod inductione manifestum est, *Primò* à persecutione Tyrannorum, à S. Petro usq; ad S. Sylvestrum. *Secundò* à Conspiratione Imperatorum hæreticorum, præcipuè Arianorum *Tertiò* à Principibus & Imperatoribus Catholicis, qui contra Ecclesiam fuerunt contumaces, & Ecclesiæ Jurium publici & occulti hostes. *Quartò*, ab ijsdem Imperatoribus hæreticis, vel impijs Catholicis, qui Throno Apostolico Pontifices deturbare tentârunt. *Quinto*, à Schismatibus, in Electionibus Romanorum Pontificum seditiosorum consilijs excitatis. *Sextò*, à Conciliabulis ab hæreticis Imperatoribus & seditiosis Catholicis contra Pontifices congregatis. *Septimò*, à tot Bellis Vandalorum, Hunnorum, Herulorum, Longobardorum, quibus Roma toties vastata est. *Octavò*, à defectione Patriarch. Sedium, præcipuè Constantinopolitanæ, quæ fretâ potentiâ Imperatorum Arianorum, sæpiùs contra Romanos Pontifices conspiravit. *Nonò*, ab infensissimis Imperatoribus Occidentalibus, Friderico Barbarossa, Henrico Quinto, Philippo, & alijs, qui factis impijs Ecclesiam Romanam turbârunt. *Decimò*, ab innumeris Hæreticis, quolibet Sæculo, & ipsorum factionibus & crudelibus persecutionibus, postquam ab Ecclesia recesserint. Quid non fecerunt Ariani contra Concilium Nicænum Primum; quid Nestorius contra Ephesinũ. Quid Eutiches & Dioscorus contra Chalcedonense, quantos ausus & conatus exercuerunt, ut illa Sancta Concilia annihilarent. Nihilominùs tot procellis excitatis, navis Petri nunquam potuit mergi, & ex omnibus portis inferi, quæ sunt hæreses, mirificè triumphavit, & modò triumphat Romana Ecclesia. Et videtur illud Isaiæ

Cap. 54. de illa impleri: *In misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemptor tuus Dominus, &c. Misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non movebitur, &c. Omne vas, quod fictum est contra te, non dirigetur, & omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis.* Undè meritò S. Chrysost. Homil. de Penteos. Tom. 3. dixerit de Ecclesia: *Quando novella erat, in nullo potuit lædi, & nunc, quando usq; ad cœlum pervenit, existimas posse eam superari, & tunc quidem cùm undecim essent Apostoli, nullus eos superare potuit. sed pauci homines totum ceperunt mundum, & nunc, quando terra, & mare, & Orbis terrarum, & inhabitabiles Regiones & Civitates, omnes fines terræ pietate repletæ sunt, putas eam te posse lædere,*

at

at non poteris, Christus enim propter eam passus est. Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Faciliùs cœlum exterminari poterit, & terra perire, quàm aliquid mali pati Ecclesia. Quis est, qui hoc dicit, cœlum & terra transibit, &c. benè enim Verbum DEI ipso cœlo solidius est, quia cœlum Opus Verbi DEI est. Romana Ecclesia est etiam puritate doctrinæ Christi Sancta, nullum admittens errorem. Hanc puritatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ describit S. Pacianus contra Novatianos: *Ecclesia*, inquit, *est, non habens maculam & rugam, quia DEVS ei largitur gratiam, ut integrum ac purum Corpus conservetur, & in nullo Hæreticorum venena prævaleant.* Ecclesiæ puritas & Sanctitas colligitur ex Sanctitate Legum, Sacramentorũ, Dogmatum, absq; ullo errore, prout exponit Ruffinus, Ecclesiam dicens Sanctã, *quia non habet, nec potest habere perfidiam, quia portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.*

Sancta est etiam, quia promovet vitæ Sanctitatem, & sanctam Conversationem, quam semper docet suis Sanctis Statutis & Legibus, ad normam doctrinæ Evangelicæ JESU Christi, Sanctorum Apostolorum, & SS. Patrum promovendo Fideles omnes ad sanctam vitam & conversationem per bona opera, & exercitium virtutum sanctarum, quæ Sacra Scriptura ubique continuò nobis commendat. Homines Sæculares per Observantiam præceptorum Dei, secundùm illud: *Si vis vitam ingredi, serva Mandata.* Homines verò Religiosos, per Consilia Evangelica ad majorem perfectionem, secundùm Consilium Christi: *Si vis perfectus esse, vade vende omnia, & da pauperibus, & sequere me.*

Matth. 19.

Ibidem.

Dicitur ergo Sancta, secundùm hanc vitæ conversationem, quam docet suos Fideles, non quòd omnes sint Sancti, & non sint peccatores, sed quòd in illa sola reperiatur Sanctitas, quam docet & conservat, licèt non omnes eam apprehendant, & nullatenùs extra illam Sanctitas, nam sceleratos habere, commune est alijs Cœtibus, non autem Sanctos, illi soli Sanctos & peccatores. Hanc Sanctitatem doctrinæ in Ecclesia vera expressit S. Augustinus, dum ait: *Nihil in Christianis Ecclesiis turpè & flagitiosè spectandum imitandumq; proponitur, ubi veri DEI aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.*

lib. 2. de Civit. DEI cap. 28.

Hæc prædicat perpetuò DEUM, totius bonitatis & Sanctitatis Fontem, illamq; execratur doctrinam, quæ eundem dicit Authorem peccati, quia præcepta Divina observanda docet, nec docet impossibilia,

bilia, docet non esse mœchandum, non adulterandum, docet servanda esse Vota Religiosa, DEO promissa, nec unquam violanda, docet Consilia Christi Domini Evangelica sectanda, virtutem colendam, vitium fugiendum, bona Opera exercenda, nec tamen fidendum illis sinè gratia Christi, sinè qua nihil illa esse, DEUM & proximum amandum, hæc & multa alia perpetuò docet, ut meritò S. Augustinus lib. de Moribus Ecclesiæ cap. 30. suo tempore dixerit: *Ecclesia Catholica Mater Christianorum verissima.* Et Procopius de eadem meritò scripserit: *Ad pietatem trahit, virtutem persuadet, immortalitatem perdocet, ad cœlestia desideria excitat.* Undè meritò S. Cyprianus dixerit de illa: *Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est & pudica, unam domum novit, unius cubiculi Sanctitatem casto pudore custodit, hæc nos DEO servat, hæc Filios regno, quos generavit assignat.*

lib. 3. de Unit. Eccles.

Si hæc experiri vis, Lector, lege Professionem Fidei Catholicæ, quam ad finem Libri appono tibi; lege Concilia Generalia, præsertim Tridentinū, experieris, quomodo omnes Canones (in his enim continetur doctrina Catholica) sint consentanei DEO, rationi, honestati, pietati, Scripturis, & Antiquæ Ecclesiæ, ad quam semper Diffidentes provocant, quæ verò contra hæc objiciuntur, ita solidè ac clarè à Controversistis solvuntur, ut de invaliditate objectionum evidenter constet, quod si Diffidentes ex sinistra imputatione aliquid in contrarium habeant, candidè proferant, & satisfiet ipsis, modò non habeant animum obfirmatum erroribus & pertinaciâ, quæ est natura hæresis.

Contra Sanctitatem Romanæ Ecclesiæ tam antiqui, quàm recentes hæretici multa objiciunt peccata & scandala tam Prælatorū, quàm varij status hominum facta, & modò fieri in Ecclesia Romana: sed ad hæc breviter respondemus, cùm ex professo instituemus inferiùs Discursum, utrùm peccata hominum impediant veram Fidem & Sanctitatem in Ecclesia Romana? ubi ostendemus ex Sacra Scriptura & Sanctis Primitivæ Ecclesiæ Patribus, quingentorum nempè Sæculorum peccata non impedire, nec præjudicare Sanctitati & veræ Fidei, ex eo, quia Ecclesia continet non solùm justos, sed etiam peccatores, qui sæpiùs varijs peccatis maculant suas conscientias, non autem Fidem & Sanctitatem Ecclesiæ. Proindè distinguendam esse doctrinam à moribus, institutionem à praxi, Sanctitatem effectivam à formali seu personali. Sanctitas effectiva

corpo-

corporis Ecclesiæ consistit in Sacramentis, in legibus Divinis, Consilijs Evangelicis, & alijs medijs pro salute consequenda ordinatis, hæc autem non perduntur, licèt illis plures abutantur, imò sunt sanctificativa, & sanctificant benè utentes, & sunt plurimi, qui benè utuntur prædictis. Hanc Sanctitatẽ non perdunt vitia Prælatorũ, sancta enim sunt ministeria, licèt ipsi sint pravi aliqui, docẽt tamen sanã doctrinã & præcepta, licèt ea non adimpleant. Undè Christus Matth. 23. *Omnia quæcunque dixerint vobis, servate, & facite: opera verò eorum nolite facere.* In quæ verba S. Augustinus lib. 2. contra Petil. cap. 61. ait: *Nec propter illos Pharisæos, quibus nos non per prudentiã, sed per malevolentiam comparatis præcepit Dominus deseri Cathedram Moysis, in qua utique figurabat suam &c. monet tamen populo facere quæ dicunt, non facere quæ faciunt, ne Cathedræ Sanctitas deseratur, & propter Pastores malos gregis unitas dividatur.* Ex hoc loco S. Augustini clarè patet hoc argumentum, fuisse antiquorum hæreticorum, qui exprobrabant vitia hominum, quasi impedientia Sanctitatem Ecclesiæ, quam defendebat S. Augustinus. Similiter S. Chrysostomus ad cap. 1. ad Galat: *Etiamsi qui præsunt, improbi forent, innumerisque scaterent malis, nec sic fas esset discipulo dictis non audientem esse, etenim si de Doctoribus Judæorum dictum est, quoniam super Cathedram Moysis sedebant, eos esse dignos, qui à discipulis audirentur: quâ veniâ digni erunt, qui Ecclesiæ Præsides &c. conspuunt.* Sed ad homines Centunatores, qui Cent. 1. cap. 4. ajunt: *Appendicis vice hæc adijcimus, opera mala à doctrina bona esse discernenda, & neque ob mala opera personæ doctrinam quoque sanam esse rejciendam, sed auditâ doctrinâ opera mala esse fugienda. Dominus enim docet Matth. 23. Super Cathedram Moysis &c. omnia quæcunque dixerint vobis, facite, secundùm verò opera eorum nolite facere.* Lutherus ad Plebanos: *Quodsi nunc (proh dolor!) res habeat Romæ, ut expediret habere melius, attamen neque hæc, neque ulla causa esse potest, ut ab Ecclesia illa separatio aut discessio fieri debeat.* Idem libro de Virtute Excommunicationis ait: *Id super omnia, & in his omnibus considerandum est, quòd potestas Ecclesiæ licèt pro nostris peccatis plerumque tradatur Pilatis, Herodibus, Caiphis, violentisque alijs Tyrannis, nostrum tamen est, eam summis semper studijs revereri, & colere exemplo Christi, qui sic Annam, Caipham, Pilatum honoravit.* Eidem Luthero cùm objectum fuisset in Disputat. Lipsica, quòd Patronus & Fautor fuisset Bohemorum Schismaticorum, respondit: *Nunquam mihi placuit, nec in æternum placebit,*

quodcunq; Schisma iniquè faciunt Bohemi, quòd se auctoritate propriâ separant à nostra unitate, etiamsi Jus Divinum pro illis staret, cùm supremum Ius Divinum sit charitas & unitas Spiritûs, &c. consequens est, quòd Bohemorum dissidium à Romana Ecclesia nullâ possit excusatione defendi, quin sit impium, & Christi legibus omnibus contrarium, quia contra charitatem, in qua omnes leges summantur, iudicabat ergo Lutherus dissidium Bohemorum impium à Romana Ecclesia, & legibus divinis contrarium, ob peccata aliena ab unitate Ecclesiæ recedere. Sed quid Lutherus de se ipso in Epist. ad Gal. c. 1. ait audiamus: *In monasterio carnem meam vigilijs, ieiunijs, orationibus castigavi, &c. Papam ob conscientiam magnâ observantiâ colui, &c. Castitatem, Paupertatem, Obedientiam servavi, &c. idq; feci simplici corde*
NB. *bono, zelo, & ob DEI gloriam, ultimum iudicij diem timens, & ex animo salutem sitiens*, quam assecutus fuisset, si in his omnibus perseverâsset. Calvinum quid ipse dicat audiamus. Sic ille lib. 1. Instit. cap. 1. ait: *Quòdsi Religio erat Sanctis Prophetis ob plurima & maxima scelera non unius aut alterius hominis, sed propemodùm totius populi, se ab Ecclesia non alienare, nimium nobis arrogamus, si protinùs audeamus ab Ecclesiæ Communione deficere, ubi non omnium mores vel nostro iudicio, vel Christianæ etiam professioni non satisfaciunt.* Ergo etiam ex mente Diffidentium non impediunt peccata Sanctitatem effectivam Ecclesiæ Romanæ, à qua in nullo casu recedere licebat, etiam ex sententijs illorum, quod tamen fecerunt, sed videant quâ conscientiâ id fecerunt sequaces illorũ. Si tamen Diffidentes urgeant carentiam Sanctitatis in Ecclesia Romana ob peccata hominũ, multò magis apud illos non erit, quod ex ipsorum testimonijs sic ad oculum probamus. Lutherus de suis Dominicâ 26. post Trin. ait: *Anteà cùm ad Pontificis seductionem & falsum DEI cultum cogeremur, ad benè operandum quilibet ultrò sequebatur, nunc quisq; nihil aliud novit, quam iniustis exactionibus, rapinis, manifestis furtis, mendacijs, usuris, omnia ad se transferre. Tam insigniter maligni fieri coguntur homines in gratiam Evangelij, &c. ita ut cum non ampliùs humano, sed diabolico more omnem misericordiam exuerint.* Et in Epist. ad Ephes. vocat omnium mortalium sceleratissimos ac facinorosissimos, tetra monstra, malos genios humanâ formâ indutos; Et ad Corint. cap. 15. de ijsdem ait: *Futuræ vitæ nullam habent rationem, sed sicut credunt, ita vivunt, sunt & manent sues, & sicut sues moriuntur.* Erasmus Epist. ad Fratres inferioris Germaniæ ait: *Quos anteà (sub*

Papatu)

Papatu) noveram puros, candidos, & fuci ignaros, eosdem vidi ubi
se Sectæ Evangelicæ dedissent, loqui cæpisse de puellis, aleis lusisse, abie-
cisse preces, impatientissimos, omnis iniuriæ vindices, vanos, viperinos
in moribus, ac prorsùs hominem exuisse expertus loquor. Volfangus
Musculus in explic. 3. præc: Ut verum fatear, nostri adeò sunt mu-
tati, ut cùm sub Papatu &c. essent, nihilominùs Religiosi fuerint, nunc
autem &c. magis profani quàm filij huius seculi evaserunt. Meno
Protestans lib. de Christ. Fide cap. de fide mulieris Chanan. ait: Si
ad Prædicatores veneris, qui de verbo gloriantur, invenies quosdam,
apertè mendaces, quosdam ebriosos, & vinolentos, quosdam fænerato-
res, quosdam superbos, & fastuosos, tam habitu, quàm gestu, quosdā
calumniatores, & conviciatores &c. & proditores innocentum. Quo
iure etiam ac fide nonnulli matrimonia contraxerint, cuius notæ uxores
habeant, &c. aluntur meris reductionibus &c. & rapinis, tantum do-
cent, quantum ventri dedito Magistratui placet, quantumq; ille iusserit.
Simon Paulus Superintendens, magnæ auctoritatis apud Protestan-
tes, Serm. Dominicâ 3. post Trinit. sic ait: Nostro tempore iustè con-
queri possunt & dicere ministri, væ tibi Lubecca! væ tibi Hamburge!
væ tibi Rostochie! &c. væ vobis omnibus, quotquot ditio hæc continet!
væ vobis cæteris, impijs, adulteris, fornicatoribus, Heluonibus, usurarijs,
mendacibus, omnibus vicinis peccatoribus. Sed hic homo contra do-
ctrinam suorum Magistrorum clamavit, nam Lutherus his occasio-
nem dederit, qui libro de libertate Christiana sic ait: Christiano neq;
opera, neq; lex necessaria est, quia per fidem liber est ab omni lege.
Adhuc pejùs aures erigite Tom. 1. Wittenberg. fol. 189. 190. 200.
dixerat: Oportet cor humanum legem DEI, atq; adeò DEUM ipsum
supra modum odisse. Idem in secundum Caput ad Gal. ait: Legi mo-
ri nihil aliud est, quàm ad legem non esse obligatum, ab eaq; liberum
esse. Et in 4. cap. expresse addit: Clarum est, Decalogum solùm Ju-
dæis datum, & non nobis, nec Sectarij sinè mendacio docere possunt ali-
ter. Idem Tom. 3. lib 4. Wittenberg. fol. 175. ait: Ubicunq; iubet
Scriptura bona opera facere, tu id sic intelliges, quòd Scriptura prohibe-
at bona opera facere. Undè ex hâc doctrinâ Lutheri hæc sequi vi-
dentur: Ubi Scriptura dicit, Non habebis deos alienos, sequitur, ha-
bebis: Non mœchaberis, sequitur mœchaberis: Non furtum facies,
sequitur facies: Non concupisces rem alienam, & omnia quæ illius
sunt, sequitur concupisces; conformiter ad doctrinā superiorē idem
libro de vita conjugali ad illud, Crescite & multiplicamini, ait: Si

non vult uxor, veniat ancilla. Similiter Calvinus in Inſtruct. contra libert. cap. 13. ait: *Concupivit aliquis uxorem proximi, eâ potiatur, ſi poteſt &c. audacter eripiat vi vel fraude fortunas proximorum.* Lutherus hoc idem approbat, cùm in Argum. Epiſt. ad Galat. edit. primæ ait: *Summa ars & ſapientia Chriſtiana eſt, neſcire legem, ignorare opera, & totam juſtitiam activam.* Quid ergo ex hac doctrina utriusq; ſequi debuit, quàm hoc quod Povellus in Adiaphoris pag. 136. ait: *Quis tam cæcus, qui non deploret miſerum ſtatum Eccleſiæ noſtræ, quantumlibet glorioſa reputetur, magnam dico ignorantiam, neglectum DEI cultum, horrendas blaſphemias, juramenta in domibus, in plateis, &c. fornicationem, adulteria, ebrietates, uſuras, avaritiam, & alias ejusmodi abominationes.* Non inſultent ergo Proteſtantes & Calviniſtæ Romanæ Eccleſiæ, quòd in illa peccata inveniantur, cùm multò graviora Duces ipſorum fecerunt, & alios Scriptis ſuis docuerunt, cùm DEI gratiâ in nullo Catholicorum libro tam injurioſa Deo & omni æquitati, ipſiq; rationi repugnantia inveniantur, prout ſuperiùs retulimus. Si ergò multò graviora peccata ſecundùm allegata ipſorum inveniantur inter Lutheranos & Calviniſtas, & tamen opinantur ſuam fidem Sanctam, multò magis Eccleſiæ Chriſti veræ tribuendum, quòd peccata ipſius Sanctitatem non tollant, ſicut inveniuntur in Libris Lutheri & Calvini, prout adhuc inferiùs magis patebit. Unico hunc Diſcurſum concludimus argumento ex principijs Lutheri & Calvini: Vel antiqua Romana Eccleſia vera non fuit, quod illi negant, & juſte, nam & illi non deberent vocari Chriſtiani; vel præſens eſt etiam vera, nam eodem modo illuſtravit eam Dominus nunc ac tunc viris Sanctitate illuſtribus, & morum regulis, quod ipſi Centuriatores ſingulis Centurijs tam primorum quàm poſteriorum ſæculorum eadem pietatis officia ejusdem Sanctitatis cultores in Eccleſia Romana enumerant. Lutherus in Locis Commun. Claſſ. 5. pag 117. ait: *Fateor, non defuiſſe ſua dona Dominico, Franciſco, Bernardo, & alijs, qui primi inſtituiſſe Collegia Monachorum dicuntur.* Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 13. §. 15. ait: *Non ſic hodie à ſancta illa antiquitate Monachos degeneráſſe dico, quin aliquos in ſuo genere bonos habeant.* Et §. 18. de Viduis ait: *Quæ ad publicum miniſterium viduæ recipiebantur, eis ſibi perpetui Cœlibatûs conditionem impoſuiſſe.* Et mox addit: *Eas peccáſſe fidem Eccleſiæ datam fallendo.* Lutherus in Propoſit. A. D. 1520. editis ait: *Ad libertatem pertinet, ſeſe poſſe perpetuo voto aut cuicunq; legi ſubdere. Talis fuit Bernardi*

Religio, & omnium qui feliciter Religiosi fuerunt Apologia Confess.
Augustanæ Cap. Respon. ad Arg. Advers. hæc habet: *Antonius, Ber-*
nardus, Dominicus, Franciscus, & alij Sancti Patres elegerunt certum
vitæ genus. Quare Sanctos vocat? quia Ecclesia Sancta Romana, quia
in illa vera fides, sinè qua Sanctitas stare non potest. Lutherus in
Epist. ad Galat. cap. 4. 3. habet hæc: *Si Papatus illam Sanctimtem*
haberet, quam tempore veterum Patrum, Hieronymi, Ambrosii, Augusti-
ni, & aliorum habuit, quid iam contra Papatum proficeremus. Et in
declaratione quorundam Articul. ait: *Quòd Romana Ecclesia sit à*
DEO præ alijs honorata, non est dubium, ibi enim SS. Petrus & Pau-
lus, Pontifices 46. ac tot centena millia Martyrum sanguinem suum
fuderunt, ut vel palpari queat, quàm singularem habeat respectum ad
eam DEUS. Si ergo Lutherus dicit, eam modò defecisse, maximam
injuriam facit Christo, acsi ille non stetisset verbo, qui dixerat de il-
la: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*; & secundùm il- Matth. 16.
lud: *Ero vobiscum ad consummationem seculi.* Sed ipsemet Lutherus Ibidem 28.
fatetur Tom. 2. Germ. Wittenb. fol. 229. *Fatemur, in Papatu ve-*
ram esse Scripturam, verum Baptismum, verum Sacramentum Altaris, ve-
ras claves ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, ve-
rum Catechismum: plus dico, esse in Papatu veram Christianitatem, im-
mo ipsum nucleum Christianitatis. Ex his Lutheri verbis hoc sequi
videtur, Ergo extra illam nihil est simile, cùm sit Ecclesia Christiana,
quæ enumerata à Luthero continet omnia. Habet ergo eandem
Sanctitatem etiam teste Luthero moderna Ecclesia, cùm habeat
Papatus nucleum Christianitatis, nam proponimus doctrinam &
virtutum exempla Divi Hieronymi, Augustini, Ambrosij, & aliorũ
imitanda, ipsorum utimur testimonijs defendendo Missæ Sacrifici-
um, intercessionem Sanctorum, bona opera necessaria ad salutem,
Oblationem pro defunctis, liberum Arbitrium, Ritus omnes & ce-
remonias Ecclesiæ, quæ ferè omnia inveniuntur in prædictis SS. Pa-
tribus, prout inferiùs clare omnibus patebit.

De Nota Tertia,

Quòd Ecclesia Romana sit Catholica.

HÆc est illa amplissima Hæreditas Christi, quam promeruit a- Psalm. 2.
pud æternum Patrem, dicentem ad ipsum: *Dabo tibi Gentes*
Hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Unde ipse-

 met

Actor. 1. met Christus de hac hæreditate Ecclesiæ ad Apostolos ait: *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & usq; ad ultimum terræ.* Ex his patet, illam solam doctrinam, & Fidem Christi esse, quæ in universo mundo annunciatur: quam etiam prædixit
Psalm. 18. Propheta: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*, & hæc doctrina dicitur Catholica, id est Universalis, quia in universo Orbe prædicatur, & opponitur omnibus privatis doctrinis, & Sectis, quæ vel in aliquibus Regnis, vel noviter exortæ, quarum tempus Authores, paucitas Sæculorum notatur, istæ non sunt doctrinæ Christi, cùm tales doctrinæ pæne innumerabiles sint, & omnes sibi contrariæ inveniantur, nec una alteri cedit, sed ad invicem se condemnant, quod Christus cavere jussit Matth. 24.

Probatur, quòd Ecclesia Catholica, id est Universalis, sola sit Ecclesia Christi vera inter tot falsas. Articulus fidei est in Symbolo Apostolorum, *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam*, hic Articulus debet verificari usq; ad finem mundi, sicut alij verificantur, *Credo in Deum Patrem &c.* aliàs falsò diceremus, *Credo Ecclesiam Catholicam.* Matth. 24. *Prædicabitur Evangelium Regni in universo Orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio.* Marc. ult. *Ite in Mundum universum, & prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Lucæ 24. 46. *Oportebat Christum pati, &c. & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes.* Actor. 1. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & usq; ad ultimum terræ.* Actor. 9. *Quoniam vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus.* Ad Rom. 1. *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine eius.* Apocal. 5. *Redemisti nos in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos DEO nostro Regnum.* Matth. 8. *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham.* Conformiter SS. Patres ad prædicta S. Scripturæ loca de Universalitate veræ Christi Ecclesiæ, quæ multis alijs falsis privatis cœtibus opponitur, loquuntur. Vincent. Lirin. adv. prof. voc. Novit. cap. 3. ait: *In ipsa Catholica Ecclesia magnoperè curandum est, ut id teneamus, quod ab omnibus creditum est, hoc est enim verè propriè catholicum, &c. si sequamur Universitatem, Consensionem, Antiquitatem.* S. Irenæus lib. 1. cap. 2. *Ecclesia enim per universum Orbem*

usq;

usq; ad fines terræ seminata. S. Cyprian. de Unitate Eccles. *Ecclesia Domini luce perfusa per totum Orbem radios suos porrigit.* S. Cyrillus Hierosol. Catech. 8. *Catholica vocatur Ecclesia, quia per universum Orbem terrarum diffusa, à finibus terræ usq; ad extrema.* Theodoretus in Psal. 47. *Vna quidem per totum Orbem atq; mare &c. & unica Ecclesia Catholica & Apostolica, à finibus usq; ad fines terræ.* Egesippus lib. 2. de excidio cap. 12. *Ex quo cæpit congregatio Christianorum, in omne hominum penetravit genus, nec ulla natio Romani Orbis remansit, quæ cultûs eius expers relinqueretur.*

Hæc verò doctrina universalis, quam Christus Apostolis in universo Orbe præcepit; & Fides, quæ annunciatur in Mundo universo, in sola Ecclesia Romana invenitur, id est in Ecclesia Universali, Doctrina & Fides Universalis.

Sic SS. Patres. S. Augustinus de Romana Ecclesia: *Ipsa est Ecclesia Catholica, quòd per totum Orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet, ideò secundùm verbum Domini nostri IESU Christi abscondi non potest.* Idem lib. de vera Religione ait: *Tenenda est nobis Christiana Religio, & eius Ecclesiæ Communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solùm à Suis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintve, ipsi quoq; Hæretici & Schismatum Alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam vocant, non enim possunt intelligi, nisi de hoc nomine eam discernant, quo ab universo Orbe nuncupatur.*

Epist. 170. ad Severinum.

Cap. 7.

S. Hieronymus: *Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini Tuæ, id est Cathedræ Petri, Communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. quicunq; extra hanc domum Agnum comederit, profanus est.* Ejusdem Ecclesiæ Universitatem exprimens ad Læt. scribit Epist. 7. *De India, Perside, Æthiopia, Monachorũ quotidie turmas suscipimus; deposuit Pharetras Armenius, Hunni discunt Psalterium, Scythiæ frigora calore Fidei fervent, Getarum rutilus & flavus exercitus, Ecclesiarum circumfert tentoria.* S. Augustin. Epist. 162. *Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, per Communicatorias literas esse coniunctum.* S. Cyprianus: *Pseudoëpiscopo sibi ab Hæreticis constituto. Navigare audent ad Petri Cathedram, atq; ad Ecclesiam Principalem, unde Vnitas Sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia non habet accessum.* S. Hieronymus ad Evagrium: *Non altera Vrbis Ecclesia, altera totius Orbis exami-*

Epist. 57. ad Damasum.

S. Hieron. p. 21.

Lib. 1. Ep. 3.

nanda

nanda eſt, & Galliæ, Britanniæ, & Africæ, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ Nationes, unum Chriſtum adorant. Idem ait: *Apoſtolicam Sedem, univerſamq́; Romanam Eccleſiam, Romanumq́; Imperium &c fuiſſe commotum hæreſi Pelagij.* S. Proſper. *Sedes Romæ Petri, quæ Paſtoralis honore facta Caput mundi, quidquid non poſſidet armis, Religione tenet.* Idem ait: *Roma per Apoſtolici Sacerdotij principatum amplior facta eſt arce Religionis, quam Solio poteſtatis.* S. Ambroſius in Orat. Funebri de Satyro: *Percunctatus ex eo eſt, utrum cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt cum Eccleſia Romana conveniret.* Idem ait: *Judæorum plebe damnatâ, Eccleſiæ myſterium evidenter exprimitur, quæ in Ninivitis per pœnitentiam, & in Regina Auſtri per ſtudium percipiendæ ſapientiæ, de totius Orbis finibus congregatur. &c. Regina planè, cuius Regnum eſt indiviſum, de diverſis & diſtantibus populis in unum Corpus aſſurgens.* S. Auguſtinus ait: *Sed planè & Judæi & Pagani, ſi tam paucos vos putarent Chriſtianos, quàm pauci vos eſtis Donatiſtæ, qui ſolos Chriſtianos eſſe prohibetis, &c. nunquam ridere ceſſarent. Non timetis, ne vobis dicant Judæi, ubi illud dictum, lætare ſterilis, quæ non paris, &c. quoniam multi filij deſertæ, &c. præponens multitudinem Chriſtianorum multitudini Judæorum. Si Eccleſia Chriſti eſt paucitas veſtra, &c in longinquis terris Conſtitutorum nomen Donati inauditum eſt.* Undè S. Pacianus ait: *Catholicum iſtud nec Marcionem, non Apellem, nec Montanum ſonat, nec hæreticos ſumit Auctores.* In Epheſino Concilio Philippus Presbyter Tom. 2. cap. 16. *Petrum Caput Eccleſiæ Catholicæ fundamentum per Succeſſores ſuos, huc uſq́; ſemper vivere, cauſasq́; decernere, ſemperq́; victurum eſſe.*

Contra Pelagian. cap. 7.
Lib. de ingratis.
De Vocat. Gent. cap. 6.
Lib. 7. in Luc. cap. 11.
Epiſt. 48. ad Donat.
Ep. ad Sympr.

Audiamus & adverſæ Partis teſtimonia ad præſentem Diſcurſum. Calvinus in Inſtitut. Galli. Genevæ impreſſis 1562. ait: *Notum & indubitatum eſſe, quòd ab Apoſtolorum temporibus, uſq́; ad ſuprà dicta, nulla doctrinæ mutatio facta fuerit Romæ, vel in alia ulla Civitate.* Idem lib. 4. cap. 1. §. 10. ait: *Eccleſia Univerſalis eſt collecta ex quibuscunq́; gentibus multitudo, quæ intervallis locorum diſſita & diſperſa, in unam tamen divinæ doctrinæ veritatem conſentit, & eiusdem Religionis vinculo colligata eſt.* Lutherus in Locis Commun. Claſſ. 1. cap. 35. pag. 195. *Cùm DEUS voluerit habere per totum Orbem unam Eccleſiam, &c.* vide ſuprà pag. 86. Licèt alibi aliud contrarium dixerit in Colloq. Latinis Tom. 2. Tit. de Patribus: *Tertulliani & Cypriani ætate degeneravit Eccleſia, immo ipſis Apoſtolis adhuc viventibus.* Hoc Argumentum Lutheri eſt Argumentum Mani-

NB.

chæorum apud Lirinen. cap. 26. Gaudentius apud S. Augustinum
lib. 2. cap. 25. cum alijs Donatistis dicebat: *Cùm cæpisset crescere*
Ecclesia, noluerunt homines perseverare, & defecit ex omnibus gen-
tibus, exceptâ parte Donati. Et si defecit secundùm Lutherum tem-
pore Apostolorum, quam Ecclesiam instituit Lutherus post tam
longum tractum annorum? qui licèt in prioribus Catechis. editio-
nibus retinuit in Symbolo nomen Catholicæ, sed in editionibus po-
sterioribus abrasit Catholicam, & posuit Ecclesiam Christianam. In
Catechismo autem erubescens excludere nomen Catholicæ in Do- NB.
minica 15. sic ait: *Catholicum positum est, ad significandum, quòd ut*
unum est tantùm caput fidelium, sic debent esse unum corpus, ita ut
non plures Ecclesiæ, sed una tantùm sit per Orbem diffusa. Confessio
Wittenbergensis ait: *Credimus & confitemur, quòd una sit Sancta*
Catholica & Apostolica, secundùm Symbolum Apostolorum & Nicænum.
Confessio Belgica Art. 27. *Credimus & confitemur Unicam Ecclesiam*
Catholicam Universalem, &c. credimus, quòd cùm &c. salus non sit
extra eam. Napperus: *Papisticum Regnum occupat omnes mundi par-* *in Apocal. cap. 11. pag. 161.*
tes, absq; alia contradictione, totos mille ducentos sexaginta annos ab *Sect. 14. p. 82*
Anno Domini 316. Bunius in Tract. pacif. ait: *Romana Ecclesia, ex* NB.
quo? ab Apostolis fidem accepit, verbum & Sacramenta à Christo Do-
mino, tradita retinuit, quod sanè singulare donum DEI est, & mani-
festum opus Spiritûs Sancti. Nicolaus de Remota India ait: *In in-* *pag. 46. & 60.*
gressu Templi lustralibus aquis, perindè ut Pontificij asperguntur, eodem
ritu & Religione mortuos sepeliunt, & pro illorum sempiterna salute
Christum invocantes. &c. Sunt apud illos & Monachorum Sodalitia,
& Virginum Sacrarum Cœtus, ædibus semotis inclusi, ab omnibus illis
pudicitia, cum summo probitatis, & abstinentiæ, & Religionis studio
conservatur. Jejunia temporum, quæ Adventum & Quadragesimam ap-
pellamus, sincerè observant &c. In Thomæ honorem diem festū agunt.
Et pag. 64. de remotis Catayanis ait: *Sua habent Sacella, pro mer-*
catorum peregrinantium incolumitate, ritibus Missaq; litant. Eduinus
Sandus in Relat. de Statu Relig. Occid. fol. 6. ait: *Consentit Græco-*
rum Ecclesia cum Romana in assertione Transsubstantiationis, in Sacrifi-
cio, & in toto ritu Missæ, in Invocatione Sanctorum. Theolog. Wit-
tenberg. in Tractatu edito Anno 1584. in Titul. Acta Theol. Wit-
tenberg. ait: *Quòd Græcorum Ecclesia, licèt hodie à Romana Ecclesia*
divisa sit, profitetur tamen se credere invocationem & venerationem
Sanctorum. Wittakerus contra Duræum lib. 7. de hac Universali-
tate

tate ſic loquitur: *Quidquid de Eccleſiæ propagatione, amplitudine, gloria, veteres Prophetæ prædixerunt, id perfectum eſſe hiſtoria luculentiſſimè teſtatur, ita vaticinijs Prophetarum Eccleſiaſticam hiſtoriam ſuffragari nulla controverſia eſt.* David Chitræus Anno 1559. apud Genebrar. 4. Conog. parte 747. fatetur & probat, *quòd teſtimonia ab hoſtibus multum placere debeant.*

Quæ Univerſalitas Eccleſiæ ad Fidei Univerſalitatem extendi debet, quæ ex unanimi conſenſu, integritate, atq; antiquitate compendiata eſt, quæ Univerſalitas tam locorum, quàm Fidei nulli Eccleſiæ, quàm Catholicæ competit, de quo teſtatur S. Auguſt. *Ipſa eſt,* inquit, *Eccleſia Catholica, quòd per totum Orbem terrarum diffunditur. hanc ignorare nulli licet, ideò ſecundùm verbum Domini noſtri JESV Chriſti abſcondi non poteſt*

Epiſt. 170. ad Severinum.

Eſt ergo Eccleſia Univerſalis, & Fides, quâ conſtituitur. Quæ Univerſalitas multipliciter ſumitur. Primò dicitur Univerſalis, quia



univerſaliter vera eſt in ſuis fidei Articulis, prout omnibus clare inferius patebit, & oppoſita omnibus privatis cœtibus, cum quibus ſemper unica & ſola pugnat, & ideò Militans dicitur. Univerſalis dicitur, quia tradit doctrinam univerſalem de cœleſtibus viſibilium & inviſibilium ad ſalutem pertinentium. Univerſalis dicitur, quia habet univerſales medicinas Sacramentorum, habentes efficaciam ad purgandum quemlibet morbum Spiritualem. Univerſalis dicitur, quia differt Privilegio Univerſalitatis à Synagoga particulari data uni populo, non enim Synagoga erat duratura, cùm eſſet figura novæ legis, ut 1. Corint. 10. dicitur, *Omnia in figura contingebant,* cujus Sacramenta non erant in tota perfectione completa, ut S. Irenæus lib. 3. de Gentil. ait: *Præfigurata fuit in Abel, & deſcripta in Prophetis, perfecta verò in noviſſimis temporibus in Filio DEI.* Univerſalis deniq; dicitur, quia ad finem dirigit univerſalem, ſcilicet ad DEUM, qui eſt univerſale Bonum, per Præcepta & Conſilia Evangelica, ſecundùm mandatum Chriſti Matth. 28. *Docentes eos ſervare omnia quæcunq; mandavi vobis,* & Joan. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis,* & Actor. 1. *In omni gente qui timet DEVM, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi &c. Hic eſt omnium Dominus* Quid verò de ſua paucitate Diſſidentes dicant audiamus. Mornæus in Præfat. Myſt. Iniq. ait: *Noſtra Reformata Eccleſia cùm & puſilla & nupera ſit,* Centuriatores in Epiſt. Dedic. Cent. 5. ajunt, Suam *Eccleſiam in lateribus Aquilonis incluſam, non ſecùs ac*

Dona-

Donatus in meridie eandem incluserat. Beza Epist. Theol. pag. 7. ait: *Rectè nos Protestantes ab Ecclesia Anglicana distinguimur, & insuper ostendimus, Lutherum posterosq; errores tam Protestantibus, quàm Ecclesiæ Anglicanæ contrarios tenuisse.* Protestans Deeringus epist. ad Hebr. cap. 2. & 12. lect. 10. & cap. 3. lect. 12. *Honorem DEI in angulis & locis desertis absconderunt, cùm (teste Apostolo) ex ore fiat confessio ad salutem.* Hospinianus in histor. Sacram. part. alt. ait: *Lutheranorum, Zvinglianorum, Calvinistarum nomina horreo.* Parkinius in Apol. pag. 31. *Talia agnomina per omnia tempora eos distinxerũt, quæ vel nova dogmata ab Ecclesiæ doctrina, aliena ipsi invexerunt, vel ab alijs inventa defenderunt.* S. August. ad rem nostram lib. de Util. cred. cap. 14. ait: *Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium est, quoniam neminem in auctoritatem præfertis.* Si verò Lutherani, Calvinistæ, & alij Dissidentes voluerint ad se trahere Ecclesiam ratione suæ paucitatis, erunt similes Donatistis, qui dicebant, in toto Orbe perijsse Ecclesiam, & solùm remansisse in parte Donati: imò Anabaptistæ, Quakeri, Mennonistæ, magis sibi Ecclesiam appropriabunt, cùm sint pauciores Lutheranis & Calvinistis, & tamen utriq; habent illos pro hæreticis, ut patet ex Authore Tubæ pag. 13. qui ait: *Hos non curemus, &c. cùm extra Ecclesiam se posuerint, atq; apud illos nulla est fides Christiana, quæ sensu Ecclesiæ Catholicæ, quæ animâ fidei est destituta.*

Sed audite prædicti omnes, quid de vestra paucitate sentiat S. Augustinus in Psal. 85. dum ait: *Christo maledicunt, qui dicunt quia perijt Ecclesia de toto Orbe terrarum, & remansit in sola Africa. Si diceres illi, perdes villam tuam, fortè non à te temperaret manum, & dicis Christum perdidisse hereditatem suam, redemptam sanguine suo. Quam autem faciat iniuriam: videte Fratres, Scriptura dicit, In lata gente gloria Regis, &c. Ergo hanc iniuriam facis Christo, ut dicas, populum suum ad istam exiguitatem diminutum. Ideò natus es, ideò Christianum te dicis, ut invideas gloriæ Christi? Agnosce Regem tuum, da illi gloriam, da illi latam gentem, dabo inquis, &c. undè do inquies? Ecce hinc da. Omnes gentes quotquot fecisti, venient & adorabunt coram te: dic hoc, confitere hoc, & dedisti latam gentem.* Et in Psal. 21. in illud: *In Ecclesia magna confitebor tibi. Ecclesia magna quid est Fratres? Ecclesia magna totus Orbis est, &c. Quid mihi dicis ô hæretice, non est pretium Orbis terrarum. Si sola Africa redempta est, non audes dicere, non totus Orbis redemptus est, sed perijt, quem invaso-*

rem passus est Christus, ut perderet rem suam, &c. Convertentur ad *Dominum universi fines terræ, dixit ô hæretice, Universi dixit, ut evadas, quasi ostium non habes quâ exeas, sed habes quò intres.*

Concludimus verbis Henrici VIII. Regis Angliæ, qui exsurgente Luthero, in Sedem Apostolicam pietate non minùs quàm eruditione plenum (antequam Annæ Bolenæ adulterino amore excæcaretur) libellum de Septem Sacramentis ediderat, ubi Art. 2. mirabiliter Primatum Romani Pontificis, & Ecclesiam Romanam Matrem & Primatem omnium Ecclesiarum probat, his verbis: *Negare Lutherus non potest, quin omnis Ecclesia fidelium, Sacro-Sanctā Romanam velut Matrem Primatemq; recognoscat ac veneretur, quæcunq; saltim neq; locorum distantiâ, neq; periculis interiacentibus prohibetur accessu. Quanquam (si vera dicunt, qui ex India veniunt huc) Indi etiam ipsi, tot terrarum, tot marium, tot solitudinum plagis disiuncti, Romano tamen Pontifici se submittunt. Ergo si tantam & tam latè fusā potestatem neq; iussu DEI Pontifex, neq; hominum voluntate consecutus est, sed suâ vi vendicavit, dicat velim Lutherus, quando in tantæ ditionis erupit locum.* Et ostendens, talem fuisse Potestatem Romano Pontifici ab initio agnitam, & Romanam Ecclesiam cæteras moderâsse, progreditur his verbis: *Quin Græciam ipsam, quanquam ad ipsam commigrâsset Imperium, reperiemus tamen, quòd ad Romanæ Ecclesiæ Primatum pertinebat, præterquam dum Schismate laborabat, Romanæ Ecclesiæ cessisse.* Cùm ergo in Symbolo Apostolorum non inveniamus, Credo Ecclesias particulares, sed Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, id est Universalem, sequitur, solam Ecclesiam Universalem esse veram Ecclesiam Christi, quæ est Romana, ex consensu Sanctorum Patrum, Populorum, & totius antiquitatis, quam ipsimet Dissidentes fatentur primis Sæculis veram: si tunc veram, quare & nunc de illa non debet verificari, *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* Matth. 16. Et illud: *Ego vobiscum usq; ad consummationem seculi* cap. 28. Hæc & multa alia promisit Christus Ecclesiæ, qui dixerat: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt* Lucæ 21. Libenter scirem, quomodo dicant omnes Dissidentes Symbolum Apostolorum, an dicant Credo S. Ecclesiam Catholicā, & si unusquisq; cœtus credit, apud se particularē Ecclesiā, aliter dicit, aliter credit, contra S. Scripturam, quæ mandat credere Catholicam, id est Universalem, non particulares: & tamen dicunt, nihil credendum, quod non est in S. Scriptura, Ergo nec particulares Ecclesias, quæ non specificantur in Symbolo Apostolorum, nisi sola Universalis.

Vide suprà pag. 86. quid ipse Lutherus alias senserit de Romano Pontifice Vers. 11. & Vers. 21.

In Symb. S. Athanasii legimus Quicunq; &c. ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem &c. Et hæc est Fides Catholica. non dicit Particularis. quod Symbolū Dissidentes dicunt se observare.

De

De Nota Quarta,
Quòd Ecclesia Romana sit Apostolica.

APostolica Ecclesia ex derivatione Nominis dicitur ab Apostolis propagata Apostolorum Principi ad regendum tradita à Christo Domino, Suisq; Successoribus. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quam promissionem complevit post Resurrectionem Christus, ter pronuncians Joan. 21. *Pasce Agnos meos, Pasce Agnos meos, Pasce Oves meas.* Fortè ideò ter pronunciavit Christus hæc verba, ne haberent excusationem omnes hæretici, nec objicerent, quòd Christus non commiserit Petro totiùs Orbis pascendas oves, cùm commiserit agnos & oves trino præcepto pascendas. Apostolica ab Apostolis per legitimam Successionem Pastorum post S. Petrum usq; ad nostra tempora deducta. Hanc Successionem SS. Patres ita dicunt esse necessariam, ut sine illa Ecclesiam subsistere non posse affirment. Ita S. Hieronym. ait: *Ecclesia non est, quæ non habet Sacerdotes.* Et S. Augustinus: *Numerate vel ab ipsa Petri Sede, & in ordine illo Patrum, quis cui successit. Videte, ipsa est Petra, quam non vincunt inferorum portæ;* ubi ex Successione Pastorum deducit Sanctus Ecclesiæ Firmitatem. Hinc maximè solliciti fuerunt SS. Patres, in enumeranda hac Successione Episcoporum. Idem S. Augustinus ait: *Si enim Ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, &c. Petro successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus*, & enumerat Pontifices 36. usq; ad Anastasium, & concludit: *In hoc Ordine Successionis, nullus Donatista Episcopus reperitur.* Enumeratâ verò hâc Successione contra Epist. Manich. sic ait: *Multa sunt, quæ in ejus gremio me tenent, Ecclesiæ Catholicæ. Tenet me à Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas, post Resurrectionem Dominus commendavit, usq; ad præsentem Episcopatum, Successio Sacerdotum.* Idem ait: *Nam & Ordinem ab Apostolo Petro cœptum, & usq; ad hoc tempus per traducem Succedentium Episcoporum, servatum perturbant.* Hic S. Augustinus ostendit, quòd ætate illius perturbabant hæretici hanc Successionem. Undè apertè reprehendit tales, dum ait: *Cathedra tibi quid fecit Romanæ Ecclesiæ, in qua Petrus sedit, in qua hodiè Anastasius sedet, quibus nos in Catholica Unitate connectimur, &c. quare appellas Cathedram pestilentiæ, Cathedram Apostolicam?* Ex his verbis S. Augustini duo clarè patent.

Matth. 16.

contra Lucif.

in Psalm contra par. Donati Tom. 7.

Epist. 165.

Cap. 4.

NB.

Tom. 4. & 29. in Nov. & Vet. Test. 9. 10.

Lib. 2. contra Liter. Petil. cap. 51.

Unum, quòd Cathedra Romanæ Ecclesiæ sit Cathedra Apostolica, & quòd Romana Ecclesia sit Ecclesia Catholica, cui se connexum dicit. Alterum est, quòd qui oppugnant Ecclesiam Romanam, Catholicam & Apostolicam, sumpserunt Argumenta ex antiquis hæreticis contra illam. S. Irenæus ait: *Eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus Fidem per Successionem Episcoporum provenientem, usq; ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, vel per malam sententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undiq; Fideles, in qua semper ab his, qui sunt undiq; conservata est, ea quæ est ab Apostolis traditio, &c. Fundantes igitur, & instruentes Beati Apostoli Ecclesiam; Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Successit autem ei Anacletus. Post eum tertio loco ab Apostolis sortitur Episcopatum Clemens, qui vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis. &c. Huic autem Clementi succedit Evaristus. Hâc Ordinatione & Successione ea, quæ est ab Apostolis, in Ecclesia traditio & veritatis præconizatio pervenit, usq; ad nos, & est plenissima hæc ostensio, unam & eandem vivificatricem Fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usq; nunc sit conservata, & tradita in veritate* Ubi etiam S. Irenæus per Ordinationem, Successionem & Traditionem, veram ostendit Ecclesiam & Fidem, quibus semper fuerunt, & sunt hæretici contrarij, quia per hæc ipsorum fraudes propalantur. Ostendit etiam, quòd hanc Successionem hæretici impugnabant, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel cæcitatem & malam sententiam, secundùm suum placitum, quod ipsis insanum cerebrū persuasit. S. Cyprianus ait: *Factus est autem Cornelius Episcopus, de DEI & Christi eius iudicio, &c. cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret* Idem ad Magnum ait: *Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelicâ & Apostolicâ Traditione contemptâ nemini succedens à seipso ordinatus est.* S. Epiphanius ait: *Attamen Episcoporum Romæ Successio hanc Consequentiam habuit Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Evaristus, Alexander, Sixtus, &c.* S. Hieronymus de Viris illustribus dicit de Clemente: *Quartus post Petrum Romæ Episcopus, siquidem secundus Linus fuit, & tertius Cletus.* Idem Hieronymus ait: *Clemens Vir Apostolicus, qui post Petrum Romanam rexit Ecclesiam.* S. Athanasius & Ægy-

Lib. 3. cap. 3.

Ep. 52. ad Antonian.

Ep. 75.

Hær. 27.

Lib. 14. Comment. in Esa.

& Ægyptij Episcopi in Epist. ad Marcum Papam: *Domino Sancto, & Apostolici Culminis Venerando Marco, S. Romanæ Apostolicæ Sedis atque Universalis Ecclesiæ Papæ, Athanasius & Universi Ægyptiorum Salutem.* Tertull. de Præscript. cap. 35. *Si Italiæ adiaces, habes Romam, undè nobis quoque Authoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli sanguine suo profuderunt, ubi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur.* Optatus: *Igitur negare non potes, scire te, in Vrbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, undè & Cephas appellatus est, in qua nunc Cathedræ Unitas servaretur, ne cæteri Apostoli sibi quisque defenderent, ut tam Schismaticus & persecutor esset, qui contra singularē Cathedram alteram collocaret.* Nota. Si alijs Apostolis non licuit alteram collocare Cathedram, contra Cathedram Petri, quomodo alijs privatis licebit. sese intrudentibus. S. Ambrosius ait: *Cùm totus mundus DEI sit, tamen domus eius Ecclesia dicitur, cuius hodie Rector est Damasus.* S. Augustinus: *Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolica collocavit.* Anselmus: *Domino & Patri Universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis Summo Pontifici Urbano &c. Quoniam Divina Providentia Vestram elegit Sanctitatem, cui vitam & Fidem Christianam conservandam, custodiendamque, & Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra Catholicam Fidem oritur in Ecclesia, ut eius auctoritate corrigatur.* S. Cyrillus Alexandr. ait: *Ut membra maneamus in Capite nostro, Apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere, quid tenere, quid credere debeamus.* Hic S. Cyrillus præsidebat in Concilio Ephesino contra Nestorium. S. Bernardus ad Eugen. ait: *Sunt quidem & alij Cœli Janitores, & gregum Pastores, sed tu tantò gloriosiùs, quantò & differentiùs, utrumque præ cæteris nomen hæreditâsti, habent enim illi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus, nec modò ovium, sed & Pastorum, tu unus omnium Pastor, & iuxta Canones tuos alij in partem sollicitudinis, tu in plenitudine potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua in ipsos, qui super alios potestatem acceperant. Nam si causa extiterit, tu Episcopo Cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Sathanæ potes.*

Lib. 2. contra Parmen. — *in cap. 31. ad Timoth.* — *Ep 92. ad Innocent. Papā.* — *Lib. de Incar. ap. 1.* — *in Thesauro de Rom. Pont.* — NB. — *Lib 2. de Consider.* — NB.

Hanc longiorem Authoritatem consulto S. Bernardi adduximus, cùm pro certo sciamus, à Luthero, Calvino, Confessione Augustana pro Sancto habitum memoratum S. Bernardum. Consentit

Vide suprà in Nota Ecclesia Sancta pag 100 & 101.

tit Author Tubæ, qui pag. 79. ait: Obq; id & Cathedram Ecclesiæ Romanæ communissime olim & nunc vocatam esse Cathedram Apostolicam, Cathedram Petri. Petro autem ut plurimùm SS. Patres Primatum in Ecclesiam Catholicam cum maxima auctoritate attribuêre. Hácq; ratione illum dici Caput Ecclesiæ, Hieron. in Psal. 23 Chrysost. Hom. 11. in Matth. de cujus Primatu SS. testimonia plurima allegata, ut Caput Fidelium, & Pastorem gregis universi, Augustin. vel qui Author est, Quæst. Vet. & Nov. Testam. 9. 75. Vicarium Christi, Ambros. ad cap. 24. Luc. Pastorem Pastorum, Eucherius Lugd. in Vig. S. Petri. Bernard. lib. de Consid. Petram & Carpedinem Ecclesiæ Catholicæ, rectæ Fidei fundamentum. Synodus Chalcedon. Cùm Sancti Patres tam clarè ostenderint Successionem Apostolicam in Romanis Pontificibus, sollicitè requirunt eam ab hæreticis, ut etiam suas ostendant Successiones, ex quarum defectu manifestè patet, apud illos veram non esse Ecclesiã. S. Augustinus ait: *In hoc Ordine Successionis nullus Donatista Episcopus reperitur.* Optatus: *Vos vestræ Cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vendicare.* S. Cyprianus: *Qui se ultrò sinè Divina dispositione præficiunt, qui se præpositos sinè ulla Ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt.* Tertull. lib. de Præscript. *Edant hæretici origines Ecclesiarũ suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per Successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis Viris habuerit Authorem vel Antecessorem, hoc enim modò Romanorum Ecclesia, Clementem à Petro Ordinatum refert, confingant tale quid Hæretici* Ratio evidentissima, quare SS. Patres, ostensâ Successione Apostolicâ in Romana Ecclesia, requirebant etiam ab hæreticis, ut suas ostenderent Successiones, quia vera Ecclesia sinè legitimè succedentibus Episcopis esse non potest, ut docet S. Cyprian. Epist. 9. Lib. 4. dum ait: *Ecclesiam esse plebem Episcopo adunatam, & Episcopum esse in Ecclesia, & Ecclesiam in Episcopo* Et S. Hieronym. *Ecclesia non est, quæ Sacerdotes non habet.* *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI.*

NB.

Vide pag. Authoris 79.

Actione 8.

Epist. 165.

Lib. 2 contra Parmen.

Lib. 1. Ep. 6.

Lib. de Simpl. Prælat.

contra Lucif.

Actor. 20.

Duo ergo requiruntur, ut aliquis Episcopus legitimè ab Apostolis descendat, sitq; verus Episcopus; Successio scilicet & Ordinatio. Quantùm ad Successionem, necesse est, ut sit legitimus in Ecclesia DEI Episcopus, ut succedat alijs Episcopis, usq; ad Apostolos,

stolos, sicut Petro successit Linus, Cletus, Clemens, & alij Romani Pontifices, Joanni Polycarpus, alij alijs, usq; ad nostra tempora, ut superiùs probavimus. S. Augustinus ait: *Vides in has, quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum, usq; ad hodiernum diem succedentium, sibimet Episcoporum Serie, & tot populorum consensione firmatur* — *Lib. 11. cap. 2. contra Faustũ.*

Quantùm ad Ordinationem, ut sit legitimus Episcopus, debet ordinari à tribus Episcopis, qui & ipsi sint ab alijs ordinati, & alij ab alijs, usq; ad Apostolos. Id clarè habetur Canone 1. Apostolorum, ubi præcipitur, ut Episcopus ordinetur à duobus vel tribus Episcopis, id est à duobus assistentibus Metropolitano, vel à pluribus. Nam & S. Anacletus docet, S. Jacobum ordinatum fuisse Episcopum Hierosolymæ à S. Petro, Jacobo, & Joanne. Hinc legimus, illos primos Sanctos Pontifices Romanos strictè observâsse istas Ordinationes, tam Episcoporum, quàm Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum. In Vita S. Lini hæc legimus: Hic fecit Ordinationes duas, Episcopos 15. Presbyteros 18. In Vita S. Cleti: Hic ex præcepto B. Petri 25. Presbyteros ordinavit in Urbe Roma. In Vita S. Clementis: Hic fecit Ordinationes duas per Mensem Decembrem, Presbyteros 10. Diaconos 2. Episcopos per diversa loca 15. In Vita S. Anacleti: Hic fecit Ordinationes duas per Mensem Septembrem, Presbyteros 5. Diaconos 3. Episcopos per diversa loca num. 6. Similia leguntur de alijs SS. Alexandro, Telesphoro, Aniceto, Sotero, Eleutherio, Fabiano, Cajo, Marcellino, Marcello. Et sic in Vita uniuscujusq; Pontificis numerantur hæ Ordinationes, quæ hucusq; fiunt. Hîc manifestè patet ex tot SS. Primis Pontificibus, & inclytis Martyribus, quàm necessariæ fuerunt Ordinationes ad hoc, ut veri essent Episcopi & Presbyteri, cùm illas tantoperè observabant in primitiva Ecclesia. Et cùm unus tantùm extra Ecclesiam ordinatus fuerit Novatianus, dicit S. Cyprianus, non esse illum in Ecclesia, nec Episcopum, quia caruit legitimâ Successione & Ordinatione. Author Tubæ Pacis pag. 22. citat Osiandrum, qui in Epitome Cent. 16. pag. 1073. sic ait: *Ecclesia, quæ sub Papatu fuit eo tempore, quo Lutherus natus est, fuit Ecclesia Christi, habuit enim Ministerium Evangelij, S. Biblia, Baptismum, Cœnam Domini, &c. Ideòq; qui sub Papatu ad ministerium Ecclesiasticum ordinati fuerunt, ut Lutherus, & alij multi Evangelici habuerunt legitimam Vocationem, &c.* Sed quis miserit istos prætensos Evangelicos ad prædicandam

Epist. 2. & Can. 4. Conc. 1. Nicæni. Vide infrà p. 116.



candam aliam fidem, contrariam etiam antiquæ Ecclesiæ, ut inferiùs patebit, hucusq; ostendere non possunt, & tamen Apostolus ait: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? tamen & Calvinus dicit se missũ, & multi alij sibi contrarij. Ad rẽ nostrã Calvinꝰ contra se ipsũ & Lutherum protulit, dum lib. 4. Instit. cap. 3. num. 14. ait: *Ut ab hominibus designentur Episcopi, ex ordine divinæ vocationis esse, nemo sobrius infitiabitur, &c. Nullo igitur illustriori documento eiusmodi ordinem approbare DEUS potuit, quàm dum Paulum destinâsse præfatus, eum tamen ab Ecclesia vult designari.* Sed Lutherus & Calvinus ab Ecclesia non sunt designati, cùm contra illã insurrexerint, Ergo non ex ordine divinæ vocationis, nec approbatione illius designati sunt, cùm ab Ecclesia non sint designati. Ex his verbis Osiandri nostra veritas superiùs adducta patet, quòd Lutherus licèt ordinatus fuerit sub Papatu, tamẽ alios ordinare nõ potuit, cùm fuerit simplex Sacerdos & Religiosꝰ, nec alios mittere, cùm ille à nullo sit missus: deindè Sacramentum Ordinis non agnoscebat, quomodo alios ordinare potuit: Idem dicendùm de alijs prætensis Evangelicis, qui ab Ecclesia Christi, quæ tunc sub Papatu erat, recesserunt, erant simplices Sacerdotes, proindè alios ordinare non poterant. Non enim legitur, in Romana Ecclesia ab Apostolis usq; ad hæc tempora, quòd aliquando simplices Sacerdotes aut Monachi Ordinationes fecerint, quia non habent Ordinandi potestatem, sed Episcopis id competit, ut superiùs demonstravimꝰ. Et in Concil. Nicæno Primo Can. 4. declaratur, ubi præcipitur, ut Episcopus ab omnibus, qui sunt in Provincia Episcopis ordinetur, & si hoc difficile, omninò à tribus ordinetur. Citatur hic Canon in Synodo SS. Patrum, qui convenerunt ad S. Oecum. Concil. Constantinopolit. Primũ. De quo & S. Irenæ-

Lib. 3. cap. 3. us: *Hâc enim Ordinatione & Successione Episcoporum, ea, quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, ad nos usq; pervenit, & est plenissima ostensio, & unam & eandem fidem esse, quæ ab Apostolis usq; nunc confirmata, & ad nostra tempora per Successionem conservata manet.*

Undè de primo ad ultimum. Sicut vera Ecclesia non potest esse sinè Sacerdotibus, veri Sacerdotes sinè legitima Successione, Successio sinè reductione, usq; ad Apostolos: ita vera Ecclesia esse non potest, nisi quæ sit Apostolica, & Successione Pastorum legitima, ab Apostolis deducta, & usq; ad Apostolos reducta. Hanc Successionem legitimam, quantùm S. Augustinus contra Epist. Manichæi

Cap. 4. cap. 4. æstimabat, audiamus: *Multa sunt alia, quæ in eius gremio*

(*nempè*

(nempè Ecclesiæ) me iustissimè tenent. Tenet consensio populorum, atq; gentium; tenet authoritas, miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, veritate firmata; tenet ab ipsa Sede Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usq; ad præsentem Episcopatum Successio Sacerdotum. Undè extra Romanam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam nec veros Sacerdotes habent, nec consecrare possunt Corpus & Sanguinem Domini, sed simplicem panem & vinum in sua Cæna manducant, & porrigunt populo, quos monet S. Augustinus: *O infelix anima, cui te committis? Cur non potiùs te subdis Evangelicæ auctoritati, ab ipsis Apostolorum temporibus, usq; ad hæc nostra, per Successiones legitimas commendatæ.* Has igitur Notas veras, Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam pro salute æterna obtinenda, in corde tuo Benevole Lector notandas relinquo.

Quoad Successionem, agnoscunt illam in Ecclesia Romana. Lutherus in purgat. quorundam Articul. ait: *Quòd Romana Ecclesia sit à DEO præ alijs honorata, non est dubium, ibi enim Sancti Petrus & Paulus, Pontifices 46 Romani, & tot centena millia Martyrum sanguinem suum fuderunt, ut vel palpari queat, quàm singularem habeat ad eam Ecclesiam respectum DEUS.* Ridleus apud Foxum in Actis pag. 1359. ait: *Patriarcha Romanus tempore Apostolorum, & longè pòst, DEI gloriam quæsivit & propagavit, & ibi magis, quàm in alijs locis DEI Evangelium prædicatum est, & Sacramenta diligenter administrata sunt, & postquam Imperatores facti sunt Christiani, ibi Evangelium maximè floruit.* Ivellus in Replic. ad Harding. pag. 628. ait: *SS. Patres illorum temporum ad Ecclesiam Romanam confugerunt, quæ Religionis integritate & constantiâ cæteris eminebat.* Vide in alijs Authoribus alia testimonia de Romana Ecclesia, quòd illa sola habeat Successionem Apostolicam, etiam Adversarijs attestantibus.

Cùm una vera Christi Ecclesia esse debeat, eamq; esse Romanam Catholicam per legitimam ab Apostolis Successionem, testantur Sancti Patres, & ipsi Adversarij, sequitur, quicunq; cœtus extra Romanam Catholicam Ecclesiam sunt, non habere veram Christi Ecclesiam. Audiant consilium S. Hieron. adversus Lucif. *Brevem animi mei* (inquit) *sententiam proferam, in illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usq; ad diem hanc durat, & semper durabit.* Et S. Irenæus de Success. lib. 3. cap. 3. ait: *Hâc enim Ordinatione & Successione Episcoporum, ea quæ est ab Apostolis in Ec-*

clesia

cleſia traditio ad nos usq; pervenit, & eſt pleniſſima oſtenſio, & unam & eandem Fidem eſſe, quæ ab Apoſtolis usq; nunc confirmata.

Hæretici tam antiqui quàm recentes, hanc Notam *Catholicæ* advertentes nimis evidentem pro demonſtranda vera Chriſti Eccleſia, & falſitate ſuarum Sectarum, quòd ſuperare nequeunt veritate, ſubſannationibus obſcurare nituntur, ſed ſi rident quod credere debuerunt, nulla eſt fides illorum, cùm rideant & explodunt Articulum Symboli Apoſtolorum; ſed nos magis Sacræ Scripturæ & SS. Patribus credere debemus, quàm illorum commentis contra hanc Notam, quæ Nota eſt utiliſſima pro invenienda vera Chriſti Eccleſia, omnibus illis qui Chriſto crediderunt, tamen per Schiſmata & hæreſes decepti, & ab eadem Eccleſia ſeparati. Iterum ergo probatur per hanc Notam Apoſtolica vera Chriſti Eccleſia. Fides in ſuo conſervari dependet à Paſtoribus, Ergo Eccleſia debet habere Paſtores ſibi invicem ſuccedentes. Conſequentia manifeſta in Scripturis. Jerem. 33. *Dabo vobis Paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ.* Et ad Epheſ. 4. *Ipſe dedit quosdam Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, in conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & cognitionem Filij DEI.* Et Actor. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI*; Ergo debent eſſe Paſtores & Epiſcopi ſibi ſuccedentes, qui regant Eccleſiam DEI, niſi enim ſibi ſuccedant, non poſſunt eam regere. Confirmatur evidenti ratione; conformiter ad Sacram Scripturam ſuperiùs allatam. Eccleſia in Sacris Scripturis comparatur Regno, Ovili, Civitati, Familiæ; ſed ſicut non poteſt conſervari Regnum, niſi ſibi ſuccedant Reges: non conſervatur Ovile, niſi ſuccedant oves ovibus: non conſervatur Civitas, niſi Gubernatores ſuccedant Gubernatoribus: Familia non conſervatur, niſi Patres familiæ ſuccedant Patribus. Ergo neq; Eccleſia durabit, niſi Paſtores ſuccedant Paſtoribus. Confirmatur intentum ex SS. Patribus. S. Chryſoſt. in Epiſt. ad Rom. 12. *Quosdam poſuit DEUS in Eccleſia*, ait, *propterea tot, tantiq; dati ſunt Eccleſiæ DEI fabri, & Architectores, ne illius ædificium conquaſſaretur, nevè fluctuet, aut vacillet.* Irenæus lib. 4. cap. 20. *Ubi igitur Chriſmata Domini poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatem, apud quos eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis Succeſſio.* Et cap. 43. *Eis in Eccleſia Presbyteris obedire oportet, qui Succeſſionem habent ab Apoſtolis.*

solis. S. Cyprian. Epist. 27. ad Lapsos: *Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelicâ & Apostolicâ traditione contemptâ, nemini succedens à seipso ordinatus est* Alios SS. Patres superiùs citavimus. Sed videamus, quid ipsimet Dissidentes de hac Successione dicant. Calvinus lib. Instit. cap. 2. §. 2. ait: *Perpetuâ Successione Episcoporum conservatam fuisse Ecclesiam, ne intercideret commemorant, quanti hanc Successionem fecerint Irenæus, Augustinus, & alij.* Idem lib. de vera Reform. Eccles: *Ecclesiam DEI quærimus, fatemur omnes, sic propagatam ab initio fuisse, ut continuo Sæculorum ordine ad nos usq; duraverit.* Et lib. Instit. cap. 1. §. 11. *Sic enim ministerium Christus in Ecclesia ordinavit, ut illo sublato illius ædificatio pereat.* Et cap. 2. §. 3. *Ad conservandam Ecclesiam Christi in terris magis est necessarium Pastorale munus, quàm cibus, & potus, ad conservandam præsentem vitam.* Idem lib. 4. cap. 3. §. 1. *Sequuntur Pastores & Doctores, quibus hîc carere nunquam potest Ecclesia.* Beza Serm. in Cant. Anglicè: *Futuri sunt in Ecclesia Pastores & Doctores, usq; ad consummationem sæculi, qui verbum DEI & Sacramenta hominibus porrigant.* Fulco contra Hesk. Sanderum pag. 536. *In Ecclesia semper erunt Pastores & Doctores usq; ad consummationem sæculi.* Hunnius Lutheranus Tom. 1. cap. 15. de Auctoritate Sacræ Scripturæ: *Solari luce clariùs effulget, continuam & nullo unquam tempore interruptam fuisse Successionem Ecclesiæ Christi.* Sarvia de Defens. Tract. de diversis Ministr. gradibus fol. 10. *Episcopos & Episcoporum Successionem in dubium revocare quò magis cogito, eò magis magisq; ad stuporem admiror.* Vide similia loquentes Fieldum lib. 2. de Ecclef. cap. 6. Calvinum lib. 4 Instit. cap. 2. §. 1. Sed & Lutherum & alios similia loquentes, vide suprà pag 86. & 87. Tandem Calvinus contra Michaëlem Servetum ait: *Quòd si Ecclesia à Spiritu Sancto destituta fuisset, mentitus foret, qui semper aliquem sibi populum in terra promisit, quando Sol & Luna fulgebunt, scimus quid passim de æterno Christi Regno testentur Prophetæ.* Et ostendens Calvinus, locutos Prophetas de Ecclesia militante, subdit: *Itaq; verè & prudenter Augustinus: Nisi Ecclesiæ coniunctus sit Christus, non secum afferret, quod illi à Prophetis tribuitur.* Idem in Epist. ad Rom. 11. *Parùm enim esset, nobis semel offerri Evangelium, nosq; Spiritu donari, nisi apud nos perpetuò resideret. &c. Promissio huiusmodi est Dominum sic adfuturum Ecclesiæ, sicq; eius curam habiturum, ut eam verâ doctrinâ privari nunquam sinat.* Sed doctrina sinè Doctoribus & Pastoribus sub-

subsistere non potest, Ergo datur in Ecclesia Successio Pastorum. Ex ipsis Dissidentium rationibus pro duratione Ecclesiæ tale formatur Argumentum: Naturali lumine deducitur, Deum fuisse sapientem Architectum, & Provisorem suæ Ecclesiæ perpetuò duraturæ, hanc ipsammet sapientiã Christus declaravit, dicens: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Sed sapientis Architecti & Provisoris est, providere Columnas quibus sustentetur, ut non cadat ædificium: Ergo debuit DEUS providere, ne in Ecclesia deficerent Pastores, quibus velut columnis fulciretur fidei ædificium, & de facto ad Ephes. 4. *dedit Pastores & Doctores &c. in opus ministerij in ædificationem Corporis Christi.* Undè appositè ad rem nostram S. Chrysost. Hom. 20. *Christus enim sequens est Vir, qui ædificavit domum suam, id est Ecclesiam, supra Petram,* &c. Et infrà ait: *Domum autem, quam sapiens Christus ædificavit supra Petram, stultus diabolus fallacibus argumentis ministrorum suorum nunquam potuerit dissipare.*

Discursus Theologicus.

Quòd hanc Successionem Apostolicam non impediant Schismata, nec ullæ Scissuræ, quæcunq; in Ecclesia DEI contigerunt.

TErtio, Quarto & Quinto Sæculo fuerunt Schismata in Ecclesia Catholica ante S. Augustinum & alios SS. Patres. Tertio quidem Sæculo opponitur Novatianus S. Cornelio Martyri. Quarto Ursicinus Damaso, Quinto post mortem Zozymi intruditur Eulalius, & tamen his non obstantibus SS. Patres, Augustinus, Irenæus, Hieronymus, Cyprianus, Fulgentius, Basilius, Chrysostomus, Athanasius, Ambrosius, uterq; Cyrillus, Eusebius, Optatus, Origenes, Tertullianus, Oecumenius, & alij, ante quos hæc contigerunt Schismata, probant in Ecclesia Catholica Romana, veram Successionem Apostolicam Romanorum Pontificum non interruptam per hæc Schismata, ut clarè patuit superiùs ex Nota Ecclesiæ Apostolicæ.
Lib. de Vnit. Credent. c. 17. S. Augustinus: *Dubitamus nos illius Ecclesiæ gremio condere, quæ ab Apostolica Sede per Successiones Episcoporum frustrà hæreticis circumlatrantibus culmen auctoritatis obtinuit.* Ostendit hîc S. Augustinus, Schismata non nocere Successioni Apostolicæ.

S. Cypri-

S. Cyprianus legitimam electionem sic nobis describit: *Illum legitimum Pontificem haberi, quando Episcopus in locum defuncti substituitur, quando legitimis suffragijs in pace eligitur, at Schismaticus verè deprehenditur.* Ex eodem S. Cypriano eâdem Epistolâ: *Quando in Ecclesia Catholica Episcopo Romano de DEI iudicio, & Cleri & plebis suffragio Ordinato profanum Altare erigere, & alteram Cathedram collocare, & Sacrilega contra verum Sacerdotem Sacrificia offerre tentaverit.* Et clariùs idem S. Cyprianus ait: *Illi legitimi Præpositi Successores habentur, qui Apostolis vicariâ Ordinatione succedunt, illi verò intrusi, qui se ultrò apud temerarios Conventus, sinè Divina dispositione præficiunt.* Idem: *Qui se Præpositos sinè ulla Ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt.* Specialiter de Romano Pontifice sic S. Cyprianus loquitur: *Cornelius ideò legitimus Pontifex habitus est, quia de DEI, & Christi eius iudicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit Suffragio, de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum Collegio, cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus primus Petri Cathedra Sacerdotalis vacaret, quo occupato de DEI voluntate, atq; omnium nostrûm consensione firmato, quisquis iam Episcopus fieri voluerit, ut fecit Novatianus, foris fiat necesse est, nec habet Ecclesiasticam Ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem, cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debeat, factus est, iam non secundus, sed nullus est.* Idem ait: *DEVS Sacerdotes ordinat arbitrio & nutu, ac præsentiâ suâ & Præpositos ipsos, & Ecclesiam cum Præpositis gubernat.* S. Anacletus ad Episcopos Italiæ ait: *Electionem quoq; Summorum Sacerdotum sibi Dominus reservavit, licèt electionem eorum bonis Sacerdotibus, & Spiritualibus populis concessisset.* S. Bernardus ad Lemo. Pictavien. Petragoricen. &c. Episcopos ait: *Stat Sententia Ecclesiastica & Authentica, post primam electionem non esse secundam, celebrata proindè prima, quæ secundò præsumpta est, non est secunda, sed nulla. Cæterùm iam DEVS iudicavit, quod serò repetit homo, iudicavit autem operis evidentia, non decreti sententia, nunquid DEI iudicium audeat humana temeritas retractare.* Idem S. Bernardus ait inferius: *DEI esse iudicium senserunt & consenserunt,* & enumeratis multis Prælatis Ecclesiæ ait: *Horum gloria specialis & præcipua Sanctitas, & Authoritas etiam hostibus reverenda. Taceo* (inquit S. Bernardus ibidem) *multitudinem cæterorum, Tusciæ, Campaniæ, Longobard. German. Galliarum, Hispaniarum omnium, & universæ Orientalis*

Epist. 52.

Epist. 69.

lib. de Vnitate.



Epist. 69.

Epist. 2.

Epist. 126.

entalis Ecclesiæ, tum Archiepiscoporum, quorum nomina sunt in libro vitæ. Hi omnes unanimes non conducti pecuniá, non seducti fallaciá non mente privatá carnis, vel cogitationis amore, non timore compulsi potentiæ sæcularis, sed DEI procul dubio voluntatem, sicut non ignorantes, ita nec dissimulantes Petrum Leonis refutarunt, ac securè Gregorium in Papam Innocentium receperunt.

Ex his patet, quomodo Schismatici Antipapæ post primam legitimam electionem intrudebantur, vel potentiá Principum, vel his intervenientibus defectibus & respectibus humanis, à S. Bernardo enumeratis, ut patet in electione Petri Leonis quem post legitimam ab Ecclesia electionem solus Rogerius cum aliquibus factiosis intrudere voluit. Idem S. Bernardus ibidem: *Quid Reges & Principes terræ, nonné in eodem spiritu, una cum subjectis sibi plebibus Innocentium pariter amplectuntur, confitentes & ipsi Papam, & Episcopum animarum suarum.* Et superiùs ait: *Non autem debeo prætermittere Sanctos, qui mundo mortui, DEO meliùs vivunt, quorum vita abscondita cum Christo in gloria, ubi certè studiosè inquirunt, & non dubiè inveniunt beneplacitum DEI, qui solliciti sunt, quomodo placeant ei, &c. Innocentio firmiter adhærent, humiliter parent, verum Apostolorum Successorem fideliter recognoscunt, &c. Et tamen isti, nescio quá contentiosá importunitate reclamant, vocant in causam Orbem, & cum sua paucitate Universitatem flagitant iudicari.* Hæc de Schismaticis Sanctus loquitur.

Hæc verò Schismata in Ecclesia inimicus homo seminans zizania excitabat, non ideò, ut illam inverteret, nam scit *portas inferni non prævalituras adversùs eam*; sed ideò, ut multos deciperet, ut putarent Ecclesiam perire per hæc Schismata, magisq; crederent Diabolo decipienti, quàm Christo docenti Ecclesiam, nunquam interituram. Hoc expressit S. Cyprianus: *Christi adversarius & Ecclesiæ inimicus ad hoc Ecclesiæ præpositum suá infestatione prosequitur, ut Gubernatore sublato, atrociùs & violentiùs circa Ecclesiæ naufragia graßetur.* Quàm verò multi hæc naufragia in fide vera passi sunt, pertinaciter tenentes, per Schismata Ecclesiam perijsse, multæ hæreses ostendunt.

Epist. 55. ad Cornel.

Hinc talis potest formari ratio. Omnes SS. Patres superiùs citati docuerunt, per Schismata non esse interruptam Successionem Apostolicam, si & modo viverent, idem docerent, non esse interruptam Successionem Apostolicam. Si enim Schismata interrumperent

rent hanc Succeſſionem, interrumperent & illa enumerata in primitiva Eccleſia, antè memoratos SS. Patres, ſed illa non interruperunt, ergo neq; alia ſuccedentia. Majoris ſequella probatur: Quia illa Schiſmata vera fuerunt in primitiva Eccleſia, & non ſufficiebant ad interrumpendum filum Succeſſionis Apoſtolicæ. Minor patet ex ſuperiùs citatis SS. Patribus. Confirmatur. Quare Schiſmata non nocent Eccleſiæ. Quia, ut docet S Cyprianus, *Epiſcopus Romanus, DEI iudicio, Cleri & plebis ſuffragio ordinatur. cùm primùm in locum defuncti ſubſtituitur, & eligitur legitimis ſuffragijs in pace, ille verò Schiſmaticus, qui ſecundariò vel per potentiam apud temerarios Conventus, vel conductos pecuniâ, vel compulſos timore aut favore, ab aliqua paucitate intruditur, contra iudicium totius Orbis conſentientis in Paſtorem,* ut ſuperiùs dictum eſt. Epiſt. 52. Hoc patet clarè ex ipſis Schiſmaticis, qui ejurato Novatiano Schiſmatico intruſo, legitimum Paſtorem Cornelium agnoverunt. Sub hac forma Epiſt. 46. Cornelij ad Cyprianum, in qua ſic ſcribunt: *Nos Cornelium Epiſcopum Sanctiſſimum Catholicæ Eccleſiæ electum à DEO Omnipotente, & Chriſto Domino Noſtro ſcimus. Nos errorem noſtrum confitemur, nos impoſturam paſſi ſumus. Circumventi ſumus perfidiâ, & loquacitate factioſâ, nam etiamſi videbamur, quaſi quandam Communicationem habere cum Schiſmatico & hæretico homine habuiſſe. Sincera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit, nec enim ignoramus, unum DEUM eſſe, unum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus, unum Spiritum Sanctum, unum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere* Quid ergo Eccleſiæ debet nocere, quando Schiſmaticus, mediante perfidiâ, & factioſâ loquacitate intruditur. Si verò vota dividebantur, & Electorum quidam unum, alij alterum elegerunt, vel ſi aliquis in electa perſona defectus irrepſit, res ſe habuit, ſicut tempore Sedis vacantis, quo diſſidio non fuit interrupta Succeſſionis linea, ſicut non interrumpitur in Regno terreno, licet diutius ſit Interregnum propter diviſos Electores, ubi eſt libera Electio, ut fit propriè in Regno Poloniæ: vel quando Puer eſt Rex in abſoluto Regno, debent competentes illius Anni diutiùs expectari, & tamen per hoc non perit Regnũ; multò magis Regnum Chriſti, quod eſt Eccleſia. Illis verò, qui per incapacitatem Subjectorum enervant Succeſſionem Romanorum Pontificum, pulchrè ad intentum noſtrum reſpondet S. Auguſtinus. qui Epiſt. 165. ait; *Etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus*

NB. advertāt hæc omnes Diffidentes.

nus providens, ait de malis Præpositis: *Quæ dicunt facite; quæ faciunt, nolite facere, &c. ut certè sit spes fidelis, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi Schismatis dissipetur.* Ecclesiæ itaq; Christi, quæ est Una, Sancta, Catholica, & Apostolica visibilis, & toto Orbe diffusa, quæ est sola Romana, Successio ab Apostolis usq; ad hunc diem non est interrupta.

Discursus Theol.

Neq; peccata vel Prælatorum, vel fidelium Populorum, sive vera, sive per calumniam objecta, impediunt Successionem Apostolicam in Ecclesia Catholica Romana, nec sunt justa ratio recedendi ab Unitate Universalis Ecclesiæ.

PRætendunt quidem, sed extra omnem justitiam, Diffidentes occasionem recessûs à vera Christi Ecclesia propter peccata Prælatorum, vel fidelium Populorum aliquando per calumniam objecta, vel nimis extenuata, sed si omnes tales congregarentur ad numerū

Joan. 8.

eorum accusatorum, quibus Christus Dominus dixit: *Qui sinè peccato est vestrûm, primus in eam lapidem mittat*, nonne imitatores illorum essent, de quibus ulterior textus ait: *Unus post unū exibant.* Quis ergo audebit veram Christi Ecclesiam deserere propter peccatores, propter quos Christus Dominus de cœlo venit, & in sua Ecclesia conservare voluit. Benè S. Augustinus temporibus suis hæc de hæreticis observavit, illos semper mores Prælatorum investigâsse, & peccata illorum etiam per calumniam illis imputata, quasi justas causas suæ separationis ab Ecclesia prætendisse. Ita de hac re scribit:

S. August. ad Clerum & populum Hipponensem.



Illi non habendo quod in causa divisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere affectent, & ea ipsa plura falsissimè jactent, ut quia ipsam Divinæ Scripturæ veritatem, quâ ubiq; diffusa Christi Ecclesia commendatur, criminari & obscurare non possunt homines, per quos prædicatur, adducunt in odium, de quibus & fingere, quidquid in mentem venerit, possunt. Sic non adeò pridem ante nostra tempora factum est, multa contra Prælatos & omnes Spirituales, quæcunq; poterant excogitari & fingi, calumniosè dicta sunt, ut in odium apud rudem plebem adducerentur: hic præcipuus astus fuit dæmonis,

nis, per sua membra & instrumenta, ut per mendacia adimeret o-
mnem Auctoritatem rebus omnibus sacris, quæ spectabant ad cul-
tum Divinum, his calumnijs honestabant recessum suum ab Eccle-
sia, & in hoc imitati sunt antiquos hæreticos, ut clarè patet ex S. Au-
gustino. Sub hoc prætextu si licuit recedere ab Ecclesia, SS. Patres
audiamus. Idem S. Augustinus Epist. 209. sic ait: *Admoneo te, ne
graviùs perturberis his scandalis, quæ ideò ventura prædicta sunt, ut
quando venirent, reminiscerentur esse prædicta, & non eis valdè com-
moveremur.* Et post pauca ait: *Ista duo genera Pastorum, alijs mori-
entibus, alijs nascentibus, in ipsa Catholica Ecclesia necesse est usq; ad
finem seculi, usq; ad Domini iudicium perseverent.* Si enim tempo-
ribus Apostolorum fuerunt tales, inter quos falsos fratres Aposto-
lus gemeret, quantò magis temporibus nostris necesse est ut sint,
cùm de tempore hujus sæculi, quod propinquat ad finem, apertissi-
mè Dominus dicat, *quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas
multorum.* Idem in verba illa Matth. 23. *Super Cathedram Moysis &c.*
ait: *Ut in unitate maneant, ne offensi scandalis palearum aream Domi-
nicam deserant, nevé propter filios iniquitatis pascua deserant unitatis.*
Idem contra Crescon. lib. 3. cap. 31. ait: *Ac per hoc, qui pro incerto
alieno malo pacem Christi respuit, certissimè malus est, quandoquidem
Cyprianus nec pro certa permixtorum malitia zizaniorum, pacem dese-
ruit frumentorum, qui scribens ad Maximum dixit: Etsi videntur in
Ecclesia esse zizania, non tamen debet impediri fides, aut charitas no-
stra, ut quoniam zizania in Ecclesia esse cernimus, de Ecclesia receda-
mus. Non dixit suspicamur, opinamur, arbitramur, conijcimus, credi-
mus, sed cernimus dixit. O verbum, quo cuncta dubitatio tolleretur,
ut Corpus Christi non divideretur! Si sola frumenta desideras, geme in
labore agri, gaude in spe horrei, tolera malos in Communione Sacra-
mentorum Christi, ne ante littoris tempus retia dirumpendo fias, quod
tolerare noluisti.* Idem eleganter in rem nostram super Psal. 64. ait:
*Jam in mari capti per retia Fidei gaudemus, nos ibi natare adhuc in-
fra retia, quia adhuc mare hoc sævit procellis. &c.* Interim infra ipsa
*retia Fratres benè vivamus, non retia rumpentes foris exeamus. Multi
enim ruperunt retia, & Schismata fecerunt, & forás exierunt, qui
malos pisces intra retia captos, se nolle tolerare dixerunt, ipsi mali fa-
cti sunt potiùs, quàm illi, quos se non potuisse tolerare dixerunt. Nam-
que illa retia cœperunt pisces bonos & malos. Dominus dicit: Simile
est Regnum Cœlorum Sagenæ missæ in mare, quæ congregat ex omni ge-
nere,*

nere, quam cùm impleta esset, &c. elegerunt bonos in vasa, malos autem foràs miserunt. Sic erit in consummatione seculi, &c. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum. &c. Eia Cives Jerusalem, qui infra retia estis, & pisces boni estis, tolerate malos, retia nolite rumpere, cum illis estis in mari, non cum illis eritis in vasis. Hæc S. Augustinus de tolerantia malorum. Ex quibus patet. esse iniquum exire ab Ecclesia, prætextu malorum, etiam manifestorum, quos dum intra retia Ecclesiæ tolerare se non posse fingunt, retia rumpentes, ipsi mali facti sunt, dum ad Schisma, vel hæresim accedunt. Idem lib. 4. de Doctoribus cap. 27. ait: *Pro fide Petri, non pro Petri charitate oravit Dominus. Et possunt utiliter audiri, qui tamen utiliter non agunt. Cathedra non ipsorum, sed Moysi cogit bona dicere, etiam non bona facientes. Agunt quandoque sua in vita sua. docere autem sua Cathedra eos non permittit aliena* Idem contra Petil. lib. 2. ait: *Et tales sederunt supra Cathedram Moysi, cui Dominus honorem servavit, quare vos propter eos, quos istis sive iustè, sive iniustè comparatis, Cathedram Apostolicam blasphematis* Et cap. 61. ait: *Nec propter illos Pharisæos, quibus nos non per prudentiam, sed per malevolentiam comparatis, præcepit Dominus deseri Cathedram Moysi, in qua utique figurabat suam, monet tamen facere populos, quæ dicunt, & non facere, quæ faciunt, nec Cathedræ Sanctitas deseratur, & propter Pastores malos gregis unitas dividatur* Idem in Epist. 57. ait: *Quòd si in Cathedram Petri, etiamsi quisquam Traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret innocentibus Christianis, quibus Dominus providens ait de Præpositis malis, quæ dicunt facite, & quæ faciunt, nolite facere, ut certè sit spes fidelis, non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate Sacrilegi Schismatis, aliorum etiam peccatorum dissipetur.* Idem contra Petilianum ait: *Non sanè parva res est, parumque gloriosa consolatio cuique nostrum, si ab inimicis Ecclesiæ cum ipsa Ecclesia criminamur, eius tamen defensio non in eorum hominum defensione consistit, quos isti nominatim falsis criminationibus appetunt, prorsùs quales fuerunt Marcellus, Sylvester, Melchiades, Mensurius, Cæcilianus, atque alij, quibus objiciunt pro sua defensione, quod volunt, nihil præiudicant Ecclesiæ Catholicæ, toto terrarum Orbe diffusæ, nullo modo eorum innocentiá coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur.* Idem Epist. 50. contra calumnias Hæreticorum respondet: *Ipsa pietas, veritas, charitas, nos non permittit contra Cæcilianū eorum hominum accipere testimonium, quos & in Ecclesia non videmus,*

cui

cui Dominus perhibet testimonium; qui enim Divina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonij perdiderunt. Ibidem: *Neq; enim si peccavit Cæcilianus, ideò hæreditatem perdidit Christus, facile est homini, seu vera, seu falsa de homine credere, sed sceleratæ impudentiæ est, propter crimina hominis Communionem Orbis terrarum velle damnare.* Idem Epist. 162. *Objiciuntur crimina malorum hominum, non nostra, sed aliena, & ipsa partim incognita, quæ si etiam vera & præsentia videremus, & zizanijs propter frumenta parcentes, pro unitate tolleraremus.* Has plures auctoritates ex S. Augustino consultò adduximus, quibus & alibi sæpiùs usi sumus, cùm sciamus, adversam partem hujus Sancti honorificam fecisse mentionem. Lutherus in Defen. Verbi Cœnæ Domini ait: *Meo sanè iudicio post Apostolos Ecclesia non habuit meliorem Augustino.* Calvinus lib. 3. Instit. cap. 3. §. 10. ait: *Ex Augustino sumant lectores, si quid de sensu Antiquitatis certum habere volunt.* Unde & Author Tubæ, ut persuaderet in nullo casu recedendum esse ab Ecclesia, eundem S. Augustinum pag. 25 sic loquentem adducit: *Ab hac ergo vera germanaq; Catholica, quæ Domini luce perfusa per Orbem terrarum radios suos porrigit, ramos suos per universam terram copia ubertatis extendit, quæ causa vobis fuerit exeundi? cùm interrogamini, nihil iustum invenitis, prorsùs ab hac Ecclesia exitum vestrum nullâ purgatione probabilis excusationis abluitis. Quid enim dicitis, nisi necessitas compulit, ut iusti relinqueremus iniustos? Respondet vobis Scriptura Divina: Filius malus ipse se iustum aicit, exitum verò suum non abluit. Exitum inquit suum, utiq; illum, de quo dixit Apostolus Joannes: Ex nobis exierunt. Omninò, non abluit, non defendit, non excusat, non purgat. Et offendit te, nescio quis, sive malus, si ut tu putas malus, si ut tu fingis malus, & deseres tot bonos.* Idem S. August. in Tract. Psal. 36. ait: *Suspicamini, quid vultis de nobis. Si boni sumus, in Ecclesia Christi frumenta sumus; si mali sumus, in Ecclesia Christi palea sumus, tamen ab Area non recedimus. Tu qui vento tentationis foràs volâsti, quid es? triticum? non id tolleret ventus ex Area? Ecce ergo ubi es; agnosce, quid es.* Et infrà idem: *Quid autem simus, ille novit, ad quem gemimus, de malis tamen dictum est illud: Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi; quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere. Vides, quòd in Cathedra Moysi, cui successit Cathedra Christi, sedent & mali, & tamen docendo bona, non obsunt Auditoribus: Quare tu propter malos istam Cathedram dimisisti? redi ad pacem, redi ad concordiam, quæ te*

S. August. lib. 2. contra Gaudent. cap. 1. Tom. 7. p. 267.

non offendit. Si bona loquor, & bona facio, sequere me: si autem non facio quod dico, habes Consilium Domini, quod dico fac, quod autem facio, noli facere, tamen à Cathedra Catholica noli discedere. Advertant hæc, quicunq; putant se habere justas causas sui recessûs ab Ecclesia Catholica, nec adeò fidant suis Authoribus, qui illos separârunt humanis rationibus, ne dicam fraudibus, tanquam paleam ab Area Domini, à Communione Orbis terrarum, quæ est Ecclesia Catholica, toto Orbe diffusa. S. Chrysost. Hom. 45. ait: *Homines enim creati ab initio propter se, postea autem Sacerdotes ordinati sunt propter vos, propterea natura eorum ipsorum est, Ordinatio verò eorũ vestra; Undè si benè vixerint, lucrum est eorum: si benè docuerint, vestrum. Accipite ergo quod vestrum est, & nolite discutere, quod alienum est. &c. Sic ergo vos propter bonos Sacerdotes etiam malos honorate, nec etiam propter malos bonos contemnatis, meliùs est enim, iusta præstare malis, quàm bonis iusta subtrahere, frequenter enim & de malo homine bona doctrina procedit. Ecce enim & vilis terra pretiosum aurum producit, numquid propter vilem terram pretiosum aurum contemnitur? Non. Sed sicut aurum eligitur, & terra relinquitur, sic & vos suscipite doctrinam, & mores relinquite* Undè Tertullianus cap. 28. & 29. *Tamdiù regnavit error, quamdiù hæreses non erant, aliquos Marcionistas & Valentinianos (& omnes modernos Hæreticos) liberanda veritas expectabat.*

Ex his suprà allatis patet, quòd per antiquos hæreticos dæmon infestabat Cathedram Petri, & Prælatos Ecclesiæ, ut multos separaret ab Ecclesia. Undè & modò non multum curant hæc Catholici, quamvis multa confingant hæretici moderni contra Cathedram Petri, multa sive vera, sive falsa obijciant peccata. Primò, quia moderni hæretici sumpserunt hæc ex libris antiquorum hæreticorum, ut patet ex SS. Patribus, qui semper defendebant Cathedram Petri, & Prælatos Ecclesiæ. Spes ergo fidelis Catholicorum, non in hominibus privatis, qui quidquid velint loquantur, sed in Domino, quæ nunquam tempestate Sacrilegi Schismatis, & aliorum peccatorum dissipabitur, & promissiones Divinæ nunquam evanescent, *& portæ inferi non prævalebunt adversùs eam* Concludimus cum S. Anacleto Papa & inclyto Martyre, qui circa Annum 104. vixit. in Epist. 2. sic ille ait: *Quia Dominus Sacri sui Corporis Tractatores à vilibus ac reprobis, ac non idoneis personis infamari noluit, nec calumniari permisit; sed ipse proprio flagello peccantes Sacerdotes à templo*

templo eiecit. Undè liquet, quòd Summi Sacerdotes, id eſt Epiſcopi, à
DEO ſunt iudicandi, non ab humanis, aut privatæ vitæ hominibus la-
cerandi, ſed potiùs ab omnibus fidelibus portandi, ipſo Domino exem-
plum dante, quando per ſeipſum, & non per alium vendentes & e-
mentes eiecit de templo.
Probatur evidenti ratione propoſita materia. Si Chriſtus Do-
minus Regimen Eccleſiæ reliquiſſet penes ſolos bonos & Sanctos
Prælatos, daretur major occaſio dubitandi de veris Prælatis Eccleſiæ.
Nam ſi à regimine ſolùm bonorum & Sanctorum dependeret Ec-
cleſia, multi dicerent, non eſſe bonos & Sanctos, quamvis tales eſ-
ſent, nec illos pro Prælatis haberent, nam impoſſibile eſt omnibus
placere, propter diverſa ingenia, & erronea judicia hominum, quia
unam rem alij laudant, alij vituperant, & maximè cùm Sanctitas
ſecreta eſſe velit, juxta illud: *Tu autem cùm oras intra in cubiculū,*
& neſciat ſiniſtra, quid faciat dextra. Idem de Prælatis Eccleſiæ fie-
ret, ſi ſanctitas & bonitas Prælatorum dependeret à judicio huma-
no: cùm Sapiens Eccleſ. 9. dicat, *Neſcit homo, utrum amore, an odio*
dignus ſit. Et Apoſt. 1. Corinth. 4. ait: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed*
non in hoc iuſtificatus ſum. Nimis incerta eſſet Fides & Salus no-
ſtra, ſi ex ſanctitate docentium, aut Sacramenta miniſtrantiū pen-
derent. Cùm pravum ſit, & inſcrutabile cor hominis, ut qui Sanctus,
quivè minùs Sanctus, non niſi ſolus ille ſcire poteſt, qui ſcrutatur
corda & renes Deus, homo verò an amore, an odio dignus ſit, ipſe
de ſe & de alijs ignorat. Nam fit non rarò, ut eſſe videatur Sanctus,
cùm non ſit, & qui perſecutor eſt aut Publicanus hodie, cras fiat A-
poſtolus, & ex Saulo Paulus, cùm idem ipſe de ſe dicebat, nihil mi-
hi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus, quamvis in oculis DEI
vas electionis fuerit. Sed concedamus, quòd aliquis ſciat, juſtum a-
liquem pro certo, atq; innocentem, atq; omni prorſùs culpâ care-
re, tamen ſi in illius ſanctitate ſpem ſuam collocat, non in Domino,
ſi ab illo ſalutem expectat, maledictus homo, ait Proph. Jerem. 17.
qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Undè nihil
impedit, ut habeat Spiritum Sanctum legitimus Epiſcopus & Paſtor
Eccleſiæ ratione Officij ſui, licèt ipſe minùs ſit ſanctus, ſanctos tamē
alios faciat docendi vel baptizandi miniſterio, virtute Chriſti, quâ
regit Eccleſiam. Deindè, cur hæretici requirunt ſemper ſanctos
Prælatos, cùm illi & ſeipſos, & omnes faciunt peccatores per con-
cupiſcentiam, quam dicunt eſſe peccatum in renatis, licèt reluctet
voluntas.

Qui

Qui ergo ex Prælatorum peccatis sive veris, sive falsis, calumniantur S. Ecclesiam, sic illis respondet S. Augustinus: *Testimonium illorum nullum, quos in Ecclesia non videmus, & qui testimonia Divina non sequuntur, pondus humani testimonij perdiderunt.* Et S. Cyprianus ait: *Non possunt de Prælato Ecclesiæ iudicare, qui sunt extra Ecclesiam constituti, de Christiano hæretici, de Judice rei, de Sacerdote Sacrilegi,* ut suprà innuimus. Agnovit hanc veritatem Lutherus, quòd in nullo casu, nec ob peccata Prælatorum, sit recedendum ab Ecclesia Catholica, qui in declaratione quorundam Articulorum sic ait: *Quòd Romana Ecclesia sit à DEO præ alijs honorata, non est dubium. Ibi enim Sancti Petrus & Paulus, Pontifices 46 Romani, ac tot centena millia Martyrum sanguinem suum fuderunt, ut vel palpari queat, quàm singularem habeat ad eam Ecclesiam respectum DEUS, quòd si nunc proh dolor! res habet Roma, ut expediret habere meliùs. Attamen neq; hæc, neq; alia causa ulla tam grandis est, nec esse potest, ut ab Ecclesia illa separatio aut discessio ulla fieri debeat.* Idem lib. de virtute Excommunicat. ait: *Id super omnia, & in his omnibus considerandum est, quòd potestas Ecclesiæ, licèt pro nostris peccatis plerumq; tradatur Pilatis, Herodibus, Annis & Caiphis, violentisq; alijs Tyrannis, nostrum tamen est, eam summis semper studijs revereri, & colere, exemplo Christi, qui sic Annam, Caipham, Pilatum honoravit.* Eidem cùm objectum fuisset in Disputatione Lipsica, quòd Patronus & Fautor esset Bohemorum Schismaticorum, respondit: *Nunquam mihi placuit, nec in æternum placebit, quodcunq; Schisma iniquè faciunt Bohemi, quòd se auctoritate propria separant à nostra unitate, etiamsi Jus Divinum pro illis staret, cùm supremum Ius Divinum sit charitas & unitas Spiritûs, &c. consequens est, quòd Bohemorum dissidium à Romana Ecclesia nullâ possit excusatione defendi, quin sit impium, & Christi omnibus legibus contrarium, quia contra charitatem, in qua omnes leges summantur.* Quòd ipse impium Bohemorum dissidium & recessum à Romana Ecclesia judicavit, nonne suo se judicio, & omnes suos, de eadem impietate condemnavit.

Notent hæc omnes Dissidentes,



Discursus Theol.

De Notis recenter excogitatis, ex quibus deducitur, non esse apud Dissidentes unam Sanctam, Catholicam, & Apo-

& Apostolicam Ecclesiam, nec fidem Apostolicam, cùm non habeant Apostolicas, sed alias diversas Notas, undè & diversas fides recenter excogitatas.

OMnes Dissidentes Notas necessarias esse admittunt, non conve-
niunt tamen in illis assignandis, explosis veris Notis Apostolicis.
Lutherus lib. 7. Tract. de Notis. Eccles. septem assignat. Centuria-
tores Cent. 1. lib. 1. cap. 4. titulo de Ecclesia, quatuor Notas po-
nunt, sed aliquas alias, quas Lutherus non habet, vel quas habet, il-
las non ponunt aliquas. Illyricus unus ex Centuriatoribus duas
primas admittit, duas alias rejicit, & alias excogitatas ponit, Invo-
cationem, & charitatem, quas nec Lutherus, nec Centuriatores ha-
bent. Lutherani Interemistæ in Comitijs August. 1548. quatuor
Notas ponunt, inter quas unam ponunt, quæ propriè est Nota veræ
Christi Ecclesiæ, scilicet, Catholicum consensum per omnia Orbis
loca, & tempora. Communior tamen Lutheranorum sensus, tres
esse Notas. Ita Acta Ratisbon. 1553. & alij, ut Melanchton, Mu-
sculus, Cassander. Calvinus cum suis Sequacibus lib. 4. Instit. cap.
1. num. 9. ait: *Ubicunq; DEI verbum sincerè prædicari, atq; audiri: ubi Sacramenta ex Christi institutione administrari videmus, ibi aliquam esse Ecclesiam, nullo modo ambiendum est,* Et num. 10. ait: *Symbola Ecclesiæ dignoscendæ, Verbi prædicationem, Sacramentorumq; observationem posuimus.* Atqui omnes hæretici, tam antiqui quàm recen-
tes, hæc duo apud se exerceri firmissime contendunt; quomodo er-
go Calvinus inter tot hæreses veram Christi Ecclesiam inveniet? &
cùm dicit aliquam Ecclesiam, ambiguitatem Suis reliquit: nam non
de aliqua, sed de vera Christi Ecclesia sermo est, de perfecta, non de
aliqua, tanquam imaginaria. Quidquid sit de Notis Dissidentium,
in quibus inter se mirè dissident, de numero & identitate, seu unita-
te illarum, tamen necessariæ sunt, ut patet ex ipsis Dissidentibus,
cùm illas ad cognitionem rei quæ inquiritur, assignârint. Quòd au-
tem Verbum DEI prædicatum, non sit vera Ecclesiæ Nota, proba-
tur. Nota vera non debet esse communis veræ Ecclesiæ & multis
falsis, sed Verbum DEI prædicatum est commune veræ Ecclesiæ &
multis falsis, Ergo. Major lumine naturæ patet: Est enim Nota Si-
gnum distinctivum unius ab alio, & ideò Fieldus Protestans illam
descripsit lib. 2. de Eccles. cap. 1. sic: *Signum est vel character, quo unum*

Calvini Notæ duæ.

unum ab alijs discerni potest Major declaratur. Quælibet Secta hæreticorum, etiam antiquorum, prætendebat habere puram Christi doctrinam, incipiendo à primo usq; ad ultimum, & modò omnes hæretici idem prætendunt, non indiget probatione. Undè S. Augustinus cap. 4. lib. contra Epist. Fundam. declaratis motivis, quibus detinebatur in Ecclesia Catholica, contra hæreticos sic ait: *Apud vos autem, ubi nihil bonum est, quod me invitet aut detineat, sola personat veritatis pollicitatio, quæ quidem (si tam manifesta monstratur, ut in dubium venire non possit) præponenda est omnibus.* Et in Psal. 54. ait: *In multis erant mecum. Baptismum habebamus, utiq; in eo erant mecum: Evangelium utiq; legebamus, erant in eo mecum; sed non omninò mecum, in Schismate non mecum, in hæresi non mecum.* Veritas hæc declaratur exemplo: velit v. g. aliquis Gentilis fieri Christianus, lustrat propterea Germaniam, Angliam, Hollandiam, Sueciam, Daniam, Hungariam, & ubicunque sunt Dissidentes, audit Calvinistam prædicare verbum DEI, audit & Lutheranum, audit & Anabaptistam, & Quakierum, & fortè ferventiùs Sectam suam deprædicantem, quàm alios, quomodo hoc Signo cognoscet, Anabaptistarum cœtum non esse legitimam Ecclesiam? quomodo Calvinianam legitimam & non Lutheranam, vel è contra? Advertit hæc Lubertus Protestans, qui lib. 4. de Eccles. pag 202. Anno 1607. ait: *Externa Signa sunt Congregatio, verbi Dei prædicatio, Sacramentorum communicatio & similia; hæc ipsam Ecclesiæ essentiam non attingunt, sunt enim hæreticorum conventiculis, & veris Christianorum Ecclesiis communia.* Confirmatur Prædicatio sincera etiam, quoad nos importat legitimum sensum verbi Divini, sed sensus legitimus verbi Divini quoad nos dependet ab explicatione Ecclesiæ, sicut præter SS. Patres, ipsimet præcipui hæretici docuerunt, Ergo Ecclesia notior est prædicatione, notius enim est quod declarat, quàm quod declaratur, si dicant legitimum sensum haberi per Spiritum S. interiùs docentem, at hunc Spiritum appropriant sibi Lutherus, Calvinus, Zvinglius, & multi alij Dissidentes, & tamen omnes contraria docent, adde quòd hic Spiritus est internus, invisibilis, privatus, communis omnibus, proindè incertus. Si prædicatio verbi est Nota veræ Ecclesiæ, quare Lutherus Calvinum cum suis Sequacibus per ministerium verbi non convertit ad suum cœtum, vel Calvinus Lutherum, & alias per prædicationem vix numerabiles inter se Sectas? quare ex Prædicatione non convenit Lu-

Nota Lutheri ministerium Verbi.

therus cum Calvino in his verbis *Hoc eſt Corpus meum*, & in multis alijs articulis, ut inferiùs patebit. Si in his per prædicationem verbi non poſſunt convenire, & cognoſcere, qui ſunt veri Articuli Fidei, quomodo cognoſcent veram Eccleſiam?

Nota Lutheri & Calvini.

Secunda Nota recenter excogitata, Uſus Sacramentorum, non eſt Nota veræ Eccleſiæ. Probatur. Nota non debet eſſe communis veræ Eccleſiæ & falſis alijs, ſed uſus Sacramentorum in apprehenſione eſt communis, tam Catholicis, quàm hæreticis, univerſi enim hæretici prædicant apud ſe legitimum uſum Sacramentorum, & pro eo usq; ad ſanguinem pugnârunt veteres, & moderni pugnant hæretici. Confirmatur. Nota debet eſſe certa, ſed inter Diſſidentes non eſt certum, quot, & quænam ſint Sacramenta; quidam unum ponunt, alij duo, alij tria, alij quatuor, alij quinque, ut ſuis locis dicemus. Confirmatur 2dò. Nota indiſpenſabiliter comitatur Eccleſiam veram, ſed uſus Sacramentorum aliàs legitimus ſtat ſinè Eccleſia vera; undè Pelagiani & Donatiſtæ habebant Sacramenta veræ Eccleſiæ ſinè vera Eccleſia, ut & modò multi hæretici habent verum Baptiſmum, licèt non habent veram Eccleſiam. Teſte S. Auguſtino lib. 2. contra Creſcon. cap. 10. Confirmatur 3tiò. Nota convenit Eccleſiæ ſemper & ubique, ſed uſus legitimus Sacramentorum non convenit Eccleſiæ ſemper & ubique. Nam Eccleſia Corinthiorum non habebat rectum uſum Euchariſtiæ, ex 1. ad Corint. 11. & tamen erat vera Eccleſia. Aliæ Notæ recenter excogitatæ, iisdem argumentis diſſolvuntur, quia non habent ſpecialem difficultatem, ut v. g. Neq; Oratio Dominica, neq; Invocatio, neq; Pſalmodia ſunt Notæ veræ Eccleſiæ, quia communes ſunt omnibus hoſtibus Chriſti, has Huſſitæ, has Anabaptiſtæ, Quakeri exercent. Neq; Confeſſio Fidei eſt Nota veræ Eccleſiæ, quia eſt communis omnibus, quælibet enim Secta confitetur ſua dogmata licèt falſa usq; ad ſanguinem; deindè Confeſſio Fidei ſequitur prædicationem Fidei & ſuſceptionem, ſed prædicatio & ſuſceptio Fidei non eſt Nota Eccleſiæ, ut ſuperiùs probavimus, ergo neq; Confeſſio Fidei. Obedientia Miniſtris non eſt Nota Eccleſiæ veræ, quia eſt communis omnibus hæreſiarchis, nam quilibet hæreticus exigit obedientiam in his quæ docet. Charitas non eſt Nota Eccleſiæ veræ, ſi eſt Nota, quare Lutherani & Calviniſtæ ejiciunt à ſuis Eccleſijs Anabaptiſtas, qui ſunt adeò ferventes in operibus charitatis? In Moravia enim vivunt vitâ communi, quos in ſuis dogmatibus inſtruunt,

Nota Lutheri.

Nota Centuriatorum.

Nota Centuriatorum.

Nota Lutheranorum Interimiſtarum.

illos alunt, vestiunt, necessariaq; subministrant: hoc & Judæi & Ariani faciunt. Tristitiæ, mœrores, cruces, persecutiones, vocari hæretici, non sunt Notæ veræ Ecclesiæ, nam communes sunt omnibus Gentilibus, Judæis, Christianis, & hæreticis. Jactant suos Martyres Montanistæ apud Euseb. lib. 5. Hist. cap. 18. Messaliani apud Epiphanium hæres. 89. Donatistæ apud S. Augustinum Epist. 68. Adamitæ apud Æneam Sylvium de Inst. Bohem. cap 41. immo tristitiæ & mœrores procedunt ex defectu veræ & vivæ fidei, quos patiuntur iji, qui recesserunt à vera Universali Ecclesia, vide supra pag. 32. & 33. istos mœrores deinde, si persecutionem pati, & hæretici vocari est Signum veræ Ecclesiæ, quare Calvinus Servetum combussit, Bernenses Valent. Gentilem, Basileenses Davidis Geor. corpus exhumarunt, cur etiam ipsi anathematismis se mutuò feriunt? quare Anabaptistas, Quakeros, vocant hæreticos? eo ipso illis concedunt notam veræ Ecclesiæ, ista non cohærent cum veritate. Si verò urgeant Dissidentes, esse Notas veræ Ecclesiæ Prædicationem Evangelij, Usum Sacramentorum, Orationem, Invocationem, Psalmodiam, Charitatem, Obedientiam, Persecutiones, Confessionem Fidei, hæc omnia fuerunt, & sunt in Ecclesia Romana collectim, antequam Lutherus & Calvinus nati sunt, & modò hæc omnia inveniuntur, prout ipsemet fassus est Lutherus, vide supra pag. 101. circa mediū, ubi dicit, *in Papatu veram esse Scripturam, &c. verum prædicandi officium, verum Catechismum, verum Sacramentum Altaris, veram Christianitatem, imò ipsum nucleum Christianitatis.* Ergo si erunt hæ Notæ, erunt introductivæ in Ecclesiam Romanam, ut in veram Ecclesiam Christi. Sed contra has omnes Notas recenter excogitatas concludo ex S. Augustino de gestis Emeriti, ubi de hæretico extra Ecclesiam posito sic ait: *Potest habere honorem, potest habere Sacramentum, potest cantare Alleluia, potest respondere Amen, potest Evangelium tenere, potest in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Fidem & habere, & prædicare, sed nuquam, nisi in Ecclesia Catholica, salutem poterit invenire.* Quis ergo tam parùm sapiens erit, qui relictis antiquis Notis Apostolicis, quas dictante Spiritu S. nobis Apostoli reliquerūt, ad dignoscendam veram Christi Ecclesiam inter tot falsas, quas antiqua Concilia, & SS. Patres defendunt, ut superiùs patuit, recenter excogitatas eligat, ex quibus nihil certi haberi potest, prout superiùs vidimus, cum omnibus hæresibus competant, nullus enim hæreticus erit, qui his Notis non defendet errores suos, Apostolicas verò

Nota Lutheri.

etiam

etiã ipſimetDiſſidentes ut verasNotas aliquãdo agnoſcũt,ut in qua-libetNota teſtimonia illorum adduximus. (a) Quod & ipſe Author Tubæ Pacis in ſuo Diſcurſu p. 1. affirmat,dicens: *Credimus omnes, etſi Diſſidentes, in alijs fidei articulis Eccleſiæ in Occidente, Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiã, extra quam nulla ſalus.* (b) Quousq; ergo omnes Diſſidentes non quærent per Notas Apoſtolicas à Spiritu Sancto dictatas veram Chriſti Eccleſiam, ſed per Notas à ſe nuper excogitatas, quæ omnibus hæreſibus ſunt communes, nunquam illam invenient, quam per tot Sæcula quærunt, & unusquisq; cœtus apud ſe veram clamitat, alios hæreſeon condemnando, & tamen una debet eſſe Eccleſia vera, ut eſt *unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma,* ad Epheſ. 4. extra quam quia Diſſidentes varias ad libitum ſuum excogitârunt ſibi Notas, varias etiam habent inter ſe Fides. Quid ergo gloriantur de antiqua Eccleſia? quòd illam venerentur, & eum nec unicam Notam Symboli Apoſtolici habere volunt, & maſunt credere ſuis deceptoribus, quàm Spiritui Sancto loquenti per Apoſtolos.

(a) quas fatentur Eccleſ. Rom. competere.

(b) per quam intelligit Romanam, vide ſuperius pag. 11.

Diſcurſus Theologicus.

Hæc vera Chriſti Eccleſia, quæ eſt una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica, quòd ſit viſibilis, & conſpicua omnibus, probatur ad mentem Authoris Tubæ, qui pag. 1. num. 2. ait: Hanc Deus viſibilem per totum Orbem diffuſam, tanquam civitatem ſupra montem conſtituit, abſcondi neſciam, ad quam &c. in vertice montium conſtitutam confluent omnes gentes.

VIſibilitas veræ Chriſti Eccleſiæ nullo modo poteſt negari, quia eſt fundata in S. Evangelio in illis verbis Matth. 18. *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Et quomodo audiet inviſibilem, ſi de illa neſcierit? Reſolvant hoc, ſi poſſunt, Diſſidentes. Probatur Viſibilitas Eccleſiæ ad Epheſ. 4. *Ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus*

ramus omnes in unitatem Fidei. Sed isti non fuerunt Angeli invisibiles, sed homines visibiles. Ex his verbis Apostoli manifestum est, ex dono Christi Ecclesiam habere perfectos Pastores & Doctores, quia ait Apost: *in consummationem Sanctorum, donec occurramus omnes in unitatem Fidei, & agnitionis Filij DEI, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Et statim reddit rationem Apostolus,
Ephes. 4. quare dederit DEUS Pastores & Doctores, *ut iam* (ait) *non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Ut non astutos, & in nequitia positos homines, sed legitimos Pastores & Doctores audiamus, si volumus, ut non circumferamur omni vento doctrinæ, ad circumventionem erroris, per astutiam hæreticorũ. Sed isti Pastores & Doctores fuerunt semper, & sunt visibiles, ergo & Ecclesia debet esse visibilis. Nam Ministerium non potest exerce-
Matth. 18. ri, nisi se cognoscant Pastores cum Ovibus. Confirmatur. *Dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit.* quomodo enim ex mandato Christi obediremus Ecclesiæ, si de illa ubinam sit nesciremus: quomodo servus potest obedire Domino quem nunquam novit, nec scit de illo. Actor. 10. *Attendite vobis, & universo gregi, in quos vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI.* 1. Corint. 15. *Ego sum minimus Apostolorum, quoniam persecutus sum Ecclesiam DEI, & expugnabam illam*; quomodo illam Apostolus expugna-
1. Tim. 3. bat, cùm erat ignota. Idem: *Scias, quomodo te oporteat conversari in domo DEI, quæ est Ecclesia DEI vivi, columna & firmamentum veritatis.*

Ex his & multis alijs SS. Patres contra antiquos Hæreticos
Hom. 4. de Verb. Esai. c. 6. ostendebant Ecclesiam Visibilem. S. Chrysostomus ait: *Facilius est Solem extinguere, quàm Ecclesiam disparere.* Cyprianus lib. de Unit. Eccles. ait: *Ecclesia Domini luce perfusa radios suos per Orbem terra-*
lib. 3. contra Episc. Parm. *rum spargit.* Augustinus: *Nulla est securitas unitatis, nisi ex promissis DEI Ecclesia declarata, quæ supra montem, ut dictum est, constituta abscondi non potest.* Idem Tract. 1. in Joan. Epist. *Nunquid digito*
Tract. 2. *ostendimus Ecclesiam, Fratres mei, nonnè aperta est.* Idem: *Quid ampliùs dicturus sum, quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident, qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudunt.* Origenes
Hom. 80. in Matth. ait: *Ecclesia plena est fulgore, ab Oriente usq; ad Occidentem.* Hæc Ecclesia Catholica per Orbem terrarum diffusa, cùm nimis visibilis appareret, ut persuaderent hominibus, relinquendam Ec-
clesiam

clesiã Visibilem, excogitârunt aliam occultam & invisibilẽ. Sed per hoc magis nocuerunt sibi, quàm veræ Christi Ecclesiæ. Nam multi audientes hanc doctrinam, constituerunt apud se multas, & propè infinitas Ecclesias invisibiles, & imaginarias. Sic Lutherus ait: *Quis Ecclesiam nobis monstrabit, dum occulta sit in Spiritu, & solùm creditur.* lib. de abrog. Miss. priv. par. 1. Licèt idem Lutherus scripserat ad Leonem X. literas, quarum meminit etiam Sleydanus, in quibus inter alia hæc habet: *Ecclesiæ Romanæ tantum esse potestatem, ut præter unum Christum, in rebus humanis, nihil eâ sit excellentius.* Calvinus in Præfat. Instit. *Non parùm aberrant, qui dum Ecclesiam non agnoscant, nisi quam præsenti oculo cernant.* Et infrà ait: *Fremunt, nisi Ecclesia digito semper ostendatur.* Habes ergo Lector, duas Ecclesias invisibiles, & quidem perpetuò sibi adinvicem infensas, & se condemnantes, Lutheri & Calvini. Ultra has invenies propè infinitas, elige ex his, quæ tibi placet, & si elegeris hanc, quare non aliam, vel adhuc aliam? cùm omnes sint invisibiles, & æquale jus omnes habent ad hoc, ut Fidem illarum suscipias. Non enim poteris amplecti unam, sinè magna injuria aliarum, cùm etiam & illæ nomen veræ Ecclesiæ sibi vendicant, & cùm nullæ earum sint veræ, tene hanc firmiter, cui se jungunt SS. Patres superiùs notati, & inferiùs notandi visibili Ecclesiæ. Nam plures invenies Ecclesias invisibiles, ut Melanchtonis, Brentij, Philippi Mornei, Zvinglij, Serveti, Centuriatorum, &c. & has omnes secum perpetuò litiganses.

Notandum tamen ex Friderico Staphilo in prim. Apolog. par. 3. Lutheranos initiò Ecclesiam invisibilem fecisse, cùm tamen viderent absurda, quæ indè sequebantur, secreto consilio statuerunt, ut Ecclesia Visibilis diceretur. Philipp. Melancht. loco de Eccles. p. m. 488. agnoscit Visibilem Ecclesiam. Probatur evidenti ratione. Si enim Ecclesia hujus viæ constat, non ex Angelis, nec ex animabus, sed ex hominibus, qui Sacramentis ex Institutione Christi debent uti, qui sub periculo æternæ mortis debent Ecclesiam audire, illiq; jungi, & in illa perseverare, cùm extra illam nemo salvari potest: sequitur, eam Visibilem esse, aliàs ad hæc omnia non tenerentur homines. Etiam ex Notis Ecclesiæ superiùs adductis, quod Ecclesia sit Una, Sancta, Catholica, & Apostolica, idq; sola Romana, quod illa sit Visibilis, testimonijs non solùm totius antiquitatis, sed etiam SS. Patrum, universim omnium, & ipsiusmet adversæ partis, tot Confessionibus ostendimus, patet, eam omnibus esse Visibilem

& conspicuam; & ideò in Principe & Capite Orbis Roma à Christo fundata, ut totus Orbis non ignoraret de illa. Undè S. Leo Serm. 1 in Natali Apostol. Petri & Pauli ait: *Hodierna Festivitas, præter illam reverentiam, quam toto Orbe terrarum promeruit, speciali & propriâ nostræ Urbis exaltatione veneranda est, ut ubi præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die Martyrij eorum sit lætitiæ principatus. Isti enim sunt Viri, per quos tibi Evangelium Roma resplenduit, & quæ eras magistra erroris, facta es discipula veritatis.* Et infrà ait: *Isti sunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, Civitas Sacerdotalis & Regia, per Sacram B. Petri Sedem Caput Orbis effecta, latiùs præsideres Religione Divina, quàm dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis, Jus imperij tui terrâ mariq; protuleris, minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.*

Vixit A. 440

Confirmatur testimonio ipsius Authoris, allegantis sensum Sacræ Scripturæ & SS. Patrum pro Ecclesia Visibili: *Ideò*, inquit, *hanc DEUS Visibilem per totum Orbem diffusam, tanquam Civitatem supra montem constituit, abscondi nesciam, ad quam in ultimis temporibus in vertice montium constitutam, confluent gentes, quæ facta est mons magnus, &c.* Et pag. 3. ait: *Est hîc & nunc Ecclesia Romana Catholica per quatuor Mundi partes utrasq; Indias diffusa satis.* Sed & ipsi Dissidentes non fuerunt constantes de Visibilitate Ecclesiæ, quam cùm Invisibilem dixerint, iterum de Visibilitate illius illos loquentes audiamus. De Visibilitate Ecclesiæ Romanæ quid dixerit Lutherus, vide suprà pag. 86. 87. & pag. 98. & p. 101. & p. 104. 105. De Calvino vide pag. 104. Ex principijs Calvini probatur Visibilitas Ecclesiæ, qui lib. 4. Instit. cap. 1. §. 4. ait: *Nunc de Ecclesia Visibili disserere propositum est. Discamus vel matris elogio, quam utilis sit nobis eius cognitio, imò necessaria, quando non alius est in vitam ingressus.* Idem lib. 4. §. 9. *Emergit conspicua oculis nostris Ecclesiæ facies.* Et cap. 3. §. 1. *Sequuntur Pastores & Doctores, quibus hîc carere nunquam potest Ecclesia.* Sed Pastores & Doctores non sunt invisibiles Angeli, sed visibiles homines, Ergo & Ecclesiâ Visibilis. Et num. 14. ait: *Ut ab hominibus designentur Episcopi, ex ordine divinæ vocationis esse, nemo sobrius inficiabitur.* Et cap. 14. §. 4. ait: *Baptisma non potest administrari, nisi à vera Ecclesia, & à veris ministris, adiunctâ prædicatione.* Ergo Ecclesia est Visibilis, quia Baptismus visibilis, ministri, & prædicatio visibiles, licèt hæc sententia Calvini sit

Pag. 11

con-

contraria Antiquæ Ecclesiæ, & injuriosa omnibus hæreticis, quia omnes non essent Christiani, nam veram Ecclesiam non habent: injuriosa & Calvinistis, quia veros ministros non habent, tamen aliter Catholici sentiunt cum antiqua Ecclesia & SS. Patribus, verum esse Baptismum, etiam extra Ecclesiam, & validum. Napperus in Apocal. ait: *Regnum Papale a S. Sylvestro per mille ducentos sexaginta annos longè latèq; dominatum fuisse, & exercuisse in omnes Christianos potestatem.* Hospinianus in Hist. Sacram. lib. 2. *Velut mare inundâsse à temporibus Gregorij Magni.* Povellus in consider. rationum Papistarum concedit ab An. 605. *Papalem Ecclesiam fuisse valdè conspicuam, & visibilem.* Philippus Nicolai in lib. cui titulus: De Regno Christi, Vaticinijs Propheticis, &c. explicans vaticinia agentia de Universalitate Ecclesiæ, ait: *Per Asiam, Africam, Europam, Americam, remotissimasq; Insulas esse diffusam.* Et pressius loquens de conversione Novi Orbis per Hispanos & Lusitanos, enumerat Regna supra quadraginta quatuor, quibus facta est Prædicatio. Undè ad rem nostram Author Tubæ pag. 3. ait. *Ecclesia Romana Catholica per quatuor Mundi partes, utrasq; Indias diffusa satis.* Et pag. 20. *Utiq; cum Romana Ecclesia uniri necesse est, quippè quæ nos filios Ecclesiæ Catholicæ per Episcopos & Missionarios à Sede sua, nostrosq; Maiores à Paganismo ad Christianam fidem genuit, in qua & salvos illos factos nulli dubitamus.* Vide etiam suprà pag. 1. quid prædictus Author de Visibilitate Ecclesiæ dixerit.

Confirmatur. Concilia Generalia repræsentant Ecclesiam veram Christi, secundùm SS. Patres inferiùs citandos. Sed Concilia octo Generalia celebrata sunt in Oriente, & decem in Occidente, quæ pertinent ad Ecclesiam Romanam, ad quæ Concilia venerunt penè ex omni gente & natione, tot SS. Patres, Episcopi, & Prælati, Ergo debuit esse Visibilis. Ipsimet Diffidentes fatentur illius conspicuitatem, & diffusionem, in primis Centurijs, quatuor prioribus Sæculis, & Cent. 8. 11. & 12. posterioribus Sæculis. Osiander in Epitome scribit, Conversiones factas ex diversis & remotis Nationibus, usq; ad Concilium Florentinum, cui Armenos & Indos consensisse fatetur. Ergo Ecclesia conspicua fuit, si Armeni & Indi accesserunt ad illam ex remotis Regionibus. Sed audite mysterium. Lutherus & Calvinus, & Sequaces illorum, videntes nimis conspicuam Ecclesiam Romanam Catholicam, volentes obscurare illam, excogitârunt Ecclesiam invisibilem, vel potiùs imaginariam, contra S. Scri-

pturam, SS. Patres, contra ipsammet rationem, nam quis Ecclesiam audiet, cùm nescierit de illa. Sed videte, quòd non sit consilium adversus Dominum, cùm finxerint Ecclesiam invisibilem, ipsimet in minutissimas partes divisi sunt, unusquisq; invisibilem Ecclesiam apud se constituendo, & tamen fassi sunt Ecclesiam esse Visibilem, ut superiùs audîstis testimonia illorum, undè magis sibi nocuerunt, quàm veræ Christi Ecclesiæ, quia *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Qui verò Ecclesiam invisibilem clamitant, *peiores Judæis,* ait S. August. Tract. 4. in Joan.

Discursus Theol.

Hæc Ecclesia Catholica Romana, quam superiùs probavimus unam, Sanctam, Catholicam, Apostolicam, & toti Orbi Visibilem, debet durare ad consummationem sæculi. Testimonijs S. Scripturæ & SS. Patrum probatur.

MAtth. cap. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* In Symbolo Apostolorum dicimus: *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Hic Articulus Symboli debet verificari usq; ad finem mundi, nam Christus Matth. 18 ait: *Ero vobiscum usq; ad consummationem sæculi,* aliàs falsò diceremus; *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam,* sed deberemus dicere, Credo Ecclesias particulares, idq; vix numerabiles, cùm desineret Universalis, quam solum Symbolum præcipit credere. S. Ignatius Martyr, qui vidit tempora Apostolorum, ad Philadel. ait: *Per Dominum JESUM Christum, qui secundùm voluntatem suam solidavit firmiter Ecclesiam super Petram, ædificio spirituali, non manu facto, quam flumina inundantia & flantes venti non valuerunt subvertere, nec valebunt aliquando spiritus nequitiæ.* S. Martialis, Discipulus unus ex Septuaginta, ad Burdigal. cap. 11. ait: *Sed firma Ecclesia DEI & Christi, nec cadere, nec disrumpi poterit unquam.* S. Cyprianus Epist. ad Cornel. *Ecclesia quæ Christum credit, & quæ semel id quod cognovit tenet, nunquam ab eo omninò discedit.* S. August. lib. 3. contra Cresc. cap. 9. *Qualescunq; nos simus, securi estis, qui DEUM Patrem, & Ecclesiam habetis Matrem.* Et cap. 11. *Mihi sat est ad rem quam nunc ago, qualiscunq;*

tùsunq; in ea sum, tamen Ecclesia, pro qua loquor, invicta est. Et
Concione ad Catechum. ait: Apud Catholicam dilectissimi noveritis
tantùm esse veram fidem, germanam pacem, perpetuam salutem. Chry-
sostomus in Psal. 147. dicens: Ecclesiam DEUS munivit validiùs, quam
Hierusalem, non vectis & portis, sed Cruce circumseptam, &c. cùm di-
xit, portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. &c. Ero vobiscum us-
que ad consummationem seculi. In quæ verba S. Hieronymus: Qui
vobis in Evangelio loquor, ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usq;
ad consummationem seculi. Idem S. Hieron. in cap. 54. Sicut iuravi
Noë, nequaquam terris inducendum esse diluvium, & sponsio mea huc-
usq; servata est, nec unquam irrita fiet, sic iuro Ecclesiæ meæ, quam
mihi redemi sanguine meo, nequaquam me iratum fore his, quorum
misertus sum, nec meam clementiam ullâ increpationis duritie commu-
tandam: faciliùs enim montes movebuntur & colles, quàm mea sen-
tentia commutabitur. Vox quæ & in Evangelio loquitur, Cœlum & ter-
ra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Hæc est autem mise-
ricordia mea, ut fœdus pacis, quo mihi reconciliatus est mundus, non
merito eorum, quibus datus est, sed meâ clementiâ conservetur. Hier.
1. Ecce quippè, dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam
ferream, & in murum æneum, super omnem terram, Regibus Juda,
Principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ. S. Hieron. per
hæc verba intelligit Ecclesiam, dum ait: Gloriosa dicta sunt de te Ci-
vitas DEI, & in columnam inquit ferream, de qua scribit Apostolus,
columnam, & firmamentum veritatis, &c. & in murum æneum, qui
nullâ violatur rubigine, nec casus imbribus deperit, sed vetustate fit
fortior, eris autem talis contra Reges & Principes, non cuiuslibet loci,
sed terræ, id est eorum, qui terrena sapiunt, & cœlestia non noverunt,
&c. hi bellabunt adversùm te, & non prævalebunt; & causam red-
dit, quæ est clementia Divina, quia tecum ego sum, ut liberem te. &c.
Psalm. 30. Quoniam mirificavit misericordiam suam in Civitate muni-
ta, ubi S. Hieron: id est Sancta Ecclesia, Civitas, ut diximus, firmata
undiq; per fidem, contra omnem indignationem adversariorum, undè di-
cit: Fundata enim erat supra firmam petram Psalm. 103. Qui fun-
davit terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum secu-
li. Verùm, ait S. Augustinus, intelligo Ecclesiam, quæ est firmitas eius,
super quam fundata est, nisi fundamentum eius. &c. Quid est illud?
Fundamentum, inquit, nemo potest ponere, præter id, quod positum est,
quod est Christus JESUS, &c. nec inclinabitur in seculum seculi; Ipsa

est prædestinata Columna, & firmamentum veritatis. Matth. 8. de viro sapiente dicitur, *quòd ædificavit domum suam super petram*, ubi Chrysost. in imperfect. Hom. 20. *Christus enim sapiens est vir, qui ædificavit domum suam, id est Ecclesiam, supra petram, id est fortitudinem Fidei, nam & fortitudo Fidei petra dicitur, propter quam Simon Petrus dictus est, ad quem dixit DEVS, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et infrà: *Domum autem, quam sapiens Christus ædificavit super petram, stultus Diabolus fallacibus argumentis ministrorum suorum nunquam potuerit dissipare.* Et cap. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, quem locum ponderans S. Leo Serm. 2. dicit, *quòd talis est firmitas fundamenti, cui totius Ecclesiæ superstruitur multitudo, nullâ incumbentis sibi templi mole labescit. Soliditas enim illius Fidei, quæ in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est, & sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit.* Et Tom. I. Hom. 11. eandem authoritatem ponderans, dignam Chrysostomi Spiritu de firmitate & stabilitate Ecclesiæ sententiam pronunciat, *Non ego propriâ virtute confido, habeo Scripturam Domini mei, manum ipsius teneo, illa cautio mihi satis tuta est, illa me securum reddet & intrepidum, etiamsi Orbis terræ commoveatur, ego cautionem Domini mei teneo; Lego manum eius, ipsa mihi murus inexpugnabilis. Vultis vobis recitem Domini Cautionem? Ecce, inquit, vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Cap. ultimo: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* ubi Hieronymus: *Quousque ad consummationem sæculi, cum Discipulis se futurum esse promittit, & illos ostendit, semper esse victuros, & se nunquam à credentibus recessurum.* Chrysostomus Hom. I. de S. Pentecoste ait: *Multum enim decora est Ecclesia, non muris circumdata, sed Fide circumsepta, propter Ecclesiam namque extensum est Cœlum, diffusum est mare. Propter Ecclesiam Prophetæ, propter Ecclesiam Apostoli, & quid plura dicam? & propter Ecclesiam Unigenitus Filius DEI Homo factus est &c.* Et postea: *Non tenetur temporum qualitate, sed Spiritûs Sancti gubernatur gratiâ, & ideô non senescit, nec contrahitur, & multis impugnantibus non opprimitur.* Idem S. Chrysostomus in eodem Sermone supra illa verba: *Et portæ inferi*, ait: *Faciliùs cœlum exterminari poterit, & terra perire, quàm aliquid pati Ecclesia, quis est qui hoc dicit, ipse Christus loquitur, Cœlum & terra transibunt, &c. benè enim verbum DEI ipso cœlo validius est,*

quia

quia cœlum opus verbi DEI est. S. Athanasius Oratione, quòd Chri-
stus sit DEUS: *Fidelis sermo, & non vacillans promissio, & Ecclesia*
invicta res est, etiamsi infernus ipse commoveatur. S. Cyprianus ad
Jubajanum, ubi ostendisset, Ecclesiam Domini voce fundatam, sub-
dit: *Hæc est una, quæ tenet, & possidet omnem sponsi sui, & Domini*
potestatem, &c. incorrupta, & casta, & pudica est. S. Hieronymus
ad 9. Caput Amos: *Ex quo intelligimus, Ecclesiam usq; ad finem mun-*
di concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti, ten-
tari, superari, & hoc fiet, quia Dominus DEUS omnipotens, sive
Dominus DEUS eius, id est Ecclesiæ, se facturum pollicitus est, cuius pro-
missio lex naturæ est. Augustinus in Psal. contra partem Donat. *Ipsa*
est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Gregor. in Ps.
5. Pœnit. *Quòd in hac vita Ecclesia nullis adversitatibus frangenda sit,*
nullis persecutionibus superanda, Christus evidenter ostendit, cùm ait:
Portæ inferi &c.

Consentit Author Tubæ, & hanc durationem ad finem mundi
Ecclesiæ agnoscit, qui pag. 2. sic ait: *Faciliùs est Solem extinguere,*
quàm Ecclesiam disparere. Et pag. 3. ait: *Est hîc & nunc Ecclesia Ro-*
mana Catholica per quatuor mundi partes, utrasq; Indias diffusa satis.

Non possunt negare Dissidentes, quòd hæc à SS. Patribus su-
perius enumeratis, non de alia Ecclesia dicta sint, nisi de Ecclesia Ca-
tholica Romana, cùm nulla alia hoc tempore fuerit, nisi Romana
sola, quam Dissidentes etiam agnoscunt pro illo tempore, non enim
vel somniare poterant de Ecclesia Lutherana, vel Calvinistarum, vel
Zvinglij, & aliorum, quæ modo post Annum 1517. exortæ sunt, ne-
que hoc negare poterunt, quòd si prædicti SS. Patres modò viverent,
hoc idem dicerent de Ecclesia moderna Romana, cujus perpetuita-
tem tantoperè defendebant. Cùm autem dicant, Ecclesiam fuisse
veram primis Sæculis, quibus autem defecerit, hucusq; non possunt
convenire. Sed idem etiam dicebat Donatus, perijsse Ecclesiam de
toto Orbe, & in parte Donati remansisse, idem dicunt Lutherani &
Calvinistæ, quod & alij hæretici antiqui dicebant, quos Lutherani
& Calvinistæ habent pro hæreticis. Audiamus S. Hieronymum,
quid dicat nomine Ecclesiæ lib. adversus Lucifer. *Si te nomine Eccle-*
siæ Angelus aliquis vel Apostolus rebaptizavit, non infringo quòd seque-
ris; si verò in sinu meo natus es, si uberum meorum lacte nutritus,
adversùm me gladium levas, redde quod dedi, & esto aliter, si potes,
Christianus, meretrix sum? sed tamen Mater tua sum. Julianus Apo-

ſtata idem ſentiebat, quem S. Auguſtinus lib. 3. contra Jul. ſic redarguit: *Si conſtupraverunt Eccleſiam Manichæi, dic mihi Juliane, quæ te peperit? utrum te caſta, an verò meretrix enixa eſt? an ut dogmata Pelagiana defendas, Coniugis Chriſti, & Matris tuæ viſcera, inſtinctu nefario, non erroris, ſed furoris infamas.* Idem contra Epiſt. Gaudent. Donat. *Dic mihi &c. Eccleſia perierat, an non perierat? elige quod putaveris, ſi iam tunc perierat, Donatum quæ peperit? ſi autem perire non potuit, reſponde quæſo, ubi ab ea ſe pars Donati* (& modernorum Diſſidentium) *ſepararet, quæ dementia perſuaſit?* Quis non videt, quomodo hæc argumenta SS. Patrum quadrant contra modernos Diſſidentes? Dicunt Diſſidentes, aliquam Eccleſiam veram remanſiſſe in aliquibus, licèt occultis, aliquando publicè aliquos Papæ contradixiſſe, ut Wiclephum, Hus, Pragenſem, deindè Lutherum, Calvinum, Bucerum, &c. ita Beza in Iconibus. Sed miſera iſta in his hominibus conſervatio aliquæ Eccleſiæ, cùm magis ſibi videbantur, quàm Papatui contradicere. Nam Wieleph. negabat cum Simone Mago, Manichæis, & alijs hæreticis, liberum arbitriũ: Hus celebrabat Miſſas, etiam tempore ſuæ hæreſis, Purgatorium, & Suffragia pro Defunctis agnoſcebat, hæc omnia Proteſtantes rejciunt. Luthero Zvinglius Apoſtata trahens certo ad tartara ſuos Sectarios, in Aſsert. 27. contra Lovan. Lutherus Zvinglio viciſſim ſeductor, & impoſtor, ipſo Marcione deterior, in Reſp. ad Conf. Luth. & in Reſponſ. ad Luth. de Sacram. Calvinus Lutheranorum doctrinam peſtilentem eſſe ac morte dignam, Lutherani viciſſim Calviniſtarum errores flammis expiandos pronunciant. Florimundus de Orig. Hæreſ. lib. 2. cap. 15. & lib. 5. cap. 8.

Sed ipſummet Lutherum audiamus, quid ſentiat de Calviniſtis, & alijs, qui Corpus Chriſti negant in Vener. Sacram. Theſi 27. contra Lovanien. ſic ille ait: *Hæreticos cenſemus, & alienos ab Eccleſia DEI Zvinglianos, & Sacramentarios omnes, qui negant, Chriſti Corpus & Sanguinem ore carnali ſumi in venerabili Euchariſtia* Idem in Epiſt. ad Jacobum Bremenſis Eccleſiæ Doctorem: *Mihi ſatis eſt omnium infeliciſſimo una iſta beatitudo: Beatus vir, qui non abijt in conſilio Sacramentariorum, nec ſtetit in via Zvinglianorum, nec ſedit in Cathedra Tigurinorum.* Idem Tom. 2. fol. 174. de Cæna Domini: *Ego tanquam alterum pedem iam habens in ſepulchro, hoc teſtimonium &c. ad Tribunal Domini adferam, quòd hoſtes Sacramenti Carolſtadium, Zvinglium, OEcolampadium, eorumq; diſcipulos, toto pectore*

damna-

damnaverim. Idem Lutherus in defensione Cænæ Domini Tom. 7. omnia sua dicta quasi ratificat: *Obtestor DEUM, & totum mundum, & confitebor, quòd cum Sacramentarijs non sentiam, nec unquam senserim, neq; in æternum (DEO volente) unquam sensurus sim, quæ concordia Christi cum Belial?*

Hi omnes, quos Lutherus superiùs condemnaverit, quid etiam de Luthero senserint, audiamus. Calvinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 35. Lutherum & Suos vocat Idololatras. Zvinglius in Respons. ad librum Lutheri ait: *Luthere, &c. verbum DEI corrumpis, & adulteras, Marcionitas & Arianos imitatus*. Et in Epist. ad Lutherum: *Seductorem, impostorem, & Christi negatorem, ipso Marcione deteriorē te iudicamus*. In Responsione ad Confessionem Lutheri: *Nec multum curare solet, quodcunq; tandem de re quavis pronunciet, etiam si vel sibi ipsi, vel divini verbi oraculis contradicere videatur*. Oecolampadius in Respons. ad Confess. Lutheri sic censurat librum ejus: *Priorem illum librum à dæmone auspicatur nuper, hunc verò eiusdem auspicijs absolvit*. Et infrà, censurans ejus 12. articulos, ait: *Aliqui verò cum DEI verbo, & Christianæ fidei articulis palàm pugnant*. Tigurini Theologi in Confess. Germana Tigurina edita Anno 1544. de libro Lutheri: *Liber plenus est dæmonijs, plenus impudicitijs, dicterijs, scatet furore*. Et infrà: *Videat, ne huiusmodi impijs dicterijs seipsum hæresiarcham declaret, &c. Sed quàm mirabilis est hic Luterus, unà cum suis diabolis? quàm impuris utitur verbis? quot dæmonibus crepat?* Bucerus Dialog. contra Melanchtonem de Luthero: *In vertendis certè & explanandis Scripturis manifesti sunt neq; pauci eius lapsus*. Theologi Heydelbergens. in Ordinat. Ecclesiastica ajunt: *Lutheri & Brentij Catechismi extra Ecclesiam ejiciantur, & eorum Scripta nullam habeant auctoritatem*. Omitto sexcenta alia tùm inter Lutheranos & Calvinistas, tùm inter hos & Anabaptistas, & Trinisarios, & è contra. hæc sufficiant pro veritatis amicis verum esse, tam injuriosam mutuam eloquentiam non esse à Christo, nec à Spiritu Sancto, quomodo ergo in his hominibus debuit conservari Ecclesia, præsertim tam longo tempore, cùm Lutherus in Collat. Latin. Tom. 2. cap. de Patribus dicat, *Ecclesiam degenerâsse tempore Cypriani, immo ipsis Apostolis viventibus*. Calvinus lib. 4. cap. 17. num. 49. Ecclesiam defecisse clamitat sub Bonifacio III. & ultimū Episcopum Romanum assignat S. Gregorium Magnum circa An. 600. Cùm quærimus, ubinam Ecclesia fuerit per mille circiter An-

nos

nos usq; ad Lutherum & Calvinum? Respondent aliqui: in infantibus & pueris; Ergo infantes seipsos baptizabant, verbum DEI prædicabant, Sacramenta administrabant. Quid placet hæc responsio? Videat Orbis & rideat. Benè respondet ad rem nostram antiquis hæreticis Tertullianus lib. de Præscript. *Tam diù regnavit error, quam diù hæreses non erant, aliquos Marcionitas & Valentinianos liberanda veritas expectabat perperam, credebatur & in vacuum, &c. Spiritus S. ad hoc missus, &c. neglexit officium, finens Ecclesiam &c. aliter credere, donec* Lutherus & Calvinus veniret. Et tamen quæ Lutherus de Ecclesia Romana dixerit, vide superiùs pag. 79. & pag. 101. Ista nullo modo cohærent cum veritate.

Sed audite arcanum, quare ipsi Ecclesiam Catholicam Romanam contra Sacram Scripturam, contra Christi promissiones, contra SS. Patrum constantem doctrinam de duratione illius ad finem mundi, defecisse contendunt, & fingunt: nam si illa durat, prout durabit ad finem mundi, coguntur agnoscere pro Catholica Romanam solam, & si non agnoscunt, debent fateri, nullam Ecclesiam in terra. Non enim decet Ecclesias particulares Lutheri, Calvini, Zvinglij, & aliorum, esse Ecclesiam Christi, cùm se tantoperè ad invicem maculent, & crimen hæreseon sibi ad invicem imponant, quod veræ Ecclesiæ Christi nunquam competit. Tales agnoscit Author Tubæ pag. 58. dum ait: *Libri Symbolici nostri particularis Ecclesiæ Confessionem proponunt gradu inferiore.* Idem ferè repetit pag. 59. dum ait: *Neq; nostris particularibus cœtibus nimium tribuendum.*

Deindè, Ecclesia vera Christi nunquam peribit, at Lutherus de sua interitura timebat, dum in Locis Communibus Classe 5. pag. 30. ait: *Timeo, quòd ista doctrina nobis extinctis iterum obscurabitur. &c. Sic nostra Ecclesia pulcherrimè instituta, &c sic subvertetur, ut me ampliùs doctorem suum agnoscere non velet, id quod aliquando fiet, si non viventibus nobis, tamen sublatis.* Melanchton in Consilijs Theolog. part. 1. pag. 249. *Nulla res æquè deterret ab Evangelio, quàm nostra discordia.* Bulingerus, insignis Protestans & Magister, in suo lib. cui titulus: Fundamentum Firmum, par. 1. cap. 1. ait: *Ipsi inter se Evangelici acriter pugnant, infelicia multiplicia inter nos audiuntur nomina Lutheranorum, Zvinglianorum: commovet hæc dissensio non paucos adeò, ut animum velut despondentes dicant, se posthac nihil ampliùs credituros, nisi quod ipsis libeat, quinimò fidem abjicientes clamant, quid, oro, fidei in tot factiones distractæ tribuas?* Nicolaus Gallus

Gallus Protestans in Apolog. de Majestate hominis, ait: *Perijt iuste DEI iudicio, non armis hostium, non invictis hæreticorum armis, vera à nobis Religio & Ecclesia, sed nostrorum inter nos perfidiâ, infidelitate, & iniuriâ.* Quid hoc à vobis audimus Protestantes? timetis vestram perituram, alij perijsse dicitis Ecclesiam, at vera Christi Ecclesia perire non potest, redite ergo ad illam, quam Christus perpetuò mansuram promisit, *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Vide Lector alios similes timores de suis Ecclesijs, Lutheri, Calvini, & aliorum, suprà pag. 32 & pag. 33. & 34. hæc veræ Christi Ecclesiæ competere non possunt.

E contrà verò tam antiqui Hæretici, quàm moderni Dissidentes Ecclesiam perijsse somniabant, ut Donatistæ, in Africa solùm apud se remansisse Ecclesiam, in alijs verò partibus, imò toto Orbe terrarum perijsse dicebant Ecclesiam, patet ex S. Augustino Serm. 46. Tom. 6. & Epist. 48. Luciferiani Hæretici apud S. Hieronym. Veterem Ecclesiam meretricem vocabant, & in ejus locum apud se substituebant. Recentiores verò ausi sunt affirmare, quòd externa Ecclesia unà cum Fide & Sacramentis, mox ab Apostolis evanuit, ut Lutherus, Sebastianus Francus. Alij de tempore variabant, ut Covellus contra Burgesium pag. 137. ait: *Quando prima hæc defectio Ecclesiæ Romanæ cæperit, non omnes conveniunt.* Bucastus in Locis Communibus pag. 466. *Non est nostrum designare, quo temporis momento cæpit Ecclesia deficere.* Vittakerus contra Dur. pag. 477. *Neque ex Historijs huius mutationis initium investigare necesse est.* Alij alia deliramenta somniârunt. Sed & Lutherus & Calvinus mirandum in modum inconstantes fuerunt de defectione illius prætensa, ut superiùs patuit, & inferiùs adhuc clariùs patebit ex antilogijs illorum. Interim his omnibus cum S. Augustino, qui velut Prophetiæ spiritu hæc omnia prævidit, sic respondemus, qui lib. de Unitate Eccles. Tom. 7. cap. 2. sic ait: *Quæstio inter nos versatur, ubinam sit Ecclesia? utrum apud nos, an apud Donatistas? quæ ubique una est, quam maiores nostri Catholicam nominârunt &c. Manifestum est, eum qui non est in Ecclesia Christiana, salutem habere non posse. Quid facturi sumus? In verbis nostris eam quæsituri, an in verbis Christi?* Cap. 3. *Non audiamus, hæc dico, hæc dicis, sed audiamus, hæc dicit Dominus, sunt certè Libri Dominici, quorum authoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram, si Christi Ecclesia Canonicarum Scripturarum divinis & certissi-*

certissimis testimoniis, in omnibus gentibus designata est, quidquid attulerint, & undecunq; recitaverint, qui dicunt, ecce hic est Christus, ecce illic. Matth 24. *Audiamus potiùs, si oves eius sumus, vocem Pastoris nostri dicentis:* Nolite credere; *Illæ quippè singulæ, in multis gentibus, ubi ista est, non inveniuntur, hæc autem, quæ ubiq; etiam, ubi illæ sunt, invenitur, ergo in Scripturis Sanctis Canonicis eam requiramus.* Et cap. 5. *Sed quoniam multa, atq; obscurè posita, per ancipitem sensum fallaci aliquando interpretationi consonare creduntur, quæq; aperta, & manifesta deligamus, & quæ interpretatione indigent, interim seponamus, nolo in eis nostra ingenia comparentur, sed aperta veritas clamet & luceat.* Cap. 6. *O Donatistæ! Genesim legite: Per memetipsum iuravi, dicit Dominus, benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ,* Genes 22. *Quærimus, quemadmodum intelligendum sit semen Abrahæ, quid dicat Apostolus audiamus.* Gal. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & Semini eius, non dicit, in Seminibus, quasi in multis, sed tantùm in uno, & Semini tuo, quod est Christus. Ecce in quo Semine benedicentur omnes gentes, ecce Testamentum DEI, aperite aures. Quare vos irritum facitis Testamentum DEI dicendo, nec in omnibus gentibus esse completum, & periisse iam de gentibus, in quibus erat Semen Abrahæ, quare superordinatis dicendo, in nullis terris hæredem permanere Christum, nisi ubi potuerit cohæredem habere Donatum.* (Calvinum, Zvinglium, Servetum.) *Non invidemus alicui, legite nobis hoc de Lege, de Prophetis, de Psalmis, de ipso Evangelio, de Apostolicis literis, sicut nos vobis legimus, & de Genesi, & de Apostolo: In Semine Abrahæ, quod est Christus, benedicentur omnes gentes. Date mihi hanc Ecclesiam, si apud vos est, ostendite vos communicare omnibus gentibus, quas iam videmus in hoc Semine benedici, date hanc, aut furore deposito accipite non à me, sed ab illo ipso, in quo benedicentur omnes gentes* Et cap. 7 ait: *Quid in Prophetis? quàm multa, & quàm manifesta sunt testimonia Ecclesiæ, per omnes gentes toto terrarum Orbe diffusæ, undè pauca commemorabo. Dicat Isaias, ubi Ecclesiam Sanctam DEO revelante prævíderit, ut in verbis futura dicentis præsentia videamus Erit in die illa radix Jesse, & qui exurget, principium habere in nationes, & in eum Gentes sperabunt* Isai. 11. *Radicem, Christum esse ex Semine David, secundùm carnem natum, nullus quoquomodo Christianus ignorat, & si contentiosus est, cum Apostolo contendat, qui hoc testimonio in literis suis utitur.* Et adducit S. August. ad Rom. 15. 12. item cap. 27. 49. 6. c. 51. c. 52. c. 53. c. 54. & cap. 62.

NB.

Ecce

Ecce ex uno Propheta quàm multa, & tamen resistitur evidentissimæ veritati. Cap. 8. ait: *Jam pauca de Psalmis audiamus tanto antè causata, & nunc iam compleri cum magno gaudio videamus,* & allegat testimonia ex Psalmis, ex 2. 7. 21. 28. 18. 5. & 49. 1. ex 56. 6. ex 71. ex 44. 10. Tum cap. 9. ait: *Quid ad hæc dicturi sunt, quæ commemoravi, ex Lege, & Prophetis, & Psalmis de Christi Ecclesia, quæ toto Orbe diffunditur, cui malunt repugnare perversi, quàm communicare correcti? Respondent. Cùm cœpisset per Orbem terrarum crescere Ecclesia, noluerunt homines perseverare, & defecit in omnibus gentibus Christiana Religio, exceptâ parte Donati,* (Lutheri, Calvini, Serveti,) *quasi verò nesciret Spiritus* DEI *futuras hominum voluntates? Cur ergo non hoc potiùs prænunciavit, quod de voluntatibus hominum sciebat futurum, sed ideò fuit de istis certa prædictio, quia &* DEUS *etiam futuras prævidet voluntates, verùm tamen audiamus hinc, & ipsius Verbi vocem ore propriæ carnis expressam. Oportebat adimpleri omnia scripta in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Luc. 24. 44. Et tanquam quæreremus, utrum in eo, quod dixit de me, illic intelligenda esset Ecclesia, sequitur Evangelista, & dicit: Et prædicari in nomine eius Pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Nunquid id obscurum est?* Et cap. 10. *Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam, undè cœptura, & quousq; perventura esset; cœptura scilicet ab Hierusalem, & perventura in omnes gentes. Non tacetur etiam in Actibus Apostolorum, Actor. 1. 8. ubi rursùs eâdem manifestatione verborum Dominicorum futura per Orbem terrarum prænunciatur Ecclesia: Eritis mihi testes in Hierusalem, & tota Judæa, & Samaria, usq; ad totam terram. Quid ad hæc dicunt, qui Christianos se superbissimè dicunt, & Christo apertissimè contradicunt? Habeo manifestissimam vocem Pastoris mei commendantis mihi, & sinè ullis ambagibus exprimentis Ecclesiam. Istæ Divinæ voces de universa Ecclesia ita manifestæ sunt, ut contra eas nisi hæretici animosâ perversitate & cæco furore latrare non possint. Quomodo autem cœperit ab Hierusalem, & in omnes gentes indè diffusa fructificat, in eodem verbo DEI etiam per Apostolos demonstratur, sicut scriptum est in Actibus Apostol.* Actor. cap. 2. c. 8. c. 9. c. 10. c. 13. Et his verbis S. Augustinus concludit cap. 10. & 11. *Evangelizata est nobis Ecclesia per totum Orbem terrarum futura, hæc verba facta secuta sunt, quomodo cœptum sit ab Hierusalem, & deindè processum in Judæam, & Samariam, & in totam terram, ubi adhuc crescit Ecclesia donec usq;* in

Notent hæc omnes Dissidentes.

in finem, etiam reliquas gentes, ubi adhuc non est, obtineat, Scripturis Sanctis testibus ostenditur, quisquis aliud evangelizaverit, anathema sit, ad Gal. 1. *Aliud autem evangelizat, qui periisse dicit de cætero mundo Ecclesiam, & in parte Donati in sola Africa remansisse dicit, Ergo anathema sit &c. Si autem non ea de Scripturis Sanctis legunt, sed suis contentionibus persuadere conantur, credo illa, quæ in Scripturis Sanctis leguntur, non credo ista, quæ ab hæreticis vanis dicuntur.* Et lib. de Utilitate credendi cap. 14. *Quamobrem Scripturas istas, si vos profertis, tam pauci & incogniti non libet credere. Rursus me ad multitudinem famamq; revocabis. Cohibe tandem pertinaciam, & mone potiùs, ut huius multitudinis Primates quæram, ut ab his, de his literis aliquid discam, qui si non essent, discendum omninò esse nescirem. Tu verò in latebras tuas redi, nec quidquam insidiare sub nomine veritatis, quam conaris eis adimere, quibus authoritatem esse concedis.* Ecce quomodo hoc dictum S. Augustini verificatur de illis, qui passim dicunt, Ecclesiam Romanam primis Sæculis fuisse veram. Et lib. contra Fundam. ait: *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas, sed absit, ut ego Evangelio non credam; illi enim credens non invenio, quomodo possim etiam tibi credere. Lege mihi iam, si potes, in Evangelio, vel in alio aliquo libro, cui me iam credidisse confiteor, ubi Manichæus Apostolus dictus est,* (ubi alij hæresiarchæ, qui se Apostolos, Prophetas, palàm nominârunt, in quo loco Scripturæ nominantur,) *cùm omnia ex Scripturis producenda crepatis.* Hæc ille magnus Augustinus, perpetuus malleus hæreticorum, & futuras hæreses in privatis cœtibus mirè depinxit, & pro Ecclesia Catholica, id est Universali, pugnando, illam nunquam desituram ostendit, quæ est sola Romana, quam cùm concedant ferè omnes, veram fuisse aliquot Sæculis, fateri debent eandem omninò esse, aliàs magnam injuriam faciunt Christo, cùm de illa unica dixerit: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*; eam dixit, non eas, ut uni Universali, non multis privatis competeret. Ille, inquam, Augustinus, ad quem Calvinus lib. 3. Instit. cap. 3. *tanquam ad fidelissimum, atq; optimum testem Antiquitatis, quin & Theologorum Coryphæum provocat.* Similiter & Lutherus idem ferè de S. Augustino habet, de quo Melanchton Orat. de sect. PP. ait: *Sæculum, quo S. Ambrosius, Cyrillus, Augustinus, Hieronymus vixerunt, pulcherrimum fuit.* Sed hoc tempore nec Lutheri, nec Calvini, nec Zvinglij, nec aliorum, fuit Ecclesia, nisi sola Romana, undè de nulla

alia

alia Ecclesia poterat dicere S. Augustinus suprà memorata, nisi de sola Ecclesia Romana, cùm sola fuerit vera eo tempore, cùm vixerit S. Augustinus, & alij SS. Patres, qui tantoperè Ecclesiam Romanam solam ab hæreticis defendebant, quod & modò facerent, cùm perpetuitatem illius defenderint. (*a*) Author Tubæ Pacis p. 86. ait: *Ergo Schismata & hæreses illam Ecclesiam Catholicam, quæ una & Sancta est, nec unquam interitura, funditùs tollent, hoc sanè absurdum, contraq; verba Christi, qui prædixit, contra illam non prævalituras portas inferni, quæ sunt hæreses & Schismata.* Insuper falsò diceremus, Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, in Symbolo Apostolorum, *sicq; negaretur Articulus Fidei de Ecclesia Catholica,* ait Author Tubæ pag. 59. Et pag. 86. ait: *Ergo Schismata & hæreses illam Ecclesiam Catholicam, quæ una & Sancta est, nec unquam interitura, funditùs tollent.? hoc sanè esset absurdum, contraq; verba Christi, qui prædixit, contra illam non prævalituras portas inferi, id est adversarios at hostes, ab ipsis inferis contra illam excitatos, ut sunt hæreses & Schismata.* En quot absurda ex negatione existentiæ Ecclesiæ Universalis? quæ injuria Christo? dicenti & assecuranti nos, *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Cùm ergo secundùm hæc verba certo certius existat, nulla alia potest esse, nisi sola Catholica Romana, quæ cùm fuerit in principio, ut omnes Dissidentes concedunt, debet eadem durare usq; ad finem. Probatur evidenti ratione hoc. S. Apostolus 1. ad Corinth. cap. 11. solùm prædixit, *oportet hæreses esse,* & sunt penè infinitæ. Res subjecta oculis. Christus non solùm prædixit, sed & promisit, Ecclesiam duraturam Universalem, tot Sacræ Scripturæ testimonijs, undè magnam injuriam facit Christo, qui dicit, Universalem defecisse Ecclesiam, quæ fuit, & est sola Romana, acsi ipse non stetisset verbo, unde ex defectu vivæ fidei in Christum, hæc negatio procedit Universalis Ecclesiæ in hæreticis.



(*a*) *S. August. lib. 2. cap. 51. contra Petil. Cathedra tibi quid fecit Eccles. Rom &c. cur appellas Cathedram pestilentiæ Cathedram Apostolicam? non dicit alias, sed Romanam Apostolicam.*

Christianus Dreierus videns, quòd universim SS. Patres innixi doctrinæ & promissionibus Christi perpetuam durationem Universalis Ecclesiæ asserât, Oratione de Syncretismo Regiomonti A. D 1661 dum fieret Rector Regiomont. Academiæ, habitâ, ibidemq; apud Matthæum Gilbertum An. 1680. impressâ, hoc nomen Catholicum contendit ad Suos Protestantes trahere, sed frustrà, & inaniter. Nam primò Lutherus in posterioribus Catechismi editionibus abrasit hoc nomen Catholicæ, & substituit vocem Christianæ, dicens: *Credo Ecclesiam Christianam,* docetq; contra Ambrosium, Catherinum Eccle-



ſiam non eſſe locorum Univerſalitati alligatam. Lutherum ſecuti ſunt Diſcipuli in Colloquio Alteburgenſi An. 1568. vocem Catholicæ irrident. Beza quoq; vaniſſimam vocem eſſe dicit *Catholica*, Præfat. in Nov. Teſtam. An. 1565. Calvinus cum ſuis in Epiſt. ad Regem, negat dotem Eccleſiæ Univerſalitatem. M. Antonius de Dominis, in ſuo conſilio cap. 7. ait: *Fuit aliquando Articulus Fidei, Univerſalem Eccleſiam per totum mundum diffuſam eſſe, illam Chriſti Catholicam, cui Chriſtus ipſe perpetuam promiſit aſſiſtentiam.* Numquid his omnibus fuit doctior Dreierus, cùm ipſi hoc nomen Catholica ejurârunt, & ejuratum à Luthero, & alijs memoratis, trahit ad Suos Proteſtantes? nonnè injurius erit Dreierus Luthero, & his omnibus, cùm illi alias Notas recenter excogitârunt, ut Prædicationem, & Adminiſtrationem Sacramentorum, &c. Secundò, cùm Lutherus & Calvinus, & plures alij, hoc nomen Catholica faſſi ſint pertinere ad Eccleſiam Romanam, ut videre eſt ſuperiùs in Nota Eccleſiæ Catholica, quomodo Proteſtantibus illud appropriabit Dreierus? Tertiò, ſi trahet hoc nomen Catholicum ad ſolos Proteſtantes Dreierus, pauci admodùm ſunt, idq; in varias Sectas diviſi, cùm Lutherus dum adhuc viveret, Tom. 2. Germ. Jenenſi 101. Epiſt. ad Antorp. ait: *Tot ſunt inter nos Religiones, quot homines.* à morte Lutheri quot extitêre Schiſmata, etiam inter diſcipulos Lutheri, de quibus acerbè queritur Joannes Wigandus, Pruſſiæ in libro *de Bonis & Malis Germaniæ* excuſſo, per Petrum Brubachium A. 1566. *Multis*, inquit, *lacrymis deploranda innumera penè mala, quæ Eccleſiæ Lutheranæ ruinam & interitum portendere, imò intentare poſſunt.* Fusè ibi agit de varijs Schiſmatibus in Eccleſia Proteſtantium, *de impijs dogmatibus, &c. de defectu Synodorum, quæ non iuxta normam verbi DEI, ſed iuxta arbitrium potentium gubernantur apud Proteſtantes, &c. de Politicis, qui articulos fidei, Religionum formulas, & cothurnos cudunt, & Eccleſiæ Proteſtantium obtrudunt, &c. &c.* Hæc & multa alia, quæ videnda ſunt in libris Proteſtantium, veræ Chriſti Eccleſiæ competere non poſſunt, maximè Schiſmata, ex teſtimonijs ipſorummet Proteſtantium, cùm Eccleſia vera Chriſti Schiſmata tolerare & hæreſes non poteſt, quin illa protinùs in Oecumenicis Concilijs in prima quaſi radice ſucciderit, ait Author Tubæ pag. 85. Sed Eccleſia Proteſtantium in nullo Concilio Oecumenico Schiſmata & hæreſes ſuccidit, ſed tolerat ea, Ergo non eſt vera Eccleſia Chriſti, patitur enim Anabaptiſtas, Quakeros, Mennoniſtas, & habet il-

los

ſos pro hæreticis, nec illos in ullo Concilio Oecumenico condemnavit. Si verò Proteſtantes, Calviniſtas, & Zwinglianos ad ſuam paucitatem adnumerare contendant, videant in quanto pretio illos habuerit Lutherus, ipſi viciſſim Lutherum, ut ſuperiùs patuit.

Concludimus hunc Diſcurſum verbis Henrici VIII. Regis Angliæ, quem ſuperiùs citavimus ad initium pag. 108. ipſius reliqua verba ad noſtrum intentum hîc apponimus, ait ille lib. de Septem Sacramentis adversùs Lutherum Art. 2. *Dicat velim Lutherus, quando in tantæ ditionis erupit poſſeſſionem,* (nempè Romanus Pontifex) *num poteſt obſcurum eſſe initium tam immenſæ potentiæ, præſertim ſi intra memoriam hominum nata ſit; quòd ſi rem dixerit, unam fortaſsè aut duas ætates ſuperare: in memoriam nobis redigat ex Hiſtorijs: alioqui ſi tam vetuſta ſit, ut rei etiam tantæ obliterata ſit origo, legibus omninò cautum eſſe cognoſcat, ut cuius Jus omnem hominum memoriam ita ſupergreditur, ut ſciri non poſſit, cuiusmodi habuerit initium, cenſeatur habuiſſe legitimum, vetitumq́; eſſe conſtat omnium conſenſu gentium, ne, quæ diù manſerunt immota, moveantur.* Nota hîc ultima verba Lector, *habuiſſe legitimum &c.* immota moveantur.

Unicum adhuc S. Auguſtini placet adducere teſtimonium, qui velut Prophetico ſpiritu multas prævidens hæreſes contra Eccleſiam pugnaturas, in Pſal. 30. Conc. 2. ait: *Obſcuriùs Prophetæ dixerunt de Christo, quàm de Eccleſia, puto propterea, quòd videbant in ſpiritu, contra Eccleſiam homines facturos particulas, & de Christo non tantam litem habituros: de Eccleſia magnas contentiones excitaturos, ideòque illud, undè maiores lites futuræ erant, pleniùs prædictum eſt, apertiùs prophetatum eſt.* Quòd autem S. Auguſtinus & cum alijs SS. Patribus ſolam Eccleſiam Romanam contra hæreticos defenderit, & durationem illius ad finem mundi aſſeruerit, ſatis clarè ſuperiùs in Notis quatuor Apoſtolicis de Eccleſia Romana deduximus.

Diſcurſus Theol.

Reiectis ſuperiùs Notis à Diſſidentibus recenter excogitatis, quæ non ſunt veræ Notæ, cum omnibus hæreſibus competant, poſt quatuor Notas Apoſtolicas ponitur Nota Singularis, Gloria Miraculorum, quam SS. Patres ſemper magni æſtimârunt, ex eo, quòd illam nullus privatus Cœtus, nulla hæreſis habere potuerit.

VLtra Apostolicas Notas superiùs enumeratas, per quas Ecclesia vera Christi, ut Catholica & Apostolica dignoscitur, quæ est sola Romana: plures aliæ Notæ à Catholicis enumerantur, quæ unicam veram Christi Ecclesiam à multis alijs Cœtibus distinguunt, quæ non sunt vera Christi Ecclesia. Inter quas est Singularis Nota, Gloria Miraculorum, Cùm enim miraculum res sit insolita, supra naturæ potentiam operata, cùm sit Sigillum quoddam Divinum, quo veram suam doctrinam obsignat DEUS, ad solum DEUM pertinet, quod vel ipsemet, vel per Servos suos operetur miracula in testimonium veritatis. Sic in Veteri Testamento 3. Reg. cap. 18. legimus, quòd S. Elias, ut ostenderet verum Cultum veri DEI, & se esse verum illius Prophetam, & falsos Baal, qui se veros Prophetas asserebant, seducendo populum, ad Miraculum, tanquam ad manifestum signum veritatis, se convertit.

3. Reg. cap. 18. *Dentur nobis*, ait, *duo boves, & illi eligant sibi unum bovem, &c. ignem autem non supponant, & ego faciam bovem alterum. &c. ignem autem non supponam, invocate nomina deorum vestrorum, & ego invocabo nomen Domini mei. Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.* Respondens omnis populus ait: Optima propositio. Dixit ergo S. Elias Prophetis: &c. *Invocate nomina deorum vestrorum. &c. Et invocabant nomen Baal, à manè usq; ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos! & non erat vox quæ responderet. &c Cùm esset iam meridies, illudebat illis S. Elias, dicens: Clamate voce maiore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur. Postquam autem transiit meridies. &c. Cùmq; iam tempus esset, ut offerretur holocaustum, accedens Elias Propheta ait: Domine DEUS Abraham, &c. ostende hodiè, quia tu es DEUS Israël, & ego servus tuus, &c. exaudi me, Domine, exaudi me, ut discat populus iste, quia tu es Dominus DEUS. Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna, & lapides, &c. & aquam, &c. Quod cùm vidisset omnis populus, &c. & ait: Dominus ipse est DEUS, Dominus ipse est DEUS.* Idem S. Elias Reg. 3. cap. 17. ait: *Vivit Dominus DEUS Israël, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia, nisi iuxta oris mei verba, &c. Post dies autem exsiccatus est torrens; non enim pluerat super terram.* Et Jacobi 5. *Elias &c. oratione oravit, ut non plueret super terram. Et non pluit annos tres, & menses sex. Et rursùm oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.*

S. Moyses,

S. Moyses, cùm mittebatur ad populum, Exod. 5. dixit ad Dominum: *Non credent mihi, neq; audient vocem meam. Sed dicent, non apparuit tibi Dominus DEUS. Dixit ergo ad eum: Quid est, quod tenes in manu tua? Respondit: Virgam. Dixitq; Dominus: Projice eam in terram; projecit, & versa est in Colubrum, ita ut fugeret Moyses, dixitq; Dominus: extende manum tuam, & apprehende caudam ejus; extendit, & tenuit, versaq; est in virgam, ut credant, inquit, quòd apparuerit tibi Dominus DEUS &c. Si non crediderint, inquit, tibi, neq; audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis, quòd si nec duobus quidem his signis crediderint, &c. sume aquam fluminis, & effunde, &c. vertetur in sanguinem.* Idem S. Moyses missionem suam sic probat esse à DEO: *In hoc scietis, quòd Dominus miserit me, &c. Igitur ut cessavit loqui, disrupta est terra sub pedibus eorum, descenderuntq; vivi in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Idem S. Moyses quot miracula fecerit, quomodo per mare rubrum Hebræos deduxerit, submerso Pharaone cum suo exercitu, nota toti Orbi Christiano Sacræ Scripturæ historia. Quomodo ad vocem Josúè Sol stetisset, Josúè 10. *Sol contra Gabaonitas ne movearis, &c steteruntq; Sol & Luna, donec ulcisceretur,* & alia plurima in Veteri Testamento facta sunt miracula, in testimonium veri cultûs Divini, qui tunc apud Judæos fuit, cùm verò verus cultus veri DEI apud illos cessaverit, cessârunt & miracula. Unde S. Augustinus lib. de Civit. DEI 18. cap. 45. ait: *Posteaquam gens Judæa cœpit non habere Prophetas, procul dubio deterior facta est* Et S. Bernardus Hom. 1. super Missus est, ait: *Si flos non decidit, ubi ergo Regnum, ubi Sacerdotium, ubi Prophetæ, ubi templum, ubi deniq; magnalia illa, de quibus gloriari solebant, & dicere: Quanta audivimus & cognovimus, ea & Patres nostri narraverunt nobis?* Et iterum Psalm. 77. *Quanta mandavit Patribus nostris nota facere filijs suis.*

In Novo autem Testamento, ipsa æterna Sapientia Christus JESUS, per hanc Notam Miraculorum voluit se manifestare mundo, quòd fuerit verè missus à DEO Patre, & hoc innumeris comprobavit miraculis, ut ipse ait Joan. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Hanc Notam Miraculorum concessit etiam Apostolis, & alijs veram Fidem annunciantibus. Marci ultimo: *Illi verò profecti, prædicaverunt ubiq; &c. sequentibus signis*, è contrà verò nullis hæreticis falsam doctrinam

prædicantibus unquam conveniebat hæc Nota Miraculorum. Item Matth. 10. *Euntes prædicate, dicentes: appropinquavit Regnum cœlorum; infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite.* Et Actor. 3. *Erat quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, baiulabatur, &c. Petrus autem dixit: &c. In nomine JESU Christi Nazareni surge, & ambula, &c. & exiliens stetit, & ambulabat, intravit cum illis in templum ambulans.* Et Actor. 5. *Magis autem augebatur multitudo virorum & mulierum, ita ut in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabbatis, ut veniente Petro, saltim umbra illius obumbraret quenquam illorum, ut liberarentur ab infirmitatibus suis.* Sunt & multa alia miracula, quæ facta in testimonium veræ Fidei, in sola Ecclesia Christi Catholica, extra vero illam nullibi poterant fieri miracula, in testimonium falsæ doctrinæ, licèt toties volebant patrare illa hæretici, conducendo etiam homines, ut se in feretro positos fingerent mortuos, & in pœnam deceptionis verè mortui inventi, & multis patuit dolus, ut historiæ testantur, & nos inferiùs adducemus. Undè Tertullianus lib. de Præscriptionibus, de ijsdem fraudibus hæreticorum sui temporis ait: *Volo igitur virtutes illorum proferre, non quòd agnosco maximam virtutem eorum, quâ Apostolos in perversum æmulantur, illi enim de mortuis suscitabant, isti de vivis mortuos faciunt.* Et sic de facto aliquibus contigit recentioribus, ut mortuos facerent, quos fictè suscitare volebant. Passim has historias in Authoribus fide dignis invenies, qui hæc ab oculatis testibus acceperunt. Sed cùm miracula facere non potuerint, in signum suæ falsæ doctrinæ, negârunt fieri ulla miracula, sed tam inverecundè, acsi Solem in cœlo negâssent. Ex antiquis Paganis fuerunt, qui Sanctorum Martyrum miracula videndo, magicis artibus adscribebant. Sic in Actis SS. Martyrum legitur sæpe de Imperatoribus Gentilibus, ut Decio, Nerone, Vespasiano, Diocletiano, &c. Sic & Judæi evidentissima Christi miracula calumniabantur. Item antiqui hæretici, Ariani, Eunomiani, Vigilantiani, miraculis Catholicorum detrahebant, teste S. Ambrosio, Sermone de SS. Gervasio & Protas. & S. Hieronymo contra Vigilantium; negare autem miracula, est scelus nefandum, quia falsitas imponitur S. Scripturæ utriusq; Testamenti, in qua, ut patuit, fundantur miracula, S. Scripturæ verò est Author Spiritus Sanctus. Ad illorum numerum adjunxerunt se Waldenses, homines idiotæ, ut inferiùs patebit, miracula in rerum natura negantes: hos secutus

est Joannes Vitcleph, Joannes Hus, & alij post illos recentiores,
cùm non possent miracula patrare, in testimonium suorum errorū
negârunt illa. Sed contra est ultra illa, quæ adducta sunt ex Vet. &
Nov. Testam. magis iterum probantur miracula. Joan. 14. *Opera
quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* In quæ verba
S. Augustinus Tract. 72. ait: *Quòd hæc maiora per Apostolos fecit,
non autem ipsos tantùm significans, ait: Opera quæ ego facio, &c. sed
omnes ad suam Familiam pertinentes intelligi volens* Nota ultima ver-
ba, *ad suam Familiam pertinentes*, nam Schismata & hæreses ad illi-
us familiam non pertinent. Et Marci 16. *Signa eos, qui crediderint,
hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur no-
vis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.
Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* In S. Evangelijs &
Actis Apostolorum penè innumera extant miracula, de quibus sic
Joan. 20. *Multa quidem & alia signa fecit IESVS, &c. ut credatis.*
Ex his verbis Christi manifestè patet, quòd non ob aliud à se Christ9
& ab Apostolis voluit fieri miracula, nisi ut mundus illi crederet, di-
cit enim expressè Evangelium, *ut credatis.* Sic & Marci 16. legim9:
Euntes in universum mundum prædicate Evangelium; & statim adje-
cit Christus: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur.* Se-
cundò voluit Christus per miracula firmare & conservare Ecclesiam
perpetuò mansuram. Sic S. Augustinus de util. cred. cap. 14. ait
de Christo: *Miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit Fi-
dem, Fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, ve-
tustate roboravit Religionem.* Idem contra Epist. Manich. cap. 4. red-
dit rationem, quare ipse Fidem Catholicam amplexus fuerit, dum
ait: *Multa sunt alia, quæ in eius gremio (nempè Ecclesiæ) me iustissimè
tenent. Tenet consensio populorum atq; gentium, tenet auctoritas, mi-
raculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, veritate firmata, &c. te-
net ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectio-
nem Dominus commendavit, usq; ad præsentem Episcopatum, Successio
Sacerdotum,* In hac Ecclesia sola Catholica Romana SS. Patres, tan-
quam oculati testes, & omni fide dignissimi, adducunt plurima mi-
racula, quolibet Sæculo facta, intra Ecclesiam Catholicam Roma-
nam, tùm ad dignoscendam veram Fidem in illa, inter tot privatos
cœtus, tùm ad manifestandam Sanctitatem operantium, quæ sinè
vera Fide haberi non potest. Nos ex multis pauca adducemus, bre-
vitati consulendo, & remittendo Lectores ad Catholicos Authores.

S. Ambrosius Orat. in Obitu Fratris sui Satyri scribit, eundem fratrem Satyrum à naufragio liberatum, eò quòd habuerit Divinam Eucharistiam ad collum suspensam. S. Chrysostomus, Prosper, Eusebius, Optatus Milevit. lib. 2. contra Parmen. referunt, Hæreticos à canibus discerptos, eò quòd canibus S. Eucharistiæ reliquias tradidissent. Sæculo XI. *vetus consuetudo fuit Constantinopoli, ut si particulæ superessent Sacratissimi Corporis Christi, pueri impuberes, qui Scholam adibant, accerserentur, ut illas manducarent, factum est, quod inter illos filius unius Hebræi manducaret, quod cùm rescierit parens pueri, furore accensus Judæus, in clibanum ardentem, in quo vitrum formabat, puerum iniecit. Mater puerum quærit per totam etiam Urbem. Triduo autem post ad ostium officinæ consistens, miserabiliter divexata mœrore, nomine puerum compellat. Puer matris vocem ut agnovit, è clibano responsum dat; Mater effractis foribus intro irrumpit, videt puerum in medijs carbonibus candentibus consistentem, illæsum ab ignis incendio; qui cùm rogaretur, quo pacto illæsus manserit? Mulier, inquit, veste amicta purpureâ crebrò ad me venit, porrexit aquam, quâ carbonum flammas corpus ambientes extinguerem, cibum deniq; dedit, quoties esuriebam. Quâ re ad Justinianum perlatâ, puerum cum matre lavacro regenerationis tingendos decernit, patrem autem pueri, qui recusavit in numerum Christianorum inscribi, in Sycis cruci affigendum curavit,* Evagrius lib. 4. cap. 35. *Amolphytanus Episcopus Stephano Romano Pontifici, me præsente, sub iure iurando testatus est, quia cùm aliquando ad mensam Domini sacrificaturus accederet, sed super Sacramento Dominici Corporis incredulus hæsitaret, in ipsa confractione salutaris hostiæ, rubra prorsùs ac perfecta caro inter eius manus apparuit, ita ut etiam digitos illius cruentaret, sicq; Sacerdotij scrupulum dubietatis auferret, ubi notandum, quàm sit immane periculum, indignis manibus attrectare tam terribile Sacramentum* Petrus Damiani Opusc. 34. An. Ch. 1181. Sæculo XIII. *Judæus quidam Parisiis per inopem mulierculam, cui vestem, quam ab ea pignoratam habebat, se gratis restituturum promiserat, Christianam hostiam in Paschate assecutus, cùm accenso igne in sartagine eam vellet assare, ut perspexit eam non mutare formam, nec colorem, gladio eam pupugit, ex qua confestim sanguis manavit, re autem detectâ supervenientibus Christianis, hostia in loco ei dicato restituta, Judæi domus in templum conversa est, quæ etiam Salvatoris Bullientis nomine compellatur, ubi Hostia & gladius etiam nunc ostenduntur.* Fulgosus lib. 1. cap. 6. & Nauclerus Generat.

etiam Samuel Werner in Disput. de Fragmentis in Cœna in terram decidentibus, respondente Joanne Sommerino, ad diem 19. Maij 1682. Regiomonti impressâ Prælo Reusneriano, pag. sub litera H. hæc miracula citat



SSmi Reverentia.

44. Eodem

44. Eodem Sæculo *Judæi itidem Corpus Christi Sacratissimū acubus & subulis pungentes, & in mortario tundentes, cùm per illas puncturas & tunsiones sanguinem elici conspicerent, tandem in diversis locis illud suffoderunt: Sed DEUS omnipotens Sacramentum salutis, multis miraculis prodentibus, suis fidelibus propalavit &c. Cùmq; Christiani ad expugnandum castrum, ubi se Judæi clauserant, venissent, quædam Judæa virgo de eodem castro rogabat Christianos, ut ipsam inde eriperent, & baptizarent, Judæis ipsam deorsùm trahentibus, & increpantibus, illa de manibus illorum delapsa, de altitudine se præcipitem dedit, sed ecce mirum in modum, quasi manibus Angelicis portaretur, illæsa descendit, & mox ad fidem Christi & Baptisma confugit.* Suffridus Misnensis lib. 3. in An. 1299. Sæculo XIV. *Judæi Bruxellæ Venerabile Corpus Christi pugionibus & gladijs transfixerunt, unde cruor copiosè effluxit, quod ob scelus in eodem Oppido vivi fuêre cremati.* Jacobus Meierus Annal. Flandriæ An. Ch. 1401. *Cùm apud Posnaniam Divinum Christi Corpus in specie panis ab infelici quadam muliercula ore sublatum, ut Judæis ad ludibrium venderetur, mutatâq; sententiâ, in pratis Suburbanis ejus Urbis abjectum esset, miraculis quibusdam insignibus proditum est & repertum,* teste Martino Cromero de rebus Polonorum lib. 16. Unde in eodem loco in perpetuam rei memoriam ædificata est insignis Ecclesia, sub titulo SS. Corporis Christi, quia in eodem loco hostiæ miraculosè apparuerunt. Hæc hucusq; notavit etiam Samuel Werner in prædicta Disp. ut suprà, Regiom. A. 1682. impressa. Per Baptismum Constantinus Magnus à lepra miraculosè sanatur, nota toti Orbi Christiano historia. Optatus Milevit. scribit, dum ampulla cum Chrismate ab hæreticis per fenestram in saxa proijceretur, illæsa permansit. Extrema Unctio per resuscitationem cujusdam mulieris, à S. Malachia commendatur. Quæ circa Signum Crucis miracula facta sunt, consulendi SS. Patres, ut S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis, Eusebius in Vita Constantini M. Nissenus in Vita S. Gregorij Taumat. Aquæ lustralis virtutem dæmones ferre non potuisse, scribūt Clemens Rom. Epiphanius, Theodoretus, Nicephorus. Plura alia miracula facta non diffitentur Centuriatores, qui per 13. Centurias, signatis Authoribus, in singulis ætatibus miracula collegerunt. Post Apostolorum tempora plurima fuisse miracula, scribunt SS. Patres vicini temporibus Apostolorum. Inter alios S. Irenæus lib. 2. cap. 57. ait: *Alij autem & præscientiam habent futurorum, &c. & mortui resurrexerunt, & perseve-*

circa Sæculum Secundum.

severaverunt nobiscum multis annis. Et quid autem? non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum Ecclesia à DEO accipiens, in nomine Christi JESV Crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit S. Basilius in lib. de Spiritu S. S. Gregorium Moysi, Prophetis, & Apostolis comparat ob multitudinem miraculorum, ideò & Taumaturgus appellatus, qui inter alia transtulit montem oratione suâ, cùm angustum locum haberet pro ædificanda Ecclesia, vide Socratem, Ruffinum, & Nissenum, in Vita ejus.

circa Saeculum Tertium.

Eodem Sæculo Romana Martyr truncatâ linguâ loquitur, Prudentius in hymno S. Chrysost. in Encom. Albanus sicco pede cum mille viris fluvium transnatat, Beda lib. 1. cap. 7. Hist. Angl. S. Antonij Eremitæ multa miracula recenset S. Athanasius, cujus Sanctitatis fama talis fuerat, ut Constantinus Magnus per literas seipsum & Imperium suum eidem commendaverit.

circa Saeculum Quartum.

S. Hilarion cæcis visum restituit, Paraliticam curavit, dæmones ejecit, S. Hieronymus in Vita ejus; de quo illud memorabile legitur: cùm post maximam vitæ austeritatem ad ultimum vitæ finem venisset, in agone hæc verba protulit: *Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè annis servivisti Christo, & mortem times?* S. Hilarius mortuum suscitavit, Fortunatus in Vita ejus. S. Martinus mortuos suscitavit, & miracula non inferiora SS. Apostolis edidit Sozonemus lib. 3. cap. 13. Sulpitius in ejus Vita. Monachos plurima fecisse miracula, testantur S. Hieronymus, Theodoretus in Vitis Patrum, Palladius in Histor. Lausiaca, Evagrius 6. Histor. cap. 22. Socrates lib. 20. de Civit. DEI cap. 18. Hæc facta intra Sæculum Quartum.

circa Saeculum Quintum.

Miracula innumera facta, S. Augustinus testatur, tanquam oculatus testis, lib. de Civit. DEI 22. Ad Reliquias S. Stephani Protomartyris cæca mulier, quæ anteà duceretur, derepentè visum recepit, & omnibus stupentibus præibat exultans, & viæ ducem ampliùs non requirens. Similiter in translatione Corporum SS. Gervasij & Prothasij Tom. 1. Confess. lib. 9. cap. 7. & in memoriam S. Felicis Episc. Nolani Epist. 137. ad Clerum & populum Hipponen. Et plura alia etiam à se visa ad Reliquias S. Stephani refert S. Augustinus, ut in Tractatu de Sanctis innuemus. Ejusdem S. Augustini miracula Foxus in Actis & Monum. A. 1576. pag. 12. confessus est, reponens illa in Catal. verorum Miraculorum. Etiam Melanchton de ejusdem S. Augustini miraculis scribit in declaratione de S. August. his verbis: *Ornatus est miraculis quibusdam,*

busdam,

busdam, exuunt dæmones, & quosdam ægrotos ſanavit S. Gregorius
refert, cùm Placidus Monachus in lacum prolapſus aquarum impe-
tu rumperetur, Maurus juſſu S. Patris ſui ſuper aquas incedens, So-
cium capillis apprehenſum ad terras attraxit. Joannes Papa Primus *circa Saeculum*
cæco lumen reſtituit, ex Adon. ætat. 6. & S. Gregor. Dial. 3. cap. 2. *Sextum.*
Agapetus Papa claudum ſanavit, ex eodem ibid. cap. 3. S. Benedi-
ctus, de quo illud memorabile, cùm illi poculum cum veneno por-
rigeretur, facto Signo Crucis ſupra illud, confractum eſt. Claruit
miraculis Joannes, Epiſc. Hegulſtanden. quæ nec Centuriator diffi- *circa Septimū.*
tentur, Cent. 2. Cap. 18. Col. 533. Joannicus Abbas, Draconem *circa Octavum;*
Signo Crucis interfecit, tempeſtates ſedat, elevatur à terra, Meta-
phraſtes in ejus vita. In translatione S. Marcellini cæci illuminan-
tur, claudi ambulant, paralytici curantur, ex Eginardo lib. 2. cap. 6. *circa Nonum.*
S. Dunſtani Epiſcopi Cantuarien. refert miracula Osbertus in ejus
Vita; nec tacuit illa Holiaſiejus in Mag. Chro. Ultimæ Edit. pag. 2.
Claruit miraculis Robertus Rex Franciæ, ex Helgan. in ejus Vita. *circa Decimū*
Heribertus Epiſc Colon. ex Ruperto. Odilo Abbas Cluniac. Anſel- *circa Vndecimū*
mus Archi. Cantuar. S. Bernardi miracula licèt notiſſima, audet *circa Duodeci-*
tamen dicere Oſiander, arte dæmonis conficta, Cent. 12. lib. 4. cap. *mum.*
2. pag. 310. cùm idem Oſiander oblitus fuerit, quæ de S. Bernardo
pag. 309. dixerit, ait enim: *S. Bernardus Abbas Clarevallen. valdè pius
vir fuit.* Quomodo pius, ſi, ſicut dicit Oſiander, confixit miracula.
Et Wittakerus Præfat. de Eccleſ. p. 3. ait: *Ego quidem Bernardum
verè fuiſſe Sanctum exiſtimo.* Hoc ipſum tenet de ipſius Sanctitate
Confeſſio Auguſtana, & Lutherus lib. de Captiv. Babil. cap. 2. Me-
lanchton in Apolog. Art. 5. & 27. Cùm ergo Bernardus fuerit San-
ctus, etiam teſtimonijs Adverſariorum, quid ipſe dixerit de miracu-
lis S. Malachiæ in Vita illius, audiamus, ait enim: *Quo antiquorum
genere miraculorum Malachias non claruit? Non prophetia defuit illi;
non revelatio, non gratia ſanitatum, non deniq; mortuorum ſuſcitatio.*
Hæc debent eſſe vera, quæ Sanctus teſtatur, cui veritati debent aſ-
ſentiri adverſarij, qui dicunt, S. Bernardum fuiſſe Sanctum, niſi ite-
rum negent Sanctitatem, quam ſemel conceſſerunt. De ijsdem mi-
raculis S. Malachiæ Oſiander teſtatur Cent. 2. pag. 715. his verbis:
Tribuuntur illi plurima miracula, licèt hæc addat, *quòd Superſtitiones
Pontificias amplexus, Rom. Pontificem pro Deo colat.* Audiat univer-
ſus Chriſtianus Orbis inſignem impoſturam, quis unquam Catholi-
corum Rom. Pontificem pro Deo coluit? niſi, quòd omnes debitum
honorem, ut Supremo Prælato Univerſalis Eccleſiæ, & Vicario Chri-

sti, tribuunt illi, qui pro Christo legatione fungitur, & vicem Christi in terris gerit, secundùm illud: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*. Deindè, cùm Osiander superiùs vocaverit S. Bernardum valdè pium, Lutherus & Melanchton Sanctum, videant, quomodo pietas & Sanctitas potest cohærere cum Superstitione. S. Dominicus & S. Franciscus insignes miraculis. S. Dominicus tres mortuos suscitavit. S. Franciscus miraculosis Stigmatibus à Christo insignitus fuit, nota toti Orbi Christiano historia, ipsis etiam fatentibus Luthero, & Melanchtone, & Confessione Augustanâ, fuisse Sanctos Franciscum & Dominicum. S. Hiacynthus fluvium Vandalum expanso pallio, super aquas sicco pede transivit. S. Stanislaus, Episcopus Cracov. Petrum quendam, triennio antè mortuum, ad vitam revocavit, & ad judicium Boleslai Regis, omnibus spectantibus & contremiscentibus, adduxit. Alter mortuus in Canonizatione illius revixit, etiam sepeliendus surrexit. In Canonizatione S. Heduigis mulier cæca visui restituta est. S. Bernardinus, S. Catharina Senensis, S. Nicolaus Tolentinus, miraculis claruerũt. S. Vincentij, S. Antonini clara miracula. Deniq; S. Franciscus Xaverius, quem, quandoq; unico idiomate ad diversas gentes concionantem, unaquæq; gens suâ linguâ loquentem audivit. Idem Crucis Signo aquam Marinam in dulcem convertit, quâ ad varias Regiones alportatâ, ægri plurimi subitò sanati sunt. Idem plures mortuos ad vitam revocavit, inter quos pridiè sepultum erui jussit, & suscitavit: duos alios, apprehensâ illorũ manu, parentibus vivos restituit. In morte S. M. Teressiæ arbor arida proxima Cellæ effloruit; ejus corpus incorruptũ usq; in hanc diem odorato liquore circumfusum. Aloysius Bertrandus, dum Hispanico idiomate concionaretur, intellectus est ab Indis, ex Bosio lib. 6. cap. 7. & 2. Undè meritò S. Augustinus lib. de Utilit. cred. & lib. contra Epist. Fundam. dicit, *se teneri in Ecclesia Catholica Romana vinculis miraculorum*. Et Richardus de S. Victore lib. 1. de Trin. cap. 2. ait: *Domine, si error est quod credimus, à te decepti sumus, ista enim in nobis ijs signis, & privilegijs confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt*. Hæc & similia, nullus cœtus dicere poterit, nisi hoc, quòd ab hoc vel altero hæresiarcha decepti sumus. Ex his plurima miracula agnoscunt etiam aliqui Protestantes. Sic in libro, cui Titulus: *Narratio Regni Congo*, ab Abrahamo Hartuvello impresso 1587 & lib. 2. cap. 3. de ejusdem Regni ad Fidem Christianam Conversione, & de magnis miracu-

circa Decimum Tertium.

circa Decimum Quartum.

circa Decimum Quintum.

NB. Continuũ miraculum videndum Neapoli ad Reliquias & Sanguinem S. Ianuarij Martyris, & S. Ioannis Baptistæ.

miraculis, ſpectante exercitu factis. Idem in Epiſtola ad Lectorem ait: *Converſionem illius gentis factam per Sacerdotes, Miſſam celebrantes, ſecundùm uſum Romanum.* Joannes Poryus in Hiſt. Geograph. Africæ, edita Anno 1600. pag. 410. eadem miracula recenſet, & agnoſcit, & pag. 413. initio Hartuellum laudat. Richard. Hackluï Prædicans lib. inſcripto Navigationes Celebriores, impreſſo Anno 1599. 2. P. pag. 88. S. Xaverij Virtutes & Miracula cum laude commemorat. Sunt & alia plurima, quæ brevitatis causâ omittimus, quæ in SS. Patribus, tùm Catholicis, tùm diſsidentibus Authoribus inveniuntur. Probatur neceſſitas Miraculorum, ad dignoſcendam unicam veram Fidem inter tot falſas.

Prima Ratio. Sicut Author veræ Fidei JESUS Chriſtus, & Inſtitutor Eccleſiæ Catholicæ, Signis & Miraculis, tam per ſe, quàm per Apoſtolos, & alios Viros Apoſtolicos manifeſtare, & firmare voluit eandem Eccleſiam, & plurimas Gentes ad eandem per miracula voluit adducere, ut ſuperiùs patuit, ita eandem Eccleſiam, tanquam Corpus ſuum Myſticum, debuit dotare miraculis, ut hoc medio, ſimpliciter ad agnoſcendam veritatem neceſſario, & à Chriſto relicto & prædicato, adducerentur ad veram Fidem ex Paganiſmo, & varijs hæreſibus. Si enim Author Fidei JESUS Chriſtus, cum ſuis Apoſtolis, uſus eſt miraculis, ad reducendos homines ab erroribus, multò magis Operarijs, & Prædicatoribus Veritatis in ſola Eccleſia Catholica concedere debuit miracula, ut credant illis, ſicut crediderunt Chriſto & Apoſtolis per miracula. Licèt non ſemper, nec omnibus, eadem miracula concedit DEUS, ſed ſecundùm ſuum beneplacitum. Additur: quia multi ſunt cœtus, multæ hæreſes, ſe ad invicem condemnantes, & hæreſeon ſibi imponentes. & quilibet cœtus apud ſe veram Fidem jactitat. Cùm ergo omnibus æqualis danda ſit Fides, non poteſt aliter inter illos dignoſci Veritas, niſi per miracula, ſicut agnita eſt inter S. Eliam verum DEI Prophetam, & falſos Baal, quia miracula cum vera Fide & Religione ſemper conjuncta ſunt, ex eo, quod à ſolo DEO procedant. DEUS autem non poteſt permittere miracula in teſtimonium errorum & falſitatis.

Secunda Ratio. Sinagoga fuit particularis Eccleſia, in qua, quia fuit verus cultus DEI, & vera Religio, in illa faciebat DEUS miracula, per ſe, vel per Servos ſuos, & hæc miracula durârunt, quòusq; duravit vera Religio in Sinagoga, ad adventum Chriſti, multò

magis in Eccleſia Catholica, hoc eſt Univerſali, durare debent miracula à Chriſto relicta, quousq; Eccleſia duraverit, aliàs felicior Status fuiſſet Synagogæ particularis, quæ defectura erat, quàm Eccleſiæ Univerſalis, quæ nunquam defecit, nec deficiet, ſecundùm promiſſionem Chriſti: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Cùm autem talia miracula in nullo cœtu inveniantur, qualia enumerata ſunt ſuperiùs in ſola Eccleſia Cath. Rom. ſequitur, in nullo cœtu verum eſſe cultum Divinum, veramquè Fidem, cùm in illis omnibus deſit medium ſimpliciter neceſſarium ad agnoſcendam veram unicam Fidem, à Chriſto Domino relictam per miracula, & in Eccleſia ſemper, tam per ipſum, quàm per Apoſtolos, & alios SS. Patres confirmatam.

Quòd autem hæc miracula ſuperiùs enumerata, vera ſint, & indubitata. Probatur. Quia teſtimonia ſunt optima SS. Patrum mortuorum, & graviſſimorum Authorum, qui de nulla falſitate fuerunt ſuſpecti, imò magnam ſemper apud omnes meruêre fidem, & debent haberi pro incorruptis teſtibus, cùm nec adverſa pars negabat hæc miracula annis ſuperioribus, nam tunc contentio inter nos & illos nondum erat de miraculis, ipſi verò, prout facta ſunt miracula à DEO in teſtimonium veræ Fidei, ipſam veritatem ſcripſerunt. Hæc verò veritas fundatur in S. Evangelio: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur.* Illi verò, qui negant hæc miracula, debent haberi pro ſuſpectis, cùm miracula operari non potuerint, ex livore negârunt miracula, ſed tam inverecundè, ut per hoc nullam fidem apud ſe conſtituant. Nam vera Fides Catholica ab omnibus hæreſibus, Paganiſmo, & Judaiſmo diſtinguitur, & ut vera à falſis per miracula dignoſcitur. Sed negent quantùm velint hæc miracula. Agnovit tamen Lutherus hæc miracula in Eccleſia Catholica Romana, qui in purgatione quorundam Articulorum ſic ait: *Quis enim poterit contradicere his, quæ adhuc hodiernâ die mirabiliter & inviſibiliter apud Divorum Sepulchra operatur DEUS.*

☞ *Suo tempore Lutherus agnoſcebat miracula in Eccleſia Romana, quo modo cum falſa fide hæc eſſe poterant?*

Hæc Nota, Gloria ſcilicet Miraculorum, magni facienda eſt ab omnibus, qui ſunt veritatis amici. Nam hæc Nota ſemper fuit, & modò eſt oſtenſiva veri cultûs Divini, veræq; Fidei in DEUM, tam in Veteri, quàm in Novo Teſtamento, ut ſuperiùs patuit. Notum eſt enim omnibus Scripturam ſcientibus, quòd DEUS tam in Synagoga per Prophetas, & alios extraordinariè miſſos, manifeſtavit verum cultum ſuis miraculis, ut patuit ſuperiùs in S. Elia, Moyſe, Gedeone,

deone,

deone, & alijs, sicut & Christus per se & Apostolos, per similia miracula suam doctrinam manifestavit, ut ipsemet ait Joan. 15. *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ex his antecedentibus talis educitur evidentia. In Synagoga non aliter, sed per miracula manifestavit DEUS veram Religionem, & verum cultum sui; hanc veritatem nemo negare potest, nisi neget S. Scripturam. Iterum cùm Ecclesia Catholica successerit in locum Synagogæ, transtulit Christus DEUS hæc miracula à Synagoga ad Ecclesiam, ad manifestandam veram Religionem, & verum cultum sui, & hoc etiam negari non potest, nam Christus innumera miracula fecit, & Apostoli, & alij Succedanei Viri Apostolici: in Synagoga verò miracula cessârunt, ut potè transportata cum vera Religione ad Ecclesiam, ut notum est omnibus: & ideò cæcitas Judæis adscribitur ab omnibus nobis Christianis. ex eo, quod per miracula olim in Synagoga, ante adventum Christi facta, probant in eadem veram Religionem, & verum cultum DEI, & in Ecclesia Catholica, quæ successit in locum Synagogæ, ex odio in Christum ex Pharisæis concepto, æqualia & similia miracula rejciant, quæ manifestant veram Fidem Catholicam, sicut olim manifestabant in Synagoga verum cultum Dei. Ex his rectè sequitur: Si ab Ecclesia Cathol. Rom. DEUS (contra promissiones suas de perpetuitate Ecclesiæ, *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*) permitteret, ut vera Religio, & verus cultus DEI transferretur ad aliquem privatum cœtum, deberent in illo cœtu fieri vera miracula, ut ibi manifestaretur vera Religio, & vera Fides, sicut manifestata fuit in Synagoga, & posteà in Ecclesia per Christum & Apostolos, aliosq; Succedentes. Cùm verò in nullo cœtu fiant miracula, & cùm sint cœtus vix numerabiles, qui apud se veram jactitant Fidem. Undè vel nulli, vel omnibus æqualiter credendum. Si omnibus, ergo tot erunt Fides, quot cœtus; si nulli, nulla erit Fides. Nulli autem ex his cœtibus tenetur credere Christianus, qui sunt extra Ecclesiam Catholicam, carentes miraculis, nam tales omnes excusat Christus, quòd peccatum non habeant, licèt non credant cœtibus carentibus miraculis, cùm ait Joan. 15. *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Sic peccatum non habent, qui non credunt cœtibus miracula non habentibus, visis tot in Ecclesia Cath. Rom. miraculis. Confirmatur. Nam tam Lutherus, quàm Calvinus, in confirmationem suæ doctrinæ voluerunt facere miracula, id enim Historiæ

ſtoriæ fide dignæ teſtatur, quòd Lutherus voluerit ex obſeſſa dæmonem expellere; Calvinus ſimulatum mortuum voluit excitare: utriq; non ſucceſſit Opus. Nam dæmon non eſt expulſus, & mortuus ſimulatus verè mortuus in feretro inventus, cum ejulatu Conjugis; undè uterq; judicavit neceſſaria miracula, ad trahendos ad ſuam fidem homines, quæ tamen patrare non poterant. Confirmatur 2dò. Quia Chriſtus prædixit Matth. 24. multos Pſeudoprophetas, & juſſit illos cavere, undè quicunq; venit poſt Chriſtum, cum aliqua doctrina extra Eccleſiam Catholicam firmatam miraculis, ex mandato & cautella à Chriſto relicta, debet haberi pro Pſeudopropheta, niſi ſuam doctrinam confirmet miraculis, cùm nec ipſe Chriſtus obligaverit homines, ut crederent ſuæ doctrinæ ſinè miraculis, quæ ideò fecit, & Apoſtolis dedit poteſtatem faciendi illa, ut ſinè miraculis extra Eccleſiam Catholicam nulli doctrinæ credatur: & ut per miracula diſtingueretur doctrina Eccleſiæ à doctrina Pſeudoprophetarum, qui ſunt omnes hæreſiarchæ, à quibus omnes cœtus privati procedunt. Confirmatur ultimò. Quia Lutherus requirebat miracula ab alijs in teſtimonium veræ doctrinæ, Ergo etiam ipſi neceſſaria fuerunt miracula, cùm res inſolitas in Eccleſia Catholica docebat, & inauditas, immo antiquos reſuſcitavit errores.

Confirmantur Miracula ex teſtimonijs ipſius adverſæ partis. Quia Lutherus ab alijs ſibi contrarijs requirebat miracula, in confirmationem veræ doctrinæ. Ait enim Epiſt. ad Senatum Mulhuſinũ: *Accerſat ad ſe Senatus, etiam præſente omni populo, ſi fieri poteſt, & quærat ex eo, quis eum hùc miſerit, aut vocaverit ad docendum, procul dubio Senatus non fuit Quòd ſi dicat, ſe à DEO atq; ipſius Spiritu miſſum eſſe, quemadmodum Apoſtoli; probet hoc miraculis & Signis editis, vel nolite ferre, ut concionetur. Nam ubicunq; DEUS Ordinariam* (nempè Miſſionem) *vult mutare, ibi ſemper miracula facit.* Hoc Argumentum Lutherus directè contra ſe protulit, nam ordinariè non fuit miſſus ab ullo: ſi extraordinariè, debuit facere miracula, & nulla fecit, licèt voluit: idem de Zvinglio, Calvino, & alijs multis dicendum. Neceſſaria fuerunt Luthero miracula. Nam cùm Calviniſtas, Zvinglianos, Oecolampadium, Carolſtadium, & omnes Sacramentarios, Tigurinos, & Heidelbergenſes Theologos, habuerit pro Hæreticis, ut illos converteret ad ſuam fidem. Neceſſaria fuerunt & Calvino, & Zvinglio miracula, cùm Lutherum habuerint pro ſeductore, Chriſti negatore, impoſtore, ipſo Marcione deteriorem,

rem, & Arianos imitantem, ut illum converterent ad fidem suam. Quod autem seipsos ad invicem pro hæreticis habuerint, patet ex ipsorum testimonijs. Lutherus, cùm audierit, Lutheranos velle convenire cum Calvinistis, Tom. 2. Wittenberg. respondit: *Maledicta pax & concordia cum Sacramentarijs per omnia sæcula sæculorum.* Et in Colloq. Mensal. ait: *Non alia sperari potest concordia inter nos & Calvinistas, quàm quæ inter Judam & Christum intercessit.* Et Epist. ad Argentor. ex Calvinistis & Lutheranis unam non posse fieri Ecclesiam, concludit sic: *Summa est, alterutros oportet esse Sathanæ ministros, vel ipsos, vel nos.* Ecclesia Anglicana in Synodo Londin. 1603. anathematizat Pruritanos, Pruritani hæreticos & idololatras denunciant Anglos. Calvinus in Defens. 2. pag. 761. contra Vesphal. de Lutheranis ait: *Tam virulento odio in nos crepant, ut citiùs illis pax cum Turcis futura sit, & cum Papistis fraternitas, quàm nobiscum induciæ.* Necessaria ergo illis erant miracula, ut una pars traheret aliam ad suam fidem, nec se ita tam turpiter ad invicem condemnarent hæreseon. Tum quia Zvinglius Tom. 2. fol. 52. 53. 54. ait: *Prædicatores usurpantes Evangelicum Ministerium absq; Signis appellat homines audaces, temerarios, hæreticos, imitatores Chore.* Deniq; Romanos Catholicos utrique, tam Lutherani, quàm Calvinistæ, dicunt errare in fide, ergo ostendant signa, ut illis credant, cùm magnum dubium sit, cui credendum, Luthero nè, an Calvino, an Rigido, an Molli Lutherano, an alijs atq; alijs, cùm se ad invicem hæreseon condemnent. Quomodo ergo Dreierus trahet ad se Universalitatem compositam ex Calvinistis & alijs Sacramentarijs? cùm se tam turpiter ad invicem condemnent, numquid doctior erit Authore Luthero vel Calvino, qui sibi tantoperè viam in perpetuum ad concordiam præcluserunt, de impijs dogmatibus seipsos ad invicem accusando, & anathematizando. Hæc adducere placuit, non ut exacerbemus Protestantes & Calvinistas, sed ut manifestam veritatem ostendamus, quomodo hæc prima Capita præcluserint in perpetuum viam ad concordiam, tam sibi ad invicem, quàm cum Catholicis. Nam ex his principijs hucusq; Lutherani & Calvinistæ secum convenire non possunt, licèt in tot Colloquijs concordiam quæsierint, ad quam præcluserunt viam suis Sequacibus, & perpetuam discordiam seminârunt, ut superiùs clarè patuit. Author Tubæ pag. 45. ait: *Si verum loqui liceat, ut plurimum hi quæsierunt conciliare solos Protestantes, qui si toties inter se non convenerint hucusq; in tot*

NB.

in tot Colloquijs. Quomodo ad invicem convenire poterunt vel cum Catholicis, cùm ex sententia Lutheri & Calvini sint ad invicem hæretici; quare cùm tales vocentur, ægrè ferunt, cùm à suis Authoribus & Magistris tale cognomen obtinuerint. Prateolus Marcolius An. 1605. suo tempore è Lindani Episcopi Ruremun. Dubitantio desumpsit, quòd à Luthero divisi sint ejus discipuli in sex Classes, nempè, Lutheranos, Semilutheranos, Antilutheranos, (& horum major inter omnes numerus) Sacramentarios, Rigidos Confessionistas, Extravagantes Confessionistas: istæ sex Classes iterum divisæ sunt in varias plures Sectas, nempè in 164. Ab Anno verò 1605. ipsi videant, in quot denuo Sectas divisi, quomodo ergo nomen Catholicum hi omnes ad se trahent, judicio omnium subijcimus. Sic necessaria erant maxima miracula Luthero, ut hos omnes contineret in sua fide, ut suum nimis tardum adventum comprobaret miraculis, maximè cùm Tom. 1. Wittenb. in Præfat. diceret: *Solus primus eram.* Et Tom. 2. fol. 63. *Solus tunc hoc Saxum volvebam.* Et Epist. ad Argentin. *Christum à nobis vulgatum audemus gloriari.* Zvinglius Tom. in Act. Disp. Tigur. fol. 609. *Certò novi doctrinam meam non aliud esse quàm Sacrosanctum Evangelium, quod Dominus &c. à me prædicari voluit.* Calvinus, teste Bolesco, dicere solebat: *Ego Propheta sum.* Basileenses Epitaphium Oecolampadio tale posuerunt: *Author Evangelicæ doctrinæ.* Et isti Evangelistæ quomodo se ad invicem hæreseon condemnârint, superiùs vidimus. Undè his necessaria erant miracula, quis verior Spiritus illorum fuerit, maximè cùm SS. Patres hos omnes mirè depinxerint. Apostolus ad Gal. 5. *Contentiones, æmulationes, rixæ, iræ, dissensiones, Sectæ, &c. quæ prædico vobis, &c. quoniam qui talia agunt, Regnum DEI non consequentur.* S. Hieronym. ad Pamma sic ait: *Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod anteà nescivimus? usq; in hanc diem sinè ista doctrina mundus Christianus fuit.* Et Dialog. contra Lucifer. *Ex hoc ipso, quòd posteriùs instituti sunt, eos se esse indicant, quos Apostolus prænunciavit.* In Epist. Joan. *Multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum,* quæ verba S. Augustinus exponens Tract. 3. in Epist. Joan. ait: *Omnes hæretici, omnes Schismatici ex nobis exiêrūt, id est ex Ecclesia,* quæ sola Romana vera pro illo tempore fuit, sicut & modò est ex promissionibus Christi. Vincent. Lirin. lib. contra Proph. voc. Novit. cap. 34. ait: *Quæcunq; hæresis nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebullivit, quis unquam hæreses instituit, nisi*

Hæretici semper Eccles. Cathol. Rom. solue-runt emendare.

ve, nisi

it, nisi qui se priùs ab Ecclesiæ Catholicæ universitate & antiquitate consensione ducrevit. S. Chrysost. Hom. 33. in Act. *Numquid scindimur ab Ecclesia? num hæresiarchas habemus? num ab hominibus cognomen habemus? numquid nobis dux quidam est? sicut illi Marcion, illi Manichæus, huic Arius, alteri verò alius hæreseos dux.* Hilarius lib. 6. de Trin. *Ignosce omnipotens DEUS, quia in his emendari non possum, sed commori. Tardè mihi hos &c. Doctores ætas nunc huius seculi protulit, serò hos habuit fides mea.* Tertull. lib. de Præscript. cap. 30. *Non potest esse, ut anteà sit hæresis quàm vera doctrina, sed in omnibus veritas imaginem antecedit.* Theol. Heidelberg. Præf. in Protoc. Frantenk. sic ad Anabaptist. ajunt: *Si vos Ecclesia Dei sitis, sequitur, DEUM sinè populo, & sinè Ecclesia fuisse, &c. quia verò neq; DEUS à principio sinè populo & Ecclesia fuit, vestra autem Congregatio primùm An. 1521. cœpit, sequitur, vos veram Ecclesiam DEI atq; populum esse non posse.* Hoc argumentum mirificè & ad amussim Luthero, Calvino, Zvinglio, & alijs servit, qui post annum 1517. exorti sunt, proindè Ecclesiam DEI illos esse non posse. Necessaria ergo fuerunt miracula Luthero, Calvino, & alijs, cùm satis clarè SS. Patres illorum tardum adventum, & omnibus suspectum, de hæresi tam clarè descripserunt. Requirebat hæc miracula & Erasmus (aliàs vir magni judicij, si illo non fuisset abusus) à Luthero, qui aliquo modo fuit occasio Luthero ad recessum ab Ecclesia Cathol. Romana, sed postmodùm hostis Lutheri, videns invaluisse mala, & multas hæreses in dies pullulare, quem pœnituit postmodùm de data Luthero occasione, ut inferiùs patebit, scripsitq; contra Lutherum, & contra Evangelicos. Sic Erasmus de Luthero in Diatriba ait: *Lutherus privatus nuper natus cum suis amicis, in quibus &c. nec tantum ingenium, &c. nec magnitudo, nec sanctimonia, nec miracula, ut qui nec claudum quidem equum sanare potuerit.* Idem Epist. ad Pseudoëvan. Tom. 9. Basileæ edit. 1540. ait: *Arduum est, quod profitemini, & Apostolorum negatio durius, &c. nec vos sublevant ulla vel vaticinia, vel miracula.* Idem in Diatriba ait: *Non credebatur Apostolis, nisi miraculo Fidem adstrinxissent doctrinæ: nunc quilibet postulat sibi credi, quod affirmat, se habere Spiritum Evangelicum. Apostolis, quoniam excutiebant viperas, sanabant ægrotos, excitabant mortuos, &c. ita demùm creditum est illis, nunc cùm iuxta communem opinionem adferant παραδοξότερα, atq; utinam absq; miraculis præstarent sinceritatem.* Appositè ad hæc Tertull. lib. de Præscr. cap. 3. ait:

Probent

Probent ſe novos Apoſtolos (nempè per miracula) *eſſe, dicant Chriſtum iterum deſcendiſſe, iterum mortuum, iterum naſciturum: Sic enim Apoſtolos ſolet facere.* Ex his patet, quòd antiqui hæretici jactabăt ſe eſſe Apoſtolos, ut Manichæus, & alij. Sed dicăt, quidquid volunt, negădo vel calumniando miracula, cum antiquis Paganis & hæreticis, id contra omnem rationem faciunt, nam S. Scripturæ utriq; falſitatem imponunt. Audiamus S. Auguſtinum, qui lib. de Civit. DEI cap. 12. ait: *Quæcunq; miracula divinis ſiunt, ut DEI unius, in quo ſolo beata vita eſt, cultum Religionemq; commendent.* Idem Epiſt. 49. Quæſt. 6. ait: *Sicut humana conſuetudo verbis, ita Divina potentia &c. mirabilibus factis &c. loquitur.* Ultimatè ad homines adverſæ partis. Urſinus in Comment. Catech. pag. 2. ait: *Miracula verò, quibus DEUS Eccleſiam ornavit, opera ſunt, præter aut contra naturæ & cauſarum ſecundarum ordinem; ac proindè non niſi Divinâ potentiâ facta.* Antonius Wottonus in exam Cler. Rom. pag. 115. ait: *Ego quidem arbitror, &c. nullum unquam miraculum effectum eſſe, aut efficiendum ad falſæ doctrinæ confirmationem, neq; enim exiſtimare poſſum, DEUM omnipotentem ad falſum teſtificandum exerere velle.* Undè patet etiam ex ipſis adverſarijs, quòd omninò neceſſaria fuerint miracula Luthero & alijs, ut probarent, veram ſuam eſſe doctrinam, cùm ipſe defenderit Eccleſiam Cathol. Romanam contra Judæos, arguens eos, quòd viſis tot Chriſti miraculis non crediderint. Sic enim Tom. 7. Wittenb. imp. lib. contra Judæos pag. 209. ait: *Nunc autem per hos mille quingentos annos audiêrunt eſſe verbum DEI, viderunt maxima ſigna & miracula, & contra fremuerunt.* Et fol. 201. ait: *à DEO didicimus, & accepimus, ut æternum Verbum veritatem DEI hactenus miraculis & ſignis mille quingentis annis conceſſam & confirmatam.* Undè & Lutherus debuit confirmare fidem ſuam, cùm ab Eccleſia receſſerit Catholica, quæ annis 1500. confirmata fuit miraculis, ſicut contra Judæos, ſic contra omnes hæreticos. Quòd autem hæretici nunquam facere potuerint miracula, vide Actus Apoſtolorum cap. 19. à num. 11. ad num. 17. quomodo fruſtrà hæretici facere miracula contendunt, quod ſimile quid Luthero accidit, in expellendo dæmone à quadam puella. Cùm ergo ſit in poſſeſſione Miraculorum Eccleſia Catholica Romana, conſequenter eſt & veri cultûs Divini, veræq; doctrinæ; etiamſi modò in illa non fierent miracula, multò magis cùm fiant. Non enim conſtat, miracula tranſlata eſſe ad aliquem cœtum, ſicut tranſtulit Deus ea à

Syna-

Synagoga ad Ecclesiam Catholicam, ut notum est omnibus, ita notum deberet esse per miracula, ut hîc non alius cœtus habeat verũ cultum Divinum, veramq; Religionem, cùm autem nullus hæc præstat miracula, nulli credendum, quia omnes, & penè innumeri, vendicant sibi verum cultum DEI, veramq; doctrinam, deberent illam miraculis probare, quæ inter hos omnes vera.

Ex hoc Discursu notandum, duplicem esse Missionem, Ordinariam, & Extraordinariam Ministrorum DEI in Ecclesia. Qui ordinariè mittuntur, sunt Prælati Ecclesiæ, quorum missio procedit Successione ab Apostolis, quos Christus elegit ad prædicandum Evangelium: his ad confirmationem suæ doctrinæ, non semper sunt necessaria miracula, nec sanctitas vitæ, quia supponitur, undè procedunt, per Successionem, nempe à Christo & Apostolis. Suntq; intra Ecclesiam Catholicam, quæ firmata est miraculis à Christo Domino & Apostolis, & ideò non adeò sunt necessaria miracula in Ecclesia Catholica, quia est in possessione illorum à Christo, & Apostolis, Successoribusq; illorum, quamvis & nunc non desistat DEUS facere miracula in Ecclesia hodierna, secundùm suum placitum. Jam verò, qui extraordinariè mittuntur, semper in illis requiruntur miracula, fatente etiam id adversâ parte, & sanctitas vitæ, ut patet in omnibus extraordinariè missis à DEO, ut in S. Elia, Eliseo, Moyse, & alijs. Qui autem per hæc duo non possunt probare suam extraordinariam missionem, hos Christus Matth. 24. tanquam Pseudoprophetas cavere jussit. Quomodo autem cognoscendi, ostendit Christus Matth. 24. *Dabunt Signa magna & prodigia.* Apostolus 2. ad Tessal. 2. explicat, qualia erunt hæc Signa & prodigia illorum, dum ait: *In Signis & prodigijs mendacibus*. non autem erunt vera miracula in testimonium veritatis, sed prodigia, mendacia, in confirmationem falsæ doctrinæ. Undè per omnes ætates à Christo, nullus ex hæresiarchis fecit aliquando uel unicum verum miraculum.

Secundò notandum. Ibidem legitur Matth. 24. *Si dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere.* Non est Christus, nec invenitur in deserto, velut absconditarum, & extranearum opinionum, nec in angulis latentis doctrinæ, sed palàm in visibili Ecclesia invenitur Christus, & doctrina illius, ut ipsemet subjunxerit: *Ubicunq; fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Undè S. Augustinus sæpiùs exprobrabat hanc stultitiam Do-

natistis, qui dicebant, perijsse Ecclesiam in toto mundo, & apud illos remansisse in angulo Africæ.

Tertiò notandum. Cùm dixerit Christus Matth. 7. *Attendite à falsis Prophetis*, ut cognoscamus eos.; subjunxit: *à fructibus eorũ cognoscetis eos.* Fructus autem eorum sunt opera carnis, sermones & opiniones Catholicæ Ecclesiæ contrariæ, contemptus Ecclesiæ Doctorum, quos ad Ephes. 4. *DEUS dedit &c. alios autem Pastores & Doctores, in ædificationem Corporis Christi*, Prælatis inobedientia: hi fructus eorum sunt; impura vita, mendacia, calumniæ, inconstantia doctrinæ, depravatio Sacræ Scripturæ ad suos errores. Nam omnes hæresiarchæ in pœnam suæ hæresis, tanquam derelicti à Deo, turpissimam vitam agebant, & alios in illam induxerunt, varijs criminibus, maximè vitio libidinis notati, ut Gnostici, Arius, & omnes usq; ad nostra tempora, de quibus sic Apostolus: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c; contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, Sectæ, &c. quæ prædico vobis, &c. quoniam qui talia agunt, Regnum DEI non consequentur.*

ad Gal. 5. Vide suprà pag. 29. & 30. 2. Petr. 2. cap. & Hieron. in cap. 16. Ezech.

Argumenta contra miracula quid valeant, & quàm apta sint ad decipiendam rudem plebem, videamus.

Objicit adversa pars. Quia etiam homines mali miracula faciunt, undè cùm dicent: *Domine, nonnè in nomine tuo prophetavimus? in nomine tuo dæmonia eiecimus? &c.* respondebitur eis: *Amen dico vobis, nescio vos.* Respondetur. Miracula vera conceduntur à DEO, non solùm Sanctis, sed etiam peccatoribus, quia est gratia gratis data, idq; solùm intra veram Ecclesiam, in testimonium veritatis, undè dicunt, *in nomine tuo*, id est intra Ecclesiam, hæretici verò alieni sunt à Christo, ergo non possunt dicere, in nomine tuo; non autem in testimonium falsitatis concedit DEUS miracula, quia miracula sunt participatio quædam Omnipotentiæ Divinæ. DEUS autem Omnipotentiam suam non potest participare in testimonium erroris, undè nec falsis Prophetis, nec hæreticis potest concedere vera miracula, hinc nulla unquam hæresis à primordijs Ecclesiæ fecit vel unum miraculum, puta ejectionem dæmonis, vel resuscitationem mortui, quia sola Signa mendacia habent. Quare autem malis intra Ecclesiam, licèt faciant vera miracula in testimonium veræ Fidei, dicetur illis, *non novi vos, discedite à me*, causa hujus clarè patet ex sequenti textu Evangelij: *Discedite à me*, ait, *qui operamini iniquitatem.* Non dicet illis Christus, non fecistis, quia

Matth. 7.

quia fecerunt vera miracula in testimonium veræ fidei, sed quia abusi sunt donis DEI, abusi sunt gratiâ gratis datâ miraculorum, usi sunt illis ad vanam gloriam, ad sui ostentationem, quasi propriâ virtute illa facerent, non referendo illa in DEUM suum; patet hoc in Juda, qui cùm multa fecisset miracula, turpiter cecidit: patebit & in alijs, qui postquam multa fecissent miracula, per varia peccata, maximè per superbiam, gratiam DEI amiserunt. His omnibus dicetur: *Non novi vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem,* qui non mihi, sed vobis vera miracula adscripsistis, & majorem occasionem superbiæ ex illis sumpsistis.

2dò Obijcit. Quia dicit S. Augustinus & S. Gregorius, miracula cessâsse in Ecclesia. Respondetur. Non dicunt Sancti cessâsse miracula, non enim possunt esse contrarij Evangelio: dicitur enim Marci 16. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur; in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Et Joan. 14. *Qui crediderit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Conjunxit Christus miracula cum vera fide, quæ cùm sit in Catholica Ecclesia, debent esse & miracula, non ergo dixerunt Sancti, cessâsse miracula in Ecclesia, sed frequentiam illorum, & reddit rationem S. Gregorius, quia in initio Ecclesiæ frequentiora necessaria fuêre, *ut illis Christus & Apostoli* (ait S. Augustinus) *conciliaret auctoritatem, auctoritate fidem, fide multitudinem,* modò autem, cùm jam fundata sit Ecclesia, & per Orbem dilatata, frequentia miraculorum non adeò necessaria, cùm Ecclesia illis sit stabilita, ne dicatur nobis exquirentibus miracula, *generatio prava & adultera Signum quærit.* Judæi enim visis tot miraculis Christi, semper requirebant miracula.

Alia Objectio Lutheri contra miracula, qui lib. de servo arbitrio ait; *A nobis, qui negamus liberum arbitrium, miracula exigi non debent; à vobis qui asseritis, debent, quando negativa est, nihil ponit, nihil est, nihil tenetur probare, nec debet probari, affirmativa debet probari.* Respondetur. Lutherus, quia nullum miraculum potuit unquam facere, ideò dicit, miracula à nobis non debent exigi. *Secundò* ℟. Si negativa illius doctrina fuit, multò majori indigebat probatione, & majori evidentiâ miraculorum. Negativum enim argumentum nihil probationis obtinet, & eâdem facilitate, quâ ponitur, negatur, nec solius affirmantis standum judicio, sicut Mahometes con-

confixit miraculum, quòd Lunam fractam remiserit in cœlum; sed quia solus affirmat, nullum habens testem, ideò nulla illi fides, bene optimè dicunt, quòd eorum doctrina sit negativa, quia veritatem negat, ideò probari nequit. Negavit ipse v. g. Sacrosanctum Missæ Sacrificium, nos probamus inferiùs tot testimonijs Sacræ Scripturæ, probamus constantem & antiquum usum (quem etiam ipse fassus est) descendentem ab ipso Christo & Apostolis, adducimus tot testimonia SS. Patrum, ut clarè cuiq; patebit, cùm de Missæ Sacrificio agemus. Quod etiam ipse fatetur lib. de Captiv. Babil. cap. 1. *Missa creditur, passim esse Sacrificium, quod offertur DEO, accedunt his dicta SS. Patrum, tot exempla, tantusq; usus per Orbem constanter observatus.* Et in Dedic. lib. de Abrog. Missæ ait: *Magnum est certè, tot Sæculorum consuetudini, tantæ multitudinis sensui, tantorumq; auctoritati reluctari.* Et alibi ait: *Profiteor inprimis adversùs eos, qui clamituri sunt, quod contra Ecclesiæ ritum, contra Statuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum.* Ad hæc comprobanda, quæ superiùs dixerat, non tantùm miracula, sed maxima miracula necessaria erant, cùm Christus Ecclesiam audire jusserit sub pœna plus quàm hæresis. Deindè, si Luthero miracula non erant necessaria, quare illa patrare voluit? quare voluit ex puella expellere dæmonem, & alia miracula facere? sed res non successit, ut passim historiæ loquuntur. Quare ipse Lutherus ab alijs miracula requirebat? Sic enim in Loc. Commun. Class. 4. cap. 20. pag. 38. ait: *Hæc explores, an Vocationem suam probare possint, neq; enim DEUS unquam aliquem misit, nisi vel per hominem vocatum, vel per Signa declaratum, nec ipsum quidem Filium.* Et Tom. 5. Jenen. fol. 491. ait: *Undè venis? quis te misit? ubi Sigilla, quòd ab hominibus missus sis? ubi sunt miracula, quæ te à DEO missum testantur?* hoc dictum convenientissimè Luthero applicari potest. Idem Lutherus ad Senatum Mulhus. de quodam Ministro sic scribit: *Si dicat, se à DEO & eius Spiritu missum esse, quemadmodum Apostoli, probet hoc Signis & miraculis editis, vel nolite ferre, ut concionetur. Nam ubicunq; DEUS ordinariam viam mutare vult, ibi semper miracula facit.* Et ipse de se ait Tom. 7. fol. 274. ☞ *Primus fui, cui DEUS hæc, quæ vobis prædicata sunt, revelare dignatus est.* Ergo ille extraordinariè missus à DEO, & tamen nullum miraculum fecit, & dicit, non debent à nobis miracula exigi. Si ergo Lutherus ab uno Ministro, ad unam Concionem dicendam, requirebat miracula, quare à Luthero non debent requiri miracula,

cùm contra ritum Ecclesiæ, contra Statuta Patrum docuerit, cùm se dixerit missum à DEO, cùm ad Seren. Saxon. Ducem sic scripserit: *Serenissima Celsitudo V. &c. iam sciat, me Evangelium meum non ab hominibus, sed per JESUM Christum habens, ita ut possim iure optimo, sicut posteà facturus sum, Ministrum & Evangelistam nominare.* Ad hæc magna miracula necessaria fuerunt pro isto quinto Evangelista, cùm in S. Scriptura quatuor solùm habemus. Requirebat hæc miracula ad tantam mutationem doctrinæ Erasmus, quondam amicus Lutheri, in Diatriba de libero arbitrio, dum ait: *Non credebatur Apostolis, &c.* vide suprà p. 167. Exprobrat hæc Erasmus Epist. ad Pseudoëvang. Tom. 9. Edit. Basil. 1540. dum ait: *Arduū est, quod profitemini & Apostolorum negotio durius, quemadmodum anteà monstratum est, nec vos sublevant ulla vel vaticinia, vel miracula.* Zvinglius Tom. 2. fol. 5254. *Homines sinè miraculis seipsos in ministerium verbi DEI intrudentes vocat audaces, temerarios, hæreticos, imitatores Core & Dathan, dignos, qui cum istis ad infernum descendant vivi, cum intolerabili & Diabolica arrogantia, plus quàm Joannes Baptista, plus quàm Petrus & Paulus, aut Christus ipse JESVS sibi assumant.* Respondetur ergo Luthero ad illud: *affirmativa debet probari.* Satis probata est affirmativa, scilicet Missæ Sacrificium, invocatio Sanctorum, liberum arbitrium, & similia, tot testimonijs S. Scripturæ, SS. Patrum, consensu populorum, miraculis: ad illud verò, *negativa nihil ponit, nihil est*, quod ille negat; nihil enim facilius, quàm sinè ratione negare, sinè ratione dicimus. Nam ipse tot testimonijs convictus S. Scripturæ & SS. Patrum, respondit: *Sic volo, sic iubeo, stat pro ratione voluntas.* Calvinus, videns miracula in Ecclesia Catholica, quibus firmata est vera Fides & veritas doctrinæ in Ecclesia Cathol. Romana, quæ nullo modo negari possunt, apud se verò nec unicum reperiri miraculum, ut eluderet, non posse miraculis probare veram Fidem, usus est astu tali. In Matth. Cap. 24. sic scribit: *Cùm Antichristos & mendaces Prophetas Dominus pronunciet fore armatos miraculis, non est, cur superbiant Papistæ de suis Superstitionibus.* Hic Calvinus consultò variavit textum Scripturæ, qui talis est Matth. 24. *Surgent enim PseudoChristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt Signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Calvinus pro Signis & prodigijs Pseudoprophetarum posuit miracula. Signa verò & prodigia Antichristi explicat S. Paulus 2. ad Tessal. 2. & dicit: *Veniet Antichristus in Signis & Prodigijs*



Zvinglius idem dicebat, vide suprà pag. 166.

gijs mendacibus. Calvinus verò pro Signis & prodigijs mendacibus, quibus armatus veniet Antichristus, posuit miracula, acsi unum esset miracula, & Signa mendacia, quibus electi (si fieri potest) in errorem inducantur. Vide, Lector, astum Calvini, pro Signis mendacibus posuit miracula, ut ostenderet, quòd etiam mendaces Prophetæ faciant miracula in testimonium falsæ doctrinæ, ut sic incauti argumentarentur: Si & veri Prophetæ in testimonium veritatis, & falsi in testimonium falsitatis, faciunt utriq; miracula, Ergo non potest per miracula dignosci vera vel falsa doctrina. Sed hic astus clarè patet, quòd miracula DEUS concedit vel Sanctis, vel peccatoribus, cùm sit gratia gratis data, idq; solùm intra Ecclesiam, in testimonium semper veritatis, nunquam falsitatis. Antichristi verò vel falsi Prophetæ, ut sunt omnes hæretici, veniunt in Signis & prodigijs mendacibus, in testimonium suæ falsitatis. ut in errorem inducant. Undè nullus hæreticorum ab exordio Ecclesiæ vel unicum fecit miraculum, nisi Signa mendacia, sicut fecit Simon Magus; in Ecclesia verò miraculis semper probatur veritas doctrinæ exemplo Christi & Apostolorum. Et si miracula non probant veritatem doctrinæ, quare Calvinus suam doctrinam voluit confirmare miraculo? cùm conduxerit hominem, ut se fingeret mortuum, ut illum simulatum mortuum coram populo excitaret, sed justo DEI judicio, ad puniendum astum, ex simulato mortuo factus est verus mortuus in feretro, & dolus apparuit per ejulatus & lacrymas Conjugis, cùm maritum verè mortuum videret. Vide Hieronymum Bolescum, olim Calvini discipulum, quæ in Vita Calvini scribit de Brulleo Ostunensi, quod ipsi acciderit, cùm se mortuum finxisset. Cùm ergo Calvinus apud se non videret miracula, sic se defendit, non esse pro illius doctrina miracula necessaria, Tractatu de Vera Reform. dum ait: *Nos novam Ecclesiam non extruximus, ideò miraculis non egemus.* Sed quomodo ille novam Ecclesiam non extruxit, dum Epist. 141. pag. 263. ait: *Absurdum est, ut postquam discessionem à toto mundo facere conati sumus, inter ipsa principia, alios ab alijs dissilire.* Et in Præfat. Institut. ait: *Anteactis Sæculis sic hominum ingratitudinem ultus est DEUS, ut nulla veræ Ecclesiæ facies extaret.* Quomodo non novam extruxit, cùm jam nulla facies veræ Ecclesiæ apparuit, secundùm Calvinum. Idem Tract. de Reform. Eccles. *Accusamur temerariæ & impiæ Novationis, quòd omninò quidquam ausi fuerimus ex antiquo statu in Ecclesia movere.* Confess. Calvin. Art.

Art. 32. ait: *Oportuiſſe DEUM in noſtris temporibus homines excitare extraordinariè, ut Eccleſiam de novo erigerent.* Ergo ad hanc novam Eccleſiam neceſſaria fuerunt miracula. Mornæus in Præfat. Myſter. iniquit. ait: *Noſtra reformata Eccleſia, cùm & puſilla & nupera ſit.* Sed quomodo reformârunt illam, cùm nulla veræ Eccleſiæ facies extaret, ſecundùm Calvinum. Nonne potiùs quadrat dictum S. Auguſtini lib. de Utilitate credendi cap. 14. *Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium eſt, quoniam neminem in auctoritatem præfertis.* Et lib. 3. contra Donatum cap. 2. ait: *Unde ergo Donatus apparuit? de qua terra germinavit? ex quo mari emerſit? ex quo cœlo cecidit?* S. Epiphan. lib. 1. contra hæreſes: *Unus es, & tuo nomine cognominati ſunt, qui à te decepti ſunt, velut qui te ipſum prædicáſti, non Chriſtum.* S. Hilarius lib. 6. de Trinit. *Ignoſce Omnipotens DEUS, quia in his nec emendari poſſum, ſed commori poſſum, tardè mihi hos piiſſimos &c. Doctores ætas nunc hujus Sæculi protulit, ſerò hos habuit Fides mea.* S. Chryſoſt. Hom. 33. in Act. Apoſt. *Numquid ſcindimur ab Eccleſia? numquid hæreſiarchas habemus? numquid ab hominibus cognomen habemus? numquid nobis Dux quidam eſt? ſicut illi Marcion, illi Manichæus, huic Arius, alteri verò alius hæreſeos Dux.* Quomodo novam non extruxerunt Eccleſiam, cùm Lutherus & Calvinus inviſibilem prædicârunt Eccleſiam; Eccleſia autem Chriſti vera eſt Viſibilis, ut ſuperiùs oſtenſum. Wittakerus etiam, quia nec Lutheri, nec Calvini, nec apud ſe ullum vidit miraculum, & ille etiam voluit probare, quòd ex miraculis non poteſt dignoſci veritas doctrinæ vel Fidei, ait pag. 349. à miraculis non poſſe ſumi ſufficiens teſtimonium veræ doctrinæ. *Nam poſſunt* (ait Wittakerus) *vera miracula fieri à falſis Prophetis, ſed tamen DEI, non illorum virtute. Conſtat enim,* (ait ille) *DEUM non modò veris, ſed etiam falſis Prophetis vim & facultatem tribuere miracula vera, non tamen quo confirmet eorum falſa dogmata, ſed ut tentet eos, an velint diſcedere à lege ſua,* & adducit locum Deuter. 13. *Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, &c.* Idem dicit Vermilius 1. Reg. 12. & 16. Ut meliùs intelligamus, ſi hæc Objectio aliquid valeat, videamus ulteriorem textum S. Scripturæ, citatum à Wittakero, qui talis eſt: *Si ſurrexerit &c. non audies verba Prophetæ illius, aut Somniatoris, &c. Propheta autem ille, aut fictor Somniorum interficietur, & auferes malum de medio tui.* Hîc manifeſtè patet, quomodo Wittakerus hoc loco S. Scripturæ ſit abuſus. *Primò,* DEUS monet popu-

populum suum, ne credat Signis portentis, & Somnijs Prophetæ fictoris, ne post deos alienos abeant. Wittakerus dicit, quòd DEUS tribuat vim faciendi miracula falsis Prophetis, hîc contrarium patet ex S. Scriptura, cùm ait: *Propheta autem ille, aut fictor Somniorum interficietur,* Ergo apud Wittakerum Prophetæ fictoris Somnia sunt vera miracula. Nonnè aliud est Prophetæ fictoris somnium, aliud verum miraculum? *Secundò.* Si DEUS tribuit vim faciendi vera miracula falsis Prophetis, quare dicit DEUS, *Propheta ille, aut fictor Somniorum interficietur.* Quem enim DEUS Prophetam, quemcunq; misit, jussit occidere, facientem vera miracula, nonnè tantùm illos, qui seducebant populum, ut contingit S. Eliæ, occidere falsos Prophetas, qui mendacijs reducebant populū à cultu veri Dei, quomodo tribuit vim faciēdi vera miracula, & illos occidi jubet, ista non cohærent, & clara sunt nimis. Deindè mirandum magis, quòd non adverterit Wittakerus, hunc locum S. Scripturæ pugnare contra ipsum, & Ecclesiæ Catholicæ magis firmare veritatem. Sicut enim DEUS in VeteriTestam. cùm firmaverit doctrinæ veritatem tot miraculis in Synagoga, intra quam si surrexerit Prophetes fictor somniorum, ut non credatur illi, & interficiatur. Sic Ecclesiam Catholicam cum tot miraculis firmaverit, intra quam si Prophetes aut fictor Somniorum surrexerit, non audies verba Prophetæ illius, aut Somniatoris illius. Numerate, si potestis, quot surrexerint tales Prophetæ, quot enim hæresiarchæ, tot Somniatores, tot deos alienos colendos proposuerunt, quot falsa & hæretica dogmata, tales Somniatores, si in medio Ecclesiæ surrexerint, anathemate percutiuntur, & aufertur malum hæresis ab Ecclesia. Hunc locum S. Scripturæ applicat omnibus hæresiarchis Vincent. Lerin. Cùm enim illi duo Viri Origenes & Tertullianus, propter novum modum interpretandi S. Scripturas, in hæreses inciderint, hunc locum de utroq; adducit lib. contra Proph. Voc. Nov. cap. 23. & 24. *Si surrexerit Prophetes in medio tui, &c. non audies verba Prophetæ illius.* Si ergo illo tempore & Origenes & Tertullianus, quibus nec doctrina, nec virtus defuerat, eò quòd recessissent ab Ecclesia, habiti sunt pro Somniatoribus, multò magis illi sunt habendi pro talibus, quorum nulla comparatio ad Origenem & Tertullianum, his & similibus argumentis utuntur, ad probandas Superstitiones Eccles. Cathol. gravem inferendo DEO injuriam, quasi ille tribuat vim & facultatem faciendi vera miracula falsis Prophetis, qui solùm falsa ab Antichristo habere

sto habere & facere possunt, nunquam autem vera, quod S. Augustinus expressit lib. 88. Et S. Gregor. Hom. 2. de Miraculis ait: *Quod de miraculis queq; Sanctorum dicendum est, quando ut hæc miracula faciant, Christus facit ut faciant*, Sanctis ergo tribuit DEUS, ut faciant vera miracula, non falsis Prophetis, etsi tribuit malis hominibus, semper in testimonium veritatis, idq; intra Ecclesiam nunquam in testimonium erroris, ut etiam Ursinus ait. Non enim vult DEUS errores, ex quibus æterna mors sequitur, cùm ait: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.* Multi ergo videntes antiquam Religionem in omnibus penè subitò mutari, & novam introduci, nec poterant satisfacere his responsionibus, sensatis Viris, quòd DEUS vim tribuat faciendi vera miracula falsis Prophetis, requirebant ab illis miracula. Tentavit ergo quasi coactus Lutherus facere miracula. Vide Lindanum & Surium, quomodo in albo flumine Wilhelmum Nisenum Lutherus ad vitam resuscitare tentâsset, sed frustrà. Vide oculatum testem Staphilum, quæ Anno 1545. circa dæmoniacam puellam Luthero acciderunt. Vide Hieronymum Bolsecum, olim Calvini Discipulum, quæ in Vita Calvini scribit cap. 13. quid Brulleo Ostunensi accidit, qui cùm se mortuum finxisset, ut fictè resuscitatus appareret, verè mortuus inventus in feretro, & patuit fraus per ejulatus conjugis mulieris omnibus, ita ut aufugiendum erat, & aliò migrandum, propter ignominiam. Quare autem DEUS non dixerit, si surrexerit in medio tui malus Prælatus, sed, si surrexerit Prophetes, aut fictor Somniorum, non audies verba illius, ratio evidens est: quia malus Prælatus solùm sibi nocet, non alijs, undè de illis dicitur: *Qui vos audit, me audit*; falsi verò Prophetæ seducunt, ideò non audiendi, sed fugiendi, de quibus expressè Christus monet: *Multi Pseudoprophetæ venient, & seducent multos*; de malis Præpositis nihil tale legimus. Immo cùm dicit: *Obedite Præpositis vestris*, omnibus parere jubet, cùm nullum, nec bonum, nec malum Prælatum excipit. Deindè ad homines argumentamur, quomodo Calvinus & Wittakerus miracula negare potuerint in Ecclesia Catholica Romana, cùm illa Lutherus suo tempore agnoverit, cùm Parens Calvini & Wittakeri fuerit, qui in purgatione quorundam Articulorum sic ait: *Quis enim poterit contradicere his, quæ adhuc hodiernâ die mirabiliter & invisibiliter apud Divorum Sepulchra operatur DEUS.* Ursinus etiam Calvinista non postremus, & velut Chrisippus inter suos, in Prologomenis Explicationum

rum suarum melius sentit, ut veritas est de miraculis, quæ diabolus per suos ministros hæreticos non potest imitari: nam *DEUS* (ait Ursinus) *mendacio testimonium non perhibet*, vide Argumentum ejus quartum inferius in Apologia Justi Calvini Veteracastr. pro Rom. Cathol. Ecclesia pag. 38.

Dices: Hæc miracula esse conficta. Respondetur. Nimis tardè venisti. Miracula enim prædicta jam præscripserunt tot Annis habita per totum Orbem pro veris miraculis, tuum est probare esse conficta, quod difficilè probabis, nec enim invertes judicium Orbis, & tot Sæcula: omnes enim gentes à tot annorum Centurijs, absq; ulla dubitatione, pro veris miraculis habuerunt, nec efficies, ut quæ scripta sunt, non sint scripta, & quòd Processus Authentici & Juridici non sint tales, quòd omnes jurati testes, qui in examinandis miraculis adhibebantur, revocent omnia juramenta. Deindè, dicere hæc miracula conficta esse, est tollere omnem fidem Historiarum, omnem memoriam antiquitatis, omnem notitiam superiorum Sæculorum, omnes antiquæ historiæ dicentur confictæ, omnes ut fabulæ erunt explodendæ, omnia etiam apud Lutheranos & Calvinistas, & alios Dissidentes erunt falsa, si miracula dixerimus esse conficta. Non enim Dissidentes tam accuratè examinant res suas, si non sunt confictæ, sicut examinat Ecclesia Cathol. Rom. per juridicos Processus miracula, ne incerta miracula pro certis prædicentur. Hæc ratio est S. Augustini contra Gentil. & antiquos hæreticos lib. 10. de Civit. DEI cap. 28. qui ait: *An dicet aliquis, ista falsa esse miracula, nec fuisse facta, &c. quisquis dicit de his rebus, negat omninò ullis literis credendum.* Deindè conscripta sunt à gravissimis Authoribus, doctrinâ & sanctitate conspicuis, ut S. Irenæo, Athanasio, Augustino, Hieronymo, Gregorio Magno, Bernardo, & alijs, quos ipsimet Dissidentes pro Sanctis habent, quæ impudentia erit dicere, quòd miracula prædicti Sancti confixerint, cùm aliqua miracula ipsi Protestantes pro veris agnoscant, ut Lutherus, Melanchton, Hartuellus, Joannes Poryus in Hist. Geograph. Africæ, Res sanè miraculis plena, quòd ex his omnibus prædictis miraculis nec unicū falsitatis esse convictum, quæ facilè poterant convinci à suis coætaneis, sicut convicta sunt aliqua, quæ patrare voluerunt in confirmationem suæ doctrinæ, ut Calvinus in resuscitando fictè mortuo. Et si objiciant, esse aliqua conficta miracula, ℟. Sicut aliquorum infidelitas non evacuat fidem DEI, ita aliqua ficta miracula non possunt tot

tot veris præjudicare, quæ Sancti & graviſſimi Authores exactè notârunt.

Si dicas, miracula Catholicorum eſſe præſtigias diaboli. Reſpondetur. Iterum dico, quia injurius es tot Sanctis, ut ſuprà, quos pro Sanctis tui Anteceſſores habuerunt, ut Lutherus & Calvinus, injurius & toti Antiquitati, quæ hæc miracula agnovit pro veris, cùm oculata teſtis fuerit illorum, quæ DEUS patravit per Sanctos ſuos: injurius es ipſi Chriſto, & ſimilis Judæis, qui ſimilia miracula in Chriſto calumniabantur. Illuminare enim cæcos, erigere claudos, ſanare ſubitò paralyticos, ſuſcitare mortuos, Signo Crucis expellere ſubitò dæmones, fateri debes, etſi nolis, hæc non poſſe patrare dæmones. Si ſunt à dæmone, quare dæmon hæc prædicta miracula non dat Turcis, Judæis, & alijs infidelibus, quos tu, & fidem illorum execraris, & niſi in ſola Cathol. Eccleſia Rom. inveniuntur, quia à Deo ſunt, dæmon verò falſis Sectis ſimilia concedere non poteſt.

Tandem hunc Diſcurſum concludo aliquot inſignibus miraculis, quæ & nunc continuò fiunt, de quibus tot teſtes oculati teſtantur. Neapoli in Eccleſia Cathedrali ſanguis Glorioſiſſimi Martyris S. Januarij aſſervatur in ampulla vitrea, concretus & induratus, hic ſanguis, dum ponitur in conſpectu capitis ejusdem S. Januarij, ſtatim liqueſcere, & bullire videtur, adſunt plures huic miraculo laudantes DEI mirabilia, quæ operatur in Sanctis ſuis. Aliud miraculum in eadem Civitate Neapolitana, in Monaſterio Monialium aſſervatur in ampulla vitrea concretus, ac induratus ſanguis S. Joannis Baptiſtæ, Præcurſoris Domini, qui dum ponitur in Altari, & celebratur Sacrum illud, quod celebrari ſolet in Feſto Decollationis illius, & dum dicuntur illa verba in Evangelio, *Miſſo Spiculatore præcepit afferri caput eius in diſco, & decollavit eum,* ſtatim ſenſibiliter ille ſanguis concretus & induratus incipit liqueſcere, & intra breve ſpatium totus liqueſcit, & rubicundus fit, ac ſi recenter effuſus eſſet, mirum in modum per illam vitream ampullam partim aſcendens, partim deſcendens, partim in medio ampullæ ſuſpenſus, diffluit, ſicq; manet per Sacrum, & poſt Sacrum, quem multi circumſtantium vident & mirantur, donec ſenſim concretus & iterum induratus fit, ut anteà, quod dum ſpectant, multi attoniti, hoc tam ingens & evidens miraculum, id tantùm concludere poſſunt, verum eſſe ſenſum S. Romanæ Eccleſiæ, præcipientis cultum Sacrarum Reliquiarum; nec enim æterna Veritas DEUS ad cultum Reliquiarũ tam

Marci 6.

tam evidentibus miraculis nos provocaret, si ipsi non placeret. Hic sanguis S. Joannis Baptistæ aliquando (licet rarò) non fluit, sed manet concretus & induratus, ob occulta judicia DEI, & causas illi soli notas, nec licet celebrare coram illo sine facultate Loci Ordinarij, quæ rarò datur. Hæc oculati testes plures sub juramento referunt, qui Neapoli veniunt. Est etiam in hac Urbe Neapolitana sanguis S. Stephani Protomartyris, quem bis in Anno, hoc est 26. Decembr. & 3. Augusti, in Festo Inventionis ejusdem, dicunt fide digni liquescere. Similiter Barij est continuum miraculum S. Nicolai, ubi ex uno osse Sancti fluit liquor continuus. Ex Sepulchro etiam S. Andreæ Apostoli similis liquor fluit. Et multa alia miracula in varijs mundi partibus longum esset recensere, præsertim ad Miraculosas Imagines Beatissimæ Virginis MARIÆ, quot mortui resurrexerunt, quot cæci receperunt visum, quot claudi gressum, Domus Lauretana quàm miraculosè translata sit in partes Italiæ ex Oriente, totus Christianus non ignorat Orbis, quæ ibi fiant miracula, non est difficile horum habere notitiam. Sed de his iterum inferiùs.

CAPUT VIII.
Discursus Authoris
Pag. 24.

I. Quantum malum Schisma. II. Non est Schisma introducendum propter mores in Ecclesia corruptos. III. Nec propter ritus & ceremonias.

Et sanè quantum malum sit Schisma, patet ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, & omnium Theologorum consensu. S. Paulus (ad Philipp. 3. 2.) vocat *conscindentes canes malos operarios*, (Theodoret. in h. l.) & contrariatur Schisma *DEO Patri*, quem pro Unitate filiorum oravit Filius DEI, (Joan. 17. 21.) *Filio DEI*, (Joan. 17. 22. Joan. 13. 14.) qui passus est, ut congregaret filios DEI in unum, (Joan. 11. 52.) *Spiritui Sancto*, (Eph. 4. 4.) *adversatur Baptismo*, (1. Cor. 12. 13.) *Eucharistiæ*, (1. Cor. 10. 17.) *Ecclesiæ*, (Col. 1. 18. Ephes. 1. 23. Ephes. 4. 12.) *Imò adversatur ipsis Schismaticis*, (Jud. v. 19.) *Pugnat item charitati Christianæ, pugnat illorum ædificationi, qui Schisma faciunt. Privant enim seipsos Communione boni Spiritualis, pugnat voluntati & honori Christi, quatenùs unitatem Corporis*

rii Mystici turbat, & quantùm potest lacerat, offendit infideles, impedit ne ad Christum veniant, videntes quòd alij contra alios insurgant, tanquam hostes Christianæ Religionis. Ansam illis præbet obloquendi Christo, &c. Affert magnam voluptatem Sathanæ, hosti unitatis & salutis Ecclesiæ, quin & Christianos reddit perplexos visis Schismatibus, ut neutris credant, præbet multis occasionem Atheismi amplectendi, adeòq; qui destinatâ operâ ab Ecclesia se avertit, ut Schismata excitet, illum ut potè unitatis hostem ad Ecclesiam non ampliùs pertinere libenter concedimus.

Quare palàm est, non esse introducendum Schisma. *Immo propter mores in Ecclesia Catholica & vera corruptos.* Id egregiè more suo deducit S. Augustinus lib. 2. contra Gaudent. cap. 3. Tom. 7. pag. 267. Notanda sunt verba. *Ab hac ergo vera germanaq; Catholica, quæ Domini luce perfusa, per Orbem terrarum radios suos porrigit, ramos suos per universam terram copia ubertatis extendit, quæ causa vobis fuerit exeundi? cùm interrogamini, nihil iustum invenitis, prorsùs ab hac Ecclesia exitum vestrum nullâ purgatione probabilis excusationis abluitis. Quid enim dicitis, nisi, necessitas compulit, ut iusti relinqueremus iniustos. Respondet vobis Scriptura Divina. Filius malus ipse se iustum dicit: exitum verò suum non abluit. Exitum (inquit) suũ, utiq; illum, de quo dixit Apostolus Joannes: Ex nobis exierunt. Omninò non abluit, non defendit, non excusat, non purgat. Et offendit te, nescio, quis, sive malus, sive ut tu putas malus, si ut tu fingis malus, & deseres tot bonos.* Consentit Calvinus: *sub Prophetis*, inquit, *in plebe, in Magistratu, in Sacerdotibus, omnia usq; adeò corrupta erant, ut non dubitet Isaias, æquare Hierosolymam Sodomæ & Gomorrhæ. Religio partim contempta, partim contaminata in moribus, passim referuntur furta, rapinæ, perfidiæ, cædes, & similia scelera;* neq; tamen proptereà, *aut novas Ecclesias sibi erigebant, aut nova Altaria extruebant Prophetæ, in quibus separata Sacrificia haberent, sed qualescunq; essent homines, quia tamen reputabant, Dominum apud eos verbum suum depofuisse, & cæremonias instituisse, quibus illic colebatur, in medio impiorum cœtu puras manus ad illum extendebant. Certè si putassent aliquid contagionis indè se contrahere, omnes potiùs mortui fuissent, quàm passi fuissent, illuc se pertrahi. Nihil ergo eos retinebat, quo minùs discessionem facerent, quàm servandæ unitatis studium.*

lib. 4. Instit. cap. 1. parag. 18. Hoc dictũ contra seipsum Calvinus protulit & contra Lutherũ, cùm ipsi Schismata fecerint.

Ore proprio se ipsum judicavit Calvinus, quòd in nullo casu recedendũ erat ab Eccles. Universali.

Nec propter ritus & cæremonias Dissonantia alias Jejunij, Fidei Consonantiam non rumpat. Ita Augustinus: *In his quippè rebus nihil certi statuit Scriptura Divina, mos populi DEI, vel Instituta Maiorum*

Epist. 86.

Notent Dissidentes.

Maiorum pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur intaminata luctatio, quæ labore sermocinationis, cùm certa documenta nulla veritatis instituet, utiq; cavendum est, ne tempestate contentionis serenitatem charitatis obnubilet. *Sit ergo una Fides Universa, quæ utiq; dilatatur Ecclesiæ,* tanquam intùs immembris, etiamsi ipsa Fidei unitas quibusdam diversis observationibus celebratur, quibus nullo modo, quod in fide verum est, impeditur. Omnis enim pulchritudo filiæ Regis intrinsecùs, illæ autem observationes, quæ variè celebrantur, in ejus veste intelliguntur. Undè ibi dicitur, in fimbrijs circumamicta varietate. Sed ea quoq; vestis ita diversis celebrationibus varietur, ut non adversis contentionibus dissipetur.

Discursus Theol.

Correspondens ad Caput VIII. Authoris.

Quòd Schisma DEO sit iniuriosum, animabusq; pernitiosum.

Satis clarè in suo Discursu ostendit Author, quantum malum sit omne Schisma ab Ecclesia Catholica, & quàm injuriosum sit DEO & Christo Domino, qui *cùm sit DEVS pacis, & non dissensionis,* unum constituit Corpus Ecclesiæ, 1. Corinth. 10. Et ad Discipulos Joan. 13. ait: *In hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Schisma verò hoc destruit totum, cùm membra per charitatem Mystico Corpori Ecclesiæ adunata separat, & facit mortua. Undè Apostolus ad Rom. 14. ait: *Itaq; quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus.* Et 1. Corinth. 10. *Sitis perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Sed instantiùs insinuat Apostolus hanc mutuam charitatem & unitatem ad Philipp. 2. *Si qua consolatio in Christo, si quod solatium veritatis, &c. implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes id ipsum sentientes.* Et reddit rationem suæ tam fervidæ obsecrationis 1. Corinth. 1. dum ait: *Obsecro vos Fratres, per nomen Domini Nostri JESV Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata,* ad Galat. 5. *Dissensiones, & Sectæ, quoniam qui talia agunt, Regnum DEI non consequentur.*

1. Corinth. 14.

S. Augu-

S. Auguſtinus lib. 3. de Bapt. contra Donat. cap. 16. Tom. 7. pag. 74. de Schiſmate ait: *Non habent DEI charitatem, qui Eccleſiæ non diligunt unitatem. Foris ab Eccleſia conſtitutus, & ſeparatus à compage unitatis, & vinculo charitatis, æterno ſupplicio punieris, etiamſi pro Chriſti nomine vivus incenderis.* Idem Epiſt. 204. ad Donat. Tom. 7. pag. 249. *Sanguinem fundere poteſt, Coronam accipere non poteſt* Idem lib. 1. contra Liter. Petil. cap. 21. Tom. 7. p. 92. vocat Schiſma *immane crimen*, ibidem cap. 22. *immane Sacrilegium*, ibidem cap. 7. pag. 35. *quod omne ſcelus ſupergreditur*, ibidem lib. 3. cap. 52. pag. 104. *crimen atrociſſimum Diviſionis.* Idem lib. 2. contra Liter. Petil. cap. 13. pag. 96. ait: *Sub iſto univerſo ad partem quamlibet, quisquis ſeparat hominem, ille diaboli filius, & homicida convincitur.* Concludamus cum Apoſtolo 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans &c. Etſi habuero Prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, etſi habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum; etſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, etſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Sicut Hæreſis, ita & nomen Hæretici, quàm ſit DEO exoſum, exindè patet, quòd SS. Apoſtoli Hæreticos tanquam graviſſimam peſtem cavebant, & alijs cavere præcipiebant. S. Joannes Evangeliſta, teſte S. Irenæo, dum cognoviſſet Cerinthum hæreticum in balneo intùs eſſe, quantociùs non lotus, exivit, exemplo ſuo poſteros docens, hæreſim morbum eſſe contagioſum. S. Polycarpus, diſcipulus ejusdem S. Joannis Evangeliſtæ, cùm obvium haberet Marcionem hæreticum, & dicentem audijt, cognoſcis nos? reſpondit S. Polycarpus: *Cognoſco primogenitum diaboli.* S. Paulus 3. ad Titum, hominem hæreticum vitare jubet, dans rationem, quia ſubverſus eſt, *& proprio iudicio condemnatus.* S. Cyprian. in Epiſt. 3. lib. 1. *Nulla convivia* (inquit) *vel colloquia miſceantur, ſimusq; ab eis tam ſeparati, quàm ſunt illi de Eccleſia profugi.*

Superiùs pag. 150. adduximus teſtimonium Lutheri de pluribus inter Proteſtantes Schiſmatibus, & interitu Lutheranæ Eccleſiæ, ipſismet fatentibus, immo Lutherum prophetantem interitum ſuæ Eccleſiæ, vide ſuprà pag. 144. poſt medium, adduximus etiam ex Prateolo Marcoſio ſuperiùs pag. 166. Lutheri diſcipulos in ſex diviſos Claſſes: nunc ex eodem Prateolo oſtendimus unamquamq; Claſſem

Classem divisam in plures Sectas, nempè Lutheranos in 11. Sectas, Semilutheranos in 11. etiam, Antilutheranos in 56, Sacramentarios in 9, Confessionistæ iterum divisi sunt in Rigidos, Molles, & Extravagantes. Rigidi divisi sunt in 14. Sectas, Molles in 10, Extravagantes in 7. De his omnibus ipse Lutherus Tom. 5. in cap. 5. ad Galat. ait: *Violatâ Ecclesiæ concordiâ atq; unitate dissensionum nullus est finis, Sacramentarij à nobis primùm exiêrunt, deindè Anabaptistæ, qui tamen longè inter se dissident. Sic una Secta provocat aliam, & una alteram condemnat.* Quare hoc? Ratio evidentissima, quia his omnibus Lutheri errores non placuerant, sic unusquisq; cœtus fabricavit sibi novam fidem. Pulchrè hos omnes descripsit Tertullianus lib. de Præscript. cap. 37. *Qui estis? quando? undè venistis? quid in meo agro agitis non mei? Quo demiq; Marcion* (Luthere, Calvine, Munzere, Oecolampadi, Carolstadi) *iure Sylvam meam cedis? &c. mea est possessio: quid hîc cæteri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum, sicut caverunt, sicut fidei commiserunt, sicut adiurârunt, ita teneo.* Penes nos ergo quia hæreditas, ideò & veritas, quia nostram Romanam, non Lutheri, nec Calvini defendebat Tertullianus & alij SS. Patres Ecclesiam, quæ inexpugnabilis semper, ut videmus, evadit.

Author Tubæ pag. 59. ait: Scimus adhuc tempore Lutheri &c. iam fuisse plurimas dissensiones in doctrina, quæ in Schismata horrenda degenerârũt. Et infrà ait: à morte Lutheri, quot extitère Schismata inter discipulos Lutheri, etiam perpetuâ hæresi seipsos cõdemnârunt adinvicem, vide suprà pag. 142. & 143. & 165.

De Atheismo valdè suspecti fuerunt omnes Authores hæresum, qui cùm enutriti fuerint in Ecclesia Catholica, noverintq; mysteria Fidei & firmitatem Ecclesiæ nunquam interituram, tamen cùm recesserint ab illa, non credentes promissionibus Divinis, videntur ad Atheismum fuisse inclinati. Cùm enim nolunt agnoscere veram Christi Ecclesiam, tot S. Scripturæ testimonijs firmatam, apud se etiam veram Ecclesiam nullibi vident, quid debet sequi nisi desperatio. Quod ex ipsorum Scriptis & factis cuiq; sensato conijcere non est difficile. (a) Unum brevitatis causâ adduco Joannem Sturmium Protestantem, qui lib. de rationibus ineundæ concordiæ fol. 2. ait: *Præcipui Fidei nostræ articuli labefactantur, &c. dubium non est, quin Ecclesia Christi multis hæresibus inficiatur, &c. his paradoxis opinionibus fundamenta Religionis nostræ convelluntur, præcipui articuli in dubium vocantur, multæ hæreses in Ecclesia Christi invehuntur, & plana ad Mahometismum & Atheismum paratur via.* Alij verò minùs docti non sic angustiantur, nam credentes illorum erroribus, calumnijs, mendacijs, benè credere se putant, non tamen excusabiles sunt,

(a) cùm nec miracula ulla in suis Ecclesijs videant.

cùm

cùm videant & audiant manifesta documenta veræ Fidei Catholicæ, Catholici verò fundant se in tot testimonijs S. Scripturæ, per Universalem Ecclesiam in Concilijs Generalibus explicatæ, in promissionibus Divinis de duratione Ecclesiæ, in SS. Patribus, audiunt illud, *oportet hæreses esse*: vident hæc omnia impleri, & sic quieti manent, parùm curantes subtilitates hæreticorum, cùm habeant connexionem cum antiquis hæreticis in oppugnatione Ecclesiæ Catholicæ, illorumq; argumentis utantur, memores S. Augustini, qui Epist. 95. ait: *Non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimos facit*; immo Gentilis Seneca ostendens, quòd DEUS non disputationibus nobiscum agit, sed legibus, ait: *At legem brevem oportet esse, quæ iubeat, non disputet.*

CAPVT IX.

Discursus Authoris

Pag. 34.

I. IN reducendis Ecclesiis ad unitatem fidei respiciendum est, an articuli controversi sint in Synodo aliqua Oecumenica definiti, nec ne? II. Nihil contrarium fidei Ecclesiæ Catholicæ dicatur. III. Concilia Generalia ac unanimis consensus Patrum demonstrant, quæ sit fides Ecclesiæ Catholicæ. IV. Fides Catholica muniatur legis auctoritate, & Ecclesiæ Traditione. V. Sequamur universitatem, antiquitatem, & consensionem.

Ad unitatem nobis Ecclesias reducere volentibus, benè perspiciendum est, an isti Fidei articuli, qui controvertuntur inter Romano-Catholicos & Protestantes, jam sint in Synodo aliqua Oecumenica definiti, an non? Quidquid à Catholica Ecclesia in Concilio Oecumenico, prævià accuratâ deliberatione & ventilatione, est determinatum, illud recipiendum ab omnibus, qui non Ethnici, aut Publicani esse volunt. Aliter se res habet in istis fidei articulis, de quibus ex Scriptura S. disceptatur, neq; sunt determinati ab Ecclesia Catholica. In his etsi non semper proprium ac genuinum sensum assequatur interpres, modò nihil contrarium Fidei Apostolicæ & Catholicæ doceat, omni periculo caret. Scriptura quidem tota propter nos scripta est, sed non tota intelligitur à nobis. Multa quippè in illa ita aperta sunt, ut pateant parvulis, quædam verò obscurioribus sententijs, ut exerceant fortes, nonnulla autem ita clara clausa sunt,

sa sunt, ut dum ea non intelligimus, agnoscentes infirma nostræ cæcitatis, ad humilitatem magis, quàm ad intelligentiam proficiamus.

Origo omnium Schismatũ & hæresum ex defectu huius Regulæ processit.

Si ex obscurioribus Scripturæ locis controversia definienda, non standum proprio judicio, nec judicio cœtûs particularis, cujus judicium fallere potest ac falli, sed sententiæ Scripturæ (de Fide) dubiæ in immediatam reducendæ Propositionem, quæ per se fidem mereatur, qualis est illa: Quidquid Ecclesia Catholica dicit, verum est. Immediatè & per se fide digna est Propositio: Quidquid Scriptura Canonica dicit, verum est. Sed cùm dubia sit minor Propositio hæreticis sensum verum pervertentibus, non sufficerit quidem ex Antecedentibus & Consequentibus, ex scopo & phrasi, & alijs argumentis scholasticis verum sensum ostendere, sed ostendendum est, *sensum hunc Ecclesiam Catholicam habere & servare iam inde ab initio.*





Lapis lydius omnes hæreses cognoscendi.

Sensum autem illum Catholicæ Ecclesiæ, in rebus determinatis, plerumq; dant Concilia imprimis Generalia, in alijs unanimis SS. Patrum consensus, quem nullus hæreticus unquam pervertere potuit, ac potest. Concilium Generale, ut & unanimem consensum SS. Patrum repræsentare Universalem Ecclesiam, ejusq; fidem, nemo facilè sanus negabit. Si enim in quolibet Regno seu Republica id quod Comitia Regni statuunt, totius Regni vel Reipublicæ Statutum dicitur, cur non idem dicatur de Decretis Ecclesiasticis, quæ fiunt omnium Episcoporum consensu? *Ecclesiam scili et esse in Episcopo*, ait Cyprian. lib. 4. Epist. 9. Ergo ubi sunt omnes, aut saltim ex omnibus multi nomine omnium congregati Episcopi, necesse est esse omnes Ecclesias. Confirmari id potest ex 3. Reg. cap. 8. ubi cœtus Principum, qui cum Salomone convenerant, expressè vocatur tota Ecclesia Isráel. Haud enim fieri poterat, ut omnis Israel, qui superabat numerum mille millium hominum, esset in illo uno templo simul. &c. Quare à Concilijs Generalibus non esse appellandum, docent Athanasius (in Epictetum apud Epiphan. hær. 77.) Augustin. in Epist. 162. vocat Concilium Generale *ultimum Ecclesiæ iudicium*. Conf. Leo Epist. 50. & 51. ad Concilium Chalcedonense, & Epist. 62. ad Maximum Antiochenum, *cui qui non assentit, pro hæretico habendus*. Athanas. (in Epist. ad Affrica. Episc.) Gregorius Nazianz. (in Epistola priori ad Clidonium, (Leo ad Leonem Imperat. Epist. 78. & Epist. 77. ad Anatholium,) Augustin. (lib. 1. de Baptismo c. 18.) adeòq; Conciliorum Generalium Decreta,

creta,

creta, tanquam celebria mandata habenda, ita Conſtantinus (apud Euſebium lib. 3. de vita Conſtantini,) Cyrillus (lib. 1. de Trinitate) vocat *Decretum Concilij Nicæni Divinum ac Sanctiſſimum Oraculum.* Et Gregorius M. (lib. 1. Epiſt. 24.) dicit ſe venerari quatuor Prima Concilia ſicut Quatuor Evangelia. Indè Ambroſius (Epiſt. 32.) inquit: *Sequor Tractatum Nicæni Concilij, à quo me nec mors, nec gladius poterit ſeparare.* Et quî poſſet eſſe certitudo tum dogmatum Fidei, quòd ſint vera, tum hæreſeos, quòd ſint condemnatæ, tum & Eccleſiæ, quòd ſit columna veritatis, ſi nulla eſſet certitudo in his, quæ decernunt Concilia Generalia.

Hæc enim certa quædam &c. vide ſuprà pag. 44. *Quòd ſi no-*
vella aliqua contagio, non iam portiunculam tantùm, ſed totam pariter
Eccleſiam commaculare conetur? tunc item providebit, ut antiquitati
inhæreat, quæ prorsùs iam non poteſt ab ulla novitatis fraude ſeduci.
Quòd ſi in iſta vetuſtate, duorum aut trium hominum, vel certè Ci-
vitatis unius, aut etiam Provinciæ error deprehendatur? tunc omninò
curabit, ut paucorum temeritati vel inſcitiæ, ſi quæ ſunt, univerſaliter
antiquitùs Univerſalis Eccleſiæ Decreta præponat. &c.

Vinc. Lirin. c. l. c. 4.

Neq; hoc ſanè novum, ſiquidem mos iſte in Eccleſia viguit, ut
quò quisq; floreret Religioſior, eò promptiùs novellis adinventionibus con-
trairet. Exemplis talibus plena ſunt omnia. Sed ne longum fiat,
unum aliquod, & hoc ab Apoſtolica potiſſimùm Sede ſumemus, ut omnes
luce clariùs videant, Beatorum Apoſtolorum beata Succeſſio, quantâ vi
ſemper, quanto ſtudio, quantâq; contentione defenderit ſuſceptæ ſimul
Religionis integritatem. &c. vide ſuprà pag. 45.

Hunc modum indagandi veritatem aſſumpſerat Concilium Tridentinum, ideò Proteſtantibus in ſalvo Conductu poſuit controverſas tractandi cauſas ſecundùm S. Scripturam, Apoſtolorum Traditiones, probata Concilia, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & SS Patrum Auctoritatem.

Cùm ille ſit verus ac germanus Catholicus, qui veritatem DEI,
qui Eccleſiam, qui Chriſti Corpus diligit, qui Divinæ Religioni, qui Ca-
tholicæ Fidei nihil præponit, non hominis cuiuspiam auctoritatem, non
amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philoſophiam; ſed hæc
cuncta deſpiciens, & in fide fixus & ſtabilis permanens, quicquid uni-
verſaliter antiquitùs Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognoverit, id ſolum
ſibi tenendum, credendumq; decernit, quidquid verò ab aliquo dein-
ceps uno, præter omnes, vel contra omnes Sanctos, novum & inauditum
ſubinduci ſenſerit, id non ad Religionem, ſed ad tentationem potiùs in-
telligat pertinere. &c. Creſcat igitur oportet, & multùm vehemen-
terq; proficiat, tam ſingulorum, quàm omnium, tam unius hominis,
quàm totius Eccleſiæ ætatum ac Sæculorum gradibus intelligentia, ſcien-
tia, ſapientia, ſed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate,

per explicationem in Concilio Generali, cùm aliqua hæreſis negat aliquem implicitum articulum.

eodem sensu, eâdemq; scientiâ. &c. Itaq; cùm primum mali cuiusq; erroris putredo erumpere cœperit, & ad defensionem quædam sacræ legis verba furari, eaq; fallaciter & fraudulenter exponere, statim interpretando Canonem. Maiorum sententiæ congregandæ sunt, quibus illud, quodcunq; exsurget novitium, ideòq; profanum, absq; ulla ambage prodatur, & sinè ulla retractione damnetur. Sed eorum duntaxat Patrum sententiæ conferendæ sunt, qui in fide & communione Catholica sanctè, sapienter, constanter viventes, docentes, & permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo meruerunt. Quibus tamen hâc lege credendum est, ut quicquid vel omnes vel planè, uno eodemq; sensu manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam sibi consentiente Magistrorum Concilio accipiendo, tenendo, tradendo, firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoq; habeatur.

Notent seriò has Regulas omnes Dissidentes, etiam seq. pag.

Quicquid verò, quamvis &c, vide suprà pag. 54. *Quare si quis videtur Propheta esse. aut spiritualis, id est spiritualium rerum Magister, summo studio æqualitatis aut unitatis Cultor existat, ut scilicet neq; opiniones suas cæteris præferat, si ab universorum sensibus non recedat.*

Hinc in Concilio Ephesino, cùm de sanciendis Fidei Regulis disceptaretur, ne qua illic forsan profana novitas in modum perfidiæ Ariminensis obreperet, universis Sacerdotibus, qui illo ducenti ferè numero convenerant, hoc Catholicissimum, felicissimum, atq; optimum factum visum est, ut in medium Sanctorum Patrum sententiæ proferrentur. Hâc ratione Nestorius Catholicæ Universitati contrarius, beatus verò Cyrillus Sacrosanctæ Antiquitati consentaneus iudicatus est. &c. Subsumit Author.

Hoc medium etiam in Concilio Tridentino Protestantibus oblatum fuit. Idem c, l,

Ex hoc Commonitorio Lyrinensi patet, quænam fuerit, & esse debeat semper in Catholica Ecclesia praxis, novellas fidei controversias decidere: nimirùm ut habendus sit respectus, ad universum antiquorum Patrum consensum, ideòque amplectendum, non quòd unus vel duo, sed vel plurimi uno eodemquè semper consensu constanterq; docuerunt. Proindè nullus Episcopus, quisquis ille sit, sibi assumere debeat primatum Magisterij in docendo, quasi ipsi soli, piâ Antiquitate rejectâ, credendum sit in explicatione Scripturæ pro decisione Controversiarum. Ita processit Catholica Ecclesia in prioribus primis Sæculis contra Artemonis hæresim, contra Arianos. Sic Athanasius contra hæreticos sui temporis egit, qui profitetur, Sacram quidem Scripturam à Viris

Benè expendant Dissidentes, & videbunt, quod hic modus servatur in Ecclesia Cath. Rom. ex consensu antiquorum SS. Patrum in Controversiis decidendis.

rerum

rerum Cœleſtium peritis, & ab ipſo DEO conſcriptam eſſe, ſe autem cognitionem, & ſenſum Scripturarum à Magiſtris divinitùs afflatis, qui iſtos libros evolverunt, & ſeſe Divinitatis Chriſti Martyres exhibuerunt, habuiſſe. Sic & Baſilius, & Gregorius Nazianzenus intelligentiam Scripturæ non ex propria præſumptione, ſed ex Majorum Scriptis, & Auctoritate ſequebantur, quos & ipſos Apoſtolicâ Succeſſione, intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtabat. Et ipſi Romani Pontifices, in primis illis præſertim Sæculis, hoc ſtrictim obſervârunt. Ita Hormiſda in explicatione Myſterij Incarnationis Domini, provocat ad Veterum definita. Leo & Concilium Epheſinum non recedunt à Veterum Traditione. Agatho R. P. ad Apoſtolicorum Prædeceſſorum definita, & eorum fidem traditam. Sic Innocentium I. Romanum Epiſcopum Orientales Epiſcopi in dubijs fidei rebus conſuluerunt, non ut nova præcepta daret, ſed tradita à Petro Romanæ Eccleſiæ, quæ Apoſtolicas Traditiones digniſſimè ſervavit, & benè cuſtodita alijs communicare poterat.

Moderni Diſſidentes hoc totum rejecerũt, & proprium ſenſum unusquisq; ſecutus.

Tali modo Concilium Trident. cum Proteſtantibus procedere voluit, ut ſuprá pag 186. patuit, & infra p. 190.

Nobiſcum quoq; faciunt noſtri Libri Symbolici in Pruſſia, imprimis, Corporis Doctrinæ Prutenicæ Repetitio, ferè in omnibus Fidei Articulis, quos ibidem tractat ad Concilia, & SS. Patres præter Scripturam provocat.

Quare ergo taliter Proteſtantes diſputare noluerunt, ſed ex ſola Scriptura in Concilio Trident.

Ita quoq; David Selneccerus: *Synodi*, inquit, *non cudunt novos articulos, aut dogmata nova, ſed tantùm ſunt teſtes de dogmatibus & ſententijs, quæ anteà in Scriptis Propheticis & Apoſtolicis tradita ſunt, & oſtendunt, quòd illa dogmata non ſint nova, ſed ſemper ita in Eccleſia DEI ex Propheticis Scriptis tradita ſunt. &c.* Hæc adducere placuit, cùm de Compoſitione Controverſiarum Fidei, quæ ſunt Romanos inter & Proteſtantes, loqui velimus, ut ſciamus, quibus veſtigijs, hac in re in effectum deducenda, ſit inſiſtendum.

Diſcurſus Theol.

Correſpondens ad Caput IX. Authoris.

De ijsdem Regulis, pro exponendis dogmatibus, & componendis Controverſiis in materia Fidei.

QUicunq; volunt verè dignoſcere Veritatem è Falſitate, & emergere ex tenebris hæreſum ad lucem veræ Fidei, debent notare ſaluberrimam doctrinam omnibus Chriſtianis ſummè neceſſariam, quam

quam Author Tubæ ex Vincent. Lirin. adducit in præcedenti Discursu, ut scilicet *quicunq; vult exsurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosq; vitare, & in Fide sana sanus permanere, duplici modo fidem suam munire debet. Primò Legis auctoritate, tum Catholicæ Ecclesiæ Traditione, &c.* vide supra pag. 73. circa med.

Ne verò in similes errores homines labantur, explicando Scripturam modo insolito, relictâ Traditione Ecclesiasticâ, occurrit idem Vincent. Lirinen. Cap. 40. dum ait: *Quidquid verò, quamvis ille Sanctus & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor & Martyr, præter omnes, aut contra omnes senserit. id inter proprias, & occultas, & privatas opiniunculas, à communis, publicæ, ac generalis sententiæ auctoritate secretius sit, &c. iuxta sacrilegam hæreticorum & Schismaticorum consuetudinem, ac universalis dogmatis veritate dimissâ, unius hominis novitium testemur errorem.* Hoc medio usi sunt Patres in Concilio Ephesino, ut in medium Sanctorum Patrum sententiæ proferrentur, & hâc ratione Nestorius Catholicæ Universitati contrarius, pro hæretico judicatus, Beatus verò Cyrillus Sacrosanctæ Antiquitati consentaneus habitus est. Undè appositè S. Augustinus lib. de Baptis. cap. 5. ait: *Aliquid aliter sapere, quàm res se habet, humana tentatio est, nimis amando sententiam suam, ad Schismatis vel hæresis sacrilegium pervenire, Diabolica præsumptio est.* Idem lib. 1. de Sermone Domini in Monte cap. 5. *Neq; Schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant, quia similiter, ubi charitas non est, non potest esse iustitia, dilectio enim proximi malum non operatur, quam si haberent, non dilaniarent Corpus Christi. quod est Ecclesia.*

Sola verò Ecclesia Catholica Romana regitur Legis Auctoritate, & Ecclesiasticâ Traditione, ut clarissimè inferiùs probabimus, sequitur etiam universitatem & antiquitatem, cùm ex Majorum sententijs, & ex publica à SS. Patribus tradita doctrina, semper procedit more antiquo, & semper usitato in Concilijs Generalibus, ad explicanda dogmata: hoc clarè patet ex duobus exemplis Concil. Tridentini, cùm Concilium hunc modum antiquum, & in omnibus Concilijs Generalibus usitatum in salvo Conductu expresserit Protestantibus: *ut secundùm Sacram Scripturam, Apostolorum Traditiones, probata Concilia, Ecclesiæ Catholicæ consensum, & SS. Patrum auctoritatem, disputarent de controversis dogmatibus.*

Secundò. Idem Concilium Sess. 5. hæc habet: *Sacrosancta Trident. Synodus, Sacrarum Literarum, Sanctorum Patrum, & probatissimorum*

morum Conciliorum teſtimonia, & ipſius Eccleſiæ judicium & conſenſũ ſecuta, hæc de Originali peccato ſtatuit. Qui vult experiri hanc veritatem, revolvat omnia Concilia Generalia, à primo usq; ad ultimum, & inveniet, has Regulas ſemper in omnibus Concilijs obſervatas fuiſſe, cùm illa dogmata, quæ in corde Eccleſiæ fuerunt, cùm illa aliqua hæreſis negaret, his Regulis Concilia credenda nobis propoſuerunt, ut patet de proceſſione Spiritûs Sancti, de duabus in Chriſto Domino Naturis, &c. Eccleſiæ enim Catholicæ Fides eſt ipſiſſimus Veterum Patrum & Conciliorum antiquorum ſenſus atq; conſenſus, atq; una eademq; & illorum, & Eccleſiæ Fides, in cujus corde & depoſitorio, cùm aliqua dogmata in implicita fide hucusq; manent, donec illa aliqua hæreſis neget; per has Regulas explicat ſe Eccleſia in Concilijs, & explicitè credenda proponit, ut in Concilio Tridentino cum Proteſtantibus accidit.

Quam Author Tubæ explicationem in Concil. Ephes. pag. 188 ſuprà circa medium expreſſit ſic: Hinc in Concilio Epheſino &c.

Has antiquas & uſitatas Regulas, non ſolùm illi primi Romani Pontifices, ut ait Author de Hormiſda, de Leone & Agathone, ſed & alij ſubſequentes idem ſtrictè obſervârunt, & hucusq; obſervant, cùm non ſua, ſed à Majoribus tradita, & omni tempore in Eccleſia implicitè credita proponant: qui autem contrarium objiciunt, nunquam tamen hoc probare hucusq; potuerunt, quis primus alicujus prætenſæ novitatis inventor fuit, & ſub quo hi prætenſi abuſus, qui ex ſolis conjecturis à Proteſtantibus formantur, cceperunt, qui cùm principium non habeant, ſecundùm Regulam S. Auguſtini & Vincent. Lirin. non abuſus, ſed implicita dogmata, ex Traditione Apoſtolica provenire dicimus, taliter, ſicut illa, quæ nobiſcum Proteſtantes pro veris Traditionibus Apoſtolicis tenent, ut Baptiſmum parvulorum, Quatuor Evangelia, non plura, Symbolum Apoſtolorum, Feſta celebranda, Chriſti Domini, Apoſtolorũ, & aliquorum Sanctorũ, (a) de quibus non aliundè, niſi ab Eccleſia & SS. Patribus teſtimonia habentur. Undè appoſitè Author Tubæ adducit Selneccerum pag. 42. qui de Synodis ſic ait: *Synodi non cudunt novos articulos, aut dogmata nova, ſed tantùm ſunt teſtes de dogmatibus & ſententijs, quæ anteà in Scriptis Propheticis & Apoſtolicis tradita ſunt, & oſtendunt, quòd illa dogmata non ſint nova, ſed ſemper in Eccleſia DEI, & Propheticis Scriptis Tradita.*

(a) Nam aliqua & non omnia primitiua Eccleſia celebrant Feſta Sanctor. Diſſid.

His Regulis Eccleſia Catholica Romana in Concilijs Generalibus ſemper utebatur; neq; cujusq; privati hominis aut cœtûs judicio acquieſcendum, qui facilè falli & fallere poſſunt, & non niſi erroneam

per explicationem in Concil. General. Vide ſuprà pag. 46

roneam merentur fidem. Erroneam dicimus, cùm ex longa praxi constet, multos privatos tam homines, quàm cœtus graviter errâsse, & multos in varios errores induxisse, qui plus proprio privato judicio, quàm Concilijs Generalibus, & SS. Patribus tribuerunt, ut fuit Arius, Macedonius, Nestorius, Donatus, Eutiches, & alij plurimi recentiores hæresiarchæ. (a) E contra verò, quantæ auctoritatis fuerūt Concilia Generalia in Ecclesia Catholica, & unanimis consensus in doctrina Sanctorū Patrum, ex superiori Discursu Authoris pag. 186. & pag. 187. patuit. Quomodo Concilium Generale sit ultimum Ecclesiæ judicium, cui qui non assentit, nullam certam veritatem Fidei habere potest, & pro hæretico habendus.

(a) Qui semper Ecclesiam suis commentis emendare voluerunt.

Constat autem tanquam certum omnibus, in sola Ecclesia Catholica Romana celebrata esse Concilia Generalia, non autem in alijs cœtibus, extra Ecclesiam Cathol. Romanam, à nullo enim cœtu unquam audivimus, vel in historijs legimus, celebratum fuisse Concilium Generale, quòd pro tali illud haberet universus Christianus Orbis, sicut habet & agnoscit Concilia Generalia Ecclesiæ Catholicæ Romanæ. Undè clarè patet, quòd diversi cœtus & homines, sicut fuerunt, & sunt modò omnes priuati, privato judicio S. Scripturam explicârunt, quæ solùm humanam meretur fidem, non autem Divinam, (quam DEUS in Concilijs Generalibus revelat) ideò in plures lapsi sunt errores. Ecclesia verò Catholica Romana, cùm omnem veritatem circa Fidem ex consensu SS. Patrum, & declaratione Conciliorum Generalium, in assistentia Spiritûs Sancti habeat, necessariò, sicut alij Articuli, ita & isti sunt definiti, quos soli Protestantes putant non esse definitos.

Concilia Generalia Ecclesiæ Cath. Romanæ celebrata sunt in Oriente octo, in Occidente decem, vide supra pag. 137.

CAPVT X.
Discursus Authoris
Pag. 43.

NOtandum, quòd hæ Controversiæ, quæ intercedunt inter Romanos & Protestantes, nondum sunt in aliquo Concilio Oecumenico, quòd scilicet tale ab omnibus partibus haberetur, debitè examinatæ & definitæ.

Hoc imprimis notandum, quòd hæ Controversiæ, quæ intercedunt inter Romanos & Protestantes Theologos, nondum sunt in aliquo

aliquo Concilio Oecumenica, quòd tale scilicet ab omnibus partibus haberetur, debitè examinatæ & definitæ. Non enim hic valere poterunt contra nos Concilia, Constantiense, Basileense, Florentinum vel Tridentinum, quæ pro Concilijs Oecumenicis à Protestantibus non habentur. Et quidem inprimis non illa duo Priora. Nam & apud Romanos Theologos videntur esse dubia, neq; enim ab omnibus æqualiter, quoad omnia acceptantur. Neq; in illis sunt definiti omnes inter nos articuli controversi. Florentinum solum rem habuit cum Græcis & Orientalibus Christianis, hos scilicet sub devotionem Romani Pontificis, & ad unionem cum Latina Ecclesia à Schismate reducendi; Tridentinum verò, quamvis ibi numerosa fuerit copia Episcoporum & Doctorum, multoq; tempore celebratum, non assumunt Protestantes, ob peculiares proprias rationes; imprimis, quòd in his Controversijs soli Romano-Catholici adhærentes, judicandi potestatem sibi sumpserint, Protestantibus omnibus Ecclesijs, per tam magnam Europæ partem non auditis, eorumq; rationibus non pensiculatis, nec examinatis, ut ex Protestatione Protestantium Principum patet.

Discursus Theol.

Respondens ad Caput X. Authoris.

In quo erronea demonstratur ambiguitas, circa determinationem Articulorum.

ARticuli, qui inter Romanos Catholicos & Protestantes controvertuntur, nullum dubium esse debet, quòd in tota Ecclesia Catholica Romana, toto Orbe terrarum diffusa, in probatis Synodis Generalibus sint definiti, quotquot enim Ecclesia Catholica Romana tenet Fidei articulos, illi omnes in Concilijs Oecumenicis declarati sunt veri, veritate Fidei Divinâ, & ad credendum necessarij Unde quia Ecclesia Romana Catholica in Concilijs Oecumenicis, præviâ accuratâ deliberatione & ventilatione, prædictos Articulos determinavit, ideò ab omnibus sunt recipiendi, qui nolunt esse Ethnici & Publicani.

Quamvis soli Protestantes existimant, Controversias, de quibus cum Catholicis disputant, non esse definitas, ob rationes, cum quibus voluerunt celebrare Concilium, quæ cùm fuerint inauditæ, nec

nec unquam in Ecclesia Catholica practicatæ, nam cum talibus nullum unquam Concilium celebratum est, siquidem tollebant formam omnium Conciliorum, nec esset Concilium Ecclesiæ Catholicæ, si cum his conditionibus celebratū fuisset. Neq; Protestantes fuerunt exclusi à Concilio, imò humanissimè per salvum Conductum ter fuerunt invitati. Sed quia Protestantibus secundùm antiquas Regulas Catholicæ Ecclesiæ in Concilijs Generalibus usitatas disputandum erat, cum Viris doctissimis (ait Author Tubæ pag. 46.) ex majori Orbis parte collectis, undè errores illorum per has Regulas facilè apparuissent, ideò ad Conciliū non erat accedendum, & inauditæ ponendæ erant conditiones, ut ex Concilio nihil fieret, quæ octo potiùs effugia erant, vide illorum sufficientes Solutiones in Tomis Conciliorum, ad hæc Lutherus non Tridentinum solùm, sed o-
" mnia reprobrabat Concilia, dicens, incerta sunt Concilia, nec fiden-
" dum est illis, nullum enim unquam purum fuit. Et in Disp. Lipsica ait: *Concilia concludere & statuere volunt quid credendum sit, cùm sæpè ibi nullus sit, qui divinum Spiritum vel modicum olfecerit, sicut contigit in Concilio Niceno.* Et de formula Missæ ait: *Nos Christum habemus, Concilia nec morari, nec audire debemus.* Calvinus lib. 4. Instit. cap. 7. §. 1. Magdeb. Cent. 4. cap. 7. col. 536. ad Imperatorem Conciliorum Convocationem pertinere dicebat: quàm hoc sit verum, superiùs patuit. Quid consilij erat cum his hominibus, qui unusquisque ad placitum suum Concilium celebrare voluit, ut sui approbarentur errores, quibus se infamârunt, etiam hæreseon sibi adinvicem objiciendo Protestantes cum Calvinistis, vide suprà pag. 142. & 143. & 165.

Quantùm ad Valorem Conciliorum ab Authore enumeratorum, Constantiense, quia propter materiam Schismatis tollendi in universa Ecclesia fuit legitimè indictum, scribunt Catholici Authores, in hoc Concilio quòd ea fuerint approbata, quæ ad Fidem pertinebant, contra Wiclefum, & alios tunc hæreticos, decreta & promulgata fuerunt, ut videre est Sess. 43. & ultimâ; quæ autem de auctoritate Concilij supra Pontificem statuta sunt, sententiâ Florentini & Lateranensis Conciliorum reprobata sunt.

Concilium Basileënse, etsi ab initio legitimè fuerit congregatum, sed illicitâ potestate usurpatâ in Romanum Pontificem, judicium suum dum converteret, Pontifex Legatum suum, & omnes Episcopos revocaret, Concilium legitimum esse desijt. Hanc Synodum

nodum auctoritate legitimâ reprobatam esse, constat ex Sess. 11. Concilij Lateranen. ubi Conciliabulum Schismaticorum, & nullius prorsùs auctoritatis, non immeritò appellatur. Nam eo tempore, quo Concilium in Pontificem Romanum sententiam pronuntiare ausum est, non erat in Concilio Legatus Pontificis, omnesq; præcipui Episcopi discesserant, & Cardinalis Arelatensis munus præsidendi sibi usurpaverat. Et quia Episcopi pauci erant, introduxerunt in Synodum multitudinem Presbyterorum, contra omnem formam Conciliorum, ut non Episcoporum, sed Presbyterorum Synodus esset. Deinde eo tempore agebatur Florentiæ Concilium alterum, in quo præsidebat Summus Pontifex, & cum eo sedebant Episcopi Latini & Græci, sinè comparatione plures, quàm Basileæ, & cum Episcopis aderat Imperator Græcorum, & Legatus Imperatoris Latinorum, tum Patriarcha Constantinopol. Josephus, ut nulli dubium sit, Florentinum fuisse Oecumenicum Concilium, Basileènse Conciliabulum. Vide de hac re fusiùs Authores Conciliorum. Calvinus tempore Concilij Basileènsis Ecclesiam defecisse fingit, cùm Eugenius (ait) depositus fuerit, & quasi jam triumphans dicit: *Hic deprehensi hæreant necesse est.* Sed facili negotio respondetur: Deprehensi hærent Catholici, demirantes gravem inadvertentiam, vel ignorantiam Calvini. Quis docuit Calvinum legitimam depositionem Eugenij? cùm Concilium transierit in Conciliabulum Schismaticum. Deindè, si secundùm Lutherum in Coll. Lat. Tom. 2. de Patribus, degeneraverit Ecclesia tempore Cypriani, imò Apostolis viventibus, si secundùm eundem in Comit. Vormat. An. 1522. defecerit tempore Concilij Constantiensis; si Calvinus lib. 4. cap. 17. num. 49. statuat S. Gregorium M. ultimum Romanum Episcopū, & sub Bonifacio III. Ecclesiam defecisse clamitat, quomodo secundùm eundem Calvinum iterum defecerit, cùm jam secundùm illos toties defecerit? hæc cum veritate non cohærent. Deindè, cur tantoperè oppugnant Ecclesiam, ex defectu Successionis, cùm ipsam Successionem Rom. Pont. negent esse veram Notam agnoscendæ veræ Ecclesiæ, & alias recentes excogitârunt, vide pag. 129. & seq. Sic nihil habentes certi, variant mirè exemplo illorū senū, qui Susannam innocentem accusabant. Ultimatè, est argumentum antiquorū Hæreticorum tempore S. Augustini, qui satis sufficienter illis Romanam Ecclesiam defendendo respondit. Vide suprà pag. 147. vers. 8.

Calvinus lib. 4 Instit. cap. 2. parag. 2. Lutherus, Brent, Mornæus, licet illam alibi concesserint, Vide supra pag. 117

De Tridentino Concilio inferiùs redibit sermo, ubi discutiemus

mus rationes, ob quas Protestantes non accesserint ad Concilium, si justæ & sufficientes ad hoc fuerint, ut tam immensum bonum impedirent, scilicet mutuam pacem & concordiam in materia Religionis. Quantùm ad potestatem judicandi, talem Episcopi in Concilio Tridentino sumpserunt, qualis secundùm antiquam praxim, & formam omnium primorum Conciliorum, illis competebat, nempe quòd ad solos Episcopos Concilium spectabat, ut patet ex Concilio IV. Generali Chalcedonensi, ubi dicitur: *Superfluos mitte foras, Episcoporũ Synodus est, non Clericorũ*, multò magis non hominũ Sæcularium Protestant. Etsi Imperatores assistebant Concilijs, non se intromittebant in causas Fidei, sed velut testes Decretorum, & futuri vindices, in transgressores illorum aderant: ut patet de Theodosio II. & Justiniano Imperatoribus. Sic Osius Constantio Imperatori dixit: *Tibi DEUS Imperium commisit, nobis ea, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit*; quomodo Protestantes idem sibi usurpare poterant, quod nunquam licitum fuit in Catholica Ecclesia, nec Imperatoribus, multò magis Protestantibus, paucis adhuc pro tunc existentibus, & in varias Sectas divisis, positis inauditis conditionibus, quæ formam Concilij tollebant, ne per Regulas superiùs citatas illorum errores deprehenderentur, undè sicut quatuor prima Concilia, & alia subsequentia, sunt in suo robore, licèt aliqui contradicebant illis, ita Tridentinum stat legitimum, cùm Protestantes voluerint inaudito modo celebrare Concilium, ut mox inferiùs patebit. Neq; totaliter exclusi fuerunt Protestantes, sed in debita forma admissi, & humanissime per salvum Conductum ter repetitum invitati ad Concilium, ut ex sequenti Discursu Authoris patebit.

Arius, Maced nius, Nestorius, Eutiches; Dioscorus contra Concil. Chalced. Arians contra Nicænum I. quid non fecerunt. ut illa annihilarent.

Discursus Authoris
Pag. 45. Num. 5.

ET ipsi Romani Pontifices compositionem fidei inter Romanos & Protestantes per Concilium Tridentinum tentarunt.

Neq; hìc excludendos putamus ipsos Romanos Pontifices, qui ideò Concilium Generale, quod Protestantes Principes, Auctoresq; Confessionis Augustanæ expetiverunt, atq; ad illud appellarunt, indixit, ut divulsam Christiani Nominis & laceratam unitatem redintegrarent, ibiq; conspirante omnium charitate tractarentur, quæ ad

ad integritatem & veritatem Chriſtianæ Religionis, quæ ad bonorum reductionem, emendationemq; malorum, quæ ad Chriſtianorum inter ſe tam Principum, quàm populorum pacem, unitatem, concordiamq; pertineant. &c. Adeòq; placuit Patribus Concilij Tridentini, ad laudem & gloriam SS. & Individuæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritûs Sancti, ad incrementum & exaltationem Fidei, ad pacem unionemq; Eccleſiæ, Concilium incipere, & inceptum esſe. Ad id Concilium Romanus Pontifex omnes Chriſti fideles, Imperatorem Romanum, omnes Reges, Duces, Principes, & alios, humaniſſimè per viſcera miſericordiæ JESU Chriſti Domini Noſtri convocavit, rogavitquè, vellent intereſſe huic, ab ipſis expetito Concilio conſulere, tractare, & perficere, quæ ad Unionem Eccleſiæ neceſſe. Haſq; rogationes ſæpius iteravit, & ad Proteſtantes Duces & Principes, quibus & ſalvus Conductus à Julio III. 1550. datus, qui quoq; à Synodo ter iteratus, ubi publicâ fide, & pleniſſimâ aſſecuratione, omnibus ad Concilium hoc vocatis, ac intereſſentibus, ſufficientiſſima abſq; omni dolo ſecuritas promiſſa in itinere, in loco, in eundo, ſtando, redeundo, diſputando, ſub pœna nullitatis Synodi, libertaſq; data, cauſas controverſas *ſecundum S. Scripturam, apoſtolorum Traditiones, probata Concilia, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & SS. Patrum auctoritatem, tractandi.* Illo etiam addito, ut Religionis prætextu, aut delictorum circa eam commiſſorum, aut committendorum minimè puniantur.

Profectò hoc Concilium non pro aliqua privata, aut pro Romani territorij tantùm Synodo meritò habendum foret, partim quia in illud omnes ferè Eccleſiæ Occidentales & condeſcenderunt, & Decretis illius Concilij acquieverunt, partim quia ipſi Proteſtantes Principes ad illud, ceu ad Generale, liberum, & Chriſtianum Concilium, in optima, ac ſolenniſſima ſatis forma provocârunt, & appellârunt, ipſamquè appellationem nunquam per Auguſtanam Confeſſionem, vel alium Tractatum, niſi causâ inter Catholicos & Proteſtantes in caritate compoſita, ſedatâ, & ad Chriſtianam concordiam reducta fuerit, &c. deſerere intenderunt, nec potuerunt, de quo ſolenniter & publicè proteſtati ſunt in Præfatione Auguſtanæ Confeſſionis ad Carolum V. partim, quia ad illud à tribus ſucceſſivè Pontificibus Romanis, Paulo III. Julio III Pio V. ſummo conatu Imperator Romanus, Reges, Principeſq; Proteſtantes omnes per viſcera miſericordiæ DEI, propter pacem & concordiam Eccleſiæ

 univer-

universalem, invitati per Bullas, seu literas publicas, salvosq; Conductus toties datos. Partim, quia à tot doctissimis, ex majori Orbis Christiani parte collectis Viris, actaq; per annos ferè viginti (quanto tempore id quod sciam, nullum Concilium celebratum) omnes ferè Controversiæ expensæ, ac trutinatæ sunt. Partim, quia in eo Articuli complures, ut de Missæ Sacrificio, bonis Operibus, Invocatione Sanctorum, Cultu Imaginum, Oratione & Oblatione pro defunctis, &c. &c. quos tota Ecclesia inter Græcos, Russos, Æthiopes, Indos, Syrios, Abyssinos, Armenios, Maronitas, Cophtos, &c. tenuit unanimiter tot Sæculis, (exceptis solùm Protestantibus) approbati. Partim, quia Rationes, quas nos Protestantes contra illud Concilium adducimus, non sanè pro convictivis à Pontificijs habentur. Et quantumvis quotannis more solito hæreticos ac Schismaticos excommunicet Romanus Pontifex, non tamen de Principe tantæ prudentiæ ac pietatis nobis persuaderi patiemur, quasi is omnes omninò Protestantes, sinè ullo respectu, etiam illos qui anhelant, uniri cum illa, uni illi Ecclesiæ universim Catholicæ, præmissâ tamen accuratâ deliberatione, ac rerum controversarum dignissima ventilatione, excommunicet, & condemnet. Sibi quoque dictum putabit, quod S. Paulus dicit: *Solliciti estote, servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.*

Discursus Theologicus.

In quo meritò Author ostendit, Romanos Pontifices non esse excludendos à Concilijs Generalibus, sinè quibus in Concilijs nihil fieri potest, imò nec Concilia legitimè indici sinè illis & congregari possunt.

IS enim contra omnem rationem ageret, si vellet excludere à cœlo Solem, & vellet habere in mundo lucem, ita si quis vellet excludere Romanos Pontifices, ut non præsideant in Concilijs, & vellet legitima Concilia habere, quæ sinè Romanis Pontificibus nec celebrari, nec rata haberi possunt, hoc jure sibi à primordijs Ecclesiæ tradito privari non possunt. Videamus nos plura exempla hujus veritatis.

Et primò legimus de Concilij Nicæni Canonibus, & quidem primus

primus Canon talis eſt: *Non debent præter Romani Pontificis ſententiam Concilia celebrari.* Et Canon tertius ejuſdem Concilij ſic habet: *Nihil definire inconſulto Romano Pontifice permiſſum eſt, cùm B. Petro Apoſtolo non ab alio, quàm ab ipſo Domino dictum eſt: Quæcunque ligaveris &c.* Explicat fuſiùs & clariùs horum Canonum ſenſum Concilium Chalcedonenſe Generale Quartum Act. 16. dum ait: *Trecentorum decem & octo SS. Patrum.* Canon. 6. *Quòd Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum.* Et eundem ſtatim recitat Canonem his verbis: *Synodo Nicænæ Sylveſter Pontifex Romanus per ſuos Legatos auctoritatem contulit.* Ejuſdem Concilij Nicæni primi Patres ſic ſcribunt ad Sylveſtrum pro Confirmatione Concilij: *Quidquid autem conſtituimus in Concilio Nicæno, precamur, Veſtro oris conſortio confirmetur.* Reſpondet Sylveſter in Synodo Rom. *Quidquid in Nicæa Bythiniæ conſtitutum eſt, ad robur Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, à Sanctis Sacerdotibus Trecentis decem & octo, Noſtro ore confirmamus. Omnes qui auſi fuerint diſſolvere definitionem Sancti & Magni Concilij, quod apud Nicæam congregatum eſt, ſub præſentia piiſſimi & venerandi Principis Conſtantini Auguſti, anathematizamus;* & dixerunt omnes: *Placet.* Ubi notandum, quòd S. Sylveſter non ſolùm confirmavit Concilium, ſed etiam inobedientes Concilio anathematizavit, quod ſuâ Pontificiâ auctoritate indixerat.

De Concilio Conſtantinopolitano Generali Secundo in geſtis Damaſi ſic legitur: *De damnatione Macedonij & Eunomij Damaſus confirmari præcepit. in Sancta Secunda Synodo, quæ præcepto & auctoritate eius apud Conſtantinopolim celebrata eſt.*

Gravina de cauſa efficient. Concil. fol. 212

Africana altera Synodus, & Numidiæ altera, adversùs Pelagium collectæ, Decreta tranſmiſerunt ad Innocentium, ex S. Auguſt. Epiſt. 90. 93. 95. & 106. Undè fatetur S. Auguſtinus, *quod per Papæ reſcriptum cauſa Pelagianorum finita eſt, totoq; Orbe per eius damnationem damnati ſunt, ac Literis Innocentij tota de hac re dubitatio ſublata eſt.* Et S. Proſper. lib. contra Collat. ait: *Tunc Pelagianorum machinæ fractæ ſunt, quando B. memoria Innocentius nefandi erroris Capita Apoſtolico Mucrone percuſſit.* S. Marcellus Papa & Martyr vixit An. 304. in Epiſt. Decret. 1. ad Epiſc. Antioch. Provinciæ ait: *Ut nulla Synodus fieret, præter Romanæ Sedis auctoritatem* Ibidem vide plura de auctoritate Romanæ Eccleſiæ. S. Cyrillus pro Confirmatione Concilij obtinenda, ſcripſit ad S. Cæleſtinum, ut patet ex Epiſtola illius 29. qui, ut refert idem S. Cyrillus, ſcripſit conſona

Fidei,

Fidei, & omnia illius gesta confirmavit. Synodi etiam Chalcedon. Patres Confirmationem his verbis postulant: *Rogamus igitur te, & tuis Decretis nostrum honora iudicium.* Et Imperatores Valentinianus & Marcianus, de confirmatione gestorum Præfat. Synodi sic ad Leonem scribunt: *Reverentia tua Literas mittere dignetur, per quas in omnibus Ecclesiis & Episcopis notum sit, universa, quæ in S. Synodo gesta sunt, à tua Beatitudine confirmata.* In eodem Concilio Can. 6. ad lectam Epistolam S. Leonis acclamârunt Patres Concilij: *Anathema, qui ita non credit, Petrus per Leonem locutus est*; quid repugnat, ut & modò dicamus, Petrus per Paulum, Julium, Pium locutus est, Anathema his, qui ita non credunt. Idem S. Leo de Sexta Synodo contra Monotelitas sic scribit ad Imperatorem: *Sancta igitur universalis magna Sexta Synodus &c. Apostolicam in omnibus Regulam, & probabilium Patrum doctrinam secuta est, &c. Idcircò & nos per nostrum officium hæc Veneranda Sedes Apostolica concorditer ac unanimiter, his quæ definita sunt, consentit, & B. Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidatam Petram, quæ Christus est, & ab ipso Domino adepta firmitatem.* Pelagius Secundus ante S. Gregor. M. Epist. 1. ad Episcopos, qui Constantinopolim convenerant, ait: *Generalium Synodorum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari privilegio est tradita; & nulla unquam Synodus rata legatur, quæ auctoritate Apostolicâ non fuerit fulta.*

Confirmatur ex gestis Conciliorum ante Concilium Nicænum. Synodus Lambesitana damnavit Privatum hæreticum, ejus Judicium approbavit S. Fabianus. Patres Africani, quæ statuerunt contra Schismaticum Felicissimum, S. Cornelius Papa roboravit. Synodica Decreta contra Paulum Samosatenum, S. Dionysius suâ auctoritate confirmavit. Ubi autem non accessit auctoritas Romanorum Pontificum in confirmandis Concilijs, audiamus quid SS. Patres senserint. S. Damasus ad S. Stephanum & ad Concilia Africana ait: *Undè neq; ulla unquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolicâ auctoritate.* Et notum est omnibus, Concilium Africanum à tot Episcopis, præsidente S. Cypriano, celebratum, an rebaptizandi sint hæretici, cùm omnes Episcopi affirmarent cum S. Cypriano, reprobatum est hoc Concilium à S. Stephano. S. Leo Epist. 55. ad Pulcheriam: *Consensiones Episcoporum, Canonum apud Nicæam conditorum, regulis repugnantes in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsùs definitione cassamus.*

S. Gre-

S. Gregorius M. lib. 7. Epist. 69. *Nulla Synodorum Acta haberi sinè Sedis Apostolicæ consensu.* Idem lib. 4. Epist. 34. *Cuncta Acta illius Synodi Sede contradicente Apostolicâ soluta sunt.* S. Basilius scripsit ad S. Athanasium Epist. 52. *Videri sibi bonum, ut rogetur Romanus Episcopus, ut mittat aliquos in Græciam, qui eius nomine irritent Concilium Ariminense,* quod & irritavit. S. Damasus Epist. ad Episc. Illyrij. Julius ad Orientales Episcopos hæc scripsit: *Regula vestra nullas habet vires, quando Romanæ Ecclesiæ Legatus non interfuit.* Gelasius Epist. 11. *Malè gesta Synodus illa intelligitur, quæ res definit contra S. Scripturam, contra doctrinas Patrum, contra Ecclesiasticas Regulas, quam tota Ecclesia meritò non recepit, & præcipuè Sedes Apostolica non probavit, & talis Synodus, per benè gestam Synodum, id est, secundùm Scripturas, secundùm Traditionem Patrum, secundùm Ecclesiasticas Regulas, pro Fide Catholica & Communione probatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maximè Sedes Apostolica comprobavit, debet, & potest immutari.* Undè & Synodi Afric. ad Theodorum Papam: *Apostolicæ Sedis vetusta sollicitudo est, tam mala damnare, quàm probare laudanda: antiquis enim Regulis sancitum est, ut quidquid quantumvis in remotis, vel in longinquo positis Provinciis ageretur, non priùs tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam Almæ Sedis Vestræ fuisset deductum, ut ejus auctoritate ista quæ fuisset pronunciatio, firmaretur, indéque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de Natali suo Fonte, Prædicationis exordium, & per diversas totius mundi Regiones puritatis incorruptæ, manarent Fidei Sacramenta salutis.* Hîc notandum, non ad solius Occidentis vel Orientis, sed ad totius mundi Regiones extenditur potestas Romanorum Pontificum. Centuriatores Cent. 4. Cap. 7. de Pol. Eccles. pag. 388. hæc scribunt: *Hinc Episcopi Romæ sub Damaso congregati, Decreta Ariminensis Synodi Concilio Niceno contraria reprobârunt, ut quibus nec Romanus Episcopus, nec Vincentius, nec alij consensissent.*

Hanc veritatem fatetur Author Tubæ, dum Dreierum in Disput. de Primatu Petri resp. Hornink, Thesi 2. sic loquentem p. 19 adducit: *Hoc maximè Episcopo Romano, ob Sedis eminentiam, convenire putabant, ut errantes alibi Episcopos moneret, & in viam reduceret, Sacrorum Canonum Custos ac Vindex existeret, commune asylum & refugium afflictis, atque illegitimè condemnatis præberet. Undè nec facilè cæteri Patriarchæ aliquid decernebant, nisi & illum tanquam præcipuum in Orbe Metropolitam consuluissent. Si qua difficultas in Reli-*

gione movebatur, & Schismata gliscebant, tutissimum existimabant cum Romano Patriarcha communicare, eidemq; velut nodo Ecclesiarum præcipuo adhærescere, ne faciliter à Catholicæ Ecclesiæ Communione avellentur. Hucusq; Dreierus. Quod si ita est, ait Author, eccur abhorreamus ab unione & conjunctione cum eadem Ecclesia, atq; ejusdem Episcopo. Idem Author pag. 33. ait: *Asylum quoq; Sedes Romana erat, ad quam confugere poterant Catholici Episcopi à Tyrannis vel hæreticis pressi, tanquam ad tutissimum communionis suæ portum,* ut Hieron. vocat de Athanasio loquens Epist. 16. Idem pag. 79. adducit S. Cyrillum Alexandrinum, qui de Romano Pontifice sic loquitur: *Ut membra maneamus in Capite nostro Apostolico, Throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere, quid tenere, quid credere debeamus.* Ibidem adducit & S. Bernardum lib. 2. de Consid. *Tibi universi crediti, uni unus, nec modò ovium, sed & Pastorum, Tu unus omnium Pastor, & iuxta Canones tuos, alij in partem sollicitudinis, tu in plenitudine potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos, qui super alios potestatem acceperant; nam si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsū ab Episcopatu deponere potes.* Modò quisq; consideret, si fuit justa Protestantium data Conditio, ut in Concilio non præsideat Romanus Pontifex, cùm sit Custos Canonum & Vindex, & tam extensam habeat potestatem, sitq; non solùm universi Dominici Gregis per totum Orbem, sed etiam omnium Episcoporum Supremus Pastor. Ipsemet Innocentius Epist. 93. ad Patres Concilij Malevitani hanc praxim antiquam in Ecclesia testatur his verbis: *Antiquæ Regulæ formam, toto semper Orbe servatam hanc esse, ut super anxiis rebus Sedes Apostolica consuleretur, & de Apostolico fonte responsa per omnes Provincias semper emanare, præsertim quoties Fidei ratio ventilatur.* Idem addit posteà: *Quare Pelagium, Cælestium, id est, Inventoros novarum, &c. Ecclesiasticâ Communione privari Apostolici vigoris auctoritate censemus.* Undè, licèt nec prudentia, nec pietas desit in Romano Pontifice, tamen secundum Regulas Ecclesiasticas procedere debet, in declaranda hæresi, vel hæretico, quia agitur de salute multarum animarum, & Ecclesiæ incolumitate, quæ nullo modo hæreses patitur. De Concilijs autem sic confirmatis quid SS. Patres sentiant, vide suprà pag. 186. & 187.

Concludit Author Tubæ pag. 37. *Et quî posset esse certitudo, tum dogmatum Fidei, quòd sint vera, tum hæreseos quòd sint condemnatæ, tum*

ta, tum & Ecclesiæ, quòd sit Columna veritatis, si nulla esset certitudo in his, quæ decernunt Concilia Generalia. Undè apposìtè Vincent. Lirin. cap. 32. *Ne quidquam hæreticorum novitatibus excitata Conciliorum suorum Decretis perfecit Ecclesia, nisi ut quod priùs à Maioribus solâ Traditione susceperat, hoc indè posteris etiam per Scripturæ chirographum consignavit, &c. plerumq; propter intelligentiæ lucem non novum Fidei sensum novæ appellationis proprietate signando.* Contra hanc doctrinam multi peccârunt, nempè cùm se Ecclesia explicaret ad negatas veritates Catholicas implicitas, illi nova dogmata objiciunt Ecclesiæ Catholicæ.

Et hæc continua praxis Convocationis & approbationis Conciliorum à Romanis Pontificibus docet, quotquot approbata ab eis pro approbatis, quot reprobata pro reprobatis semper habenda. Nam Christus Dominus non Tyberio, sed Petro commisit oves: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Undè S. Leo Serm. 3. *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocatione, & omnibus Apostolis cunctis Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo DEI multi Sacerdotes sint, multiq; Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Vixit A. 440 Et S. Athanasius Epist. ad Solitarios: *Quando unquam Judicium Ecclesiæ ab Imperatore auctoritatem habuit?* Undè ergo aliqui ad prædictos devenerunt errores, quòd non ad Romanos Pontifices, sed ad Imperatores restringerent Concilia, ut Centuriatores Cent. 4. cap. 7. col. 536. Calvinus lib. 4. Instit. cap. 7. §. 1. & 2. voluerunt. Molinæus §. 4. ubi apertè mentitur, dicens, Legatos Pontificis post omnes Episcopos in Concilijs semper sedisse, vide Contrarium in primis octo Concilijs Generalibus, quomodo Legati Romani Pontificis præsederunt in Concilijs, & primi subscripserunt, & undè iste error Centuriatorum, Calvini, & Molinæi processit, vide Præludium 3. fol. 18. Conciliorum Francisci Longi & Concilij Chalcedonensis initium ante Sessionem primam. Causæ autem, cur antiquitùs ad Concilia requirebatur auctoritas Imperatorum, hæ sunt.

Prima Causa. Quia in exordio Ecclesiæ, dum essent Pagani Imperatores, vigebat illa Lex antiqua, quæ prohibebat omnia Collegia, & frequentes hominum Conventus, sinè licentia Imperatorum, & auctoritate illorum, eò quòd metuerent Imperatores, ne seditio aliqua fieret, quæ contra illos sæpiùs ex levi occasione excitabatur, ut patet ex Historijs Cæsarum Romanorum.

Secunda Causa. Quia illo tempore non poterat Concilium fieri, nisi in aliqua Civitate Imperiali, nullo modo autem esse potuit, ut in aliquo loco Conventus fiat ex toto Orbe, sinè licentia Domini loci illius, sicut & modò, si Concilium fieret in Hispania, Germania, Gallia, sinè dubio peteretur consensus illius Regis.

Tertia Causa. Quia dum Imperatores facti sunt Christiani, fiebant Concilia sumptibus publicis, præsertim quoad transvectiones Episcoporum ad locum Concilij, vehebantur enim sumptibus Civitatum, ut constat ex lib. 3. de Vita Constantini, ubi Eusebius addit, quòd toto tempore Concilij sumptibus Imperatoris Episcopi vixissent. Idem etiam patet ex Theodoreto lib. 2. cap. 16. & ex Epist. Constantini ad Pontificem Romanum. Undè non rectè adducit adversarius, ex his obstaculis in primitiva Ecclesia, pertinere Concilia ad Imperatores, non ad Pontifices Romanos, tanquam ad Causas efficientes Conciliorum, multa enim secum defert tempus, & multa in melius & modò fiunt. Sicut v. g. non fiebant Concilia Generalia ante Concilium Nicænum, ergo post illud non debent fieri. Non valet consequentia. Sic sinè licentia Imperatoris non potest in dominio illius congregari Concilium, ergo Imperator est Causa Concilij. Similiter non valet consequentia. Hoc etiam pro Conclusione notandū, quòd etiam aliqui & Christiani Imperat. præsumentes de sua auctoritate, intempestivè ingerebant se in Causas Ecclesiasticas, ut patet apud Sozom. de Constantino, Constantini M. filio, quem S. Athanasius & Osius Cordubensis graviter reprehendunt. Sic S. Athanasius: *Si Judicium Episcoporum est, quid cum eo commune habet Imperatorum?* Et Osius: *Nec nobis in hoc genere præcipe, sed ea potiùs à nobis disce; Tibi DEUS Imperium commisit, nobis ea quæ sunt Ecclesiæ, concredidit.* S. Damascenus Orat. 2. de Imaginibus: *Christus non commisit Ecclesiam Regibus & Imperatoribus, sed Episcopis & Pastoribus.* Et S. Ambrosius ad Auxentium: *Imperator bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Quidnam honorificentius, quàm ut Imperator Ecclesiæ Filius esse dicatur.* Idem lib. 5. Epist. 32. *Imperatorem in ea quæ Divina sunt, Imperiale Jus non habere.* Centuriatores cap. 7. pag. 549. hæc habent: *Intempestivè etiam Imperatores interdum iudicium de causis Fidei sumebant.* Nos addimus, etiam per potentiam intrudebant Antipapas, adversùs veros Pontifices, in Sedem Petri, tam suâ, quàm Exarchorum tumentes auctoritate. Undè benè notavit Author Tubæ pag. 50. his verbis:

bis: *Vocantur ſæpiùs Reges & Principes, &c. &c* & hi ſcribunt, ut patet in Synodo Conſtant. IV. ubi Baſilius Imperator & Filij ejus ſubſcripſerunt, ſed quod notandum, (dicit Author Tubæ) poſt Legatos Romani Pontificis & Patriarchas, veluti teſtes Decretorum, & futuri vindices in transgreſſores illorum. Cùm ergo ſecundùm Canones, & doctrinam SS. Patrum, in hac poſſeſſione & praxi confirmandorum Conciliorum, ſemper Romani Pontifices fuerint, non poterant Concilium aliter expetere etiam Proteſtantes, niſi ſecundùm Formam Eccleſiæ Catholicæ, quam ſemper à principio ſervavit, ſcilicet authoritate Romani Pontificis congregandum, aliter nec eſſet Concilium Catholicæ Eccleſiæ, ſed Conciliabulum. Nec poterant Proteſtantes præſcribere Epiſcopis Catholicæ Eccleſiæ modum novum inauditum, & nunquam practicatum in Eccleſia, ut ſcilicet haberent votum deciſivum Sæculares. Non debuit ergo diſplicere illis modus ſemper uſitatus Concilij, cùm etiam in Concilio Tridentino in favorem Proteſtantium nihil defuerit, fecitquè, quantum plus facere Concilium non potuit, datus eſt enim illis ſalvus Conductus à Julio III. & à Concilio iteratus, ubi (ait Author) publicâ fide & pleniſſimâ aſſecuratione omnibus ad Concilium vocatis ac intereſſentibus ſufficientiſſima absq; omni dolo ſecuritas in itinere, in loco, in eundo, redeundo, diſputando, *libertasq; data, cauſas controverſas ſecundùm Sacram Scripturam, Apoſtolorum Traditiones, probata Concilia, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, SS. Patrum auctoritatem tractandi.* Quod ut clariùs pateat, placuit hîc aliqua (ex ſalvo Conductu ad majorem evidentiam veritatis & ſecuritatis apponere, qui datus eſt Proteſtantibus) hæc formalia: *Vult etiam S. Synodus in hac publica Fide, ſalvoq; Conductu omnes quascunq; clauſulas includi & contineri, ac pro incluſis haberi, quæ pro plena, efficaci, & ſufficienti ſecuritate in eundo, ſtando, ac redeundo, neceſſariæ ac opportunæ fuerint. Illud etiam ad maiorem ſecuritatem, & pacis, & conciliationis bonum exprimens &c. Inſuper omni fraude & dolo excluſis verâ & bonâ fide promittit, ipſam Synodum nullam vel manifeſtam, vel occultè occaſionem quæſituram, aut aliquâ auctoritate, potentiâ, Jure, vel ſtatuto Privilegio Legum vel Canonum, aut quorumcunq; Conciliorum, præſertim Conſtantienſis & Senenſis, quacunq; forma verborum expreſſa in aliquod huius Fidei publicæ vel pleniſſimæ aſſecurationis, ac publicæ & liberæ audientiæ, ipſis per ipſam Synodum conceſſæ, præiudicium quovis modo uſuram, aut quenquam uti permiſſuram. &c.*

pag. 50.

pag. 46

 Quòd

Quòd si S. Synodus, aut aliquis ex ea vel suis, cuiuscunq; conditionis vel status, aut praeeminentiae existens, praescriptae assecurationis & salvi Conductûs formam & modum in quocunq; puncto vel clausula violaverit, (quod tamen avertere dignetur Omnipotens) & sufficiens emenda non fuerit mox subsecuta, ipsorum arbitrio meritò approbanda & laudanda habeant ipsam Synodum, & habere poterunt, incidisse in omnes poenas, quas Jure Divino & humano, aut consuetudine huiusmodi salvorum Conductuum violatores incurrere possunt, absq; omni excusatione, aut quâvis hac in parte contradictione. Hîc clarè patet, quàm omnimoda data fuerit securitas Protestantib9, patet, quomodo Concilium omnibus modis quaesivit redintegrare divulsam Christianae Religionis unitatem, per amicas in Concilio conferentias, & charitativa colloquia, & omnibus manifestum est, quod fecit Concilium, quantum plus facere non potuit, quid causae fuit? quòd illi Principes Protestantes non accesserint tam longo tempore, quo celebratum est Concilium, quod tantoperè expetiverunt, atq; ad illud appellârunt, tanquam ad Generale, liberum, & Christianum Concilium; quid, inquam, causae? quòd Protestantes Principes tam subitò mutati, omni publicâ habitâ securitate, etiam sub nullitate Synodi, in Concilio, quod tantoperè expostulabant, non comparuerunt nec per se, nec per Legatos suos.

Discursus Theolog.

In quo etiam ex principiis Dissidentium eadem materia magis elucidatur, & firmissimè stabilitur, nec illam tanquam evidentissimam veritatem Protestantes & Dissidentes possunt negare ut nimis claram.

Nulli dubium, quòd praedicti Principes summam pacem & uniformem in omnibus statibus Religionem anteà videndo, quomodo omnes unius moris erant in domo Domini, videndo, inquam, omnia, tam subitò mutari, discordias magis ac magis per Regna & Provincias augeri, sacris profana misceri, perturbari omnia, illam unicam Religionem in plurimas scindi, & mutari privatas opiniones, & omnia in dies in pejus ire; Videntes, inquam, tristia haec, & Nomini Christiano maximè nociva, tanquam ad unicum remedi-

remedium, in Eccleſia Catholica practicari ſolitum, in graviſſimis Eccleſiæ perturbationibus Concilium Generale celebrandum expoſtulârunt.

Patet univerſo Orbi, unicam præcipuam cauſam allegatam fuiſſe, quare non acceſſerunt Principes Proteſtantes ad Concilium. Proteſtationem illam, quæ ſic legitur: *Profitemur, ac proteſtamur, nos adhærere, & ſemper adhæſiſſe Proteſtationi & Appellationi Martini Lutheri,* ergo non defuit bona voluntas Principibus Proteſtantibus accedendi ad Concilium, ſed Proteſtatio Lutheri hæc impedivit, & ſi tantum potuit bonum impedire unius hominis privati contradictio, ex quo tot mala ſubſecuta, & tam irreparabile damnum animarum; ſano judicio omnibus relinquendum. Quare autem Author ille Proteſtationis Lutherus, nec per ſe, nec per alios in Concilio comparere voluit, rationes ſequentes nos informabunt, quas Lutherus excogitavit, ne accederet ad Concilium. Duo enim præcipuè timuit.

Primò, quia expreſſum hoc Punctum fuit in ſalvo Conductu, *Libertasq; data, cauſas controverſas proponere, ſecundùm Sacram Scripturam, Apoſtolorum Traditiones, probata Concilia, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & SS. Patrum auctoritatem,* quia ſecundùm iſtas Regulas, quibus ſemper Eccleſia Catholica uſa eſt in Concilijs, difficile erat negare controverſas veritates Catholicas, non ex ſola Sacra Scriptura, prout ipſe in quarta conditione voluit, ex qua relictâ Traditione Apoſtolorum & Eccleſiaſticâ, SS. Patrum auctoritate, nihil certi haberi poteſt. Quia videlicet (dicit Lirinenſis in Common. adverſùs hæreſ. in Præf. & Cap. 1.) *Scripturam Sacram pro ipſa ſui altitudine non uno eodemq; ſenſu univerſi arripiunt, &c. aliter enim Novatianus, aliter Photinus, &c. Idcircò multum neceſſe eſt propter tantos tam varij erroris anfractus, ut Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea, ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſensûs normam dirigatur, nempè ut teneamus, quod ab omnibus creditum eſt.*

Secundò Quia illi doctiſſimi Viri (ut ait Author Tubæ p. 46.) ex majori Orbis Chriſtiani parte collecti, omnia ſecundùm has Regulas Catholicas explanâſſent, omnes oſtendiſſent errores, & jam factum tunc fuiſſet, quod modò expoſcit Author, nempè una, vera, & ſincera Fides & Religio in omnibus viguiſſet. Sed de his fuſiùs in ſequentibus, cùm rationes Proteſtantiũ aliquas adversùm Conciliũ expendemus, hoc tantùm pro concluſione Diſcursûs notandum, quod

quòd Author Tubæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ in hoc Concilio Tridentino Unitatem, Universalitatem, & Antiquitatem expressit pag. 47. his verbis: *Partium, quia in hoc Concilio Trident. Articuli complures, ut de Missæ Sacrificio, bonis Operibus, Invocatione Sanctorum, Cultu Imaginum, Oratione & Oblatione pro Defunctis, &c &c. quot tota Ecclesia inter Græcos, Russos, Æthiopes, Indos, Syrios, Abissinos, Armenios, Maronitas, Cophtos, &c.* (ecce Universalitas) *tenuit unanimiter tot Sæculis, exceptis solis Protestantibus.* Ecce Unitas, & Antiquitas, & iterum Universalitas, quia exceptis solis Protestantibus. Ergo cùm totus Christianus Orbis tot annis tenuit, soli Protestantes recenter rejecerunt. Octo passim enumerant Lutheri rationes Catholici Authores, ob quas non accesserunt Protestantes ad Concilium Tridentinum, quod tantoperè expetiverant, quas inferiùs proponemus, & apparebit, nullam ex illis fuisse sufficientem. Imò Quarta, Quinta, Septima, & Octava, vel sola Quarta & Quinta, plus dico, sola Quarta sufficiebat ad hoc, ut nihil certi concluderetur in Concilio, quæ fuit talis: *Ut ex sola Scriptura sententiæ ferantur, non ex Traditionibus, vel Canonibus*, Conscientiam omnium, & rectum Judicium appellamus. Si hæc ratio vocanda, non potiùs merum effugium agnoscendæ omnis veritatis, nonne patuit ex præcedenti Discursu Authoris, quod relictâ Traditione Ecclesiasticâ, relicto sensu Ecclesiæ Catholicæ, Conciliorum Generalium doctrinâ, & SS. Patrum testificatione, ex sola Sacra Scriptura, nihil certi concludi potest, in qua sola, relicto sensu Ecclesiæ, ut supra omnes hæreses in malè intellecta, suos fundant errores. E contrà vero Concilium Tridentinum, secundùm antiquum morem in Concilijs Generalibus processit, cùm illas antiquas & usitatas Regulas, secundùm quas semper determinabat dogmata implicita Fidei, scilicet secundùm Sacram Scripturam, Apostolorum Traditiones, probata Concilia, Catholicæ Ecclesiæ consensum, & SS. Patrum auctoritatem, & per illas explicitè credenda proponebat. Nonnè in Concilio Nicæno Arianus Episc. ex sola Scriptura disputare voluit? nonnè in alijs sequentibus alij idem facere voluerunt? Quia ergo per has Regulas agnita fuisset facilè veritas Catholica, & Novitates condemnandæ facilè demonstrarentur, ideò accedere nolebāt ad Concilium, nisi ex sola Scriptura disputaretur, ex qua sola, si unus affirmat, alter pari ratione negare potest, ut nihil unquam concluderetur sinè Ecclesiastica Traditione, & auctoritate SS. Patrū. (a) Hæc nimis

(a) *ut sit inter ipsos Dissidentes ordinariè.*

nimis clara, non egent probatione, quia per ſe veritas patet, ita ut qui hanc veritatem non videt, nullam veritatem in mundo eum videre putamus. Advertit hunc gravem errorem Author Tubæ, de quo ſic loquitur pag. 14. *Neq; ideò ſunt audiendi, quia meris Scripturæ verbis loqui videntur, ſubdolè enim abutuntur Literis Scripturæ, quia ſenſum illius, illiusmet ipſis literis ei detruncando, aut ſuum proprium ſubſtituendo, ad libitum ſuum huc illuc detorquent, &c. &c. Quid enim tales ſola verba Scripturæ allegantes proponunt? An non contra ſenſum Eccleſiæ Catholicæ falſum ſuum ſenſum, quem quidem Sacræ Scripturæ verbis palliant, non ſecùs ac Sathanas Chriſtum tentans.* Hæc manifeſta veritas hoc exemplo ſequenti patet. In Colloquio & Diſputatione in Alba Julia An. Dñi 1568. habita, & Claudiopoli eodem anno impreſſa, Miniſtri Proteſtantes Hungariæ & Tranſylvaniæ ante Diſputationem cum Trinitarijs, poſuerunt Conditiones, inter quas fuit tertia hæc, *ut eſſet Diſputatio ex teſtificatione Doctorum Eccleſiaſticorum continua.* Quarta Conditio hæc fuit, *ut ex perſpicuis Scriptis clariſſimorum & doctiſſimorum Virorum, quorum operâ in hac mundi ſenecta DEUS ad veritatem Evangelij patefaciendam uſus eſt.* Cùm ergo id Proteſtantes Miniſtri à Trinitarijs nullo modo obtinere poterant, ſic illos alloquuntur: *Quòd nullam Trinitarij faciant mentionem Doctorum divinitùs Eccleſiæ traditorum; vehementer dolemus. Sicut nuper in ſecunda Conditione explicuimus, ad evitandas inter partes adverſas in diſputando & dijudicando contentiones, ad legem & teſtimonium, & ad donum interpretationum, iuxta præceptum Domini confugiendum eſſe duximus, &c. Idq; facimus ex verbo DEI, qui quæſtiones difficiles ad Doctores Eccleſiæ deferre iubet, ſicut & Apoſtoli quæſtionem in dubium vocatam de Circumciſione, ad Apoſtolos Hieroſolymam deferunt.* Cùm etiam hoc recuſarent Trinitarij, nec acquieſcerent Proteſtantibus, ſic illi iterum Trinitarijs loquuntur: *Trinitarios lucem fugere, Eccleſiam interpretem audire nolle, literam, non ſpiritum Scripturæ vendicare, nec in quæſtionem venire velle, undè cauſa hæc agitanda, probanda, adiudicanda, & decernenda foret, cùm non ſit alius lapis Lydius, quàm cùm ſequimur Patrum Orthodoxorum interpretationem, quibus iuſto fundamento verbi DEI, tanquam teſtibus & ſuffragijs uti volumus, cùm & Paulus,* (dicebant Proteſtantes) *quamvis multis donis inter Apoſtolos præemineret, motâ tandem controverſiâ de Circumciſione, Eccleſiæ cenſuram per longa itinera conſulere non dubitavit.* Cùm nec ſic acquieſcerent Trinitarij ad hos ſermones

Protestantium, disputatum est per octo dies, sed infectis rebus, tota Disputatio evanuit.

Benevole Lector, rectum Judicium tuum appello, si veritatem diligis, fateri omnino debes, quòd Protestantes Trinitarijs ideò suadebant interpretationem Patrum, & Censuram Ecclesiæ, id est, Traditionem Ecclesiasticam, secundùm explicationem Doctorum Ecclesiæ ultra Verbum scriptum, quia sciebant, sinè his nihil concludi posse in materia Fidei, prout inter illos in Disputatione factum est, ut infectis rebus Disputatio evanesceret. Cur ergo ex sola Scriptura in Concilio Tridentino ijdem Protestantes disputare voluerunt, reijciendo testificationem Doctorum Ecclesiasticorum divinitùs Ecclesiæ traditorum, ad quos difficiles Quæstiones DEUS deferre jubet, ut fatentur Protestantes, non alia causa fuit, nisi hæc, quam Protestantes Trinitarijs objecerunt. Idem Protestantibus obijci debet, quia Protestantes in Concilio Tridentino fugiebant lucem, volebant sequi literam, non Spiritùm Scripturæ, nec in Quæstionem venire volebant Protestantes in Concilio Tridentino, ut materiæ controversæ agitandæ, probandæ, adjudicandæ, decernendæ forent, cùm non sit alius lapis Lydius, quàm cùm sequimur Patrum Orthodoxorum interpretationem, exemplo S. Pauli, in testimonium à Protestantibus superiùs pag. 209. adducti. Nam expresè Lirinensis in Commonit. adversùs hæreses in Præf cap. 1. ait: *Qui vult ergo fraudes hæreticorum deprehendere, laqueosq; vitare, duplici modo Fidem suam munire debet, Legis auctoritate, & Ecclesiæ Catholicæ Traditione.* Jure ergo merito hæc Censura competit Protestantibus, quia Protestantes rejectâ testificatione Doctorum Ecclesiæ, & doctissimorum Virorum, Ecclesiâq; interprete, ex sola Scriptura in Concilio Tridentino disputare voluerunt. Nec justam videntur habere rationem Protestantes accusandi Trinitarios, quod rejectâ testificatione Doctorum, fugiant lucem, Ecclesiam interpretem non audiant, literam, non sensum Scripturæ sequantur, in Quæstionem venire nolint, ut causæ decernendæ forent, cùm ipsi Protestantes Trinitarijs in Concilio Tridentino exemplum dederint, celebrato & finito ante hanc Disputationem annis circiter quinque, sicut & Anabaptistis, reijciendi Baptismum parvulorum, cùm Protestantes Traditiones Ecclesiæ rejecerint, qui non ex Scriptura, sed ex Traditione Apostolica provenit.

Author Tubæ pag. 44. Num. 3. de Dreiero sic ait: *Doctor Christianus*

stianus Dreierus, Summas Theologorum nostrorum in Prussia. Quid iste Doctor & Summas Dreierus in præsenti materia dicat, audiamus. Oratione de Orthodoxia in Academia Regiomont. dum deponeret Rectoratum habitâ, ibidemq; typis Paschalis Mensenij Anno 1675. impressa, sic iste Dreierus pag. sub Litera B ait: At qui contemnunt rectas Opiniones Patrum & Ecclesiæ, uti sibi viam præstrinxerunt consequendi & probandi sententiam Orthodoxam; ita pariter sibi viam præcluserunt perveniendi ad scientiam veritatis. Cùm enim per rectas opiniones disponamur ad scientiam, illi autem opiniones rectas Patrum & Ecclesiæ contemnant, nec ad scientiam veritatis pervenire possunt. Et pag. sequenti sub Litera C ait: Quod Scriptura dubium reliquit, vel Hæreticorum contradictione & perversione dubium factum est, in propositionem immediatam reducatur. Nam & quidquid Catholica Ecclesia dicit, infallibiliter verum est, quippè quæ semper à Spiritu Sancto docetur, & ducitur in omnem veritatem. Quæ autem sit Confessio Catholicæ Ecclesiæ, cognoscitur ex communi consensu Patrum & Conciliorum, ab eadem Ecclesia Catholica approbatorum, &c. Quare, qui reijcit Sententias Patrum & Conciliorum, & omnem antiquitatis authoritatem, non potest suam probationem, quam petit ex Scripturis, secundùm omnes Propositiones ad eam pertinentes, in principium immediatum, & per se verum reducere, sed semper quasdam relinquit dubias & incertas: proindè nunquam Demonstrationem perficiunt, sed qualiscunq; Logica & Dialectica Argumentatio exurgit, &c. gignens opinionem dubiam longissimè distantem à scientia veritatis, v.g. si quis Baptismum Infantum demonstrare conetur ex Scripturis, &c. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum DEI.* &c. Sed verba hæc Scripturæ dubia redduntur ab Hæreticis, qui alium sensum eorum proferunt, quàm nos dicimus, &c. quod dubium ut planè tollatur, necesse est, ut verba illa dubia, & in disputationem revocata, in aliam Propositionem immediatam, & per se veram reducantur, desumptam ex Ecclesiæ Catholicæ confessione. Si enim constet, Ecclesiam Catholicam, quæ errare non potest, verba illa Scripturæ ita semper accepisse, ut nos dicimus, nempè ut aqua propriè de aqua Baptismi intelligatur. &c. Quòd verò in Confessione Catholicæ Ecclesiæ contineantur, patescit, si Clementem Roma-

" Romanum, Irenæum, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, &
" alios antiquissimos Patres, in disSitis locis, qui olim vixerunt, con-
" sulamus. Itemq; si modernæ Ecclesiæ Nationes omnes perqui-
" ramus, & quomodo etiamnum omnes ubiq; Populi Christiani,
" non tantùm Infantes baptizent, sed & dicta Scripturæ citata, non
" alio sensu, quàm qui huc faciat accipiant, observemus. Indè tan-
" dem perfecta oritur Demonstratio, intellectum ad assensum co-
" gens, &c. ad quam viam sibi præcludunt, qui opiniones & sen-
" tentias Patrum & Doctorum Ecclesiasticorum, & ipsius Ecclesiæ
" Catholicæ, reijcere & improbare non verentur. Et pag. sub Lit.
" C 3 adducit Lerinensem in Common. 1. cap. 4. his verbis: *Si no-*
" *vella aliqua contagio non iam particulam tantùm, sed totam pari-*
" *ter Ecclesiam commaculare conetur, recurramus ad Antiquitatem, &*
" ex antiquis Ecclesiæ Patribus nostram sententiam Orthodoxam
" esse demonstremus. Ad Marg. ait: Sed nos illis credere non de-
" bemus, nec exire à prima & Ecclesiastica Traditione, nec aliter
" credere, nisi quemadmodum per Successionem Ecclesiæ DEI tra-
" diderunt nobis. Et infrà ad Marg. Non ex propria præsumptio-
" ne, sed ex Majorum Scriptis & auctoritate loquebantur. Author
" Tubæ pag. 42. num. 12. ait: Nostri Libri Symbolici in Prussia
" &c. ferè in omnibus Fidei Articulis, quos ibidem tractat, ad Con-
" cilia & SS. Patres præter Scripturam provocat. Cùm ergo Dreie-
rus clarè, ut verum est, deducit ex contemptu Patrum & Conciliorum depravantibus Sacram Scripturam hæreticis, neminem posse devenire, quæ est sententia Orthodoxa, nec posse talem pervenire ad scientiam veritatis, qui Patres & Concilia contemnit. Quid Lutherus de SS. Patribus & Concilijs senserit, audiamus. In Comment. in Epist. ad Galat. cap. 1. ait: *Valdè speciosum, & robustum videtur argumentum Papistarum: Ecclesia tot Sæculis sic sensit & docuit. Sic senserunt & docuerunt omnes primitivæ Ecclesiæ Doctores, viri Sanctissimi. Quis es tu, qui ausis ab eis dissentire? Quando Sathan hoc urget, dicas confidenter: sive Cyprianus, Augustinus, Ambrosius, sive S. Petrus, Paulus, Joannes, imò Angelus de cœlo aliter doceat, tamen hoc certò scio, quòd humana non suadeo, sed Divina. Ibi enim cum fiducia dicere possum, esto sanè Ecclesia, Augustinus, & alij Doctores, item Petrus, Apollo, imò Angelus de cœlo, diversum doceant, tamen mea doctrina est huiusmodi, quæ solius DEI gloriam illustrat. Petrus Apostolorum summus vigebat, & docebat extra verbum DEI.* Tandem quid

ex

ex his concludit? *Ego ſuadeo Divina; Omnes Patres ſtipites & fungi fuerunt.* Suprà oſtendimus, hanc injuriam fieri Chriſto Domino, & Spiritui S. ab eo, qui dicit, erraſſe Patres & Doctores Eccleſiæ, à pag. 49. ad pag. 53. Aliquibus SS. Patribus contumelioſa imponit cognomina, ut S. Dionyſio Areopagitæ, Cypriano, Hieronymo, Chryſoſtomo, Baſilio. De S. Auguſtino ait: *Quis eſt qui nos cogit illi credere, apologia Philippi omnes Doctores Eccleſiæ ſuperat, etiam Auguſtinum. Nihil curo, ſi mille Auguſtini, mille Cypriani contra me ſtarent.* Calvinus ſimiliter injurioſa imponit cognomina SS. Patribus, ut S. Dionyſio, & S. Auguſtino, quem vocat *Theologaſtrum blaterantem nugas,* cùm Calvinus oblitus ſui lib. 3. Inſtit. cap. 3. §. 10. & lib. 4. cap. 14. §. 26. ad Auguſtinum, tanquam ad fideliſſimum, & optimum teſtem Antiquitatis, quin & Theologorum Coryphæũ provocaverit. Similiter Melanchton, Beza, Brentius, Centuriatores, linguas ſuas in SS. Patres exacuerunt, omnibus hæreticis, ut Arianis, Donatiſtis, Neſtorianis, Pelagianis parcendo. De Concilijs etiam Lutherus quid ſenſerit, audiamus. Libro de Captivit. Babil. ait: *De doctrina cognoſcere pertinet ad omnes & ſingulos Chriſtianos.* Poſt adjungit: *Satis eſſe queat, adverſus omnium Pontificum, Patrum, omnium Conciliorum ſentias.* Ad Cap. 15. Act. Apoſt. ait: *Spiritus S. non Concilijs, ſed ſolùm Chriſtianorum quos novit cordibus, ſe adeſſe velle promiſit.* Et poſt pauca ait: *Incerta ſunt Concilia, nec fidendum eſt iſtis; nullum enim unquam purum fuit, quin Fidei aliquid addiderit, vel detraxerit.* (a) Similiter Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 9. §. 2. ex Scripturis nullum teſtimonium afferri docet, præter illud Matth. 18 *ubi duo vel tres congregati fuerint &c.* nihilominùs ait ad privatum cœtum pertinere, quàm ad Concilium Generale. Quàm autem hi duo Magiſtri graviter errârint, quis non videt? etiam Diſſidentes negare non poſſunt, ut inferiùs clariſſimè patebit. Ex ſententia enim Dreieri, Lutherus & Calvinus graviſſimè errârunt, cùm rejecerint ſententias Patrum & Conciliorum, & Eccleſiaſticam Traditionem, hoc ipſo præcluſerunt ſibi viam cognoſcendi ſententiam Orthodoxam, & veniendi ad ſcientiam veritatis. Ut ergo Concilium Tridentinum occurreret his erroribus Lutheri & Calvini, à Dreiero ſuperiùs expreſſis, ut à Luthero & Calvino amoveret dubiam demonſtrationem, & incertas opiniones longè diſtantes à ſcientia veritatis, & reduceret illos in principium immediatum, & per ſe verum, data eſt libertas Proteſtantibus in ſalvo Conductu, cauſas con-

(a) Proteſtantes rejicientes in Concil. Trident. Sententias Patrũ, Conciliorum, Apoſtolorum, & Eccleſ. Cathol. Traditiones, ex



ipſorum principijs patet, quòd præcluſerint ſibi viam cognoſcendi Sententiam Orthodoxam, & veniendi ad ſcientiam veritatis, relinquentes ſolùm ſibi dubias & incertas propoſitiones, ut ipſi & fatentur, ut ſuprá, & in ſe experiuntur, vide ſuprá pag. 32. & 33

controversas tractandi more antiquo aliorum Conciliorum, *secundùm Sacram Scripturam, Apostolorum Traditiones, probata Concilia, Catholicæ Ecclesiæ consensum, & SS. Patrum authoritatem.* Fecit ergo Concilium Tridentinum, quantum plus facere non potuit, observando antiquam praxim Conciliorum, cui si acquievissent Protestantes, causæ controversæ in pace & charitate finitæ fuissent, & modò hoc medio à Dreiero porrecto, Diffidentes utantur, SS. Patres & Doctores Ecclesiæ, probata Concilia, Ecclesiasticam Traditinem consulant, omnia dubia in aliam Propositionem immediatam, per se veram, ex Ecclesiæ Catholicæ confessione SS. Patrum & Doctorum reducant, & videbunt, quia non habebunt difficultatem redeundi in gremium Matris suæ, undè miris artibus & fraudibus avulsi sunt.

Per has Regulas Concil. Trident. opiniones incertas & longè á veritate distantes, reduxit in principium immediatum & per se verum, porrexitq; modum cognoscendi Scientiam Orthodoxam, & veniendi ad Scientiam veritatis, etiam ex principijs Protestantium, ut suprá.

Undè Concilium Tridentinum non exindè debet parvi æstimari in suo valore, quòd aliqui ad illud accedere noluerunt, nam eadem ratio valeret contra Nicænum Primum, & alia subsequentia, quia aliqui illa reprobabant, & illius Decretis acquiescere nolebant, ut Arius, Eunomiani, Nestorius, Eutiches, Pelagius. Neq; hæc conditio contra illud valere potuit, ut ex sola Scriptura disputaretur, relictâ testificatione Doctorum Ecclesiæ, neq; aliæ septem similes huic. Sed exindè suum habet valorem, quòd secundùm antiquam praxim, & Regulas Ecclesiæ Veteris, celebratum est, & confirmatum à Romano Pontifice, & Decretis illius in materia Fidei, universus Christianus acquievit Orbis, exceptis solùm Protestantibus, qui pro illo tempore pauci admodùm fuerunt, cùm statim ab initio in varia Schismata & Sectas scissi sint, ut cuiq; notum est. Adde, quòd licèt aliqui ad quatuor prima Concilia non accesserint, ut Arius, Macedonius, Nestorius, Eutiches, tamen pro legitimis etiam à Protestantibus habentur, licèt ea rejecerint, ut superiùs vidimus. Etiam Lutherus, dum suprà ait: *Incerta sunt Concilia, nec fidendum est illis, nullum enim unquam purum fuit.* Et clariùs in Disput. Lipsica: *Concilia concludere & statuere volunt quid credendum sit, cùm sæpè nullus ibi sit, qui Divinum Spiritum vel modicum olfecerit, sicut contigit in Concilio Nicæno;* & quo probat Lutherus, quòd Spiritum Divinū olfecerit ipse, cùm illum illi Calvinus & alij non concedant. Et Tom. 7. Germ. pag. 262. ait: *Hoc dico, quòd ex maximis infortunijs unū sit pessima & condemnabilis opinio, quòd Concilia magni fiunt, acsi Spiritum Sanctum habeant.* Et de Formula Missæ ait: *Nos Christum habemus,*

Et tamen Protestantes illa recipiunt, alij plura, alij pauciora.

Notent Dissidentes.

bemus, Concilia nec morari, nec audire debemus. Quid autem SS. Patres de Concilijs ſenſerint, ſuprà Cap. IX. pag. 186 & pag. 187. docuit. Quomodo autem cum his omnibus Concilium Tridentinum convenire potuit, cùm ipſi ſecum non conveniebant, & ad invicem ſeipſos hæreſeon damnabant, ut ſuperiùs pag. 142. 143. 165. patuit. Oſtendi ergo, ut promiſi in principio Diſcursûs, ipſam veritatem ex principijs Diſſidentiū, quàm infideliter in Concilio Tridentino Proteſtantes egerint. Unde non ſinè cauſa Author Tubæ pag. 47 ait: *Rationes, quas nos Proteſtantes contra illud Concilium adducimus, non ſanè pro convictis à Pontificijs habentur,* inter quas etiam Tertia hæc fuit, ut Romanus Pontifex non indicet Concilium, nec præſideat illi. Quàm juſta hæc fuit, jam patuit ſatis clarè ſuperiùs.

Illud autem, quod dicit in fine Diſcursûs Author Tubæ p. 47. *Et quantumvis quotannis more ſolito hæreticos ac Schiſmaticos excommunicet Romanus Pontifex, non tamen de Principe tantæ prudentiæ & pietatis nobis perſuaderi patiemur, quaſi is omnes omninò Proteſtantes ſinè ullo reſpectu, etiam illos, qui anhelant uniri illi Eccleſiæ univerſim Catholicæ, &c. excommunicet ac condemnet.* Reſpondetur ad verba hæc Authoris. Maximè advertendum eſt, ſi aliquis cœtus, vel author illius cœtûs, ſit excommunicatus, & pro hæreſi vel hæretico declaratus, vel dogmata illius cœtûs vel authoris, quia illa excommunicatio & declaratio hæreſis vel perſonæ aliquæ pro hæretico, pro ſemper damnat, & pro ſemper pro hæretico declarat, donec reſipiſcat à ſua hæreſi. Similiter ſentiendum de illis hæreticis, quos Romani Pontifices ſinè Concilijs damnârunt, ut Pelagium, Priſcilianum, Jovinianum, Vigilantium. De primo ſic S. Auguſtinus teſtatur: *Per Papæ reſcriptum cauſa Pelagianorum finita eſt, totoq; Orbe poſt eius damnationem damnati ſunt.* Idem S. Auguſtinus de Joviniano hæretico lib. de hæreſibus cap. 82. ait: *Citò iſta hæreſis oppreſſa, nec uſq; ad deceptionem aliquorum Sacerdotum potuit pervenire.*

CAPVT XI.
Diſcurſus Authoris
Pag. 47.

I. *Quamvis hoc negotium pacis & concordiæ nondum ad finem perductum, non tamen ſtudium unitatis omittendum.* II. *Amicè conferen-*

conferentiæ, & pacifica collatio de rebus Fidei inter Doctores inſtituenda. III. *Quomodo Synodus more ſcilicet primitivæ Eccleſiæ celebranda.* *IV. Quis in Concilijs præſertim Univerſalibus Præſes eſſe debeat.*

Utut res hæc pacis & concordiæ nondum ad finem perducta felicem, non tamen debemus omittere ſtudium unitatis. Reaſſumenda ſæpiùs compoſitio omnibus affectibus, humanisq; reſpectibus ſepoſitis. Nimirùm voluntas Patris eſt, ut ſimus unum, ſicut Pater & Filius, ſectantes juſtitiam, fidem, charitatem, & pacem cum ijs, qui invocant Dominum de corde puro. Tenenda & nobis Chriſtiana Religio, & ejus Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nuncupatur, non ſolùm à ſuis, ſed ab omnibus inimicis. Deniq; *qui pacis ineunt conſilia, ſequitur eos gaudium.* Prov. 12. &c.

Neq; legimus, unquam verum ſincerum Doctorem Catholicum declinâſſe ejusmodi conferentiam. Quippè hoc maximè Doctorem exprimit, poſſe verbis inſtruere, & confutare adverſarios. Et quantumvis prædictæ Conferentiæ & Colloquia non omnia exoptatum pacis ſortita eventum, propter aliquos intervenientes obices, tum ex perſonis, tum ex modo agendi, alijsq; circumſtantijs. Si tamen hi, aut ejusmodi Obices, prudentiâ Virorum pacificorum, ac bonæ voluntatis removeantur, pacificæ collationis ſperatum finem ſecuturum, nihil dubitandum. &c. Adeòq; primum locum obtinebunt in Synodo Majores Eccleſiæ, quales in prima illa Eccleſiæ Synodo Hieroſolymis (Act. 15.) fuêre Apoſtoli, atq; inter hos Jacobus & Petrus, tanquam Princeps Decreti, ut eum vocat Hieron. Epiſt. 11. ad Auguſtinum inter Epiſt. Auguſt. His enim incumbit paſcere & docere, exhortari, in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, redarguere. Hi ſunt rerum Fidei Magiſtri. Ad tales ordinariè pertinet cum Jure Suffragij, & Conſultivi & Deciſivi, in Concilijs intereſſe. Indè legimus, quod in Catholica Eccleſia primitiva non omnes promiſcuè Clerici, præcipuè inferiores, admiſſi fuerunt, ſed qui fuêre primi Ordinis, ut Epiſcopi, ut conſtat Action. 1. Concilij Chalcedonenſis, quod eſt Concilium VI. Generale, ubi Patres clamant: *Superfluos mitte foràs, Epiſcoporum Synodus eſt, non Clericorum.* Quare ſemper ferè ceu in publicas redactum tabulas, quòd cuilibet Concilio interfuerunt Epiſcopi. * Neq; cuilibet Presbytero ſubſcribere permiſſum fuit. Cùm enim Presbyter quidam à Dioſcoro hæretico

Non ad Sæculares, ut fuerũt Proteſtantes.

& in omnibus Concilijs nunquam Suffragium Deciſivum habuerunt Sæculares.

juſſus

* *Quare Theologi Principum ac Statuum Conf. Auguſt. cum Epiſcopis ſententias deciſivas habere voluerunt in Concilio Tridentino.*

juſſus fuiſſet in Concilio Conſtantinopolitano ſubſcribere, recuſavit, dicens, Epiſcoporum id munus eſſe, ut habetur Action. 8. illius Concilij. Vocantur ſæpius & Reges, Principes, &c. & hi ſubſcribunt, ut patet ex Synodo Conſtantinopol. IV. ubi Baſilius Imperator, & Filij ejus ſubſcripſerunt, ſed, quod notandum, poſt Legatos Romani Pontificis & Patriarchas, veluti teſtes Decretorum, & futuri vindices in transgreſſores illorum. Hinc Theodoſius II. Imperator Romanus, hâc lege miſit Comitem Candidianum ad Epheſinum Concilium, ne in illis, quæ facienda ſunt de pijs dogmatibus, quæſtionibusq; communicaret, quia illicitum eſt, eum, qui non eſt ex Ordine SS. Epiſcoporum, Eccleſiaſticis ſe immiſcere Tractatibus. Juſtinianus quoque: *Si Eccleſiaſticum*, ait, *negotium ſit, nullam communionem habento Civiles Magiſtratus, cum ea diſceptatione. ſed Religioſiſſimi Epiſcopi, ſecundùm Sacros Canones negotio finem imponunto.* His gemina reperiuntur de Conſtantino Magno Imperatore. Cùm Conſtantinus Imperator, filius Conſtantini Imper. Romani, primas ambiret, Athanaſius & Oſius graviter hoc perſtrinxerunt. Sic Athanaſius: *Si Judicium Epiſcoporum eſt, quid cum eo commune habet Imperatorum?* Et Oſius ad Conſtantinum: *Nec nobis in hoc genere præcipe, ſed ea potiùs à nobis diſce. Tibi DEUS Imperium commiſit, nobis ea, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit.* Nimirum, *Imperator bonus intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt. Quid non honorificentius, quàm ut Imperator Eccleſiæ Filius eſſe dicatur*, inquit Ambroſius. Quòd ſi Eccleſiæ, & ejus Decretis obedíant, non ſanè ſerviliter obediunt, nam ſervire DEO, regnare eſt, & ubi Spiritus Domini, ibi libertas eſt. Vocantur itidem Doctores, Profeſſores, Legati, Barones, & alij: illi, ut eruditione, id quod Fidei eſt, illuſtrent; hi, ut Decreta Eccleſiæ executioni dent, & teſtimonio ſuo confirment. Ita olim in Concilijs actum, & ſic procedendum ipſimet Lutherani Theologi docent.

Quo jure ergo Seculares Proteſtantes requirebant tam quàm Epiſcopi ſententias deciſivas in Concil. Trident.

Sed libertas Deo & Eccleſiæ ſubjecta.

Si docent ſic, quare ſic in Concil. Trident. non fecerunt?

Huc pertinet, quod legimus in Epiſt. Julij Rom. Pontificis de Concilij Nicæni Canonibus, ubi Canon 1. *Non debent*, ait, *præter Romani Pontificis ſententiam Concilia celebrari.* Item Canon 2. *Omnes*, ait, *Epiſcopi liberè Apoſtolicam appellent Sedem, cujus depoſitioni omnes maiores Eccleſiaſticas cauſas, & Epiſcoporum iudicia, antiqua Apoſtolorum, eorumq; Succeſſorum, atq; Canonum auctoritas reſervavit, &c. &c.* Et Canon 3. de Cauſis Epiſcop. *Nihil definire inconſulto Rom. Pontifice permiſſum eſt, cùm B. Petro Apoſtolo non ab alio, quàm ab ipſo Domino*

mino dictum sit: Quecunq; ligaveris &c. Hæc ex transmissis Romam Sylvestro Rom. Pontifici Canonibus, Julius Romanus Pontifex proposuit, cùm illos Ariani in Oriente dominantes, paucis exceptis, attestante Athanasio, (in Epist. ad Marcum Pontificem) combussissent. Explicat horum Canonum sensum dilucidius Concilium Chalced. (Act. 16.) his verbis: *Trecentorum, ait, decem & octo SS. Patrum Canon VI. quòd Ecclesia Romana semper habuit Primatum*, moxq; eundem recitat Canonem: *Sanè ipsi Synodo Nicænæ Sylvester Pontifex Romanus per suos Legatos auctoritatem contulit*, affirmantibus id Cedreno, (in Comp. Historiar.) & Photio, (lib. 7. de Synodis) & Ratio suadet, quia primo Patriarchæ, qui est Rom. Pontifex, competit indicere Generale Concilium, ut suprà dictum. Ergo & illius est eidem præsidere. &c. (debuit Author addere: & authoritatem Concilio conferre, cùm superius fassus sit id de S. Sylvestro.) Agnoverunt id etiam Protestantes Principes, & Auctores Confess. Augustanæ, qui legaliter ad Concilium Generale (Tridentinum) à Pontifice indicendum appellârunt, se illi ex Compromisso subjecerunt. Qui ergo non dissentit ab Auctoribus Augustanæ Confessionis, debet necessariò admittere, ut præsideat, & directionem habeat Synodi Universalis Romanus Pontifex.

Vidimus jam superius, quomodo se subjecerunt, positis inauditis conditionibus.

Ast cùm hîc & nunc non urgeamus Synodum Universalem: neq; enim non cum magno motu confici posset, ut proindè illud animi nostri modestia haud præscribere præsumat; sed solummodò Collationem antecedaneam aliquam necessariam judicamus, in qua auctoritate publicâ omnium Statuum, Imperij inprimis, cæterorumq; Regnorum ac Principatuum, de controversis Fidei Articulis Theologi inter se debitè conferant, dexteritati id, ac judicio Monarcharum, Dynastarum, Principum, Dominorum, eorundemque Theologorum committendum ducimus, quos in Arbitros vel Cognitores, more Ecclesiæ Catholicæ antiquæ consueto, eligere constitutum voluerint, apud se quiq; in suis Regnis, Principatibus, ac Provincijs.

de his, quæ non sunt in Concilijs determinata de Fide sub anathemate.

Discursus Theologicus.

Correspondens ad Caput XI. Authoris.

De medijs ad tollenda impedimenta in Colloquijs cum Dissidentibus.

Hæc

HÆc præcipua causa fuit, & est semper, tristis eventus Colloquiorum, quod ejusmodi subjecta, quæ magis obesse quàm prodesse poterant, ad Colloquia admixta fuerunt. Si enim, ut ait Author Tubæ, tales inveniuntur in Ecclesijs Protestantium, teste Wigando, qui impia dogmata introduxerunt, qui flexiloquis utuntur locutionibus, qui Synodos non juxta normam Verbi Divini, sed juxta arbitrium potentium in Ecclesijs Protestantium gubernant. Si Articulos Fidei, Religionum formulas, & cothurnos cudunt, Ecclesijsq; Protestantium obtrudunt, si hæc illicita in Ecclesijs proprijs audent, quomodo non sunt ausi in Colloquijs eadem inconvenientia promovere, & mordicùs illa defendere.

Hæc ratio potissima fuit, sicut omnium Colloquiorum infelicis exitus, ita & Colloquij Thoruniensis, de quo, cùm Author Tubæ mentionem fecerit in præcedenti Discursu, nos etiam de processu, & infelici exitu illius breviter inferiùs dicemus. Attamen licèt exoptati Viri ab Authore non semper possunt haberi in Colloquijs, nec subjecta nociva à Colloquijs amoveri, tamen non sunt relinquendæ amicæ Collationes, cùm experientiâ constet, multoties Colloquia profuisse, ut multis exemplis probatum est; ut patet ex illa S. Augustini Collatione famosa cum Donatistis, ad reprimendam audaciam eorum per Africam, ex qua licet multi deteriores facti sunt, tamen multi etiam Donatistæ conversi sunt, ut docet S. Augustinus lib. 1. contra Gaudent. cap. 29. Item Collatio inter Catholicos & Severianos Anno 532. Constantinopoli habita, ubi multi ejuratâ hæresi, ad communionem Ecclesiæ redierunt. Item Catholicorum cum Arianis Episcopis coram Recaredo Rege, qui cùm vidisset, Arianos nec miraculis, nec rationibus Catholicis respondere posse, cum omnibus suis Fidem Catholicam suscepit. Greg. Turon. 9. historiar. cap. 5. Isidor. Joan. in Hist. Goth. Anno 593. Similis erat illa celebris Britannica inter Catholicos & Pelagianos, in qua S. Germanus Antesignanus Catholicorum erat, ubi non tantùm rationibus invictis, sed etiam miraculo S. Germani cæcæ puellæ lumen restituentis, hæresis Pelagiana compressa est, & multos ad Fidei unitatem reduxit.

Etiam in præsenti non est negligendum, pro lucro animarum instituere amicabiles Conferentias & Colloquia, cum debitis circumstantijs & conditionibus expressis ab ipsomet Authore. Talia enim Colloquia nullus eruditorum Catholicorum Doctorum improbat

probat cum adversarijs instituenda, modò legitimè fiant, scilicet, non contentiosó disputationis strepitu, sed placitâ & pacificâ Collatione, ut Author Tubæ ex S. Augustino deducit. Nos putamus, præcipuas causas semper fuisse, impedientes felices successus Colloquiorum, quas Author proponit ex Henrico Nicolai, The. Gadan. ob quas in Germania dissensiones in Fide non fuerunt sublatæ. Nimiam scilicet suæ Sectæ dilectionem, ut quot Sectæ, tot volunt suos habere errores pro veris dogmatibus.

Secundò, calumniandi & pervertendi cupidinem, quando una pars alteri calumniosè imponit, quod illa etiam detestatur, hæc passim in Authoribus Catholicis invenies, quomodo has calumnias sibi illatas refutant, & quòd veræ calumniæ sint, ad oculum ostendunt.

Tertiò, proscribendi audaciam, & instructionis specialitatem, modum scilicet novum, & in Ecclesia DEI nunquam auditum præscribendo, ut v. g. ex solo verbo DEI Disputatio agatur, & sibi cuiq; privato interpretatio Scripturarum tribuatur, & quisq; privatus vult sibi credi, postposito sensu Ecclesiæ Universalis, quæ genuinum & verum sensum Scripturæ in Concilijs Generalibus, ex assistentia Spiritûs Sancti ostendit. Hæc causa est tam nociva omnibus Diffidentibus, ut ob eam etiam ipsi Protestantes inter se nunquam potuerint terminare feliciter Colloquia, ut ex probatis historijs scire possumus, nec hucusq; inter se convenerunt in materia Fidei, ut Lutherani cum Zwinglianis & Calvinistis, & hi omnes inter se in varios & plurimos divisi cœtus, & si sic inter se divisi sunt, quomodo cum Catholicis convenient? Causa horum omnium Personalium intermistio, ut notavit memoratus Author, quando personæ privatæ hoc sibi appropriant, quod ad Universalem Ecclesiam & Prælatos Ecclesiæ pertinet, *quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI*, unde sæpè in Colloquijs factum est, quod anteà notavit Tertullianus de Præscript. *Novam in Colloquijs insurgere contentionem, dum suis privatis expositionibus, & varijs contentionibus intelligendam volunt Sacram Scripturam, vocem in contentione perdentes discedunt.*

Salvo meliori aliorum doctiorum judicio, si isti & alij possent amoveri obices, posset major sperari fructus Colloquiorum. Hoc tamen vel maximè videtur notandum, si Diffidentes, & omnes, qui ad Colloquia cum Catholicis accedunt, exactè revolverent Catholicos Authores, qui de Controversijs scripserunt, & benè perspectas senten-

ſententias illorum haberent, multa enim objiciuntur, multa imputantur Catholicis, quæ etiam Catholici cum Diſſidentibus abhorrent, & deteſtantur.

Advertit hunc gravem errorem ineſſe Diſſidentibus Author Tubæ, dum pag. 82. ait: *Non ſufficit incuſare Eccleſiam additamentorum vel diminutionum Fidei, ſed & probare neceſſe eſt, & convincere.* Vera autem probatio & convictio non poteſt eſſe ex ſiniſtra imputatione, quam quisq; in ſuo capite ſibi fingit, & illam nullus Catholicorum tenet, & tamen paſſim in libris ſimiles imputationes invenies, & his ut plurimùm adverſæ partes tanquam veris utuntur. Si ergo hæc in Colloquijs non objicerentur, major fructus Colloquiorum ſperandus foret, cum majori lucro animarum, imò quilibet, ſi tale Colloquium inſtituet cum ſua conſcientia, reportabit immenſum bonum animæ ſuæ. Nam clarè cognoſcet, quòd hæc implicita dogmata, quæ Lutherus abuſus fingendò negavit, ſemper in corde, tanquam in depoſitorio Eccleſiæ, ſecundùm Lirinenſem, fuerunt, quorum SS. Patres teſtes ſunt fideles, quæ cùm initium non habeant ex Traditione Apoſtolica, procedunt ſecundùm Regulam S. Auguſtini, qui Epiſt. 86. ait: *In his quippè rebus, in quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi DEI vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt, de quibus ſi diſputare voluerimus, &c. oritur intaminata luctatio.* Quod in noſtro caſu fit à temporibus Lutheri, Calvini, & aliorum. Sed de his clariùs inferiùs, ubi manifeſtè patebit, non habuiſſe Lutherum coram DEO juſtam cauſam, per negativam doctrinam ex ſola ſuſpicione, tot homines ſeparare ab Eccleſia Cathol. Romana, (*a*) de qua ſeparatione magis de veritate Catholica informatus quàm anteà, timuit æternam damnationem, ſed ſerò, vide ſuprà pag. 32. & ſeq. Utinam poſteris illius contingat, quod optat S. Auguſtinus, dum ait lib. 3. contra Creſcon. *ut per Collationem noſtram, errore ſublato, Chriſtianâ & fraternâ ſocietate, unitate, charitate, pace frueremur.* cùm jam multi à placitis Lutheri & Calvini in multis receſſerunt, ut clariſſimè ex ipſis Diſſidentibus inferiùs patebit.

(*a*) *Multos quoq; supplantavit ſuſpicio illorum. Eccleſ. c. 3*

CAPUT XII.

Diſcurſus Authoris

Pag. 54.

I. Qlibus conditionibus hæc pacifica Collatio institui possit. II. Si prævijs precibus publicis, Jejunijs, Eleëmosynis, peccatorum detestationibus institueretur. III. Haud nimium tribuamus nostris Doctoribus particularium Ecclesiarum Libellis Symbolicis, aut cœtibus privatis.

Quâ ratione verò, quibusvé Conditionibus, ulteriùs hac in pacificaCollatione procedendū foret,committendū putamus, &c. (a)

(a) maximâ pietate, sapientiâ, auctoritate, &c. Viris.

Si prævijs precibus publicis, Jejunijs, Eleëmosynis, peccatorumq; detestationibus, auctoritate partium statuumq; publicâ decerneretur amicum Colloquium, certis adstrictum legibus, in quo &c. solum DEUM, ejusq; gloriam, veritatem, Ecclesiæq; unitatem ac salutem, unicè attendentes, ad priscam Catholicam & Apostolicam Fidem, imprimis, quæ Sæculis V. prioribus floruit, ac ab omnibus partibus, earumq; moderatis Theologis approbata est, respicientes. Remotis ab hoc solenni Colloquio semidoctis, imprudentibus, Sectarijs, inflatis, ambitiosis, rixosis, impetuosis, tricosis, iracundis, vani-mali loquis, Personalium sectatoribus, inutilibus, & noxijs, propriam laudem appetentibus. Huic Conferentiæ eligantur Consultores & Arbitri, Viri pij, veritati, unitati, charitati inhærentes, exacti judicij, maximæ prudentiæ, ac mitissimi ingenij, auctoritate tamen ac potestate, quantùm ad directionem Conventûs sufficit, præditi. &c.

omnia hoc modo poterant tractare Protestantes in Concilio Tridentino, ad quod si accessissent, nunquam tanta strages subsecuta fuisset animarum, in tot Schismatibus & hæresibus pereuntium

Neq; nostris, aut illis particularium Ecclesiarum Doctoribus, Libellis Symbolicis, aut Cœtibus, nimiùm tribuamus. &c. Neque dicendum, Libros Symbolicos Protestantium tantam habere auctoritatem, quantam Confessiones Ecclesiarum Novi Testamenti, priorum illorum Sæculorum, adeoq; cum illis Veteribus Symbolicis æquari nō posse. Libri enim Symbolici nostri particularis Ecclesiæ Confessionem proponunt gradu inferiore, quippè minorum Sæculorum consensu approbatam, adeoq; judex, norma, ac regula non sunt, &c. Deniq; non sunt Libri Symbolici ita accipiendi, quasi in ijs solis omnia ad conservandam Ecclesiam necessaria contineantur, sinè quibus in toto terrarum Orbe consistere non possit. Utiq; sequeretur, Catholicam Ecclesiam desijsse aliquando, sicq; negaretur Articulus Fidei de Catholica Ecclesia, contra quam tamen non prævalebunt portæ inferorum. Nam ubi sunt isti libri recepti? num apud Græcos? num apud Syrios? num apud Armenios? num apud Æthiopes? num apud Russos & Moscos? num apud Pontificios? num apud Calvinistas? Quòd si ergo omnia, quæ in istis libris continentur,

Particularis Ecclesia non est vera Ecclesia Christi, nisi Universalis.

tur,

tur, ad conſervandam Eccleſiam ſunt neceſſaria, ut ſinè illis Eccleſia conſiſtere non poſſit. Sequitur, quod Eccleſia in toto Orbe terrarũ interierit, quod hæreſis eſt Novatianorum.

& remanſit in ſolo vel Lutheri vel Calvini privato cœtu, vel alijs.

Neq; noſtris Cœtibus Particularibus nimiùm tribuendum. Scimus enim, adhuc tempore Lutheri, cùm in vivis eſſet, jam fuiſſe plurimas diſſenſiones in doctrina, quæ in Schiſmata horrenda degenerârunt. Lutherus Tom. 2. Germ. Jenenſi 101. Epiſt. ad Antorp. *Tot ſunt inter nos Religiones, quot homines,* Conferatur Phil. Melanch. in Conc. Theol. part. 1. p. 249. *A morte Lutheri quot extitêre Schiſmata, etiam inter diſcipulos Lutheri,* de quibus acerbè queritur Joannes Wigandus, Pruſſiæ in libro de bonis & malis Germaniæ, excuſſo per Petrum Brubachium Anno 1566. *Multis,* inquit, *lacrymis deploranda innumera penè mala, quæ Eccleſiæ Lutheranæ ruinam & interitum portendere, imò tentare poſſunt.* Fusè ibi agit de varijs Schiſmatibus in Eccleſia Proteſtantium, de impijs dogmatibus, de ignavia Vigilum Eccleſiæ, de flexiloquis docentium locutionibus, de Proſopolatria, de vitiatione multarum & magnarum Scholarum, de petulantia juventutis, de Typographiæ abuſu abominabili, de Diſciplinæ Eccleſiaſticæ laxatione, de defectu Synodorum, quæ non juxta normam Verbi Divini, ſed juxta arbitrium potentium gubernantur apud Proteſtantes, de Dominatu Politici Antichriſti, ſeu Cæſareo Papatu, quo Politici Articulos Fidei, Religionum formulas & Cothurnos cudunt, Eccleſiæq; obtrudunt, de oſcitantia nonnullorum Gubernatorum Eccleſiæ, & receptione indoctorum Miniſtrorum Eccleſiæ, de rapina & abuſu Bonorum Eccleſiaſticorum, de reſpectu Theologorum, de nauſea Verbi Divini, &c. Hæc mala non tantùm tum temporis fuerunt in noſtra Eccleſia, ſed etiam adhuc hinc indè reperiuntur; proindè non diffiteri poſſumus, plurima eſſe in noſtris Eccleſijs, quæ tolli, quæ purgari, quæ reformari debent, qua de re præter alios legendꝰ eſt Theoph. Groſsgebaueri libellꝰ, &c.





Diſcurſus Theol.

Correſpondens ad Caput XII. Authoris.

De prævijs publicis precibus, Iejunijs, Eleemoſynis, peccatorum deteſtationibus, amovendis inquietis ſciolis, & præſumptuoſis de ſua doctrina ſubjectis, quæ magis calumniandi pruritu laborant, quam ut veritatem eruant, & aſſequantur.

OPtimum ſanè conſilium Authoris, unamquamq; actionem incipere à DEO, & cum auxilio illius, & illam ut ſuccedat, ſolidare precibus publicis, jejunijs, eleëmoſynis, peccatorum deteſtationibus, ut ait Author. Hæc enim ſufficientiſſima ſunt media, tum ut unaquaq; ſuccedat actio, tum ut optimus DEUS offenſus à nobis reconcilietur; habemus enim plurima exempla, tam in Veteri, quàm Novo Teſtament. quomodo hæc placârunt iram & vindictam Divinam; in Veteri, de Ninivitis, de S. Rege David; in Novo, de publicano, qui percuſſo pectore exivit è templo juſtificatus. Orare etiam docuit, & præcepit ipſemet Chriſtus, *Sic orabitis.* Matth. 6. *Petite, & dabitur vobis, &c. Pater veſter de Cœlo dabit Spiritum bonum petentibus ſe* Luc. 11. Et ipſe Chriſtus erat ſæpiùs pernoctans in Oratione pro nobis. Luc. 6. Undè S. Ambroſius lib. 5. Comment. in Luc. cap. 6. ait: *Quid enim te pro ſalute tua facere oportet, quando pro te Chriſtus in Oratione pernoctat.* Jejunium etiam habet ſingularem recommendationem apud DEUM, ut patet ex jejunio S. Moyſis, & Eliæ, imò Chriſti Domini, qui *poſtquam jejunáſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſteà eſurijt* Ninivitæ averterunt everſionem ſuæ Civitatis per jejunium. Eleëmoſynam etiam ſatis nobis recommendavit Chriſtus, quando pro illa vitam æternam promiſit: *Venite Benedicti Patris mei, eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare.* Matth. 25. Sic & S. Raphaël Angelus hæc omnia nobis recommendat, Tob. 13. dum ait: *Bona eſt Oratio, cum Jejunio & Eleëmosyna, magis quàm theſauros auri recondere, quoniam Eleëmosyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam.* Ut etiam ipſemet docuit Chriſtus: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Matth. 5. Quid ampliùs deſiderare poteſt homo, cùm pro his enumeratis invenit miſericordiam DEI, & vitam æternam conſequitur. Cùm ergo mediantibus, Oratione, Jejunio, & Eleëmoſynâ, conſequantur ipſum finem, vitam ſcilicet æternam, quomodo non conſequentur media ad illum, virtuoſas ſcilicet Actiones, & placentes DEO.

Nullum dubium eſt, ſi tales Viri in Colloquijs exponerentur, quales expreſſit Author Tubæ in præcedenti Diſcurſu, pij ſcilicet, placidi, modeſti, pacifici, ſcientes Veritatem DEI, aliena falſa, mendaciter dicta, agnoſcentes, &c. non alicujus privati hominis falſam doctrinam defendentes, ſed ſolum DEUM, ejuſq; gloriam, & bo-

num

num animarum quærentes. Remotis semidoctis, imprudentibus, Sectarijs, inflatis, ambitiosis, rixosis, impetuosis, tricosis, iracundis, personalium Sectatoribus, propriam laudem appetentibus. Si hoc, inquam, habere possemus, haberemus intentum finem, majorem fructum mutuæ pacis in Colloquijs in materia Religionis. Isti enim homines cum prædictis defectibus in omnibus Colloquijs infelicis illorum exitûs causa semper fuerunt, etiam inter ipsos Dissidentes, qui tot inter se Colloquia nunquam terminare potuerunt, ut testatur Conradus Schlusselb. Lib. 2 Art. 15. de Synodis fol. 164. qui inter plura Colloquia notavit Primum Malpurgense, à Philippo Hassiæ Lantgravio institutum inter Lutherum, Zwinglium, Philippum Oecolampadium An. 1529. ex quo majores discordiæ factæ sunt. Secundum Malbrunense in Suevia An. 1574. nihil in eo Protestantes à Sacramentarijs obtinuerunt. Idem Conradus loc. cit. Acta hujus Colloquij, edita à Palatinis, & Wittember. Alteburgense, in quo inter se divisi Lutherani, molles cum rigidis convenire voluerunt, sed irrito conatu. Acta ejus impressa Lipsiæ 1570. & Jenæ ad Salam eodem anno. In Alba Julia An. 1568. inter Protestantes & Trinitarios, ubi octo diebus cùm altercatum sit de Præside, de Arbitris ad examinandos Articulos, & alijs ad Colloquium pertinentibus, cùm nihil proficerent, infectis rebus recesserunt. Idem Conradus in Catal. Hæret. lib. 13. pag. 864. ait: *Judicem ejusmodi reperiri non posse. Quivis enim nostrûm sibi arrogabit, ut locum constituat, diem dicat, variarum Nationum Theologos evocet.*

Plura alia enumerantur ab eodem Conrado, ut Quedelb. Hiepreg. Tubin. Hamburg. Lubec. &c. in quibus nunquam convenire poterant Dissidentes inter se.

Discursus Authoris Cap. XII.
Pag. 56. Num. 3.

SI ageretur animo pacifico, *cum omnibus pacem habendo, non turbando Ecclesiam, errantem non ut inimicum existimando, sed corripiendo,* sinè ulla læsione famæ, honoris, & bonorum, ceu fratrem, itemq; modestè, *modestia quippè profectum parit, quia cùm se invicem tolerant, cum lenitate animi monentes, corrigantur ad affectum, & pax in ijs manebit, perturbatio enim & inquietudo contentionem facit, quæ solet etiam ea, quæ mala sunt, velle defendere, ne cadere videatur, hinc oritur discordia, quæ corrumpit pacis fœdera, &c.* Quilibet abstineat à criminibus falsi, ac inutilibus contentionibus, quæ sæpiùs causæ solent esse Schismatis, ut patet ex contentione Lutheri & Ca-

ad Rom. 12.
ad Gal. 6.

S. Ambros. in Epist. ad Ephes.

& Carolstadij, quæ ansam dedit Schismati inter Protestantes. Relegentur etiam ejusmodi quæstiones, quæ non ad verum fidei examen, sed potiùs vexamen inserviunt, ut sunt &c. de Antichristo Romano, de Idololatria Romanorum, &c. & aliæ, quæ exasperare possunt mentes fidelium. Omne *studium vitetur, quo veritas impeditur, non partis alicuius, sed universalis est suscipienda defensio &c.*

Vinc. Lirin. in Com. cap. 4.

Discursus Theolog.

In quo ostenditur, quòd Protestantes dedissent primi occasionem Catholicis multis suis sinistris imputationibus, (quæ nullo modo cum veritate cohærere possunt) ut defendant veram Christi Ecclesiam, & Matrem suam, provocati multoties à Protestantibus, ipsorum testimonijs utuntur contra illos.

MAgna profectò felicitas esset, & immensus fructus animarum, si Colloquia pacifico animo expedirentur, quod & nos summoperè optamus. Sed quid tandem consilij, cùm Libri Diffidentium pleni sunt sinistrarum imputationum, calumniarum, cùm sæpiùs objiciunt ea, quæ cum illis Catholici detestantur, ut videre est in Catholicis Authoribus, & si illis non credit Lector, videat ipsos fontes adversariorum, quàm multa objiciuntur, & nunquam probari possunt. Si ergo licuit adversæ parti talia fingere, ut odium Catholicæ Fidei pararent, & multos his artibus in suas partes traherent, cur non licet Auctoribus Catholicis clarè demonstrare, quòd hæc sint sinistræ imputationes, quòd sint calumniæ particularium hominum, contra Universalem Ecclesiam toto Orbe diffusam, quæ semper immota stabit, usq; ad consummationem sæculi, ex promissione Christi, *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, ipsi accusant illam judicant illam, ab illa jam pridem judicati in suis hæresibus, quas denuò revocârunt ab orco. Sed videamus breviter in particulari aliquas has falsas imputationes. Lutherus libro adversùs Papatum Romæ fundatum, quem An. 1545. edidit, sic ait: *Papam, & omnes qui illi adhærent, nihil omninò scire in Sacris Literis, nihil nôsse de DEO, de Christo, de Baptismo, de Eucharistia, de Clavibus, de bonis Operibus, extra dubitationem esse, nullum Catholicorum scire unum ex*

decem

decem Præceptu, vel unam Petitionem Orationis Dominicæ, vel aliquem Articulum Symboli, imò neq; ordinem Decalogi posse recitare, quæ apud suos Lutheranos etiam pueris quinq; annorum notissima sunt. Quàm hoc sit verum, jam ex superioribus patuit, & ex inferioribus magis patebit. Sed & ipsimet Protestantes judicium ferant de isto asserto Lutheri. Et tamen idem Lutherus talem in se protulit sententiam lib. contra Emserum: *Si semel deprehenderer, ita mentitus, falsus, & errâsse stolidus, iam tota mea doctrina, & honor, & fides, & fidelitas finem penitùs haberent, unusquisq; me pro nequam & infami nebulone, ut æquum est, habiturus esset.* Quid ad hæc Sectatores Lutheri? poteruntnè tam manifestam Lutheri sententiam in seipsum vel mutare, vel occultare? Similiter Calvinus lib. 4. Instit. cap. 7. §. 27. ait: *Quasi verò dubium sit, quam eam Religionem professi sint iam pridem Pontifices cum toto Cardinalium Collegio, & hodie profitentur. Primum enim arcanæ illius Theologiæ, quæ inter eos regnat, Caput est, nullum esse DEUM. Alterum, quæcunq; de Christo scripta sunt, ac docentur, mendacia esse ac imposturas. Tertium, Doctrinam de vita futura & ultima resurrectione meras esse fabulas, iam pridem hæc ordinaria Pontificum cœpit esse Religio.* Gravis sanè, imò gravissima est ista contumelia, quam puto nec ipsi cordati Dissidentes sinè rubore legere poterunt, ut à veritate alienam. Sed plura alia patebunt inferiùs. Undè si vellent Dissidentes habere pacifica Colloquia cum Catholicis, deberent Collocutores illorum habere benè perspectas sententias Catholicorum, nec objicere ea, quæ etiam Catholici non tenent, nec imponere talia, quæ simul cum illis damnant. Si enim, cùm sibimet ipsi talia imponant, ad invicem graves inter se comparârunt inimicitias, nonnè eadem ratio erit cum Catholicis, cùm omnis contumelia & sinistra imputatio sit fomes discordiarum. Cùm etiam Lutherus, dum in vivis esset, hanc oculis suis videret infelicitatem, ut dicere cogeretur, (ait Author Tubæ pag. 59.) *Tot sunt inter nos Religiones, quot homines.* Si Melanchton in Conc. Theol. part. 1. pag. 249. fassus sit, à morte Lutheri plura extitêre Schismata, etiam inter discipulos Lutheri, de quibus acerbè queritur Joannes Wigandus libro de Bonis & Malis Germaniæ, excusso per Petrũ Brubachium An. 1566. *Multis,* inquit, *lacrymis deploranda innumera planè mala, quæ Ecclesiæ Lutheranæ ruinam & interitum portendere, imò intentare possunt:* reddit rationem hujus futuri interitûs, dum fusè ibidem agit de varijs Schismatibus in Ecclesijs Protestantium,

Vide contrariũ suprà pag. 79

quæ etiam ob manifestã falsitatem posteris adferunt Dissidentibꝫ ruborẽ.



tium, de impijs dogmatibus, &c. de defectu Synodorum, quæ non juxta normam Verbi Divini, ſed juxta arbitrium potentium gubernantur apud Proteſtantes, cùm Politici Articulos Fidei, Religionum formulas & Cothurnos cudant, Eccleſiæq; obtrudant, quæ omnia
An. 1566 ſuo tempore notavit Wigandus de Eccleſijs Proteſtantium. Hucusq; Author. Hæc omnia veræ Chriſti Eccleſiæ competere non poſſunt.

Horum omnium malorum & Schiſmatum inter Proteſtantes cauſa fuerunt hi Sectarij, inflati, ambitioſi, rixoſi, iracundi, perſonalium ſectatores, qui in Colloquijs non Univerſalis Eccleſiæ ſententiam, ſecundùm Eccleſiaſticam Traditionem, ſed ſuum quisq; privatum ſenſum, Articulos Fidei, Religionum Formulas & Cothurnos cudendo, obtrudebat; eadem ratio erit in Colloquijs cum Catholicis, ſi perſpectas ſententias Catholicorum non habebunt, ſiniſtrasq; objicient imputationes. Si autem hæc obſtacula amota fuerint, poſſet ſperari fructus Colloquiorum inter Catholicos & Diſſidentes, ſi non privatum quisque, ſed Eccleſiæ Univerſalis, Conciliorum probatorum ſenſum, & SS. Patrum conſenſum Collocutores ſequantur.

Notandum, quando aliqua hæreſis negat aliquem Fidei Articulum, fingens ſibi abuſum, qui non eſt abuſus, ſed Articulus implicitus, & manifeſtus in ſe, non autem quoad nos. v. g. Fuerunt Articuli impliciti & manifeſti in ſe, ante explicationem Eccleſiæ, Proceſſio Spiritûs Sancti ex Patre & Filio, duæ Naturæ in Chriſto, cùm illos negarent hæreſes, contra illas exortas hæreſes direxit, & ſemper dirigit Eccleſia in Concilijs Generalibus inquiſitionem, ad Characterem Propheticum & Apoſtolicum, nempe Sacram Scripturam, ad Apoſtolorum Traditiones, ad probata Concilia, ad Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, ejusq; Traditionem, ad SS. Patrum doctrinam & Magiſterium illorum, & per hæc media, in aſſiſtentia Spiritûs Sancti, in Concilijs determinat, & explicitè credendum ſub pœna Anathematis proponit, quem qui diſcredit, incurrit pœnam hæreſis: ideò ſemper in fine Conciliorum hæc adijciuntur: Hæc eſt Fides Eccleſiæ Catholicæ; Hæc eſt Fides Patrum.

Diſcurſus Theol.

Quomodo materiæ controverſæ in Colloquijs tractari, non autem decidi poſſunt.

De

DE omnibus Colloquijs hoc notandum, quòd in illis materiæ controverſæ decidi non poſſunt, ſed in Concilijs Generalibus. Sola enim Concilia habent aſſiſtentiam Spiritûs Sancti ad hoc, ut ex Revelatione illius decidantur res controverſæ, quia non in Colloquio, ſed in Concilio dictum eſt: Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, neq; Collocutoribus, ſed Epiſcopis in Concilijs, more antiquo primitivæ Eccleſiæ, decidere res controverſas convenit.

Colloquia enim ad hoc inſtitui poſſunt ab hominibus, ut veritas innoteſcat errantibus. In Concilijs inſpirat DEUS Eccleſiæ, ut per illa ultimum ſuum terminet Judicium, quid credendum, quid reſpuendum. Colloquium repræſentat particularem cœtum: Concilium Generale Univerſalem Eccleſiam, quæ errare non poteſt. In Colloquijs deciduntur res per electionem humanam, quia ſic placet Collocutoribus: in Concilijs per Revelationem Divinam factam Epiſcopis, Auctore revelante Spiritu Sancto, qui ſemper aſſiſtit Concilijs Generalibus. Undè ſi decideretur aliquid in Colloquio, non poſſet dici, quòd ſit revelatum à DEO, ſed quia ſic elegerunt Collocutores. Undè non eſſet propria Eccleſiæ Catholicæ illa Confesſio, & omnes quæcunq; factæ ſunt extra Concilium à privatis cœtibus; neq; eſt propriè hæreticus, qui diſsentit ejusmodi Confeſſionibus in privatis Colloquijs factis, ſicut incidit in hæreſim, qui disſentit ab aliqua determinatione Concilij Generalis ſub pœna Anathematis præcipientis.

Hæc autem cauſa fuit ſemper triſtis eventûs Colloquiorum, quia quod convenit Concilijs Generalibus, & Epiſcopis in illis congregatis, hoc ſibi uſurpabant Collocutores in Colloquijs, mutando Ordinem à DEO in Eccleſia relictum, decidere res Fidei in Concilijs Generalibus, non in Colloquijs privatis, quas DEUS revelat in Concilijs, non in Colloquijs, ut Vincent. Lirin. Prof. Novit. cap. 32. ait: *Quid unquam aliud Conciliorum Decretis eniſa eſt, niſi quod antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſteà diligentiùs crederetur. &c. Neq; quidquam prætereà hæreticorum novitatibus excitata Conciliorum ſuorum Decretis Catholica perfecit Eccleſia, niſi quod priùs à Majoribus ſolâ Traditione ſuſceperat, hoc deindè poſteris etiam per Scripturæ chirographum conſignaret.* Non dicit Lirinen. Decretis Colloquiorum, ſed Conciliorum Catholica perfecit Eccleſia. Undè S. Auguſtinus lib. 7. contra Donatiſtas ait: *Nobis tutum non eſt in ea progredi aliquâ temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Con-*

cilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt. Non dicit Sanctus, in Colloquio, sed in Concilio plenario terminata. Idem: *In Ecclesia Catholica saluberrima est Conciliorum auctoritas.* Non dicit Colloquiorum, sed Conciliorum auctoritas. Idem S. Augustinus lib. 2. contra Donatistas ait: *Quomodo enim potuit ista res altercationum nebulis involuta, ad plenarij Concilij luculentam illustrationem, confirmationem perduci, nisi primò diversis Orbis terrarum Regionibus, multis hinc atq; hinc Disputationibus & Collationibus Episcoporum pertractata constaret.* Ostendit ergo utilitatem Collationum S. Augustinus, quia illis præparantur animi ad libentiùs suscipiendas Conciliares Definitiones in Concilijs Generalibus, & ijsdem sternitur via ad cognoscendum sensum, & Magisterium Patrum, & ad investigandum consensum Ecclesiæ, si hæ Collationes maximè ante Concilium Generale fiant, cujus solius est determinare, quæ sunt de Fide, non autem privati Colloquij.

Ex his manifestè patet, quòd omnes Confessiones, quas Author Tubæ adducit pag. 26. & pag. 27. ut Augustanam, Saxonicam, Wittenbergicam, Argentor. Helveticam, Scoticam, non Divinam, sed solùm humanam habere fidem, non quod illis Spiritus S. revelavit in Concilijs Generalibus, sed quod Collocutoribus in Colloquijs placuit, ex quibus posteà memoratas formârunt Confessiones, quæ nisi humanâ fide nituntur. Sic enim Author Tubæ de prædictis Confessionibus pag. 58. num. 8. ait: *Libri Symbolici nostri particularis Ecclesiæ confessionem proponunt gradu inferiore, minorum Seculorum consensu approbatam.* Et pag. 59. ait: *Nam ubi sunt isti libri recepti? num apud Græcos? num apud Syrios? num apud Armenios? num apud Æthiopes? num apud Russos & Moschos? num apud Pontificios? num apud Calvinistas? Quòd si ergo omnia, quæ in istis libris continentur, ad conservandam Ecclesiam sunt necessaria, ut sinè illis Ecclesia consistere non possit, sequitur, quòd Ecclesia in toto Orbe terrarum interierit.* Quod hæresis est Novatianorum. Cùm ergo prædictæ Confessiones plura habeant contraria Ecclesiæ per Orbem terrarum diffusæ, immò plura habent, quæ Ecclesia Antiqua Romana Cathol. quingent. annorũ condemnavit, & pro hæreticis declaravit dogmatibus, ideò non sunt veræ Ecclesiæ Christi, cùm sint plures, & sibi in multis contrariæ prædictæ Confessiones, & se ad invicem condemnent. Et pag. 29. Author Tubæ ait: *Sanè maior debet esse certitudo fidei Catholicæ, quàm est ingenij scientia humani etiam doctissimi.*

Meisnerus.

simi.

simi. Deindè imbecillitas humana colligit sæpius aliquid ex alio, etiam cum errore. Non enim humano ingenio debet niti Fides Catholica, cùm sit certissima, neq; Confessionibus particularibus fallibilibus, sed fide divinâ, & in Concilijs Generalibus revelatis veritatibus. Undè Lutherus, Calvinus, & alij superiùs p. 32. & 33. enumerati, meritò dubitârunt, & timuerunt de sua fide, quia solùm purè humanam habebant, non per revelationem Divinam in Concilijs Generalibus, sed per electionem à privatis hominibus vel privatis cœtibus, quod & ipsi Dissidentes saltim de primis Concilijs Generalibus concedunt, cùm nobiscum antiquas hæreses pro hæresibus habent, quas Ecclesia antiqua non in Confessionibus privatis, sed in Concilijs Generalibus condemnavit.

Discursus Authoris Cap. XII.

Pag. 61. num. 10.

SI distinguerentur Quæstiones Fidei: quædam enim impingunt in fundamentum Fidei, quædam sunt revelatæ, & in Ecclesia definitæ, quædam non, quædam tamen versantur circa Ceremonias, & solos ritus Ecclesiæ, quædam de Fide sunt, quædam de Scientia Theologica, hæ potiùs acumen ingenij, quàm fidem requirunt, ideòque ad Scholas relegandæ, &c. quædam Fidei soli donanda, quædam autem ratiocinationibus, pro quibus deniq; acri modo pugnandum sit, rationibus tamen, non ferro atq; armis. Similia habet Augustinus lib. 1. de Baptismo cap. 18.

Discursus Theol.

Correspondens ad pag. 61 num. 10.

De Notitia Quæstionum, quæ intrant, quæ non intrant materiam Fidei, necessaria est ad decidendas difficultates in materia Fidei.

ET nos tanquam certum asserimus, non omnes Quæstiones in Ecclesia Catholica pertinere ad Fidem, sed multa sunt, quæ versantur circa Ceremonias & Ritus Ecclesiæ, multa de Scientia Theologica acumen ingenij exercent, & poliuntur ingenia, ad ostenden-

das fraudes hæreticorum, & detegenda illorum in Ecclesiam Catholicam mendacia, non autem Fidem requirunt, & de facto, sicut antiqua primitiva, ita & moderna, quia una & eadem est Ecclesia, eodemq; modo in his procedit. Quæ enim ad fundamentum Fidei pertinent, sicut in Concilijs Generalibus revelata, & ab Ecclesia determinata, sub anathemate ad credendum ab eadem Ecclesia proponuntur, ab his qui cum contumacia recedit, fit hæreticus illas non credens, cùm ex determinatione Ecclesiæ pertineant ad animatam Fidem. Quod ut magis intelligatur, sciendum, in Ecclesia Catholica semper fuisse, & nunc esse duplicem potestatem, aliam Definitionis, aliam Jurisdictionis: illa versatur circa res Fidei, definiendo illas ut revelatas; hæc verò circa Fideles, regendo & gubernando illos. Ex quo sequitur, quòd quando res quæ decernitur, ut revelata à DEO, & credenda proponitur, ut revelata Ecclesiæ sub anathemate, tunc erit materia Fidei, & discredentem facit hæreticum, ut Lirinens. adversùs Prof. Novit. cap. 32. ait: (vide pag. 9. Authoris) *Neq; quicquam præterea hæreticorum novitatibus excitata, Conciliorum suorum Decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi ut quod prius à Majoribus solâ Traditione susceperat, hoc indè posteris etiam per Scripturæ chirographum consignaret.* Quando verò non ut revelata decernitur, nec sub anathemate ab Ecclesia proponitur, tunc non erit materia Fidei, sed potiùs regiminis, ac bonæ gubernationis. Undè sequitur, quando Ecclesia ad evitanda multa mala, & promovenda multa bona, ad bonum regimen Fidelium pertinentia, definit aliquam probabilem opinionem, non definit eam, tanquam Divinitùs revelatam, nec illam ad materiã Fidei elevat, sed tantùm erit Canon correspondens gubernationi Ecclesiæ, pro bono utili Fidelium suorum, non ad materiam Fidei, sed morum pertinens: taliter ergo sunt aliqua revelata Ecclesiæ, quædam non revelata. Similiter etiam de ijs dicendum, quæ ad Theologicam Scientiam pertinent: Proinde si quis vult pro certo scire, an sit formalis hæreticus, debet videre Conciliorum Generalium Definitiones, quæ si tanquam revelatæ à DEO, proponuntur per Ecclesiam ad credendum, suntq; per Concilia elevatæ ad animatam Fidem, quas quisquis, vel aliquam ex his, cum pertinacia discredit, fit formalis hæreticus, non autem alias discredens, quæ non ut revelatæ decernuntur, sed ad bonum regimen Fidelium pertinent. Ex his patet, quòd non omnis censeri debet pro hæretico, qui licet aliquid aliter sentiat, quod non

est

est de Fide determinatum ab Ecclesia, quæ autem sunt determinata, subjicit judicium suum in his, quæ ut revelata à DEO in Concilijs Generalibus proponit Ecclesia ad credendum. Patet etiam, graviter errâsse illos, qui Ecclesiam coram minùs doctis calumniabantur, quòd minimam ceremoniam habeat pro Articulo Fidei, quasi hanc crassam sinistram imputationem non deberent advertere Viri sensati, qui perspectas habent sententias Catholicorum Doctorum & Theologorum, qui unanimiter docent, ut superiùs dictū est.

Hoc autem Discursu nostro nemini præcludimus viam, ad facienda Colloquia, maximè, si id placuerit Prælatis Ecclesiæ, & si legitime, & cùm debitis circumstantijs fiant. S. Augustinus sentit tum esse necessaria Colloquia, cùm aliquod sequatur Concilium, ut adversa pars per manifestam ostensionem veritatis, in Colloquijs magis ad recipienda Ecclesiæ dogmata disponatur. *Quomodo enim potuit* (ait S. Augustinus) *ista res, altercationum nebulis involuta, ad plenarij Concilij luculentam illustrationem confirmationemq; perduci, nisi primò diversis &c. Disputationibus & Collocutionibus Episcoporum pertractata constaret.* His enim medijs Collationum sternitur via ad investigandum sensum Ecclesiæ & SS. Patrum, qui sunt incorrupti testes & custodes dogmatis illius implicitè crediti, de quo controvertitur ex negatione alicujus hæresis, quæ per depravatam vel erasam ad suum errorem Scripturam illud negavit, ut S. Hieronymus in Epist. ad Titum ait, *ut quidquid contrarium dogmati suo vident, eradunt ex Scriptura*, ut v. g. neganda erant bona opera, ideò eradenda erant ex Epist. S. Petri hæc tria verba, *per bona opera*, nempè certam vestram vocationem faciatis. Ultimatè respondetur Authori ad finem hujus Discursûs. Non putamus id nocere veritatis amicis, cùm Filij Ecclesiæ utantur jure suo, ut Matris suæ vindicent honorem, ab horrendis calumnijs & mendacijs, quibus ab hostibus veritatis oppressa sit innocenter Ecclesia. Non putamus, inquam, quòd ideo nemo captivus ad Christum ducatur, quando veritas & innocentia Christi Ecclesiæ à falsis imputationibus vindicata, magis sancta & firma appareat, cùm ostensum fuerit, quòd his semper epulis ab omnibus hæreticis ab initio tractata fuerit. Non ergo hæc præcludunt viam salutis, imò mendacia & calumniæ, cùm à multis minùs doctis vera putantur, sunt obices, ne multi accedant ad veram Christi Ecclesiam, ex suis privatis cœtibus. Sic & ipsamet æterna Sapientia Christus JESUS, & Patris, & suum sæpiùs

lib. 2. contra Donat.



vindicabat honorem à Judæis calumniatoribus, ideò *& sepulchris*
Matth. 16 *dealbatis* comparabat illos, *& generationem pravam & adulteram*,
vocabat illos. Et Apostolus confundebat Judæos Actor. 9. Et S.
Stephanus Actor. 7. ad illos ait: *Durâ cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, &c. quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri, & occiderunt eos, qui prænunciabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuistis.* Quid post hæc subsecutum? Stridebant (inquit S. Scriptura) ad hæc dentibus hostes veritatis, sed veritas magis per hæc elucebat Filijs Ecclesiæ; Sic & in nostro casu, cùm ostenduntur sinistræ imputationes, calumniæ, innumera penè & crassa mendacia in Christi veram Ecclesiam, strident quidem dentibus hostes veritatis, sed amicis ejusdem veritatis aperitur via salutis, cùm agnitis calumnijs & mendacijs, quæ tanquam vera putabant, revertuntur velut seductæ columbæ ad Arcam Ecclesiæ, extra quam nulla salus, nulla gratia DEI, nullaq; vita æterna. Pertinacibus verò si nihil dicas, vel scribas, fiunt insolentiores, ut ex multis ipsorum patet editis libris, quomodo in unicam & veram Christi Ecclesiam, & calamos, & linguas suas *ut gladium acutum exacuerunt*, & tamen Spiritus S. Proverb. 26. sic illos monere jubet: *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Nonnè ille pro stulto reputari debet, qui falsitatem pro veritate prædicat, quâ sibi & multis loco salutis æternam causat damnationem. Non ergo his obstantibus, quòd Ecclesiæ Filij tot calumnijs & mendacijs provocati, defendant Matris suæ honorem, dabit DEUS multis pœnitentiam, ut agnitis fraudibus hæreticorum, revertantur ad gremium Matris suæ Ecclesiæ, ex cujus sinu per astutiam hæreticam exciderunt. Quia Christus
Joan. 10 ait, *ideò veni, ut abundantiùs habeant, & vitam æternam habeant*,
Ezech. 33 *nec vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.* Et Deuter.
11. legimus: *En propono in conspectu vestro hodiè benedictionem & maledictionem; benedictionem, si obedieritis mandatis Domini DEI vestri, quæ ego hodiè præcipio vobis: maledictionem, si non obedieritis.* Hinc S. Augustinus lib. de Spiritu & Litera cap. 34. ait: *Consentire vocationi DEI, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est.* Sed in his
ad Hebr. 11 omnibus *impossibile est sinè Fide placere DEO.*

Discur-

Discursus Authoris Cap. XII.
Pag. 61. Num. 12.

SI in sententijs examinandis sensum & intentionem Auctorum benè perspectam haberemus. Nonnunquam enim sunt sententiæ Doctorum erroneæ, si prout jacent considerentur, attamen non sunt de tanta importantia, ut unitatem, aut concordiam Ecclesiæ tollant. Id patet ex sententia Cypriani. Hic statuit rebaptizationem, sed non eo sensu, quo Donatistæ, Hæretici. Cyprianus putabat, apud hæreticos, qui non sunt viva Ecclesiæ membra, haud esse verum Baptismum, ideo rebaptizabat ab hæreticis baptizatos. Donatistæ autem ex hoc fundamento rebaptizabant, quia putabant, se solos esse Christianos, & veram Ecclesiam, & præter Donati partem esse nullam Ecclesiam Catholicam. Cypriani error (quem meritò Stephanus Pontifex Romanus corripuit) quamvis nunquam approbari poterit, tamen quia in unitate Ecclesiæ tenuit vinculum pacis, & amoris, condonatus est, nec ulli fuit exitialis.

Ideò optimè S. Augustinus ait: *Quòd ergo Vir ille sanctus de Baptismo aliter sentiens, quàm se res habet, quæ posteà pertractata, & diligentissimâ consideratione firmata est, in Catholica unitate permansit, & charitatis ubere compensatum est, & passionis falce purgatum est.* Sæpiùs accidit, ut homo aliàs pius & eruditus veram alicujus rei sententiam penetrare haud valeat, ideoq; pro captu sui ingenij aliter judicet de re, quàm reverâ se res habet. Si autem in unitate Ecclesiæ permanens, judicio Ecclesiæ suum submittit judicium, non video, quâ ratione nomen hæretici vel Schismatici obtinere possit. NB. *nam natura hæresis pertinacia est.*

Discursus Theol.
Correspondens ad Num. 12. Cap. XII. pag. 61.
In quo errores, qui contraveniunt veritati Fidei, referuntur.

MUltorum sensum malè intellectæ sententiæ in errorem induxerunt. Unde justè Author Tubæ requirit, ut examinentur Quæstiones & Sententiæ juxta consensum Universalis Ecclesiæ. Supponendum enim est de zelo salutis animarum Matris Ecclesiæ Catho-

Catholicæ, quòd illa omnes homines cupiat salvari, & sustinet plurimas sententias, quas sine sui læsione sustinere potest, & in multis tanquam pia Mater condescendit fragilitati humanæ, sed illas, quæ fundamentum Fidei destruunt, quæ sunt DEO injuriosæ, Sacramentis Ecclesiæ, & dogmatibus Fidei adversantur, nec ullo modo explicari, & sustineri possunt, nisi hæresim sapiant, tales anathematizat, quæ plurimæ ejusmodi inveniuntur, nos ex multis aliquas adducemus.

Prima potest hæc esse. v. g. Liberum arbitrium post Adæ peccatum est amissum & extinctum, & rem esse de solo titulo sine re, figmentum deniq; à Sathana in Ecclesiam invectum: hæc hæresis fuit Simonis Magi, Marcionis, Hermogenis, Manichæorum, Priscillianistarum, Wiclephi, & aliorum, à SS. Patribus jam pridem & sæpius damnata. Vide illorum Tractatus de libero arbitrio hominis, præcipuè S. Augustinum de Gratia & libero arbitrio.

Secunda potest esse. v. g. DEI esse Opus proprium, tam proditionem Judæ, quàm vocationem Pauli, non permissivè tantùm, sed propriè per se: hic error fuit etiam Simonis Magi, Manichæorũ, & aliorum, sæpius etiam à SS. Patribus damnatus.

Tertia potest esse. In Evangelio nihil præceptum esse præter
Ioan. 11 Fidem, contra multa loca S. Scripturæ. *Hoc est præceptum meum, ut*
Matth. 19 *diligatis invicem. Si vis vitam ingredi, serva mandata; si vis perfe-*
Ioan. 15 *ctus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Vos amici*
Matth. 5 *mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis. Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Hic error etiam fuit Simonis Magi, contra quem, teste S. Augustino, Apostoli S. Petrus, Jacobus, & Joannes, suas Epistolas direxerunt, ostendentes, mortuam Fidem esse sine bonis operibus.

Quarta potest esse. Nullum esse peccatum mortale præter infidelitatem; & hoc falsum patet ex multis locis S. Scripturæ, etiam in primo Parente Adamo, qui non per infidelitatem, sed præsumptionem ad excellentiam, & per inobedientiam originis peccatum in omnes induxit, neq; ullo modo hic error explicari potest, nam contrarium verissimum est, ut patet ex 1. Corint. 6. *Nolite errare, neq; fornicarij, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; ebriosi, &c. &c. Regnum DEI possidebunt.* Et quare hæc excludunt à Regno DEI, si sola infidelitas est peccatum mortale, ergo furta, latrocinia, rapinæ, & omnia genera scelerum licita

licita erunt. Fruſtrà & latrones, & fures puniuntur, ſi ſola infidelitas eſt peccatum mortale.

Quinta poteſt eſſe. Confirmationem non eſſe Sacramentum Novæ Legis; hic error fuit etiam Arianorum, Donatiſtarum, & aliorum.

Sexta poteſt eſſe. In Miſſa non offerri verum & proprium Deo Sacrificium; hujus erroris fuerunt primi authores Waldenſes, homines idiotæ, & penitùs Scripturæ ignari, ut inferiùs ex dicendis de illis patebit, nec antiqui hæretici audebant negare tam evidens ſemper in Eccleſia Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, ut inferiùs in Diſcurſu de Miſſæ Sacrificio demonſtrabimus. Quomodo ergo hi, & multi alij ſimiles errores excuſari poterunt & admitti, niſi cum præjudicio tam primitivæ, quam modernæ Eccleſiæ, veræq; & antiquæ Fidei.

Waldenſes verò Mundo apparuerunt circa An. 1170 ante illos nullus hæreticus auſus eſt negare Miſſa Sacrificium, ut rem notiſſimam in Univerſa Eccleſia, nec Arius, nec Neſtorius, nec ullus ex antiquis hæreticis, vide ſuprà pag. 172 teſtimoniū Lutheri de Miſſæ Sacrificio.

Optima Comparatio S. Cypriani ad Fideles, & Donatiſtarum ad hæreticos, quam facit Author Tubæ in hoc Diſcurſu. Nam Fideles, cùm non poſſint ſtatim apprehendere veritatem, ut in ſe eſt, & in oppoſitum aliquid credunt, inducti aliquâ apparente opinione, quæ ipſis vera videtur, cum hac tamen cautella, quòd ſi aliter Eccleſia determinet, parati ſemper illum relinquere errorem, nec volunt rumpere unitatem cum Univerſali Eccleſia, nec ſe extra illam conſtituere, ut patet in S. Cypriano. Hæretici verò, apprehenſo ſemel errore hæreſis, cum pertinacia defendunt illum, nec acquieſcunt determinationi Eccleſiæ in Concilijs Generalibus, conſtituunt ſe extra illam, ut patet in Donatiſtis, quia ipſi ex pertinacia falsò credebant, in ſuo cœtu particulari ſolùm apud ſe eſſe Eccleſiam, ipſi perſeveraverunt in ſuo errore cum pertinacia tanquam hæretici. S. Cyprianus verò ex infirmitate ad tempus diſcredebat, acquievit tamen definitioni Eccleſiæ ex Traditione Apoſtolica, hæreticos non eſſe rebaptizandos. Undè S. Auguſtinus lib. 1. in Julian. ait de S. Cypriano: *Quid enim potuit Vir ille ſanctus Africanis reſpondere Concilijs, niſi quod antiquitùs Apoſtolica Sedes & Romana cum cæteris tenet perſeveranter.* Et S. Hieron. Dialog. adversùs Lucif. ait: *Illi ipſi Epiſcopi, qui rebaptizandos cum Cypriano ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem revocati, novum emiſerunt Decretum, quid facimus? dicebant; ita & nobis Maiores noſtri, & illis ſui tradidere Maiores.*

Ex his patet, S. Stephanum ſolâ Traditione Apoſtolicâ, de non rebaptizandis hæreticis, ex tot Concilijs Africanis triumphâſſe, cùm illa omnia contrarium tenentia reprobaverit S. Stephanus Roman.

Pontifex, cùm enim hujus impliciti dogmatis, quia initium ignorabatur, ad Apostolicam Traditionem relata est consuetudo non rebaptizandi hæreticos, secundùm Regulam S. Augustini & Vincent. Lirinensis, ut in Discursu de Traditionibus ostendimus.

Quod autem dicit Author Tubæ, *Cypriani error condonatus est, quia nemini fuit exitiosus*, hæc est differentia inter filios Ecclesiæ & hæreticos, cùm aliquid aliter sentiant ante determinationem Ecclesiæ, quòd isti permaneant in vinculo unionis, parati semper sequi judicium illius, illi verò præcisi à vite, in insanabili parte permaneant erroris, non judicium Ecclesiæ, sed proprium suum sequuntur errorem. Quos optimè utrosq; S. Augustinus lib. 2. de Baptismo cap. 4. his verbis expressit: *Homines sumus, undè aliquid sapere, quàm se res habet, humana tentatio est*, en filios Ecclesiæ. *Nimis autem amando sententiam suam vel invidendo melioribus usq; ad præcidendæ Communionis, & condendi Schismatis vel hæresis Sacrilegium pervenire, Diabolica præsumptio est*, en hæreticam pertinaciam! quam clarè expressit idem S. Augustinus, qui lib. 1. cap. 2. ad illos sic ait: *Cur auctoritatem Cypriani pro vestro Schismate assumitis, & eius exemplum pro Ecclesiæ pace respuitis?*

Discursus Authoris Cap. XII.

Pag 62. Num. 13.

SI in Sententijs examinandis, sive firmandis, sive refutandis, S. Scriptura unica Regula ac norma fuerit, & arbiter à nobis statueretur, & apud quos inventa fuerint dogmata divinis sermonibus concordantia, his omnibus ad veritatis suffragium accederet. &c. Cùm autem Scriptura S in pluribus locis nobis obscura est, indagandus est verus sensus, quem nobis monstrat Catholica Ecclesia in NB. Concilijs Oecumenicis & SS. Patribus, plerumq; quinq; priorum Sæculorum, prout ex Vincent. Lirin. Cap. 9. Num. 4. & sequ. deductum est.

Discursus Theol.

In quo ex principijs Dissidentium manifestissima deducitur Catholica veritas, & ad trutinandum porrigitur Protestantibus.

Chri-

CHriſtianus Dreierus, & ut illum Author Tubæ pag. 44. Num. 3. vocat, Doctor & Summus Theologorum in Pruſſia, Oratione de Orthodoxia in Acad. Regiom. habita, & A. 1675. ibidemq; impreſſa, inter alia pag. ſub Litera A hæc habet: Antiquos Doctores exortis in Eccleſia certaminibus cum hæreticis, ſemper magnâ induſtriâ aliorum, maximè veterum opiniones perquiſiviſſe, iisq; ſuam ſententiam conformem oſtendiſſe, cùm contrà hæretici hoc probandi medium omnibus modis declinârint, & palàm rejecerint, ut potè qui nunquam ſuam ſententiam orthodoxam oſtendere poſſunt, quomodocunq; laborent, aut glorientur. Et pag. ſeq. ſub Litera B ait: Hæreticorũ enim proprium eſt, Patrũ auctoritatem contemnere, ſuáq; inventa illorum ſemper probatis opinionibus præferre, Scripta, inquiunt, Prophetarũ habemus & Apoſtolorũ, his probamus, noſtram ſententiam eſſe conformem, atq, ita eam evincimus orrhodoxam, ſed non obſervant, quòd maximè dubium ſit, an illorum ſententia conſentiat cum Prophetarum & Apoſtolorum Scriptis, hoc non dicendum ſolùm, ſed & genuinis, & huic rei convenientibus argumentis probandũ eſt. Ibidem ad Marg. adducit Synodum Epheſ. par. 2. Synodum 6. Synodum Nicænam 2. Actione 6. in quibus Patres Venerabiles, egregij Deiferi, divini, orthodoxi Patres, Action. 5. Inclyti Patres noſtri atq; Magiſtri dicuntur. De Arianis è contrà adducit ibid Epiſt. Alexand. ad Alexand. Conſtant. *Nullos ſecum ex antiquis comparari ſinunt, &c. ſolos ſe ſapientes iactant, ſolos dogmatum inventores ſibi ſolis ea eſſe patefacta,* illi verò, (ibidem ait) cùm ipſis ſordeant, Patrum Scripta & opiniones ſemper in Eccleſiâ aſſervatæ, non poſſunt probabile facere, quòd ſua ſententia ſit ſententia Prophetarum & Apoſtolorum. Ibidem adducit S. Baſilium M. lib. 1. adversùs Eunom. cui ſic Sanctus reſpondet; *Quid tu narras? non debemus plus Antiquitati! non reverebimur Chriſtianorum multitudinem?* De Neſtorianis adducit Vinc. Lirin. in Commonit. 2. cap. penult. *Invecti quoq; ſumus in Neſtorij ſceleratam præſumptionem, quòd Sacram Scripturam ſe primum & ſolum intelligere, & omnes ignoráſſe iactaret, &c. totam poſtremò etiam nunc errare, & ſemper erráſſe adſeveravit Eccleſiam, quæ ut ipſi videbatur, ignaros erroneosq; Doctores & ſecuta eſſet, & ſequeretur.* Ibidem idem Dreierus ait: Quare primùm & potiſſimùm ἔνδοξα in Eccleſia quærenda ſunt, attendendo, quam omnes, vel plures, vel maximè


" maximè præstantes Ecclesiæ Doctores habeant alicujus textûs du-
" bij interpretationem, hæc demùm nos certos faciet, & hæretico-
" rum privata judicia ex communibus illis medijs petita facile re-
" tundet. De Eutichianis adducit Concil. Chalced. Act. 1. De
" Iconoclastis idem constat ex Nicæna 11. Synodo Act. 1. Tom. 5.
" Concil. ubi in Confess. Basilij Anciræ Episc. sic legitur: *Hos qui*

" *spernunt Magisteria Sanctorum Patrum, & Traditionem Catholicæ Ec-*
" *clesiæ, prætendentes & assumentes voces Arij, Nestorij, Euticheti, &*
" *Dioscori, atq; perhibentes, quòd nisi de Veteri ac Novo Testamento*
" *evidenter fuerimus edocti, non sequemur doctrinam Sanctorum Pa-*
" *trum, neq; Sanctarum Oecumenicarum Synodorum, atq; Traditionem*
" *Catholicæ Ecclesiæ, anathema.* Hucusq; Dreierus.

Benevole Lector, quicunq; es, quamcunq; sive Lutheri, sive Calvini, sive aliorum fidem sectaris, jam puto intelligis quis hâc methodo prædictorum hæreticorum, Arij, Nestorij, &c. contra Ecclesiam Catholicam usus est, vide suprà pag. 212. circa finem, & pag. 213. & 214. quæ commendo trutinanda prudentiæ tuæ, quomodo lateat anguis in herba cum suo infernali toxico detectus, per hanc evidentissimam veritatem, quomodo habeat evidentissimam connexionem cum memoratis à Dreiero hæreticis, nolo ampliùs rem exaggerare, quia fraudes hæreticorum jam penetrâsti, nisi fraternè moneo, ut mihi testis DEUS est, pro bono animæ tuæ, non est securū sequi dogmata Lutheri, dogmata Calvini, & aliorum: iterum dico, non est securum, concredere illis animam tuam, cùm unicam habeas, & ampliùs non licebit emendare errorem. Fortè Clementissimus DEUS ideò aperuit os istius Viri Dreieri, vestri Doctoris & Summatis, in aperienda hac evidentissima vobis veritate, ut vos magis alliciat ad suscipiendam veram Fidem, cùm suspicamini aliquid de nobis Catholicis, quando nos sincerissimâ charitate invitamus ad gremium Matris nostræ, & quondam vestræ, ad mutuam Fidem, & capessendam Coronam æternam cum Apostolo, 2. ad Tim. 4. Et cum S. Augustino contra partem Donati dicimus: *Venite Fratres, si vultis, ut inseramini in vite. Dolor est, cùm vos videamus præcisos ita iacere, &c. Videte, ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.*

Vide suprà pag. 212. 213. 214 quomodo hoc exemplo Arij, Nestorij, Eutichetis, Dioscori, Lutherus & Calvinus usi sunt in reijciendis Concilijs & SS. Patribus.

CAPUT

CAPVT XIII.

Discursus Authoris

Pag. 64.

Non est credendum, controversias Romano-Catholicos inter & Protestantes adeò esse differentes, ut nullo modo componi queant.

Hæc omnia, aut si libuerint, ejusmodi plura, quæ partium consensu adinveniri poterunt, si benè observata fuerint, non dubitamus, quin ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ, inprimis Occidentales, reduci, filijq; sejuncti à Matre, in gremium Matris iterum reponi, sicq; controversiæ Fidei componi queant. Neq; putamus, omnes omninò controversias, quæ Romanos inter & Protestantes sunt, adeò esse differentes, ut nullâ ratione componi possint, posse potiùs plurimas bonâ distinctione (nam *qui benè distinguit, benè docet*) conciliari, aut tolli. Sunt plurimi Articuli Fidei, in quibus convenimus & cum Græcis, Romanis, & Calvinistis, ut satis doctè deduxit Christian. Dreierus. Plurimi sunt, in quibus dissentimus, ob homonymiam hujus vel illius vocabuli. Plurimi, ob non satis discussas rationes & intentiones assertorum, e. g. Articuli de Purgatorio, Eucharistia sub una specie, Indulgentijs, sunt ferè omnibus Protestantibus errores, at non errores Romano-Catholicis. Hîc maximè indagandum, quo animo hæc vel illa dicantur? quænam pars verum obtineat? quænam falsum? Deindè judicium de his rebus non stet de nostra, hujus vel illius privati hominis, nec etiam particularis cœtûs sententia, cùm hæc sententia, quam Protestantes erroneam judicant, sit sententia, tot, tantarumq; Ecclesiarum in Occidente, ubi tot pij, tot conscientiosi, tot salutis æternæ amantes, tot eruditi, ac magni Viri inveniuntur. Quapropter necesse est, discutiantur illæ. & similes sententiæ, errores demonstrentur, errantes convincantur, authoritate publicâ. Quælibet pars cedat veritati, errorem deponendo, &c. Accedamus jam propiùs ad amicam compositionem aliquarum Controversiarum, quæ pro bono pacis Ecclesiarum salvâ veritate fieri posset.

etiam Græcæ Orthodoxæ Ecclesiæ non sunt errores.

etiam in Oriente,

Discursus Theolog.

Correspondens ad Caput XIII. Authoris.

In quo ostenditur, inter Catholicos & Protestantes Controversias componi posse, si Protestantes non privatorum hominum, vel cœtuum particularium, sed Universalis Ecclesiæ, Probatorum Conciliorum, SS. Patrum sequantur sententias, sinistrasq; imputationes, quas Catholicis obijciunt, quòd veræ sint imputationes, benè perspectas habeant.

PRæsentis Operis Author multa proficua tam in antecedentibus, quàm sequentibus expressit Discursibus, quæ inservire possunt plurimis, ad ineundam pacem, & unionem cum Ecclesia Catholica Romana. Sed in hoc præcedenti Discursu suo aliquid singulare expressit, quod omnibus singulariter notandum, quicunq; ipsam veritatem assequi volunt. Ait enim in hoc præsenti Discursu pag. 64. *Plurimi sunt, in quibus dissentimus ob homonymiam huius vel illius vocabuli. Plurimi ob non satis discußas rationes & intentiones aßertorum, e. g. Articuli de Purgatorio, Eucharistia sub una specie, Indulgentijs, sunt ferè omnibus Protestantibus errores, at non errores Romano-Catholicis. Hic maximè indagandum, quo animo hæc vel illa dicantur? quænam pars verum? quænam falsum obtineat? Deindè iudicium de his rebus non stet de nostra, de huius vel illius privati hominis, nec etiam particularis cœtûs sententia, cùm hæc sententia, quam Protestantes erroneam iudicant, sit sententia, tot, tantarumq; Ecclesiarum in Occidente,* (nos addimus, & in Oriente, & per universum Christianum Orbem, testimonio ipsiusmet Authoris, qui pag. 46. ait: *Partim, quia ipsi Protestantes Principes ad illud,* nempè Concil. Tridentinum, *ceu ad Generale, liberum, & Christianum Concilium, in optima ac solennissima Juris forma provocàrunt, & appellàrunt, &c. Partim, quia à tot doctißimis, ex maiori Orbis Christiani parte collectis viris &c. omnes ferè controversiæ expensæ ac trutinatæ sunt. Partim, quia in eo Articuli complures, ut de Missæ Sacrificio, bonis Operibus, Invocatione Sanctorum, Cultu Imaginum, Oratione & Oblatione pro defunctis, &c. &c. quos tota Ecclesia, inter Græcos, Russos, Æthiopes, Indos, Syrios, Abyßinos, Armenios, Maronitas, Cophtos, &c. tenuit unanimiter tot Sæculis, exceptis solùm Protestantibus, approbati,*) *ubi tot pij, tot conscientiosi, tot salutis æternæ amantes, tot eruditi ac magni Viri inveniuntur.*

Hîc clarè ostendit Author, quòd prædictos Articulos ob homonymiam, & non ob satis discussas rationes Protestantes non admittunt, quos tota Ecclesia inter Græcos, Russos, &c. tenuit unanimiter tot Sæculis, exceptis solùm Protestantibus. Undè non sufficit, stare unius vel alterius Protestantis judicio, quomodo ille explicat hos Articulos ex sua opinione, & ad suum privatum trahit sensum, quem nec Ecclesia Catholica, nec ullus Catholicorum Doctorum intendit, ita ut non Catholica sententia sit, sed mera hujus vel illius Protestantis imputatio. Undè necesse est videre Catholicos Doctores, quomodo defendant prædictos Articulos à sinistris imputationibus, quibus omnibus benè perpensis, ait Author, posse admitti hos articulos à Protestantibus motivo pacis & unionis, cùm scilicet homonymia & sinistræ imputationes cessabunt, quia modo Catholico intellecti sunt vera tam primitivæ, quàm modernæ Ecclesiæ dogmata, ut superiùs ex ipso Authore patuit, cùm illos tota Ecclesia tot annis unanimiter tenuit. Undè Protestantes supponere debent, quòd in Ecclesia Catholica Romana tot Viri docti, tot ingenijs præstantes, tot pij & eruditi, tot conscientiosi, & salutis æternæ amantes inveniuntur, & quidquid boni, si tamen verè supponunt, inveniri in suis privatis cœtibus, id totum modo eminentiori in Ecclesia Universali inveniri debet, quam regit continuò Spiritus Sanctus, & Christus suis promissionibus sustentat illam: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Et quod dictum est de prædictis Articulis, idem de omnibus materijs controversis inter Catholicos & Protestantes dicendum. Undè benè Author Tubæ alio loco pag. 82. ait: *Non sufficit incusare Ecclesiam additamentorum, vel diminutionem fidei, sed & probare necesse est, & convincere.* Acsi diceret Author, non sufficit solos audire Protestantes, quòd illi ad suum sensum trahant hos articulos, & explicant contra mentem Ecclesiæ Universalis, & imputant illi, acsi illa taliter sentiret; sed necesse est videre proprium sensum Ecclesiæ, Sanctos Patres, & Catholicos Doctores, quid ipsi sentiant de his, & omnibus alijs articulis, & sic non additamenta Fidei, neq; abusus, sed Ecclesiæ Catholicæ dogmata apparebunt, sic ab initio semper credita, modò ab uno & altero Protestante, vel cœtu privato negata, quæ negatio ex sinistra intelligentia ad suum sensum detracta processit, ut inferiùs pro bono multorum demonstrabimus. Hoc tamen in fine Discursûs notandum, cùm Lutherus Dogmata Ecclesiæ vocaverit Abusus, moderni

Dissidentes emendârunt illum, cùm non Abusus, sed Articulos Fidei vocant; nam clarè vident, quòd SS. Patres ferè omnes passim testentur de illis, de qua re adhuc ignoravit Lutherus, cùm pro tunc nondum fuerit in SS. Patribus versatus, ex quibus cùm meliùs informatus fuerit, vide superiùs pag. 32. & 33. quantas angustias conscientiæ passus sit, dicens: *Quàm sæpè mihi cor palpitavit, meq; coarguit, atq; obiecit, tu solus sapiens, & quod Ecclesia Christiana tot annos credidit, tu impugnas, & tanquam falsum evertis.* Non dicit, *falsum*, sed, *tanquam falsum evertis.*

Discursus Theolog.

De sinistris imputationibus, quas Protestantes Catholicis imponunt.

EX occasione verborum Authoris Tubæ, in præcedenti Discursu dicentis: *Plurimi sunt Articuli, in quibus dissentimus ob non satis discussas rationes & intentiones assertorum, e. g. Articuli de Purgatorio, Eucharistia sub una specie, Indulgentijs, sunt ferè omnibus Protestantibus errores, at non errores Romano-Catholicis, hinc maximè indagandum, quo animo hæc & illa dicantur?* Et pag. 82. ait: *Non sufficit incusare Ecclesiam additamentorum vel diminutionum Fidei, sed probare necesse est, & convincere.* Unde, antequam ad compositionem Controversiarum inter Catholicos & Protestantes accedamus, necesse est videre aliquas sinistras imputationes, ultra illas, quas jam superiùs adduximus, quas Protestantes Catholicis imponunt, & incusant Ecclesiam additamentorum vel diminutionum Fidei, ut veritas magis elucescat, Controversiæq; Fidei faciliùs componi queant inter Ecclesiam Catholicam Romanam & Dissidentes.

Imputatur Catholicis, quòd Sacram Scripturam contemptui habeant, & in cœno sepeliant, & doctrinam Christianam pene integram deleant. Respondetur. Hæc tam aperta sinistra imputatio est, ut mirum sit, quomodo fingi potuerit: fuit tamen conficta, ut imperitos miseros homines (ut dicit S. Augustinus) & indoctam plebem seductam eo prætextu ab Ecclesia Catholica abhorrere facerent. Cùm toti Orbi notum sit, & omni veritatem amanti, quantâ reverentiâ apud Catholicos S. Scriptura habeatur, quàm frequens usus illius tam in doctrina Fidei, quàm Morum, ipsi Dissidentes palàm experiuntur, quando cum Catholicis disputant, quàm reverenter

renter loca Sacræ Scripturæ ab illis citata, ſenſu Univerſalis Eccleſiæ, Conciliorum Generalium, & Traditione Eccleſiaſticâ admittunt, & adverſarios confutant, cùm illi potiùs nudam S. Scripturam ſecundùm ſuum privatum ſenſum allegant, & ut illis placet, explicant, per quem abuſum Sacræ Scripturæ, penè infinitis inter ſe Schiſmatibus & hæreſibus occaſionem dederunt, & complетur de illis, quod S. Hieronymus Epiſt. 103. dixerit: *Sola Scripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant, &c. hanc garrula Anus, hanc delirus Senex, hanc Sophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt.* (a) Non ſinè causâ propoſita fuit quarta Conditio Concil. Trident. à Proteſtantibus, ut ex ſola Scriptura, non ex Canonibus & Traditionibus ferantur ſententiæ, nempè, ut cuiq; liceret S. Scripturam ad ſuum placitum interpretari, ne agnoſceretur genuinus ſenſus S. Scripturæ per Univerſalem Eccleſiam explicatæ, & dimiſsâ Traditione Eccleſiaſticâ, errores non apparerent coram indoctis. Undè rectè idem S. Hieron. in 1. ad Gal. *Interpretatione perversâ de Evangelio Chriſti, hominis fit Evangelium* Et S. Auguſtin. de Gene. lib. 1. ad litt. cap. 18. *Non pro ſententia Divinarum Scripturarum, ſed pro noſtra ita dimicamus, ut eam velimus Scripturam eſſe, quæ noſtra eſt.*

(a) *Hæc Authoribus Diſſidentibus convenit, nam paſſim omnibus S. Biblia legenda concedunt, quod à Luthero hauſerunt, qui libro de Capt. Babil. ait:* De Doctrina cognoſcere pertinet ad omnes & ſingulos Chriſtianos. *Catholica verò ſententia eſt, ad Concilia Generalia hæc pertinere, quibus aſſiſtit Spiritus S.*

Imputatur Catholicis, quaſi Traditiones vanas, humanas, & à Chriſto rejectas obſervent. Cùm Catholici falſas reijciant, & niſi legitimas, & ſanctas, & in ipſis Scripturis generaliter commendatas admittunt, quas Eccleſia primitiva pro legitimis habuit, & SS. Patres de illis teſtificantur, ſuntq; ex numero illarum, quas Proteſtantes aliquas pro legitimis agnoſcunt, ut ſuperiùs oſtenſum de Baptiſmo parvulorum, Symbolo Apoſtolorum, quatuor hæc, & non alia Evangelia, Epiſtolas S. Pauli, has & non alias, nec plures, nec pauciores, quæ in nullis Scripturis inveniuntur, de quibus S. Auguſtinus contra Creſcon. lib. 1. cap. 33. ait: *Quamvis certum de Scripturis non proferatur exemplum, tamen earundem Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm id facimus, quod univerſæ placet Eccleſiæ.* Et Epiſt. 86. ait: *In his quippè rebus nihil certi ſtatuit Scriptura Divina, mos populi DEI, vel inſtituta Maiorum pro lege tenenda ſunt.*

Imputatur Catholicis, quaſi non minori injuriâ S. Scripturam faciant inſufficientem in his, quæ ſunt neceſſaria ad credendum & agendum in ordine ad conſequendam beatitudinem, ideò ad Traditiones recurrunt. Sed contra eſt. Nam Catholici S. Scripturam ſufficientem in ſuo Ordine dicunt. Sufficienter enim inſtituit & perficit

perficit hominem, quia multa expresse continet, & quæ non continet, ostendit, unde sint petenda, nimirum ex Traditionibus, sicut præcipit Apostolus 2. Thessal. 2. *Tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam*, vel ab Ecclesia, per Concilia Generalia. Et si argumentum retorquere licet, ipsi etiam S. Scripturam insufficientem faciunt, dum extra Scripturam ad Traditiones recurrunt, dum admittunt Symbolum Apostolorum, Processionem Spiritûs Sancti, duas in Christo Naturas, quatuor, & non plura Evangelia; Celebrant nobiscum Festa Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, Festa Apostolorum, & aliorum Sanctorum, hæc nullibi habentur in Scripturis. Baptismum parvulorum, hanc Traditionem, licet inviti, suscipiunt, ad quam illos Anabaptistæ stringunt, nec satisfaciunt illis, nam cùm illis objiciunt Anabaptistæ, quis vos Judices Ecclesiæ constituit, ut hanc unam admittatis Traditionem, alias rejiciatis? si dicatis, quòd Ecclesia Catholica in pluribus Traditionibus suscipiendis erravit, ergo (dicunt illi) & in hac una erravit. Hoc argumento pressi Protestantes, ut probent, illis veram esse Apostolicam Traditionem Baptismum parvulorum, debent fateri vel inviti, quòd Ecclesia in nulla Traditione erravit, quam pro legitima suscipit, aliàs nunquam evadent argumentum Anabaptistarum. Deindè Protestantes, quòd etiam suscipiunt Quatuor Prima Concilia extra Scripturam, ergo faciunt illam insufficientem: qui verò non suscipiunt, non agnoscunt primitivam Ecclesiam pro vera, quam veram alibi agnoscunt. Generaliter verò ad omnia respondendum, per Traditiones & Decreta Ecclesiæ nihil addi Sacræ Scripturæ, cùm ipsa S. Scriptura remittat nos ad Traditiones & ad Ecclesiam, *qui* verò *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus*. Traditiones verò semper oppugnabant hæretici, & SS. Patres defendebant, ut in Discursu de Traditionibus inferiùs patebit.

Francofurti ad Mœnum non celebrant Lutherani Festa Apostolorũ, à contra in Regno Sueciæ celebrant eadem omnia. In Holsatia celebrant etiam Festum Omnium Sanctorum ultra Festa Apostolorum.

Imputatur Catholicis, quasi doceant prætermissâ DEI misericordiâ, Christoq; Mediatore, ejusq; Gratiâ & Merito spreto, bonis Operibus, ijsq; sinè Christo & Gratiâ factis, promereri hominem gratiam justificationis; Cùm tamen Catholici errorem hunc semper damnaverint, & damnent, & in Opere Justificationis, semper primas & integras partes deferant DEI Misericordiæ, & Christi Gratiæ, sinè quibus firmiter asserunt nullam esse justificationem.

Imputatur Catholicis, quasi doceant, Sacramenta principaliter per suam naturalem conditionem conferre Spiritum, sinè Fide & Fidu-

& Fiducia, exclusis Meritis Christi; Hæc sinistra imputatio, cùm ex nullo Catholico Authore probata sit, ideò est excogitata, ut eò magis animi deceptorum hominum à Religione Catholica avertantur, cùm toti Orbi notum sit, hanc semper in Ecclesia Catholica constantem fuisse doctrinam, principale operans esse Christum in Sacramentis, & totam virtutem & efficaciam Sacramentorum ex meritis Passionis Christi fundari, & sinè Fide in Christum nihil illa valere.

Imputatur Catholicis, quasi Laicis non absq; injuria subtrahant Calicem in Sacramento; huic imputationi satisfactum est in Discursu de utraq; specie, cùm Ecclesiæ semper liberum fuit, concedere vel negare, ob rationes convenientes, vel ob hæreses exurgentes. Hanc libertatem etiam Lutherus fassus est Epist. ad Bohemos, cùm dicat, *se illis iniustè dispensâsse utramq; speciem, eò quòd potestati illius non acquievissent.* Idem Lutherus Epist. ad Bohemos ait: *Christus in hac re nihil tanquam necessarium præcepit, præstaret pacem & unitatem, quam Christus ubiq; præcepit sectari, quàm de speciebus contendere.* Immo Catholici dicunt, quòd majorem injuriam faciant Calvinistæ suis, nam licèt illis sub utraq; specie porrigant, quia tamen ex utraq; specie veram & realem Christi præsentiam tollant, licèt illam aliquoties Calvinus agnovit, ut in Discursu de Eucharistia ostendimus, licèt ex defectu Ordinationis non consecrant, sed solum simplicem panem & simplex vinum & ipsi manducant, & populo porrigunt.

Imputatur Catholicis, quasi à Pœnitentibus plura exigant, quàm illi præstare possint in Confessione, circa enumerationem peccatorum, & Contritionem; Cùm Catholica Ecclesia moralem tantùm requirat diligentiam, reliqua verò peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eâdem Confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus cum Propheta dicendum: *Ab occultis meis munda me Domine.* Psal. 18 Si verò fuerint mortalia, & in mentem venerint, debent confiteri, vide Concil. Trident. de Sacram. Pœnitent.

Imputatur Catholicis, quòd Sacerdotes propriâ auctoritate absolvant; cùm contrarium ex forma Absolutionis patet, nam dicit Sacerdos: *Auctoritate Domini Nostri JESU Christi te absolvo.*

Imputatur Catholicis, quasi doceant, Pœnitentes suis satisfactionibus surgere absq; Christo; at omnes Catholici contrarium docent, & dicunt, nullam pœnitentiam & satisfactionem esse sinè Christo, & nihil aliud mereri nisi gehennam sinè Christo.

Impu-

Imputatur Catholicis, quasi Satisfactiones Canonicæ sint ad redimendas pœnas æternas; Cùm apud Catholicos Satisfactiones ad redimendas tantùm pœnas temporales ualeant, idq; ex virtute Passionis Christi, & illius Satisfactione doceant remitti.

Imputatur Catholicis, quasi Matrimonia legitima prohibeant, aut palàm vituperent; Cùm Catholici de Matrimonio sentiant cum Apostolo ad Hebr. 13. *Honorabile Connubium in omnibus, & thorum immaculatum*, & solemniter cum honore tanquam Sacramentum administrent. Illud verum est, quòd continentiam usui Matrimonij præferunt, non tanquam bonum malo, sed tanquam melius bono, cum eodem Apostolo 1. Corint. 7. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, &c. qui Matrimonio iungit virginem suam, benè facit, qui non iungit, meliùs facit.* Et S. Maximus in Nat. S. Agnetis: *Non vituperamus Coniugum casta commercia, sed Virginum perseverantiam adornamus: Non enim Virginitas malis rebus superponenda est, sed est optimis rebus præponenda.* Et S. Bernardus Tractatu de Passione Domini cap. 18. de lilio Castitatis ait: *Non enim cùm laudamus castitatem Joannis, vituperamus coniugium Abrahæ, nec commendando virginitatem Mariæ, viduitatem Annæ reprobamus; sed habent singuli merita sua, non parva, tamen dignitate distincta. Quis autem fructum tricesimum non laudat in coniugatis, sexagesimum in viduis, licèt his excellenter præferatur fructus centesimus virginitatis.* S. Hieron. lib. contra Jovin. ait: *Plus amat Virgines Christus, quia spontè tribuunt. quod sibi non fuerat imperatum, maiorisq; gratiæ est offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris.* S. August. Serm. 18. de Verb. Apost. *Ambiêrunt Virgines illam maiorem pulchritudinem cordis sui, tanquam dicerent: quid iubes? ne Adulteræ simus? hoc præcipis? amando Te plus facimus, quàm præcipis.* S. Chrysost. Homil. 8. de Pœnit. *Nequaquam Dominum incuses, haud mandat impossibilia, multi & ipsa superant mandata.* S. Gregor. lib. 15. Moral. cap. 5. *Electi nonnunquam student plus agere, quàm eis dignatus est Dominus iubere, &c. ut videlicet plus impendant obsequio, quàm acceperunt præcepto.* Undè hæc doctrina SS. Patrum convenit cum Apostolo Gentium 1. ad Cor. 7. *Qui Matrimonio iungit Virginem suam, benè facit, qui non iungit, meliùs facit.* Habeo ex certa relatione, quòd quondam nonnulli Ministri Regiom. (& fortè alibi) cùm alicui ex illis mortua fuerit uxor, aliam nō duxerūt, sed manserūt Vidui; ergo judicant aliquod inconveni-

Vixit An. 440

veniens ducendi alteram uxorem. Consequenter judicant, continentiam esse bonam, & Statui Spirituali consentaneam. Sed de his inferiùs fusiùs, cùm de Cœlibatu Sacerdotum tractabimus.

Imputatur Catholicis, quasi in Ecclesia Catholica vi cogantur ad Cœlibatum, Cùm nonnisi spontè ad hoc quilibet se obliget, vel ultrò talem Statum eligat, cui sit Cœlibatus annexus, quem cùm elegerit, non licet quod antè licuerat, *sed felix necessitas*, (ait S. Augustinus) *quæ ad meliora compellit*. Undè Concil. Carthaginen. II. Can. 2. ait de Cœlibatu: *Quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit Antiquitas, nos quoq; custodiamus.*

Celebratum An. 397 Nota. Allegat Concilium doctrinam Apostolorum de Cœlibatu Sacerdotum.

Imputatur Catholicis, quasi doceant, viribus naturæ posse liberum arbitrium obtinere justificationē, & alia bona supernaturalia; Cùm Ecclesia Catholica totis viribus impugnavit semper, & hucusque impugnat hæreticos hoc docentes, & nunquam agnoscit in libero arbitrio proximam potentiam & expeditam sinè auxilio supernaturali, ad aliquod bonum supernaturale. Vide alias imputationes sinistras plurimas, quas habent Articuli Smalcaldici & Confessio Augustana, quam inferiùs adducemus, vindicando veritatem Catholicam, ut clarè cognoscat Lector, si hæc contra Ecclesiam fingere licebat.

Refert Historiam Joannes Barclajus, se præsente à Rege Angliæ interrogatum ex suis Episcopis aliquem, *quid Catholici de Fornicatione sentirent?* ille sinè cunctatione respondit: *Inter Catholicos Scriptores esse, qui Fornicationem in venialibus numerant.* Commotus tam splendido mendacio Barclajus respondet: *Non visum inter Catholicos probatum Authorem, qui tam nefandum præberet Patrocinium Veneri.* Dum hæc res inter plures disceptatur, subintrat non levis famæ Episcopus Sectarius Conclave Regium, ad quem Rex: *Hic disputatur, an Catholici doceant Fornicationem inter venialia, an mortalia peccata?* Ille confestim acsi de re notissima respondit: *Venialem culpam omninò, Rex Serenissime existimant.* En quales hi sunt Seniores populi, qui Ecclesiam Romanam, ut innocentem Susannam, suis convitijs opprimunt, hi sunt idonei Judices Controversiarum Fidei, hæc Oracula fallere, & in tam manifesta re tam splendidè mentiri. Hæc Barclajus testis de auditu hujus imputationis sinistræ.

crassa ignorantia in re gravi.

Lutherus objicit lib. de Captiv. Babil. de Euchar. ter aut quater repetit, S. Thomam authorem esse illius sententiæ, quam Ca-

tholica tenet Ecclesia ab initio, quòd in Sacramento Altaris non fit Substantia Panis & Vini, sed solum accidentia. Sed nos hæc refutamus ipsius verbis Lutheri, qui Epist. ad Anabapt. Tom. 1. Jen. p. 320. quem etiam citat Author Tubæ pag. 22. sic ait: *Fatemur in Papatu veram Scripturam, verum Baptismum, verum Sacramentum Altaris.* Sed sicut ab initio, sic & hoc tempore, dum Lutherus fassus sit verum Sacramentum Altaris in Papatu, credebatur Transubstantiatio, Ergo Lutherus agnovit Transubstantiationem, dum agnovit verum Sacramentum Altaris in Papatu. Inferiùs plura testimonia illius adducemus pro reali præsentia Christi in Eucharistia. Author Tubæ pag. 74. de Transubstantiatione sic ait: *In hac Quæstione conveniunt cum Romanis plurimi nostri Theologi cordatiores ac modestiores, qui Catholicam prioris ævi Antiquitatem amant, dissentiunt nonnulli Evangelici, & (prætensi) Reformati plerique, qui tamen si condescenderent in illam puritatem, quæ fuit in Ecclesia Veteri prioribus* ☞ *Sæculis, utiq; absq; dubio concederent hanc Transubstantiationem & præsentiam Christi, non quidem ordinariam, materialem, & communem, verùm extraordinariam, Sacramentalem, & supernaturalem, vi verbo-* ☞ *rum Christi, præsertim, quia in tota Catholica Ecclesia semper & ubiq; ita creditam. Vix quidquam clarius & S. Scriptura, & SS. Patres loquuntur.* Hucusq; Author. Et nos Centuriatores adduximus inferiùs, qui plures SS. Patres citant pro Transubstantiatione, quomodo ergo Lutherus ausus sit affirmare, quòd hujus sententiæ sit Author S. Thomas. Idem Lutherus in Postilla ad Evangelium Dominicæ Annunciationis ait: *Papistæ Virginem MARIAM DEUM constituunt,* & tamen nullum produxit Catholicum Authorem, quòd hæc dixerit. Et quid mali est, quòd veneremur debito honore Matrem DEI, quòd salutemus illam Angelicâ Salutatione: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus,* quòd dicamus cum Sancta illa: *Benedictus fructus ventris tui, Beata es, quæ credidisti.* Nonnè illa prædixit de se: *Beatam me dicent omnes generationes.* Nonnè & Lutherus fassus est hanc dignitatem debitam S. MARIÆ, dum in Comment. super Magnificat ait: *Eo ipso quòd MARIA Mater DEI facta est, tam ingentia dona ei data sunt, ut superent captum cujusque, hinc omnis beatitudo & honos provenit, ut in universo genere humano unica persona sit superior cunctis, cui nemo sit par, quæ cum Patre cœlesti Filium habet communem.* Idem Lutherus in 1. Petri ait: *Pares sumus in honore & sanctitate D. Petro, D. Paulo, Deiparæ Virgini,*

Ex his duabus Contradictorijs debet una esse falsa, & tamen utraq; Lutheri est. Conciliet hæc, si potest, Lector, & tamen idem Lutherus libro contra Emserum ait: *Si semel deprehenderer, ita mentitus, falsus, & errâsse stolidus, iam tota mea doctrina, & honor, & fides, & fidelitas finem penitùs haberent, unusquisq; me pro nequam, & infami nebulone, ut æquum est, habiturus esset*; his non obstantibus, in quibus Lutherus tam varius fuit. Vide Discursum de Intercessione Sanctorum, quomodo miris modis SS. Patres S. MARIAM summis laudibus extollunt. Per hoc tamen non faciunt DEUM MARIAM, dum patrocinium postulant à S. MARIA, & commendant se Orationibus illius, sicut etiam faciebat S. Paulus, sæpiùs recommendando se Orationibus multorum, ut 2. Corint. 1. & ad Colos. 4. Non puto, quòd dicant Lutherani, Apostolum fecisse injuriam Christo, dum aliorum commendabat se Orationibus. Cùm & Erasmus Roterod. in Pæan. Mariano ait: *Certâ fiduciâ tuis Virgo pronus advolvor pedibus, quibus etiam cœlestes ipsis se substernunt.* Oecolampadius etiam: *Nunquam de me audietur, quasi averser MARIAM, erga quam minùs benè affici reprobatæ mentis certum existimem indicium esse.*

Vide suprà pag. 227

Calvinus lib. 3. Instit. cap. 20. §. 21. imputat hæc: *In omnibus* (ait) *Hymnis & Litanijs Papistarum nullam mentionem Christi fieri, & cùm orant Sanctos, nunquam in precibus Christum occurrere nobis.* Sed contrarium habetur in Litanijs, nam ab ipsius DEI invocatione incipiunt omnes Litaniæ. Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater de cœlis DEUS, miserere nobis. Fili Redemptor Mundi DEUS, miserere nobis. Spiritus Sancte DEUS, miserere nobis. Sancta Trinitas unus DEUS, miserere nobis. Idem habetur in Hymnis, qui vult scire hanc sinistram imputationem Calvini, revolvat totum Breviarium, cùm Hymni sint vel S. Ambrosij, vel Gregorij, vel Prudentij, antiquissimorum Auctorum, & omnes diriguntur ad DEUM, & terminantur, vel *DEO Patri sit gloria*, vel *Præsta Pater pijssime*, vel *JESU tibi sit gloria*, omnes verò Orationes Ecclesiæ, *Per Dominum nostrum JESUM Christum*, vel *Qui vivis & regnas*, ut mirum sit dicere, quomodo hæc Calvinus ausus sit objicere. Idem lib. 3. cap. 20. §. 22. objicit, nos invocare Sanctos plare. ut Deos, & habere Deos plurimos, jam superiùs patuit, & inferiùs patebit, quàm hoc sit verum. Sed non nova hæc Objectio Calvini, nam antiqui hostes Ecclesiæ objiciebant Catholicis, Sanctos

pro Dijs colere, ut patet ex S. Cyrillo lib. 5. in Julianum, & lib. 10. ex Euseb. lib. 4. Histor. cap. 15. ex Augustino lib. 22. contra Faustum cap. 4. ex Hieronymo contra Vigilant. Ibidem dicit, *nos rogare Virginem, ut Filium jubeat facere, quod petimus.* At quis hoc unquam dixit? quare nullum produxit? quia ille hoc excogitavit, & contrarium ex S. Augustino patuit: *Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto, &c.* immo constans est doctrina Ecclesiæ, sicut omnes Sanctos, ita & S. MARIAM, sine gratia Christi nihil valere cum suis meritis & intercessionibus apud DEUM. Hæc est unica origo & fons omnium gratiarum, quæ DEUS confert Sanctis suis, tanquam gratuitum donum, ut Christus dicit Joann. 15. *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi.* Et ipsa Sanctissima ait: *Beatam me dicent omnes generationes,* & reddit causam, *quia respexit humilitatem Ancillæ suæ, & fecit mihi magna, qui potens est.* Idem objicit, quòd in Concilio III. Carthag. vetitum sit, ne in publicis precibus diceretur, *S. Petre ora pro nobis.* Sed hoc decretum non invenitur in Concilio, nisi quia in suo codice id Calvinus addidit. Nec legit fortasse Concilium Ephesinum Generale III. & Chalcedonense Generale IV. in quibus reperisset apertam invocationem Sanctorum, quæ Concilia dicunt se venerari. Undè non intelligens, quòd majorem honorem facimus Christo, cùm non soli, sed cum Sanctis accedimus ad Christum. Undè S. Bernardus, quem Calvinus pro Sancto agnovit, Sermone de B. V. MARIA, qui incipit, *Signum magnum,* ait: *Opus est mediatore ad mediatorem istum, nec aliter nobis utilior, quàm MARIA.* Nec Apostolus faciebat injuriam Christo, cùm diceret 1. Corint. 3. *DEI enim sumus adjutores.* Si verò rudiores homines fortè aliqui committunt aliquos defectus in intercessione Sanctorum, per hoc Universalis Ecclesia non est vituperanda, quæ nihil tale approbat, immo prohibet, & tollit.

Calvinus in Epist. ad Sadoletum ait: *Statue tibi ob oculos veterem illam Ecclesiæ faciem, qualem Chrysostomi & Basilij ætate apud Græcos, Cypriani, Ambrosii, Augustini Sæculo apud Latinos extitisse, ipsorum monumenta fidem faciunt.* Et quare Calvinus reijcit omnia, quæ hi SS. Patres observârunt, ut intercessionem Sanctorum, Orationes pro Defunctis, Missæ Sacrificium, &c. Sed sic dicendum erat, ne incauti adverterent, se separatos ab Ecclesia, nominetenùs amplectebatur veterem Ecclesiam, re ipsâ rejecit, cùm SS. Patres toties errare dixerit. Idem lib. 4. cap. 1. §. 4. ait: *Verum nunc, quia de*

Visibili

Viſibili Eccleſia diſſerere proprium eſt, diſcamus vel uno Matris eloquio, quam utilis nobis ſit ejus cognitio, immo neceſſaria, quando non alius eſt in vitam ingreſſus, niſi nos ipſa concipiat in utero, niſi pariat, niſi alat ſuis uberibus, & gubernatione ſuâ nos tueatur. Et quomodo Calvinum Eccleſia concepit in utero? quando aluit ſuis uberibus? ſi poſt quingentos annos vel ſexcentos nulla fuit ſecundùm Calviſinum; quomodo eam cognovit? ſi evanuit, ſi erat inviſibilis; ait enim lib. 4. Inſtit. cap. 1. §. 7. *Nobis inviſibilem, ſolius DEI oculis conſpicuam credere Eccleſiam neceſſe eſt,* at SS. Patres ferè omnes viſibilem oſtendunt, etiam illi, quos pro veteri Eccleſia citavit, ſcilicet Chryſoſtomus, Baſilius, Auguſtinus, Ambroſius. Idem Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 14. Sect. 4. ait: *Baptiſma non poteſt adminiſtrari, niſi à vera Eccleſia;* quomodo ergo eſt baptizatus? ſi Eccleſia non fuit ſecundùm illum poſt ſexcentos annos; quis illi Baptiſmum tribuit? cùm ſecundùm Calvinum non poteſt adminiſtrari Baptiſmus, niſi à vera Eccleſia, ille verò mundo apparuit propè mille annis poſt ſexcentos annos, quibus dicit perijſſe Eccleſiam, ſcilicet apparuit poſt Annum 1517. Videat ergo Calvinus, in quid incidat, tenens perijſſe Eccleſiam: & licèt tempore S. Stephani determinatum ſit in Concilio, quòd Baptiſmus hæreticorum valeat, ſi baptizent ad intentionem Eccleſiæ, cùm Eccleſiam perijſſe dixerit, oſtendit, ſe ex ſua ſententia non baptizatum. Lutherus libro de ſervo arbitrio ait, *omnes primorum Sæculorum Patres cæcutiſſe.* Et in Colloquijs cap. 2. de Patribus: *Tertull. & Cypriani tempore degeneravit Eccleſia,* immo tempore Apoſtolorum, ut ſuperiùs oſtenſum eſt, dum diceret, *Petrus extra Verbum DEI docebat.* Et tamen idem Lutherus Epiſt. ad Anabaptiſtas Tom. 1. Jen. pag. 320. ait: *Nos fatemur, ſub Papatu multum, immo omne bonum Chriſtianum eſſe, & indè ad nos deveniſſe. Fatemur, eſſe in Papatu veram Scripturam, verum Baptiſmū, verum Sacramentum Altaris, veras claves in remiſſionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechiſmū.* (a) Et quomodo hæc omnia vera ſunt apud Lutheranos vel Calviniſtas, ſi vera ſunt in Papatu, cùm Papatus Lutheranis & Calviniſtis opponatur contradictoriè in his, quæ vera dicit eſſe in Papatu Lutherus; quòd hæc pervenerint ad Lutherum, difficile hoc probare Luthero, nam nec Zwinglius, nec Calvinus hoc illi concedunt, ſed etiam ad ſe deveniſſe eodem ſermone probant, ſicut & Lutherus, & multi alij, hoc ipſum ſibi vendicant, & Anabaptiſtæ. Et ſi omne bonum devenit ad

Sed tunc alia non erat niſi Romana, quā Lutherus agnovit, uti videre eſt circa finem hujus pag.

Vide ſuprà pag. 133 & ſequ.

Mirum eſt, quòd Calvinus neſcierit, apud hæreticos validum eſſe Baptiſmum.

(a) immo ipſum nucleum Chriſtianitatis.

ad Lutherum, quare ipsi *sæpiùs cor palpitabat, illumq; coarguit, atq; obiecit, quid si tu erres, ac tot in errorem seduceres perpetuo supplicio condemnandos*, quare *pergraves illi cogitationes istæ fuerunt, quod Christiana Ecclesia decrevit, totq; annos credidit, tu impugnas, & tanquam falsum evertis*, non dicit, *falsum*, sed, *tanquam falsum*; quare dixerit: *Istas cogitationes ex animo nunquam dimitto, quin optem hanc meam causam nunquam incepisse.*

Imputatur Catholicis, quasi Ecclesiæ & Pontifici Romano potestatem tribuant, nova dogmata, sive articulos Fidei, sinè verbo DEI, immo contra verbum DEI, pro arbitrio condere; Cùm tamen fortiter negent Catholici, ullam potestatem esse in Ecclesia novos articulos condendi, sed asserunt, esse potestatem declarandi dogmata, sive articulos Fidei, cùm illos implicitos aliqua hæresis negat, qui in se quidem semper & immediatè, licèt aliquando non quo ad nos sunt dogmata Fidei, fiant etiam quo ad nos, & pro talibus agnoscantur, dum se in illis Ecclesia contra aliquam hæresim explicat, & sub anathemate credenda proponit. Et quamvis adversa pars in hoc Catholicos accuset, tamen cum illis aliquos articulos sic declaratos tenet, qui anteà impliciti fuerunt; tenet enim, Circumcisionem in Nova Lege non esse necessariam; tenet Processionem Spiritûs S. à Patre & Filio; tenet duas Naturas in Christo; tenet Baptismum hæreticorum esse validum, si ad intentionem Ecclesiæ baptizent; tenet S. MARIAM Matrem DEI, & multa alia. Hæc omnia impliciti articuli semper fuerunt in se, sed non quo ad nos, modò verò sunt etiam quo ad nos, cùm se Ecclesia explicaret contra hæreses, negantes illos.

Wittakerus Cent. 2. qu. 3. cap. 1. ait: *Nobis tribuunt adversarij, quasi nos diceremus, Ecclesiam Catholicam deficere posse, quod tamen est falsissimum; proferant enim illi, si possunt, locum unum ex Luthero, Melanchtone, Calvino, vel ex alijs nostris Scriptoribus, in quo hanc sententiam tueantur, sed non possunt. Quis enim tam demens esset, ut hoc diceret, &c. quod Scripturæ apertissimè docent, Regni Christi non futurum finem, nec unquam quisquam nostrûm aliter scripsit, aut docuit.* Respondetur. Jam satis ostendimus, Lutherum & Calvinum sensisse, quòd Ecclesia Catholica perierit. Sed adhuc ex Calvino ostendamus Wittakero, quòd Calvinus senserit, Ecclesiam Catholicam perijsse, cùm potentior factus sit. Ait enim lib. 4. Instit. cap. 7. §. 23. *Sint vera illa omnia, &c. Petrum voce Christi institutum fuisse universæ*

versæ Ecclesiæ Caput, ac Rom. Pontifici summam potestatem fuisse semper ab omnibus debitam, ipsumq; fuisse omnium, & Causarum Judicem, nullius judicio subiectum fuisse. Inferiùs ait: *Fuit sanè olim Roma omnium Ecclesiarum Mater.* Satis clarum habet testimonium à Calvino Ecclesia Romana, quòd voce Christi constitutus fuerit Petrus Caput visibile, quòd Ecclesia fuerit Mater omnium Ecclesiarum: sed dum addit, *olim fuit*, supponit illam perijsse. Sed videat suprà pag. 138. & seq. quid SS. Patres dicant de duratione Ecclesiæ. Unde S. Augustinus in Psal. 47. *Non insultent Hæretici per partes concisi, non se extollant, qui dicunt, ecce hîc est Christus, ecce illic; qui dicit, ecce illic, ad partes inducit. Unitatem promisit DEUS, Reges in unum collecti sunt, non per Schismata dissipati. Sed fortè ista Civitas, quæ mundum tenuit, aliquando evertetur. Absit! DEUS eam fundavit in æternum. Si ergo DEUS fundavit in æternum, quid times? ne cadat firmamentum.* Sed tempore S. Augustini, etiam fatentibus Luthero & Calvino, tenuit mundum Ecclesia Catholica Romana, Ergo cadere nec potest, nec potuit.

quæ non alia fuit nisi Romana. ipsis etiam fatentibus Dissidentibus. quã duraturam SS. Patres affirmãrunt, qui de Lutherana & Calvini pro tunc nec somniabãt quidem.

Ipsi quoq; Lutherani & Calvinistæ conquæruntur, quòd Catholici Doctores multa imputent Luthero, Calvino, Melanchtoni, Chemnicio, & alijs Dissidentibus; Cùm Catholici Doctores & Controversistæ non tam imputant, quàm claris & patentibus Lutheri, Calvini, Melanchtonis, & aliorum Protestantium utuntur contra illos testimonijs, ex authenticis Libris eorum, quæ nullo modo negari possunt. Sed de his inferiùs, expeditis primò controversis in materia Fidei materijs.



CA-

CAPVT XIV.

Discursus Authoris

Pag. 65.

Amica Compositio aliquarum præcipuarum Controversiarum.

CUm pace Superiorum ac doctiorum, quibus nullo modo præjudicare volumus, de quo solennissimè protestamur, & libertate Christianâ, solùm pacis, unitatis, & concordiæ gratiâ, pro DEI gloria, & animarum salute, proponamus amicas nonnullorum Fidei Articulorum controversorum Compositiones, non ut ex abundantia sensûs asseramus, aut propriâ auctoritate definiamus, multò minùs, ☞ ut veritatem cum falsitate confundamus, au Novitatem Religionis inducamus, neq; ut laqueum conscientijs inijciamus, (absint hæc à nobis!) sed ut doctioribus ansam demus ulteriùs inquirendi, & ad amicabilem Controversiarum Compositionem accuratiorem promovendi, quo ita ad unitatem Ecclesiæ ac pacem cum bono DEO, pacis Authore, perveniamus.

Controversiæ sunt inter Romanos & Protestantes, an S. Scriptura sit clara & perspicua?

An non posset utraq; componi amicè hoc modo:

1. Tim. 6 S. Scriptura est clara & perspicua ex se, qua à DEO, in quo nihil
Iacob. 1 obscuri, inspirata est. Non clara in omnibus, ratione nostri, quia
1. Ioan. 1 sensum illius in omnibus mysterijs assequi non valemus. Non clara
Psal. 118 illi, qui eam proprijs viribus, proprijs sensibus, soli literæ inhærens
Luc. 18 tractat.
Ioan. 13

Discursus Theolog.

Respond. ad Cap. XIV. Auth. de Verbo DEI scripto.

Sacra Scriptura in multis locis est obscura, & difficilis intellectu.

HÆc Conclusio affirmativa est Catholica, & satis per se nota est, ut inferiùs patebit.

In Sacra Scriptura duo sunt præcipuè notanda, Littera & Sensus,

sus, de quibus Apostolus 2. Corinth. 3. *Littera occidit, Spiritus autem vivificat.* In quæ verba sic scribit S. Augustinus Serm. 70. de Temp. *Non hoc tantùm attendere debemus, quod ex litera cognoscimus, sed remoto velamine litteræ, vivificantem Spiritum fideliter requiramus. Sic enim dicit Apostolus: Littera occidit, Spiritus autem vivificat. Deniq; infideles Judæi, & plus infelices hæretici, qui dum solùm litteræ aspiciunt sonum, quasi corpus sinè anima, ita sinè vivificante Spiritu mortui remanserunt.*

Quo ad litteram, hoc primò accidit Judæis, qui omnia, quæ in Moyse & Prophetis erant prædicta de Christo, secundùm externam litteram intelligebant, & sensũ interiùs latentem non percipiebant, quod expressit Apostolus 2. Corint. 3. *Usq; in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum*, id est, non agnoscunt Christum, qui in Moyse sub externis Ceremonijs ac Sacrificijs, tanquam sub velamine occultus est. Quod etiam objicit illis Christus Joan. 5. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.*

Nec solos Judæos occidit litera, sed & Hæreticos. Nam multi in suis erroribus ideò periêrunt, quòd relicto vero Ecclesiæ sensu, Sacram Scripturam secundùm externam litteram fuerunt amplexati. Sic Ariani dicebant, Christum esse inferiorem DEO Patre, quia relicto Ecclesiæ sensu, secundùm litteram illa verba Christi explicabant, *Pater maior me est.* At Ecclesiæ sensus est, Christum secundùm humanitatem esse minorem, secundùm Divinitatem esse æqualem. Priori modo intelligendum esse illud: *Pater maior me est*; Secundo modo intelligendum: *Ego & Pater unum sumus.* Vide Athanasium, Hilarium, Augustinum. Fuerunt & alij hæretici, qui negabant Carnis resurrectionem ex illo Joan. 6. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam,* Ex quo loco secundùm litteram externam sic colligebant: Quorsùm caro esset resurrectura, si nihil prodest. Vide Tertullianum lib. de Resurr. Carnis cap. 37. Ex hoc loco ad litteram intellecto, recentes adversarij similem faciunt consequentiam: Quorsùm Christus daret nobis Carnem suam in Sacramento Eucharistiæ, si nihil prodest? Utriq; errârunt occidente litterâ, aliàs liceret etiam inferre: Si Caro non prodest quidquam, cur eam Christus assumpsit? cur *Verbum Caro factum est?* cur pro nobis Cruci affixa est? & alia inconvenientia formari possunt.

Ioan. 14

Scriptura etiam quo ad sensum est in multis locis obscura, & difficilis intellectu. Et hoc etiam est satis clarum.

Primò in Discipulis euntibus in Emaus, qui *non intelligebant Scripturas*, nisi Christus explanâsset, *tum primum aperti sunt oculi eorum*, Luc. 24. hoc ipsa Scriptura testatur. Actor. 8. Eunuchus Reginæ Æthiop. legens Isaiam Prophetam, testatur: *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi.* Matth. 13. *Edisere nobis Parabolam zizaniorum agri.* Et c. 16. *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis.* Et Luc. 18. *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis.* S. Petrus Apostolus de Epistolis S. Pauli sic loquitur Epist. 2. cap. 3. *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* S. Augustinus Serm. 18. super Joan. 5. *Neq; enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, nisi dum Scripturæ bonæ leguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, temerè & audacter asseritur.* Hoc idem affirmat Tertullianus, & ipsa loquitur experientia. Nonnè obscurissima est Prophetia Ezechielis de Visione quatuor Animaliũ; Prophetia Danielis de septuaginta Hebdom. & de abominatione desolationis, de qua Christus Matth. 24. *Qui legit, intelligat.* Tota S. Joannis Apocalypsis, nonnè plena reconditis mysterijs, de qua S. Hieronymus Epist. ad Paulinum ait, *Tot habere Sacramenta, quot verba.* Quid significat illud, quod in Genesi legimus: *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Quæ sit interpretatio Visionis Isaiæ Prophetæ de Seraphim & Trisagio? Cur Abraham fidei suæ signum in Circumcisione suscepit? Cur Isaac, Vir justus, & DEO charus, non illi cui voluit, sed cui noluit, benedixit? Quid sit panis doloris? quid filij excussorum? Psalm. 126. Quæ sunt illa, quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ DEUS præparavit ijs, qui diligunt eum.*

Sunt & alia sexcenta, quæ brevitatis causâ omittimus; ut sunt Mysteria de SS. Trinitate, de Incarnatione, de Prædestinatione, & Reprobatione, tam sunt profunda, ut Apostolus coactus sit excla-
ad Rom. 11 mare: *O Altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI! quam incomprehensibilia sunt Judicia eius, & investigabiles viæ eius!* Quid per aurum, argentum, fœnum, stipulam, intellexerit Apostolus? S. Augustinus lib. de Fide & Operibus cap. 15. dicit, hunc locum esse unũ ex illis, de quibus loquitur S. Petrus Epist. 2. Cap. 3. *In Epistolis Pauli*

quædam

quædam esse difficilia intellectu. Et Serm. 41. de Sanctis per ligna & fœnum intelligit peccata Venialia; at moderni adversarij explicant minùs principales Articulos per stipulam & fœnum, principales per aurum. Sed occurrit huic erroneæ explicationi S. Augustinus, dicens: *Quid prodest, quia credis & blasphemas. Adoras illum in capite, confitendo Christum, & fingendo Capitales & Substantiales Articulos, blasphemas in Corpore.* Ex his & alijs plurimis, quæ sunt difficilia intellectu, ortæ sunt semper Controversiæ inter Catholicos & Hæreticos, & fermè ab ipso tempore Apostolorum, oriuntur usq; ad nostra tempora, testis est experientia, quia hoc tempore penè infinitæ occurrunt. Aliquas ex ijs insinuabimus.

Primò. Quomodo intelligenda sunt verba Christi: *Hoc est Corpus meum.* Aliqui Lutherani sic intelligunt: Hic panis est Corpus meum. Calvinistæ sic: Hic panis significat Corpus meum. Alij aliter. Ab his omnibus dissentiunt Catholici, tenentes verè & realiter Corpus Christi sub speciebus panis. Author Tubæ affirmat, plurimos Lutheranos tenere cum Catholicis, de quibus sic loquitur pag. 74. *In hac Quæstione conveniunt cum Romana plurimi nostri Theologi cordatiores ac modestiores, qui Catholicam prioris ævi antiquitatem amant, dissentiunt nonnulli Evangelici & prætensi Reformati plerique,* (aliàs Calvinistæ,) *qui tamen, si condescenderent in illam puritatem, quæ fuit in Ecclesia Veteri prioribus Sæculis, utiq; absq; dubio concederent hanc transmutationem & præsentiam Christi, non quidem ordinariam, materialem, & communem, tamen veram extraordinariam, Sacramentalem, atq; supernaturalem, ex vi verborum Christi, præsertim, quia in tota Catholica Ecclesia semper & ubiq; ita creditam.* Et ad finem paginæ ait: *Vix quidquam clarius & S. Scriptura, & SS. Patres loquuntur,* hoc est, de Transubstantiatione. Et adducit Dreierum, Centuriatores Cent. 4. & 5. qui plurima testimonia SS. Patrum pro hac Transubstantiatione adducunt, Calvinistam Bezam contra Vestph. pag. 115. Zeidlerum in Colloq. Contr. Sec. 3. Th. 3. *Panis in Eucharistia fit propriè Corpus Christi, non per unionem, sed per mutationem.* Hic notandum breviter ex superiùs dictis Authoris Tubæ, quomodo vocat Calvinistas Reformatos, cùm illi non condescendũt in illam puritatem, quæ fuit in Ecclesia Veteri prioribus Sæculis, nec credunt hanc Transubstantiationem, quam tota Ecclesia Catholica semper & ubiq; ita credidit, teste eodem. Ergo illi reformârunt illud vetus *Est*, in novum nunquam auditum *Significat*, quando loco verbi

Vide suprà pag. 250

☞

ibidem adducit Author Tubæ.

verbi *Est*, quod Christus Dominus in Institutione Corporis sui posuit, mutârunt in verbum *Significat*, si licuit hoc, reclamante S. Scripturâ, reclamante sensu Catholico, SS Patribus, & totâ Antiquitate.

Matth. 19 Quo animo Christus dixerit, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Calvinus Ironicè dictum esse affirmat, Catholici seriò, quia
Ioann. 15 in alio loco legunt: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* Et illud: *Adiecit mandata & præcepta sua, si volueris mandata servare, conservabunt te.* Et Psalm. 118. *Tu mandâsti mandata tua custodiri nimis.* Ibidem non observantibus mandata minatur Deus: *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* Et in multis alijs locis præcipit DEUS observare mandata. Sed qui vult experiri, quòd Christus non Ironicè, sed seriò hæc dixerit, legat totum Caput 19. Matthæi, & finem illius, quæ sequuntur post hæc verba, *Si vis ad vitam ingredi*, mirabitur Calvini versionem alienam à Christi intentione, qui seriò, non Ironicè, pro bonis operibus promittit vitam æternam, cùm dicit: *Vos qui reliquistis omnia, &c. & omnis qui reliquerit domum, fratres, sorores, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Etiam ex SS. Patribus patet, Scripturam in multis locis obscu-
Psalm. 118 ram esse. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Revela ocu-*
Ibidem. *los meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me iustificationes tuas*, & tamen David noverat phrases linguæ Hebraicæ, de quo sic S. Hieron. ad Paulin. de Instit. Monach. *Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas parvulos &c. inscitiæ nocte circumdari.* S. Chrysost. Hom. 40. in Joan. in illud, *Scrutamini Scripturas: Christus* (inquit) *Judæos ad Scripturarum non simplicem & nudam lectionem, sed ad investigationem per quam diligentem relegavit. Non dixit, legite Scripturas, sed, scrutamini. Divina enim summâ indigent diligentiâ. In umbra enim maioribus illis non abs re locutus est, idcircò effodere profundiùs*
In Epist. 44 ad Constant. *iubet, ut quæ altè delitescunt, invenire possimus.* S. Ambrosius: *Mare est Scriptura Divina, habens in se sensus profundos, altitudinem*
In Epist. ad Algasiam q. 8. *Propheticorum ænigmatum.* S. Hieron. *Omnis Epistola ad Romanos nimijs obscuritatibus involuta est.* S. Augustinus lib. 2. doctrinæ Christianæ cap. 6. *Multis & multiplicibus obscuritatibus & ambiguitatibus*
Hom. 6 in Ezech. *decipiuntur, qui temerè legunt aliud pro alio sentientes.* S. Gregor. *Magnæ utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum DEI, quia exercet sensum, ut fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus.*

Adde,

Adde, quòd S. Scriptura sæpè contineat plures sensus, undèuni sensui attendens, & alterum non intelligens, omninò obscuritatem Scripturæ talis habere debet. Hoc Author Tubæ pag. 62. confirmat, dum ait: *Cùm autem Scriptura Sacra in pluribus locis nobis obscura, est indagandus verus sensus, quem nobis monstrat Catholica Ecclesia in Concilijs Oecumenicis & SS. Patribus.*

Confirmatur ex ipsis adversarijs, S. Scripturam in multis locis esse difficilem intellectu. Si S. Scriptura est facilis, ut ipsi dicunt, cur Lutherus & Calvinus, multiq; Lutherani & Calvinistæ, tot & tam diversas ediderunt Scripturæ Versiones? cur tam variè Scripturam explicârunt? Osiander in refutatione Scripti, quod Melanchton contra ipsum ediderat, testatur, viginti sententias diversissimas de Justificatione secundùm Scripturam versari inter solos Confessionistas. Dicit quidem Lutherus Præf. assert. Articulorum à Leone X. Pont. damnatorum: *Oportet Scripturâ Judice hanc sententiam ferre, &c. ut sit ipsa per se certissima, apertissima, sui ipsius interpres, omnium omnia probans, judicans, & illuminans.* Et lib. de servo arbitrio idem ait: *Nihil difficultatis esse in Sacris literis, & nullum locum sibi adferri posse, quem ipse non facilè interpretaretur.* Idem tamen dixit in Præfat. in Psalm. *Nullum ab ullo de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit Sanctissimorum & doctissimorum, id est, Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere & docere. Sat est, aliquos & eosdem ex parte intellexisse. Multa sibi reservavit Spiritus, quò nos semper discipulos habeat, multa solùm ostendit, ut alliciat, multa tradit, ut afficiat.* Et infrà: *Scio, esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum.* Brentius in Prolog. contra Petrum à Soto: *Nugantur Scripturam esse obscuram, ideòq; interpretatione indigere.* Sed reclamat Chemnicius in Exam. 4. Sess. Conc. Trid. *DEUS voluit, in Ecclesia extare donum interpretationis, quod sicut donum sanationum, miraculorum & linguarum, non est commune omnibus.* Et infrà: *Grati, & reverenter utimur Patrum laboribus, qui multa Scripturæ loca Commentarijs suis utiliter illustrârunt.* Reclamat iterum Lutherus lib. de Conci. pag. 12. *Ante viginti annos coactus sum contemnere Patrum Commentaria, cùm Sacra Scriptura legenda esset.* Centuriatores, qui rigidi vocantur Luther. tamen contrarium Luthero Cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 52. ajunt: *Senserunt Apostoli, Scripturas non posse intelligi sinè Spiritu Sancto & Interprete.* Nota Lector, *& Interprete.* Gardius apud

Antilogia Lutheri.



 apud

apud Becanum in Apolog. pro Judice Controv. fol. 25. *DEUM passim in Scripturis quædam intellectui nostro difficilia & obscura proponere voluisse.* Tandem Lutherus in librum 1. contra Zwinglium & Oecolampadium fassus veritatem his verbis: *Si diutiùs steterit mundus, iterum fore necessarium, propter diversas Scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ut ad conservandam fidei unitatem Conciliorum Decreta recipiamus, atq; ad ea confugiamus.* At si Scriptura facilis, secundùm Lutherum, ad quid confugere ad Decreta Conciliorum, illorumq; suscipere Scripturæ interpretationem?

Evulgationes etiam plurimæ Scripturæ, eæq; privatæ adversariorum, testantur obscuram S. Scripturam. Alia est enim Lutheri, alia Oecolampadij, alia Theodori Bibliandri, alia Castalionis, alia Munsteri, alia Bezæ, aliæ aliorum difficilè numerabiles, quarum dissonantiam advertens Lutherus, in Commentario de Novissimis Verbis ait: *Omninò meliùs esset, retinere illam hactenùs receptam, & usitatam Versionem Bibliorum, quàm tot novas Versiones cumulari, quibus nihil proficitur, nisi quòd dissimilitudo & discrepantia lectionum memoriam legentium turbat.* Idem Lutherus lib. suarum Prophetiarum: *Tam multæ nostro tempore Versiones Bibliorum, ut paulatim tam multa sint Biblia, quàm multi Scioli in Hebraica lingua Magistros esse profitebuntur.* Idem lib. contra Zwinglium: *Ad conservandam Fidei unitatem, Conciliorum Decreta recipiamus, atq; ad ea confugiamus,* qui tamen lib. de Captiv. Babil. aliud dixerit: *Satis esse queat, adversus omnium Pontificum, Patrum, omnium Conciliorum sentias.* Conciliet hæc, quis si potest. Lindanus tamen & Cochlæus in Actis Lutheri testantur, Lutherum fassum esse, post viginti annos se crebriùs errâsse, eò quòd Rabinorum glossis nimiùm credidisset. Idem Cochlæus in Vita & Actis Lutheri ad An. 1522. testatur in nova translatione Novi Testamenti per Lutherum facta, quòd notaverit, ad mille loca Sacræ Scripturæ immutata, id est, vel detracta, vel depravata à Luthero.

hanc depravationem S. Scripturæ Luthero exprobravit Zwinglius, vide supra pag. 143

Ex his manifestè patet, Scripturam in multis locis esse difficilem intellectu. Undè benè Author Tubæ pag. 66. *Non clara in omnibus ratione nostri, quia sensum eius in omnibus mysterijs assequi non valemus. Non clara illi, qui eam proprijs viribus, proprijs sensibus, soli literæ inhærens, tractat.*

vide etiam suprà pag. 185

Hujus obscuritatis Sacræ Scripturæ sunt Causæ variæ. Nos ex his duas adducemus.

Prima

Prima eſt. DEUS ſicut in alijs rebus, ita etiam & in Eccleſia voluit ſervari ordinem, ut alij eſſent, qui docerent, alij, qui diſcerent. Hoc manifeſtè patet ad Epheſ. 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Doctores & Paſtores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti.* Deindè Prælatos Eccleſiæ DEUS ſeverè in ſua perſona audire juſſit: *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.* Sed ſi Sacra Scriptura eſſet facilis, hic ordo in Eccleſia ſervari non poſſet, ut de facto non ſervatur apud adverſarios, qui dicunt, Scripturam eſſe facilem, & ideò quisq; pro libitu ſuo eam interpretatur, & docet, non ſervato ordine, ab Apoſtolo tradito ſuperiùs. Hunc errorem notavit ſuo tempore S. Hieronymus, qui Epiſt. 103. *Sola Scripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant, &c. hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc Sophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt.*

Secunda Cauſa. Quia Sacræ Scripturæ eſt Author Spiritus Sanctus, ideò S. Scriptura dicitur Verbum DEI. Ergo, cùm à ſolo Spiritu S. dictetur ſolùm, eumq; Spiritum Divinum pro ſui explicatione admittit, ac conſequenter à ſpiritu humano perfectè concipi nequit, ob ſui eminentiam obſcura manens. Hoc patet ex 2. Petri 1. *Prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit, non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti DEI homines.*

Diſcurſus Theol.

Quòd Sacra Scriptura non poſſit eſſe Iudex Controverſiarum.

CUm manifeſtè pateat ex S. Scriptura, ex SS. Patribus, & evidenti ratione, tum etiam ex ipſis adverſarijs, fatentibus S. Scripturam in multis locis intellectu difficilem, rectè ſequitur, eandem non poſſe eſſe Judicem Controverſiarum. Concluſio Catholica eſt iſta, Judicem veri ſensûs Scripturæ, & omnium Controverſiarum, eſſe Eccleſiam Catholicam, id eſt Pontificem cum Concilio Generali, in hoc omnes Catholici conveniunt, & habetur in Conc. Trid. Seſs. 4.

Probatur primò ex Vet. Teſt. Deut. 17. *Si difficile atq; ambiguum apud te judiciũ eſſe perſpexeris, &c. & Judiciũ intra portas tuas videris*

deris variari. Surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus DEUS tuus, veniesq; ad Sacerdotem, Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcunq; dixerint tibi, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius. Sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq; ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, &c. ex decreto Judicis morietur.

Probatur 2dò. 2. Paralip. cap. 19. *Ubicunq; quæstio est de Lege, de mandato, de ceremonijs, de iustificationibus, ostendite eis, ut non peccent in DEUM. Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, quæ ad DEUM pertinent, præsidebit.* Hîc Sacerdoti tribuitur sententia definitiva, Judici executio in contumaces. *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto Judicis morietur.*

Probatur 3tiò. Ecclesiast. 12. *Verba Sapientum sicut stimuli, & sicut clavi in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore uno. His amplius ne requiras fili mi.* Hîc Salomon docet, non esse ulteriùs inquirendum, quando sententia data est à Summo Pastore, adjuncto præsertim consilio Sapientum. Quòd si hæc dicuntur de Pastore Vet. Test. quantò magis dici debent de Pastore Novi Test. qui longè majores promissiones accepit à DEO. Et Vetus Testamentum est figura seu umbra Nov. Testam. ea enim quæ contigerunt in V. T. sunt figuræ, quæ contingunt in N. T. ut expresse docet Apostolus 1. Cor. 10. 11. & Hebr. 10. Undè sequitur, Synagogam fuisse figuram seu umbram Ecclesiæ, & Moysen mediatorem V. T. Gal. 3. 19. fuisse figuram seu umbram Christi Mediatoris N. T. Hebr. 8. 6. & 9. 19. & 12. 24. quod frequenter docet S. Augustinus, præsertim lib. 83. Quæstionum Quæst. 61. & Serm. 49. de Verb. DEI cap. 6. & Serm. 86. de Temp. Josephus lib. 2. contra Apionem explicat, quomodo hanc Legem datam à DEO exercebat Pontifex, cùm ait: *Pontifex ante alios Sacerdotes DEO sacrificat, leges custodit, dijudicat controversias, convictos delicti punit, cui qui non obedit, is pœnas luit, tanquam in DEUM impius.* Hoc non solùm Catholici, sed etiam & Lutherani, & Calvinistæ admittunt. Sic Magdeburgenses Centuriatores Cent. 1. lib. 1. cap. 7. *In Ecclesia populi Judaici unus tantùm erat Lege Divinâ Sacerdos Summus, quem omnes cogebantur agnoscere, eiq; parere.* Si ergo in Ecclesia Populi Judaici, multò magis in Ecclesia Catholica, cujus fuit figura

& umbra

& umbra Ecclesia Judæorum, unum coguntur agnoscere, eiq; parere; cùm Apostolus dicat: *Obedite Præpositis vestris.* *ad Hebr. 13*

Idem *probatur* ex Novo Testam. Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*; non dixit Christus, unam clavem, sed claves: non dixit, quemcunque, sed quodcunque, ut intelligamus promissionem generalem, non solùm peccati solvendi, sed etiam omnia vincula, omnes nodos, omnes difficultates in Fidei dogmatibus, omnes pœnas, quia cùm dixit, quodcunque, nihil excipit.

Probatur 2dò. Matth. 18. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Observandum, loqui hîc Dominum de injurijs illatis alteri ab alio, sed à majori intelligendum, de injurijs in Ecclesiam & in DEUM, qualis est hæresis; si enim jubetur adferri ad judicium Ecclesiæ adulter, multò magis hæreticus.

Probatur 3tiò. Matth. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcunq; dixerint vobis, servate, & facite, secundùm opera eorum nolite facere.* Hîc notandum, quòd Dominus antequam dixerit, servate, & facite, toto illo Capite reprehendit vitia Scribarum & Pharisæorum, posteà subjunxit, *quæcunq; dixerint vobis, servate, & facite, secundùm opera illorum nolite facere*, ne infirmi colligerent, non esse credendum Prælatis, qui malè vivunt, ideò initio Capitis apertè docuit, non obstante malâ vitâ Prælatorum, audiendam doctrinam illorum. *2dò* notandum cum S. Cypriano lib. 4. quòd nec Christus, nec Apostoli, in tota Scriptura reprehenderint Pontifices & Sacerdotes Judæorum, nominando eos Pontifices vel Sacerdotes, sed solùm sub nomine Scribarum & Pharisæorum, ne viderentur reprehendere Cathedram & Sacerdotium, ut intelligeremus, semper haberi honorem Sacerdotio & Pontificatui, etiamsi fortè persona, quæ in Cathedra sedet, sit minùs bona. Ex quo necessariò sequitur, hæreticos, qui passim in Episcopos & Sacerdotes, & præcipuè in ipsum Summum Ecclesiæ Pastorem invehuntur, nihil habere commune cum moribus Domini & Apostolorum. Quod enim Dominus intellexit de Cathedra Moysis, à fortiori debet intelligi de Cathedra Petri. Sic Veteres intellexerunt. S. Augustinus Epist. 165. ait: *In illum ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usq; ad Anastasium, qui nunc in eadem Cathedra sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus providens, ait de malis Præpositis: Quæ dicunt, facite; quæ faciunt, nolite facere.* Alios

SS. Patres superiùs adduximus, cùm ostendimus, Ecclesiam Catholicam errare non posse ob peccata Prælatorum.

Vide sup. p. 122 & seq.

Probatur 4tò. Joann. ult. *Simon Petre, pasce oves meas.* Hic notandum, quod dicitur Petro, dicitur & Successoribus ejus. Non enim Christus voluit providere Pastorem ad annos viginti quinque, quibus vixit Petrus in Pontificatu, sed quousq; duraret mundus. *Ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi.* Et illud (*Pasce*) intelligi debet de doctrina. Sic enim DEUS declaravit mentem suam Jerem. 3. *Dabo vobis Pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientiâ & doctrinâ.* Et illud, (*Oves*) cùm non addidit, has vel has oves, sed absolutè indeterminatè dixit *Oves*, significavit omnes Christianos, quod expressit Apostolus: *Non est distinctio Græci & Judæi, nam idem omnium Dominus est.* Undè S. Hieron. Epist. ad Damasum, petens Controversiæ cujusdam explicationem, ait: *à Pastore præsidium ovis efflagito.* Idem alij SS. Patres fecerunt.

Probatur 5tò. Act. 15. Cùm orta esset quæstio gravis de Fide, an servanda esset lex Circumcisionis? non fuisse remissos, unumquemq; ad spiritum suum privatum, sed ad Concilium Hierosol. cui Petrus præerat, & soluta est quæstio illis verbis: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis,* quibus ostendunt, sententiam Concilij, cui præest Petrus, esse sententiam Spiritûs Sancti.

Probatur 6tò. Ex continua praxi Ecclesiæ, quæ per omnes ætates exorta dubia Romanus Pontifex cum Concilijs terminavit, & illos, qui aliter sentiebant, ut Arium, Nestorium, Novatianos, Pelagium condemnavit, & pro hæreticis declaravit. De hæresi Pelagiana S. Augustinus lib. 2. Retra. cap. 50. ait: *Pelagiana hæresis cum suis auctoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, priùs Innocentio, deindè Zozimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum literis, convicta, atq; damnata est.* Et in Chronico Prosper. An. 420. ait: *Ad Pontificem Zozimum Synodalia Decreta portata sunt, quibus probatis Pelagiana hæresis in toto mundo damnata est.* Nota, Lector, non in aliquo Regno, sed in toto mundo per Zozimum Pontificem damnata est hæresis. Et tamen hos omnes damnatos habent pro hæreticis nostri moderni adversarij, & maximè Lutherani execrantur Pelagianos, & hi damnati sunt per totum mundum à Rom. Pontifice, Ergo debent agnoscere Ecclesiam pro Judice Controversiarum, non autem solam Scripturam, quæ si non explicaretur, nec determinaret Ecclesia, quòd taliter sit intelligenda, non sicut Arius, Nestorius, Pelagius;

non

non constaret nobis & adversarijs, quòd isti sint hæretici, quos ex determinatione Ecclesiæ dicunt esse hæreticos. Si autem non admittunt Ecclesiam pro Judice Controversiarum, nec debent habere Arium, Nestorium, Pelagium, pro hæreticis, sed debent expectare, donec illos sola Scriptura pro hæreticis declaret; at hoc nunquam fiet. Res satis clara.

Idem probatur testimonijs SS. Patrum. S. Irenæus lib. 3. cap. 2. docet, Controversias Fidei finiri non posse ex solis Scripturis, quia illas variè explicant hæretici, & unusquisq; in illis suam fundat hæresim. Et cap. 3. docet, eas finiri debere in doctrina Romanæ Ecclesiæ, dum ait: *Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt undiq; fideles, in qua semper conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio.* Basilius in Epist. 52. ad Athanasium, in qua scribit, videri sibi bonum, ut quando Synodus fieri tunc non poterat, scriberent ad Rom. Pontificem, ut aliquos mitteret ad Orientem, qui Acta Concilij Ariminensis dissolverent. S. Hieron. in Epist. ad Damasum ait: *Discerne si placet, obsecro, non timebo tres hypostases dicere, si iubebis.* Gregorius Nazianz. in Oratione, quâ se excusat, quòd diù ab Ecclesiastica functione abstinuerit: *Vos Oves nolite pascere Pastores, neq; super terminos elevamini, &c. Nolite iudicare Judices, neq; legem feratis legislatoribus.* Cyrillus Alexandr. quem etiam adducit Author Tubæ pag. 79. his verbis: Memorabilia sunt verba Cyrilli Alex. qui in Thesauro de Rom. Pont. sic loquitur: *Ut membra maneamus in Capite nostro, Apostolico throno Romanorum Pontificũ, à quo nostrum est quærere, quid tenere, quid credere debeamus.* S. Cyprianus lib. 1. Epist. 3. *Nec enim aliundè hæreses obortæ sunt, aut nata sunt Schismata, quam indè, quòd Sacerdoti DEI non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur.* S. August. lib. 1. contra Crescon. cap. 33. *Quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sinè ulla ambiguitate S. Scriptura commendat.* Idem in Epist. 156. ad Paulinum de Epistolis Innocentij: *Ad omnia ille nobis respondit, sicut fas erat, atq; oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem respondere.* Idem lib. contra Epist. fundam. cap. 5. *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Et infrà loquens de libr. Actor. Apost. *Cui libro necesse est ut credam, si credo Evangelio, quoniam utramq; Scripturam similiter mihi Catholica com-*

commendat Eccleſia. Idem in Proœmio lib. de Doctr. Chriſt. prævidens quaſi Spiritum privatum, quem ſe moderni adverſarij habere jactitant, ait: *Caveamus tales tentationes ſuperbiſſimas & periculoſiſſimas, magisq́; cogitemus Centurionem Cornelium, quamvis exauditas orationes eius, eléèmosynasq́; receptas Angelus nuntiaret, Petro tamen traditum imbuendum.*

Diſcurſus Authoris Cap. XIV.
Pag. 66.
Sola Sacra Scriptura eſt norma, videlicet ſenſu Eccleſiæ Catholicæ explicata & intellecta.

NAm Eccleſia Catholica, quæ habet Spiritum S. non poteſt errare. Scriptura autem Sacra per Eccleſiam Catholicam explicata, eſt vox Spiritûs Sancti. Deindè judicium totius Eccleſiæ Catholicæ ſinè omni dubio anteferendum judicio privato, juxta quod plerumq́; à varijs variè explicatur S. Scriptura, & ſub prætextu Verbi DEI latet ſenſus humanus.

Diſcurſus Theol.
Quòd S. Scriptura ſit norma in decidendis Controverſiis.

EX dictis patet manifeſtè, quòd S. Scriptura non ſit judex Controverſiarum. Cùm enim Lutherani & Calviniſtæ inter ſe maximas lites de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia, de Exorciſmo, quem Lutherani admittunt, Calviniſtæ reijciunt, & in alijs fundamentalibus multis, ut ipſi fatentur, habeant, quare ergo inter illos S. Scriptura tanquam judex lites non dirimit, & omnes cœtus per Schiſmata penè innumeros? quare non coadunat? ut omnes idem ſentiant, nec ſe ad invicem condemnent hæreſeon, & hoc nunquam fiet, ſicut hucusq́; non eſt factum, niſi verum judicem, id eſt, Eccleſiam agnoſcant. Manifeſtè ergo patet, Eccleſiam eſſe judicem Controverſiarum, & S. Scripturam eſſe normam, in unanimi SS. Patrum conſenſu firmatam, ſecundùm quam procedit judex ad decidendas Controverſias. Eccleſia enim, ut Judex, habet ſe per modum

dum

dum Architecti, qui domum ædificat; Scriptura ut norma, est ad instar Ideæ, secundùm quam ædificat. Undè si Architectus non applicat manus ad ædificandum, Idea nihil per se efficiet, ut patet de S. Scriptura inter Dissidentes, quæ nihil certi statuit inter illos. Si enim unus dicit, ita intelligendam esse S. Scripturam, statim alius clamat, contrarium sentiendum. Et sic respondetur ad omnes Objectiones adversariorum, S. Scripturam esse normam, non autem judicem Controversiarum. Hæc adeò sunt clara, ut etiam adversarij fassi sint, S. Scripturam esse normam Controversiarum. *Primò* Chemnicius, qui ex B. Augustino deducit lib. 11. contra Faustum cap. 5. & lib. contra Crescon. cap. 32. *Dicuntur libri Canonici, quia sunt quasi norma & regula, quâ imperitiæ nostræ regatur infirmitas.* Si sunt norma & regula libri Canonici, secundùm Chemnicium, non possunt esse judex Controversiarum, ut per se patet, Legem non posse esse Judicem, cùm S. Scripturam Lutherus & Chemnicius in multis locis esse obscuram, suprà fassi sint. *Secundò*, Gardius apud Becanum in Apol. pro Judice Controv. fol. 446. fatetur, Pontificem in Vet. Test. Apostolos & Concilia in Novo Test. fuisse Judices Controversiarum, & Scripturam fuisse normam, quam illi in decidendis Controversijs secuti sunt. Indè sequitur, si Scriptura respectu Apostolorum & Conciliorum fuit norma, respectu eorundem non potuit esse judex, ad quem pertinet interpretari & declarare, juxta hunc, & non alium sensum, sumendam esse Sacram Scripturam pro norma.

Undè ad majorem evidentiam veritatis, quomodo se gerunt Catholici, & quomodo hæretici in explicanda S. Scriptura, Bellarminus de Verbo DEI cap. 10. lib. 3. fol. 158. hunc posuit demonstrativum Syllogismum: Quidquid DEUS revelavit in Scripturis, est verum. Hoc DEUS revelavit in Scripturis. Ergo hoc est verum. Et sic explicat. Ex propositionibus hujus Syllogismi prima est certa apud omnes, secunda apud Catholicos, est etiam firmissima, quia nititur testimonio Ecclesiæ, Prælatorum, Conciliorum, SS. Patrum, de quibus habemus in Scripturis apertas promissiones, quòd errare non possint. De Ecclesia, quòd *sit columna & firmamentum veritatis*: de Concilijs Act. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*: de SS. Patribus, *dedit DEUS Pastores & Doctores*; at apud hæreticos minor nititur solis Conjecturis, vel judicio privati spiritûs, qui plerumque videtur bonus: cùm tamen semper ei fidendum non sit, ut ait

Vide suprà pag. 239 similem Dreieri sententiam vere Catholicam; quæ est lapis lydius dignoscendi omnes hæreses.

1. Joan. cap. 4

Apoſtolus: *Nolite omni ſpiritui credere.* Nititur etiam obſcuris locis Scripturæ, vel ſi ex Patribus unius ſolùm, vel alterius Patris, ut Vincent. Lirinenſis notavit: *Aſſumunt paulo involutiùs dictum vel ſcriptum.* (a) Sic nunquam producunt vel clarū Scripturæ locū, vel alicujus Patris, ſed quidquid probant, privatis expoſitionibus, vel antiquorum hæreticorum falſis argumentis, humanis, erroneis, & apparentibus rationibus fulciunt, quæ ſi benè excutiantur, nihil habent veritatis. Undè cùm Concluſio juxta Logicos debeat ſequi debiliorem partem, veritas apud illos concludi non poteſt. Conſentit Author Tubæ, qui pag. 35. rectè ad noſtrum intentum adducit S. Gregorium M. de S. Scriptura lib. 3. Indict. 11. Epiſt. 62. ſic loquentem: *Scriptura quidem tota propter nos ſcripta eſt, ſed non tota intelligitur à nobis. Multa quippè in illa ita aperta ſunt, ut pateant parvulis: quædam verò obſcurioribus ſententijs, ut exerceant fortes: nonnulla autem ita clara obſcura ſunt, ut dum ea non intelligimus, agnoſcentes infirma noſtræ cæcitatis ad humilitatem magis, quàm ad intelligentiam proficiamus.* Pergit Author, ſi ex obſcurioribus Scripturæ locis Controverſia decidenda, non ſtandum proprio judicio, nec judicio cœtûs particularis, cujus judicium fallere poteſt, ac falli. Et adducit ibidem Facultatem Theol. Regiom. in Program. Pentec. 1671. Sententiæ Scripturæ (de Fide) dubiæ, in immediatam reducendæ Propoſitionem, quæ per ſe fidem mereatur, qualis eſt illa: Quidquid Eccleſia Catholica dicit, verum eſt. Immediatè & per ſe fide digna eſt Propoſitio. &c. Advertat diligenter Lector, quisnam hoc infallibili medio procedit in dignoſcendis Fidei dogmatibus, nonnè ſola Eccleſia Cathol. Romana, cùm minorem ſuam probat Conciliorum Generalium & SS. Patrum teſtimonijs; è contrà verò extra illam quilibet privatus cœtus, & privati homines, aſſumunt ſibi Magiſterium, contemptis Concilijs, & SS. Patribus. Sic propoſitum fuit in Concil. Trident. à Proteſtantibus, ut ex ſola Scriptura diſputaretur, non ex Traditionibus, nec probatis Concilijs, nec ex SS. Patribus. Sic Lutherus lib. de Captiv. Babil. ait: *De doctrina cognoſcere, pertinet ad omnes & ſingulos Chriſtianos.* Hæc Propoſitiones Lutheri fuerunt quidem plauſibiles, quibus multorum libertinorum, qui terrena ſapiunt, ſibi conciliavit animos, ſed non fuerunt veræ. Si enim ad omnes pertinet cognoſcere & determinare aliquid, quis finis erit Controverſiarum, cùm ipſi licèt non omnes, ſed præcipui de doctrina cognoſcenda non poſſunt convenire inter ſe,

(a) *alicujus Patris, vide ſuprà pag. 49*

Vide ſuprà pag. 186

se, nec unquam convenient. Et si ad cognoscendum de doctrina accedent illi, quos S. Paulus enumerat ad Titum, inobedientes, vaniloqui, & seductores, quomodo veritatis cognitio apparebit? Ergo isti majori digni erunt fide, quàm SS. Patres & Concilia, de quibus hæc adjunxit Lutherus: *Satis esse queat, adversus omnium Pontificū, Patrum, omnium Conciliorum sentias.* Et tamen alibi dixit Lutherus: *De nullo privato homine certi sumus, habeat nec ne revelationem Patris. Ecclesia autem ipsa est, de qua dubitare non licet.* Fatere veritatem, Lector Benevole, si hæc rectè dicta sunt, cùm S. Paulus contrarium doceat ad Ephes. 4. *Et ipse quosdam dedit Apostolos, &c. alios autem Pastores, & Doctores.* Et rationem inferiùs reddit: *In opus ministerij, &c. ut iam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, ad circumventionem erroris.* Ad evitanda hæc absurda, dedit DEUS Pastores & Doctores, non ut adversùs eos sentiamus. Et si contra omnia Concilia sentiendum, ergo & contra illud primum Apostolorum, & alia subsequentia. Nam cùm dixerit Lutherus, contra omnia sentiendum, nullum excepit Concilium. Quid ergo contra illa sentiendum, cùm illa repræsentent Ecclesiam Universalem? quid contra Patres? quærite, examinate, si aliquid tale potestis invenire, quòd notam inurat, cùm nec ipse Lutherus invenerit, quid tale sentiendum fuerit.

hoc dictum contra se ipsum protulit Lutherus.

Veram autem, & authenticam Scripturam Catholici indè sumunt, ubi legitimus, ac verus illarum sensus observatur, scilicet in Ecclesia Cathol. Romana, tanquam in ditissimo depositorio. Sic testatur S. Irenæus lib. 3. cap. 4. *Non oportet quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli quasi in depositum dives plenissimè in eandem contulerint, quæ sint veritatis.* Idem lib. 5. cap. 20. *Fugere oportet sententias ipsorum, & intentiùs observare, uti ne vexemur ab ipsis, confugere ad Ecclesiam, & eius sinu educari, & Dominicis Scripturis enutriri.* Vinc. Lirin. cap. 2. advers. Proph. voc. Novit. ait: *Hîc forsitan requiret aliquis, cùm sit perfectus Canon, sibiq; ad omnia satis superq; sufficiat, quid opus est, ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ iungatur authoritas.* Et statim respondet idem Lirin. *Quia videlicet Scripturā S. pro ipsa sui altitudine, non uno eodemq; sensu universi accipiunt. &c. Aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exposuit, aliter Arius, Eunomius, &c. Atq; necesse est idcircò, propter tantos ac tam varij erroris anfractus, ut Propheticæ, & Apostolicæ interpretationis linea secundùm Ecclesiastici & Catholici sensûs nor-

norma S. Scripturæ. *normam dirigatur.* Tertull. lib. 1. de Præscr. cap. 19. *Ubi apparuerit veritatem esse disciplinæ & Fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expositionum, & omnium Traditionum.*

Discursus Theol.

De cognoscendis hæreticis, in exponendis Sacris Scripturis.

DE Hæreticorum Expositionibus Sacræ Scripturæ, & quomodo cognoscendi sint tot SS. Patres, audiamus. S. Augustin. Epist. 322. ad Consen. *Intellectum valdè ama, quia & ipsæ Scripturæ Sanctæ, nisi eas rectè intelligas, utiles esse non possunt. Omnes enim hæretici, qui eas in authoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cùm suos potiùs sectentur errores, & per hoc, non quòd eas contemnant, sed quòd non intelligant, hæretici sunt.* Idem Cent. 3. in Psal. 30. *Contradicunt multis linguis diversæ hæreses, diversa Schismata personant. Tu curre ad Tabernaculum, Ecclesiam Catholicam tene, à regula veritatis noli discedere, & protegeris à contradictione linguarum.* S. Cyrillus Hierosol. *Fidem si didiceris, promissionem possidebis, & observa, illam à sola Ecclesia esse traditam.* S. Apostolus Paulus: *Volentes esse Legis Doctores, non intelligentes, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant.* S. Petrus: *Indocti & instabiles depravant Scripturas, ad suam & aliorum perditionem.* S. Augustin. lib. 7. de Gene. ad litt. cap. 9. *Nisi quia Scripturas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter aßerunt.* Vinc. Lirin. cap. 23. de Origene ait: *Quædam Scripturarum vocabula novo more interpretaretur.* S. August. lib. de Hæresibus, Hæres. 70. *In suos sensus allegorizando vertunt Scripturas.* Euseb. Hist. Eccles. lib. 4. cap. 27. *Sacrarum Scripturarum sensus ac sententias pro suo arbitrio interpretantur.* Deniq; de omnibus hæreticis Irenæus lib. 1. cap. 1. Clemens Alexandr. Strom. Tertull. lib. de Præscr. cap. 38. S. Athanasius Tom. 2. fol. 271. S. Hilarius lib. de Trin. S. Ambros. lib. 4. in Luc. S. Hieron. in Oseæ cap. 7. S. Gregor. lib. Moral. 18. c. 10. Vinc. Lirin. cap. 36. explicans illa verba, *Attendite vobis à falsis Prophetis*, & alij SS. Patres docent, *non ob aliud fieri hæreticos, nisi quia Scripturas depravantes, suas falsas opiniones pertinaciter aßerunt, recedentes à communi sensu Ecclesiæ, & illius Traditione.* Undè illa

1. Tim. 1

2. Petr. 3

Con-

Conditio propoſita in Concil. Tridentino, ut res controverſæ non ex Traditionibus, nec Concilijs, nec SS. Patribus, ſed ex ſola Scriptura deciderentur, fuit injuſta: qui enim nihil unquam vult concludere, ſolam Scripturam ſecundùm ſuum ſenſum allegat, ad defendendos ſuos errores, ut fecerunt omnes antiqui, & recentes hæretici, de quibus ſic S. Hieron. ad Paulin. de Inſtit. Monach. *Hoc donum DEI non quærunt Judæi & hæretici, ideò legunt quidem Scripturam Sacram, ſed verum eius ſenſum nunquam invenire poſſunt.* Et in cap. 8. Amos: *Dominus reprimit ab hæreticis pluvias ſpirituales, & omnem rorem Divinæ Sapientiæ.* Et poſteà: *Pluit autem Dominus ſuper unam Civitatem, veræ Confeſſionis Eccleſiam, & ſuper alteram non pluit, quæ in hæreticorum Conciliabulis eſt. In ſola Eccleſia, ubi vera Confeſſio, vera Fides, verus etiam ſenſus Scripturæ invenitur, ut Iſaiæ cap. 7. legimus: Niſi credideritis, non permanebitis.* Eccleſiaſt. cap. 1. *Concupiſcens Sapientiam, conſerva Juſtitiam, & DEUS præbebit eam tibi.* Et Gregor. Nazianz. de Dignit. Epiſc. *Vis Theologus aliquando fieri, ac divinitate dignus, mandata ſerva, per DEI præcepta incede.* Et quod dicitur de hæreticis, idem dici debet de Judæis, utrisq; vero ſenſu Scripturæ carentibus, de quibus ſic loquitur Tertull. lib. 3. contra Marcionem cap. 8. *Hæreticus à Judæo ſolet, ut aſpis à vipera, mutuari venenum.* S. Auguſtin. lib. 1. de Serm. Dñi in Mont. cap. 4. *Qui enim piè quærit, honorat Sacram Scripturam, & non reprehendit, quod non intelligit, & propterea non reſiſtit.* S. Chryſoſt. in Matth. cap. 24. *In Scripturis ignorans invenit quid diſcat, contumax, quid timeat.* Et Spiritus S. per Eccleſ. cap. 32. *Qui timet Dominũ, excipiet doctrinam eius, &c. Qui quærit legem, replebitur ab ea, & qui inſidioſè agit, ſcandalizabitur in ea.* Et cùm unâ vice claram, aliâ vice obſcuram dixerint S. Scripturam, ſe ipſos ad invicem in interpretanda illa reprehendunt. Sic Lutherus Tom. 1. Wittemb. in explic. 8. Præcepti de Picardis ait: *Quòd nudo ingenio freti in Scripturam irruunt, illotis pedibus, ſicut porci, tanquam ſit humana quædam ſcientia, adeò nullo reverentiæ diſcrimine verſantur in illa.* Et quod Lutherus in Picardis, hoc Calvinus in Luthero & ſuis reprehendit, lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 25. dum ait: *Nempè ſi illis conceditur donum interpretationis ex Eccleſia profligare, quòd lucem Verbo afferat. Fateor, illos habere Verbum, ſed quale olim Antropomorphitæ, qui DEUM Corporeum fecerunt, quale Marcion & Manichæi, qui fingerent Chriſti Corpus vel cœleſte, vel phantaſticum, citabant enim teſtimonia.*

monia. Primus Adam è terra terrestris, secundus è cœlo cœlestis. Et tamen idem Calvinus lib. 4. Institut. cap. 9. §. 3. vult unumquemq; Scripturæ interpretem esse, ergo & Lutherum, quem reprehendit, dum Conciliorum Generalium definitiones vult examinari à privatis hominibus, illosq; judices constitui, relicto Ecclesiæ judicio, & sensu SS. Patrum. Et tamen uterq; purum Evangelium se habere venditat, & coram simplicibus reprehendit Catholicos, in hoc, quod Patrum commenta sequantur, captivando & cruciando conscientias hominum, ut illa amplectantur. Sed in hoc latet dolus, non enim in hoc consistit puritas Evangelicæ doctrinæ, sed in hoc, quòd Scripturarum interpretatio ad normam Patrum, secundùm Ecclesiæ Catholicæ sensum, judicium, & ejus Traditionem dirigatur, finaliterq; tradatur, ut docet Vinc. Lirin. cap. 2. Qua in re neq; captivantur, neq; cruciantur hominum conscientiæ, sed potiùs mirum in modum solantur, dum unâ infallibili Ecclesiæ definitione, intellectus nostri firmantur; è contrà verò apud illos mirum in modum conscientiæ cruciantur, prout ipsemet Lutherus suas angustias fassus sit, ut superiùs ostendimus, & indè, cùm unusquisque prout vult, S. Scripturam interpretatur, & suos in illa fundat errores. Quod expressit Irenæus lib. 1. cap. 1. *Parabolas Dominicas, vel dictiones Propheticas, aut sermones Apostolicos pervertere conantur, ut figmentum illorum non sinè teste esse videatur.* Idem adversùs hæreses lib. 1. cap. 1. *Non solùm autem ex Evangelicis & Apostolicis tentant ostensiones facere convertentes interpretationes, & adulterantes expositiones, sed etiam ex lege & Prophetis, &c. ad figmentum suum, & dolosè adaptantes, in captivitatem ducunt à veritate.* Undè his deceptionibus hæreticorum tale remedium adhibendum monet lib. 4. cap. 5. dum ait: *Fugere oportet sententias ipsorum, & intentiùs observare, uti ne vexemur ab ipsis confugere ad Ecclesiam, & eius sinu educari.* Idem tenet Author Tubæ, dum pag. 7. ait: *Sensum genuinum dat Catholica Ecclesia, cuius doctrinam Patres vetustiores monstrant, quod ex miro illorum consensu patet.* Et pag. 35. num. 1. ait: *Quidquid à Catholica Ecclesia in Concilio Oecumenico, præviâ accuratâ deliberatione & ventilatione, determinatum, illud recipiendum ab omnibus, qui non Ethnici aut Publicani esse volunt.* Constat autem clarè omnibus, quòd neq; apud Lutheranos, neq; Calvinistas, & alios cœtus, fuerit aliquando Concilium Generale, quod pro tali haberetur, unde patet, quòd dogmata habeant à privatis hominibus, non quia illa reve-

pag. sup. 32

revelavit illis DEUS in Concilijs Generalibus, sed quia illis ita placuit explicare illa, pro suis firmandis erroribus.

Discursus Theolog.

De Verbo DEI Tradito, seu Traditionibus; de earum Proprietate, Divisione, Necessitate, & Utilitate, & qui illas ferè ab exordio Ecclesiæ oppugnabant. Atq; primò de Proprietate Traditionum.

CUm Catholica sententia hæc sit: Præter Verbum DEI scriptum, dari Verbum DEI traditum verè revelatum, & utrumq; esse unicam & adæquatam Regulam & normam credendi & agendi; rectè instituitur post Discursum de Verbo DEI scripto, Discursus de Verbo DEI tradito. Et ponitur Catholica Conclusio: *Datur in Ecclesia Catholica Verbum DEI traditum, seu Traditiones, quæ cum Verbo DEI scripto unicam & adæquatam Regulam & normam credendi & agendi constituunt.* Hæc veritas Catholica de existentia Traditionum, ut meliùs intelligatur, & status Controversiæ inter nos & adversarios de Traditionibus clariùs constet, sciendum, adversarios ad evertendum Magisterium Spiritûs S. Apostolos, & Ecclesiam docentis, hunc errorem pro fundamento assumpsisse, Christum Apostolos omnia docuisse, & nihil docendum Spiritui Sancto reservâsse, ita Calvinus lib. 4. Instit. cap. 8. N. 8. Sed hic error manifestè repugnat S. Scripturæ: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò; cùm autem venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ioann. 16 Hinc clarè patet, quòd multa à Christo dicenda erant, sed cùm non possent portare pro tunc, promisit illis Spiritum Sanctum, qui doceret illos omnem veritatem, quæ à Christo promissa illis erat, & de facto in primo Concilio Apostolorũ, postquam visibiliter descenderit Spiritus S. in Apostolos, exorsus Magisterium suum. ut in assistentia illius determinarent difficilem Quæstionem de Circumcisione, ut ipsi testantur, dicentes: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, &c.* quod Concilium fuit norma omnium Conciliorũ subsequentium in eadem assistentia Spiritûs Sancti. Communis etiam sensus SS. Patrum, (quos statim citabimus,) asserentium, multa Apostolos à Spiritu S. edoctos fuisse post Christi Ascensionem. Sed hoc etiam concesso, nihil conducit ad negandas Traditiones. Ad-

Adhuc enim restat quæstio, an Apostoli omnem Fidei doctrinam à Christo Domino acceptam, & Magisterio Spiritûs S. confirmatam, literis consignârint, nec ne? atq; adeò nihil contra Traditiones semper in Ecclesia Catholica practicatas statui potest. Secundò notandum, hîc non disputari, an ea, quæ ab Apostolis Christo Authore, & Spiritu S. suggerente, vivâ voce tradita sint, ab omnibus sint credenda: hoc enim credendum esse ita manifestum est, ut ne ipsi quidem adversarij unquam negaverint; esset enim DEI & Christi Fidem negare, cùm nihil intersit, quo pacto DEUS suam nobis mentem aperiat, sive atramento, sive vivâ voce, dum modò certum sit, eum nobis illa manifestâsse. Scriptura enim S. non ideò certò creditur, quia scripta, sed quia à Spiritu S. prodijt. Ideòq; si à DEO aliquid prodijsse ostendatur, etiamsi ab eo scriptis non fuerit mandatum, pari reverentiæ, pietatisque affectu, acsi esset scriptum, ab omnibus suscipi debet: ut clarè patet in Sacris Scripturis, quæ quamvis adhuc non erant scriptæ, parem habebant authoritatem, cùm fuerint Verbum DEI traditum, sicut modò habent, cùm sint Verbum DEI scriptum. Status ergo Quæstionis inter nos Catholicos & adversarios in eo positus est, an aliqua à DEO specialiter, & ab Apostolis, dictante Spiritu S. ordinata fuerint, quæ in Scripturis Sacris non extant explicitè. Partem negativam tenent adversarij: affirmativam omnes Catholici. Probatur veritas Catholicæ Ecclesiæ, dari Traditiones in Ecclesia Cathol. primò auctoritate S. Scripturæ, tam Vet. quàm Novi Testam. auctoritate SS. Patrum ferè omnium, tam Græcorum, quàm Latinorum, discurrendo per quinq; Sæcula.

Positâ affirmativâ Conclusione, de existentia Traditionum, sciendum, quamvis Nomen Traditionis potest considerari ut Universale, secundùm illud Exod. 17. *Scribe hoc monumentum in libro, & trade in auribus Josûè*; & Actor. 6. Lex Mosaica vocatur Traditio. *Audivimus eum dicentem, quoniam JESUS destruet locum istum, & mutabit Traditiones, quas tradidit nobis Moyses.* Et 1. Corint. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Et 2. Thessal. 2. *Tenete Traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per Epistolam.* Hanc clausulam disjunctivam (*sive per sermonem*) Ecclesia Cathol. & SS. Patres semper intellexerunt de doctrina, non scripta, sed vivâ voce tradita, ut mox ex dicendis patebit. Sic S. Irenæus lib. 3. c. 2. ait: *Evenit, neq; Scripturis, neq; Tradit. consentire eos.* Tertul. lib. de Coro. Mil.

Si

Si legem postules, Scripturam nullam invenies, Traditio tibi prætenditur auctrix. S. August. Epist. 86. *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura, mos populi DEI, vel instituta maiorum, pro lege tenenda sunt.* S. Cyprianus lib. 2. Epist. 3. *Admonitos autem vos scias, ut in Calice Domini offerendo, Dominica Traditio servetur, ut Calix, qui in Commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur.* Hunc locum non rectè exponit Chemnicius de Traditione scripta: nullibi enim in toto Evangelio, nec in tota S. Scriptura legimus, ut Calix mixtus vino & aquâ offeratur. Vocatur autem Traditio doctrina non scripta, non quòd nusquam scripta sit, sed quòd non est scripta à primo Auctore. Exemplo sit Baptismus Parvulorum. Vocatur Traditio Apostolica non scripta, quia non invenitur hoc scriptum in ullo loco Apostolico, quamvis scriptum posteà sit in libris Veterum Patrum. Unde S. Augustinus lib. 10. in Gene. cap. 23. *Consuetudo Matris Ecclesiæ, in baptizandis parvulis, nequaquam spernenda est, neq; ullo modo superflua deputanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset Traditio.* Idem contra errorem S. Cypriani lib. 5. cap. 25. *Consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum Traditione exordium sumpsisse credenda est.*


quàm antiqua oblatio Calicis.

Discursus Theol.

De Traditionum Divisione.

NOtandum inprimis, triplicem esse Traditionem: Divinam, Apostolicam, & Ecclesiasticam. Divina dicitur, quæ à solo Christo originem sumit, & nusquam in S. Scriptura invenitur, & tamen ea continet, quæ non nisi Christum Authorem poterant habere, & per solam potestatem excellentiæ institui, illaq; tradere Apostolis, ut sunt pleraq; mysteria Fidei, Numerus, Species, Forma, Materia, & Effectus Sacramentorum, quæ non sunt Scripturis consignata, tamen in libris vel ferè omnium, vel multorum Veterum SS. Patrum inveniuntur. Apostolica Traditio dicitur, quæ ab Apostolis instituta, invenitur in assistentia Spiritûs S. quam universa tenet Ecclesia, ut est Jejunium Quadragesimale, 4. Temporum, Baptismus parvulorum, & multa alia, quæ nullo certo tempore, aut Concilio constituta, de quibus S. August. contra Donat. cap. 25. ait: *Quæ universa tenet Ecclesia, ab Apostolis præcepta benè creduntur, quanquam scripta non reperiantur.* Idem S. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis*


Epist. 118

cilijs institutum, sed semper retentum, nonnisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur. Ecclesiasticæ Traditiones illæ sunt, quæ per Apostolicos, hoc est, Successores Apostolorum, nimirùm Summos Pontifices & Episcopos, in Concilijs congregatos, ex potestate sibi tradita, & suggestione Spiritûs S. perpetuò, & infallibiliter, ex vi promissionis Christi, tam ipsis, quàm olim Apostolis assistentis, Fidelibus in Ecclesia proponuntur. Divinæ Traditiones eandem vim habent, quàm præcepta Divina, sive doctrina scripta in Evangelijs, & alia Sacra Scriptura. Apostolicæ Traditiones non scriptæ, eandem vim habent, quàm Apostolicæ Traditiones scriptæ, ut in Concil. Trident. Sess. 4tâ dicitur. Et ratio manifesta est. Verbum DEI non ideò inde habet auctoritatem, quia scriptum est, sed ideò, quia à DEO profectum est, ut clarè patet in SS. Evangelijs, quæ antequam scripta sint ab Evangelistis, parem habuerunt auctoritatem, sicut & modò habent. Ecclesiasticæ Traditiones æqualem habent cum alijs Ecclesiæ Decretis auctoritatem, & omnes ad fidem, & morum disciplinam firmum præstant robur.

Aliæ sunt Traditiones perpetuæ de Fide: ut Quatuor esse Evangelia, Symbolum Apostolorum, Baptismus parvulorum, perpetua B. V. MARIÆ Virginitas. Aliæ, quæ pertinent ad mores: ut Usus & mos formandæ Crucis, Aspersio Aquæ benedictæ, Aspersio Cinerum. Aliæ universales pro tota Ecclesia: ut observatio Nativitatis Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, ut S. August. Epist. 118. docet. Aliæ, quæ ad tempus Statutæ evanuerunt: ut tempore Apostolorum. de non comedendo suffocato; vel pro causæ exigentia mutatæ: ut Usus Calicis propter hæresim Manichæorum; vel quo ad durationem temporis nunquam mutabuntur, ut celebratio Paschæ die Dominico post 14. Lunam Martij.

Status Controversiæ inter Catholicos & adversarios in hoc consistit, quòd Catholici asserant, in Scripturis non contineri expressè totam doctrinam necessariam, sive de Fide, sive de moribus. Undè præter Verbum DEI scriptum, requiritur etiam non scriptum, id est, Divinæ & Apostolicæ Traditiones. Adversarij contrarium docent, in Scripturis omnia contineri, ad Fidem & mores necessaria, proindè nullâ opus esse Traditione. Sic Lutherus in Comment. cap. 1. ad Galat. ait: *Neq; alia doctrina in Ecclesia tradi & audiri debet, quàm purum Verbum DEI, hoc est Scriptura. Doctores vel auditores alij cum sua doctrina anathema sunto.* Inferiùs respondebimus Luthe-

ut ille explicat.



ro, mo-

ro, mo dò antùm ostendimus, hoc dictum alibi contrarium ipsimet Luthero; tdixerat enim in Protestatione alibi: *Protestor, me prorsùs nihil docere, aut retinere velle, nisi quod in & Sacris literis primò, deinde ex Ecclesiasticis Patribus ab Ecclesia Romana receptis, hucusq; servatis, & ex Sacris Canonibus ac Decretalibus Pontificijs habetur, & haberi potest.* Et in cap. 5. ad Gal. *Hilarius, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, Evangelium & Fidem in Christum, absq; ulla hypocrisi, purè & simpliciter tradiderunt, hæreticis restiterunt.* S. Apostolus ad Ephe. 4. *Et ipse quosdam dedit Apostolos, &c. alios autem Pastores & Doctores, in opus Ministerij, &c. ut iam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Ergo DEUS dedit Doctores ad hoc, ut non erremus, legendo sinistrè S. Scripturâ, (a) suos errores fundârunt. Et si solas Scripturas recipit Lutherus, in quibus Scripturis invenitur Symbolum Apostolorum? ergo & illud reijciendû, de quo sic S. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 27. ait: *Ipsam Fidei professionem, quâ credimus in Patrem, Filium, & Spiritum S. è quibus Scripturis habemus?* Calvinus lib. 4. Instit. cap. 8. §. 8. ait: *Esto igitur hoc firmum axioma, non aliud habendum esse DEI Verbum, cui detur in Ecclesia locus, quàm quod Lege primùm & Prophetis, deindè Scriptis Apostolicis continetur.* Et huic respondet S. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 27. & 29. *Si consuetudines & Traditiones, tanquam non multū habentes momenti, conemur reijcere, quòd Scripto proditæ non sint, necesse erit, multa damnare, multa reijcere, improbare multa, abolere plura, tollere, quæ in Evangelio necessaria ad salutem habentur, & continentur, immo ipsam Fidei prædicationem, totamq; Religionis Christianæ formam, ad exiguas & tenues rerum angustias, & ad nudum nomen redigere.* Hæc auctoritas S. Basilij tam clara est ex antecedentibus, ut non egeat probatione, & inferiùs clariùs adhuc patebit. Chemnitius agens de 7. gene. Trad. ait: *Nullis certis & firmis documentis probari potest, qui sint ritus certò ab Apostolis traditi, qui ex Scriptura ostendi non possunt.* Idem Chemn. alibi contrarium ait: *Apostolos igitur, ritus quosdam ordinâsse, & tradidisse Ecclesiis ex Scriptis ipsorum certò constat, ut verisimile est, quosdam etiam alios externos, qui in Scriptura annotati non sunt, ab Apostolis traditos esse.* Brentius sic ait: *Non contenti Scripturâ divinitùs commendatâ & confirmatâ, iactant, Apostolos multa tradidisse posteris sermone, quæ non minorem habent auctoritatem, quam quæ scripto mandata.* Idem Brentius ibidem sic ait: *Negari non debet, nec potest, quin tam Christus tam multa*

Antilogia Lutheri.

(a) ut multi Hæretici fecerunt, & in male intellecta.



Lutherum & Calvinum, qui negant Traditiones, remitto ad pag. sup. 239 & seq. & pag. 269 pro satisfactione Lectoris.

Antilogia Chemnitij.

Antilogia Brentij.

multa dixerit, & fecerit, quàm Apostoli multa tradiderint, & instituerint, quæ non sunt ab ipsis literis comprehensa. Ex sententijs Chemnicij & Brentij Traditiones & negantur, & conceduntur. Dicere enim, nullis certis documentis probari potest, qui sunt ritus ab Apostolis traditi; & iterum dicere, Apostolos, ritus quosdam ordinâsse, & tradidisse, qui in Scriptura non sunt annotati, ab Apostolis traditos esse. Utrumq; dixit Chemnicius. Vel dicere, ut dixit Brentius, Non contenti Scripturâ, &c. jactant, Apostolos multa tradidisse posteris sermone, quæ non minorem habent auctoritatem, quàm quæ Scripto mandata sunt; & dicere, negari non debet, nec potest, quin tam Christus tam multa dixerit, & fecerit, quàm Apostoli multa tradiderint, & constituerint, quæ non sunt ab ipsis literis comprehensa: Est, Traditiones & negare, & concedere.

Discursus Theol.

De Traditionum Necessitate.

NOs ponimus Catholicam Conclusionem. Scilicet, quòd præter S. Scripturam, seu Verbum DEI scriptum, dari Verbum DEI non scriptum, seu Traditiones, modo superiùs explicato, Fide Catholicâ tenendum est. Ita, ut solam S. Scripturam absq; Traditionibus non scriptis, non esse adæquatam Regulam credendi, & agendi, quæ sunt necessaria ad salutem. Hæc Conclusio Catholicæ Ecclesiæ est propria ab ipso exordio. Et probatur primò ex S. Scriptura in multis locis, quæ indicat multa fidelibus, voce tenùs porrecta. Inprimis Isaiæ 59. *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, à modò usq; in sempiternum.* Unde in Vet. Test. ante Legem Moysis scriptam firma fuit Religio, & vera doctrina de cultu veri DEI, qui sinè ulla Scriptura in sola Traditione consistebat, ut patet Gen. 15. *Scio, quòd Abraham præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini.* Quod etiam intelligendum est de Ecclesia, immediatè post Ascensionem Domini, ubi nulla adhuc nec Scriptura, nec Evangelium consignatum erat, solâ Traditione muniti, credebant Fideles mysteria Fidei, ut patet Actor. 16. *Cùm pertransierint Civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis* Et 1. Corint. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Et Joan. 20. *Multa & alia Signa fecit JESUS, &c.*

&c. quæ non sunt scripta. Non est dubium, quòd hæc multa, quæ non sunt scripta, Apostoli Ecclesiæ tradiderunt per solam Traditionem. Undè S. Paulus 1. Corint. 11. *Laudo vos, quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Et 2. Thessal. 2. *Non retinetis, quia cùm essem vobiscum, hæc dicebam vobis.* Undè idem ibidem expresse ponit distinctivè utrasq; Traditiones, & præcepit tenendas. *Tenete* (ait) *Traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* In quem locum S. Chrysost. ait: *Hinc patet, quòd non omnia per epistolas tradiderit, sed multa etiam sinè literis, eadem verò fide digna sunt tam illa, quàm ista. Itaq; Traditionem quoq; Ecclesiæ fide dignam putamus. Traditio est, nihil quæras ampliùs.* Et ad Philippens. 4. ait: *De cætero Fratres, quæcunq; sunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; justa, sancta, &c. si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate; & quæ didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite:* non dicit Apostolus, hæc solùm agite, quæ scripsi vobis, sed etiam illa, *quæ didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis, hæc agite.* S. Basilius de Spiritu S. cap. 29. *Apostolicum arbitror esse, etiam in non scriptis Traditionibus perseverare.* S. Hieron. adv. Lucif. cap. 9. *Etiamsi S. Scripturæ authoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret, nam & alia multa, quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, authoritatem sibi scriptæ legis usurpârunt.* S. August. Epist. 118. *Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto Orbe terrarum observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas commendata, atq; statuta retineri.* Idem contra Donat. cap. 25. *Quæ universa tenet Ecclesia ab Apostolis præcepta, benè creduntur, quanquā scripta non reperiantur.* 1. Corint. 11. *Laudo vos Fratres, quòd &c. sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* In quem locum S. Epiphan. hær. 61. ait: *Oportet & Traditione uti; non enim omnia à Divina Scriptura possunt accipi, quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione SS. Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit Apostolus, sicut tradidi vobis.* Damascenus lib. 3. de Fide cap. 17. ait: *Quòd plurima Apostoli tradiderint sinè scripto, scribit Paulus. Ergo Fratres state, & tenete Traditiones, quas edocti estis, sive per sermonem, sive per Epistolam.* 2. Timoth. 6. *ô Timothèe, depositum custodi.* S. Irenæus lib. 3. cap. 4. *Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facilè est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissimè*

in Epist. ad Thessal. hom. 4



simè in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis, ut omnis, quicunq; velit, sumat ex ea potum vitæ, hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt, & latrones. &c. Oportet devitare illos; quæ autem sunt Ecclesiæ, cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis Traditionem. Quid autem, si neq; Apostoli Scripturas quidem reliquissent nobis, nonnè oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderant ijs, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ barbarorum gentes eorum, qui in Christum credunt sinè charactere vel atramento, scriptum habentes per Spiritum in cordibus suis, salutem & veterem Traditionem diligenter custodientes. S. Augustinus Serm. 32. de Verb. Apost. cap. 2. Tom. 10. p. 154. ait: *Orationibus S. Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & eleëmosynis, quæ mortuorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuvari, ut cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt, hoc enim à Patribus traditum, universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in Corporis & Sanguinis Christi Communione defuncti sunt, cum ad ipsū Sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoq; id offerri commemoretur.* Idem lib. 3. cap. 3. contra Maxim. Arian. Tom. 6. pag. 101. ait: *Objicis mihi, quòd dicam, Spiritum S. æqualem esse Filio, dico planè. Da, inquis, testimonia, ubi adoratur Spiritus Sanctus? Sed ne quærere multum compellar. Tu ubi legisti, Patrem DEUM ingenitum, vel innatum, & tamen verum est.* Ipsam Scripturam, undè habent Dissidentes? debent fateri, quòd ab Ecclesia Universali. Nam Eusebius Hist. Eccles. lib. 3. cap. 19. ait: *Hæretici producunt sub nomine Apostolorum falsò Evangelia Petri, Thomæ, Matthiæ, & Actus Andreæ.* Idem cap. 21. ait: *Ebionitæ utuntur solo Evangelio, secundùm Hebræos parvi faciunt alia.* Nunquid habent scriptum Dissidentes in aliqua Scriptura, quòd prædicta sunt falsa Ebionitarum, & ista vera, quæ nobiscum tenent, quatuor Evangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis. Chemnicius fatetur, hanc esse Traditionem, in Exam. Conc. Trid. Sess. 4. Molinæus in Clyp. Sect. 5. pag. 15. testificatur, hos Libros esse Divinos. Quid ergo? Ecclesiam vos Traditionem hanc docentem, hos scilicet Libros esse Divinos & Canonicos, & non alios, Thomæ, vel Petri, &c. affirmatis, & ei fiditis, & eandem vos docentem, has vel illas Traditiones non scriptas, ejusdem Ecclesiæ contemnitis. Pulchrè vobis respondet S. August. lib. de Hæres. p. 395. *Adeò me stultum putas, quòd nullâ redditâ ratione, quod vis, credam; quod non vis, non credam.* S. Basilius Invocationem

S. Augustinus testatur. Orationes, Sacrificiū, Eleëmosynas pro Defunctis,  *esse Traditionem à Patribus, quā universa observat Ecclesia.*

tem Sanctorum, & cultum imaginum refert ad Traditionem Apostolicam, Epist. 205. ad Julianum Apostatam, Tom. 2. pag. 993. dum ait: *Suscipio Sanctos Apostolos, Prophetas, & Martyres, & hos invoco, ut apud DEUM supplicent. Undè & Characteres Imaginum ipsorum honoro & veneror, his præcipuè traditis à SS. Apostolis, sed & in omnibus Ecclesiis nostris depictis.* Idem S. Basil. lib. de Spiritu S. c. 27. *Dogmata, quæ in Ecclesia servantur, ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum Traditione, in Mysterio ad nos delata recepimus, quæ utraq; eandem vim ad pietatem habent.* Et similia habet cap. 29. *Apostolicum esse arbitror, non scriptis Traditionibus inhærere.* Respondet Chemnicius, hæc, de quibus loquitur S. Basilius, non esse Dogmata Fidei aut morum, sed quosdam ritus, ut signare se Signo Crucis, adorare ad Orientem, benedicere Aquam; at ostendimus superius dixisse Chemnicium, non posse ostendi ullum ritum, certò ab Apostolis institutum. Ostendimus etiam superius, S. Basilium dixisse cap. 27. *Ipsam Fidei professionem, quâ credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum S. è quibus Scripturis habemus?* Ostendimus, eundem etiam dixisse cap. 29. *Si consuetudines & Traditiones, tanquam non multum habentes momenti, conemur reijcere, quòd Scripto proditæ non sint, necesse erit, multa damnare, multa reijcere, improbare multa, multa abolere, plura tollere, quæ in Evangelio necessaria ad salutem habentur, & continentur, imò ipsam Fidei prædicationem, totamq; Religionis Christianæ formam ad exiguas, & tenues rerum angustias, & ad nudum nomen redigere.* Undè clarè patet, quòd non rectè objecerit Chemnicius, S. Basilium de aliquibus ritibus loqui, cùm ipse loquatur de dogmatibus. *Si consuetudines* (ait) *& Traditiones &c. conemur reijcere, quòd Scripto proditæ non sint, necesse erit, multa damnare, &c. quæ in Evangelio necessaria ad salutem habentur, imò ipsam Fidei prædicationē, totamq; Religionis Christianæ formam ad nudum nomen redigere.* Si cum Traditionibus non scriptis multa necesse est damnare, quæ in Evangelio necessaria ad salutem habentur, & ipsam Fidei professionem ad nudum nomen redigere; quomodo S. Basilius de aliquibus ritibus locutus est, non autem de Dogmatibus, ut objicit Chemnicius. Hæc clara nimis sunt. Deindè S. Basilius non solùm ritus quosdam, sed etiam quædam refert essentialia, (*a*) de quibus tacuit Chemnic. ut Confessionem Fidei, Symbolum Apostolicum, quod non ex Scripturis, sed ex Traditione habemus, ut & Olei unctionem in Sacramento

Franciscus Veron. T. 1. in suo Epitom. p. 118





(a) in quibus Fides consistit.

mento Confirmationis, quosdam etiam ritus commemorat S. Basilius, quem Chemnicius de solis loqui obijcit. Sed contrarium superiùs clarè patuit, quòd de utrisque. Hi ritus, postquam præcepti sint, si de industria, vel contemptu omittantur, grave peccatū inducunt, ut Signum Crucis in consecratione Aquæ, Eucharistiæ, Chrismatis, nec non in abrenunciatione Satanæ, & pompis ejus in Baptismo. Dicit enim S. August. Tract. 118. in Joan. sinè Signo Crucis nulla Sacramenta ritè peragi. Idem docet S. Chrysost. Hom. 55. in Matth. Brentius respondet, has Basilij sententias esse ex nævis & erroribus Basilij, qui pro honore tanti Viri, deberent silentio tegi, & nos vocat Catholicos porcos, imitatores Cham, qui Patrum nostrorum denudamus turpitudines. Non enim existimat esse ferendum, quòd S. Basilius dicat, eandem vim habere ad pietatem Traditiones pædagogicas, (ut ipse loquitur,) de Signo Crucis & Aqua benedicta cum Scripturæ dogmatibus. Sed omissâ responsione ad convitia tam contra Sanctum, quàm contra nos: non enim convitijs, sed ostensione veritatis certare volumus, cùm S. Paulus nos moneat: *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia DEI*; sed pro convitijs, ipsam rependimus veritatem Brentio, & Sequacibus illius, si qui inveniuntur; & dicimus: Rectè S. Basilium æquare Traditiones Scripturis. Ratio manifesta ista est. Nam ut in Scripturis quædam sunt magna præcepta, ut diligere DEUM & proximum; quædam minora, ut non dicere verbū otiosum, quæ non æquè obligant ad observationem, & tamen æquè obligant ad fidem & venerationem, quia utrumq; præceptum, & majus, & minus, continetur in S. Scriptura. Non enim minùs est hæreticus, qui non credit, aut non veneratur Scripturam, quæ ait: *De omni verbo otioso reddent rationem in die Judicij*; quàm qui non credit, aut non veneratur illud: *Diliges Dominū Deum tuum.* Ita etiam in Traditionibus, quædam sunt majora, & quædam minora, quo ad obligationem agendi, & tamen omnia æquè obligant ad Fidem & venerationem, cùm proficiscantur ab eodem Authore Spiritu S. & veniant ad nos, tam Traditiones, quàm Scripturæ, per manus Catholicæ Ecclesiæ, quæ est Mater nostra, licèt non æqualiter obligant, tam Traditiones, quàm Scripturæ, quo ad modum agendi.

1. Corint. 11

Hermannus non contentus responsionibus Chemnicij & Brentij, addit hæc: Ista omnia non esse Basilij, sed inserta in libro Basilij, ab aliquo nebulone. Sanè expeditissima Responsio. Sic enim facile est,

est, solvere omnia argumenta, negare totum, quidquid illud est, nec nos etiam moramur, tantùm monemus Lectorem, ut videat, si huc usq; dicta non sunt S. Basilij, & videbit, si verum dixerit Hermannus; & si verum dixerit, quare etiam hanc veritatem non communicavit Chemnicio & Brentio; ut hæc inconvenientia non committerent in suis Objectionibus, primus dicendo, non de dogmatibus locutum esse Basilium, alius, nævos & errores esse Basilij. Sed nos iterum ad lumina Ecclesiæ, SS. Patres revertamur.

S. Chrysost. Hom. 69. ad popu. & Hom. 3. in Epist. ad Philipp. *Non frustrà ab Apostolis sancitum esse, ut in celebratione Venerandorum Mysteriorum, memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt.* Epiphanius Hær. 55. *Termini nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio Fidei, & Apostolorum Traditiones, & Scripturæ Sanctæ, & Successiones doctrinæ.* Item Hær. 61. *Oportet & Traditione uti, non enim omnia à Divina Scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua Traditione SS. Apostoli tradiderunt.* S. Dionysius Areopag. vicinus temporibus Apostol. de Eccles. Hierar. cap. 1. *Primi illi Hierarchiæ nostræ duces ac principes, cùm & ipsi a Divina bonitate plenè, cumulatèq; sanctum hoc munus accepissent, &c. ea partim scriptis, partim non scriptis Constitutionibus ex Sacrosanctis legibus, nobis tradiderunt.* S. Irenæus lib. 3. adv. Hær. cap. 2. *Cùm ad eam iterum Traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per Successiones Presbyterorum, in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, qui adversantur Traditioni.* Idem paulò pòst ait: *Evenit itaque, neq; Scripturis iam, neq; Traditioni consentire eos.* Tertull. lib. de Corona Militis, cap. 3. enumeratis pluribus Ecclesiæ institutis, quæ ex Traditione procedunt, ait: *Harum & similium disciplinarum, si legem expostules, Scripturarum nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, Consuetudo confirmatrix, Fides observatrix.* Idem passim Traditione utendum, docet lib. 1. contra Marcionem hæreticum. S. Athanasius lib. 1. de Decret. Synodi Nicæ. ait: *Ecce nos quidem ex Patribus ad Patres, per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstravimus; Vos autem, ô novi Judæ & Caiphæ filij, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores.* S. Ambros. lib. de ijs, qui initiantur Mysterijs, cap. 2. & 6. quàm lib. 1. de Sacram. cap. 1. & 2. *explicat varios ritus, qui ab Universali Ecclesia servantur, qui nusquam scripti reperiuntur, & quorum origo aliò referri non potest, quàm in Apostolos Authores.* Serm. 34. 35. & 36. docet, *Quadragesimam à Christo præceptam*; Epistolâ verò 81. & Serm. 38.

Symbolum Apostolorum, Apostolicam esse Traditionem non scriptam. S. Hieronym. Epist. ad Macell. de erro. Mont. *Non unam Quadragesimam ex Apostolica Traditione tempore nobis congruo ieiunamus.* S. August. lib. 2. contra Donat cap. 7. *Quam consuetudinem credo ex Apostolica Traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in literis eorū, neq; in Concilijs posteriorum, & tamen, quia custodiuntur per Universam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.* Et lib. 4. cap. 6. *Illa consuetudo, quam & tunc homines sursùm versùs aspicientes non videbant, à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis instituta creditur.* Et lib. 4. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum, rectissimè creditur.* Et lib. 5. cap. 23. *Quæ universa tenet Ecclesia, ab Apostolis benè perspecta creduntur, quanquam scripta non reperiantur.*

Discursus Theol.

In quo evidentibus rationibus probantur Traditiones.

PRobantur Traditiones Rationibus. Prima sit. Admittendæ sunt in Ecclesia Cathol. Traditiones, modo & sensu explicato, si non omnis doctrina divinitùs revelata, sacris literis est commendata. Sed res ita se habet, quòd non omnis doctrina divinitùs revelata contineatur in Scripturis, vel ex illis per expressam, & evidentem consequentiam elici possit. Ergo admittendæ sunt in Ecclesia Traditiones. Major hujus argumenti est omninò certa, fundatur enim in Propositione Hypothetica & Conditionali, procedente à Definitione rei controversæ, ad existentiam ejusdem. Per Traditiones enim, conventione factâ cum adversarijs, nihil aliud intelligimus, quàm doctrinam divinitùs revelatam, non scriptam, ad quam, ut sit Divina, infallibilemq; habeat auctoritatem, ad Fidei Controversias finiendas, parùm interest, quòd literis, vel vivâ voce declarata fuerit, dummodò Spiritu S. suggerente, vel Christo Authore, ab Apostolis ad nos pervenerit. Sicut mandatum Principis eandem vim & auctoritatem habet apud Subditos, sive Scripto, sive vivâ voce proferatur, ut manifestè patet in S. Evangelijs, quæ antequam ab Evangelistis scriberentur, eandem auctoritatem habuerunt, sicut modò scripta habentur. Nullum est dubium, quòd doctrina divinitùs inspirata, maximeq; ad Fidem necessaria, scilicet tota S. Scriptura

Vet.

Vet. & Novi Teſtam. ſimul ſumpta, ſit Verbum DEI: iterum, tota illa Scriptura, præſertim in ijs, quæ ad Fidem & ſalutem neceſſaria ſunt, manet nobis ſalva & incorrupta, ac tandem, quòd habeamus verum ac legitimum illius ſenſum, ad quem habendum, ſuperiùs ex Vinc. Lirin. oſtendimus, neceſſariam Eccleſiaſticam Traditionem, ut per illam à tot falſis ſenſibus hæreticorum, dignoſcatur verus & legitimus, verèq; Catholicus. Sed talis doctrina nullibi habetur in Scripturis Sacris, neq; etiam ex illis per expreſſam & evidentem conſequentiam erui poteſt, igitur non omnis doctrina divinitùs inſpirata, & ad ſalutem neceſſaria, continetur in Scripturis. Major hujus argumenti videtur eſſe omninò certa: quâ enim ratione poſſunt concedere adverſarij, S. Scripturam eſſe medium, hominibus à DEO datum, quo de rebus Fidei, & ad æternam ſalutem ſpectantibus inſtruerentur, niſi eâdem certitudine nobis conſtet, hanc, & non aliam Scripturam, divinitùs inſpiratam, omnesq; ejus libros eſſe Canonicos, taliquè, & non alio ſenſu eſſe intelligendos, ubi aliqua oritur de rebus Fidei Controverſia. Profectò, ſi S. Scriptura, inquantum eſt S. Scriptura, Verbumq; DEI ſcriptum, certiores nos reddit eorum omnium, quæ docet, multò magis aliquâ viâ certi eſſe debemus, quòd hæc, & non alia, ſit ipſa S. Scriptura, verumq; DEI Verbum, Matthæi, non autem Manichæi, verum eſſe & Divinum Evangelium, nutante verò circa hoc ſemel noſtrâ fide, poſſemus omnia in illa contenta ad dubium revocare. Undè ſatis patet veritas majoris Propoſitionis, & totius argumenti illi innixi, cujus vi coacti plures adverſarij hanc fateri veritatem, inter quos ſingularis Traditionum oppugnator Chemnicius in Exam. Conc. Trid. Seſs. 4. faſſus eſt his verbis: *Hanc Traditionem, quâ nobis in manum dantur S. Scripturæ libri, reverenter accipimus.* At quis Chemnicium conſtituit Judicem, quòd hanc unicam ab Eccleſia Traditionem recipiat, alias reijciat? Benè reſpondet illi S. Auguſt. lib. de Hæreſ. pag. 391. *Adeò me ſtultum putas, ut nullâ redditâ ratione, quod vis, credam; quod non vis, non credam.* Deinde, quomodo dijudicabit Chemnicius inter Lutherum, qui Epiſtolam Jacobi & Apocalypſim reijcit, Calvinus verò dicit Canonicas. Idem Chemnic. in Exam. Concil. Trid. Seſs. 4. ait: *DEUS voluit in Eccleſia extare donum interpretationis, quod ſicut donum ſanationis, miraculorum, & linguarum, non eſt commune omnibus.* Idem inferiùs: *Grati & reverenter utimur Patrum laboribus, qui multa Scripturæ loca Commentarijs ſuis illuſtrârũt.*

Chemnicij & Centuriatorum contraria ſententia Luthero.

Centu-

Centuriatores Cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 52. dicunt: *Senſerunt Apoſtoli, Scripturas non poſſe intelligi ſinè Spiritu S. & interprete.* Quod ſufficit nobis. Sic enim concedunt, & admittunt, aliquid extra Scripturam per Traditionem venire ad nos, & ad adverſarios, ſcilicet. hos, & non alios libros eſſe Canonicos; hunc, & non alium eſſe legitimum eorum ſenſum, ex Decretis Conciliorum. Undè evidens eſt, aliquid divinâ fide credendum eſſe, quod non extet in Scriptura, neq; ex illa evidenter deducatur, atq; adeò dari Traditionem aliquam, Verbumq; DEI non ſcriptum, non ſolùm ad Fidem neceſſariam, ſed quòd ſit baſis, cui univerſa Religio Catholica innitatur. Si autem hæ Traditiones, quas nullo modo adverſarij negare poſſunt, ſemel ad nos & adverſarios pervenire potuerunt, cur & aliæ per eandem viam pervenire non poſſunt? de quibus ſtatim dicemus. Dictam autem teſtificationem, ſive doctrinam, non contineri in Scripturis, neq; per expreſſam conſequentiam ex ijs poſſe elici, quæ erat minor hujus argumenti probanda, clarè teſtantur præteritæ & præſentes inter ipſos adverſarios de Canonicorum librorum numero, deq; legitima & vera illorum intelligentia Controverſiæ, quibus non daretur locus, ſi in aliquo Scripturæ libro, dictorum librorum Canon expreſsè haberetur, illorumq; ſenſus ita eſſet ubiq; perſpicuus, & certus, ut ſinè Traditionis beneficio in Eccleſia, veluti in diviti veritatis depoſitorio cuſtoditæ, (inquit Irenæus loco ſuperiùs citato) cunctis innoteſcere, natæq; de illis difficultates abſolvi poſſint. Aliqui reſpondet ex adverſarijs, *Prima principia non probari, ſed ſupponi, ne detur proceſſus in infinitum*: ſed quàm malè hoc axioma ſit applicatum, patet ex ipſis adverſarijs, qui inter ſe contendunt de numero librorum Canonicorum. Calvinus enim nobiſcum admittit Apocalypſim, Epiſtolam Divi Jacobi, Epiſtolam ad Hebræos dicit verè eſſe Apoſtolicam, & arguit in hoc errare Lutherum & Lutheranos. Lutherus hæc omnia reijcit. Centuriatores, licèt ſint rigidi Lutherani, à Luthero defecerunt ad Calvinum, & cum illo acerrimè pugnant pro Apocalypſi contra alios Lutheranos; & ſic de alijs. Ut ergo in tanta rerum ambiguitate, & colliſione certò nobis conſtet, hæc tria Fidei principia eſſe vera, ſcilicet, quòd tota Scriptura Vet. ac Novi Teſtam. ſimul ſumpta, ſit Verbum DEI: *Alterum*, quòd tota illa Scriptura, præſertim in ijs, quæ ad Fidem & ſalutem neceſſaria ſunt, manet nobis ſalva & incorrupta. *Tertium*, quòd habeamus verum ac legitimum illius ſenſum, ne-

cessariò recurrendum est ad aliquam probationem extra Scripturam, nimirùm ad Ecclesiæ testificationem, in Traditione, seu Verbo DEI non scripto fundatam, per quam illa divinitùs accepit: cùm enim Fides nitatur Verbo DEI, nisi hujusmodi Traditio, & aliæ similes essent Verbum DEI non scriptum, nulla esset Fides nostra, prout de facto ita est apud omnes, qui relictâ testificatione Ecclesiæ, vel secundùm Lirinensem, *Traditione Ecclesiasticâ*, quisq; prout vult, S. Scripturam ad suum sensum trahit, *aliter* (dicit Lirin.) *Novatianus, aliter Photinus*, aliter alij. Quomodo colligemus ex Scriptura, Marci & Lucæ esse vera Evangelia, Thomæ verò & Bartholomæi esse falsa, cùm ratio potiùs dictet, magis credendum libro præferenti Titulum Apostoli, quàm non Apostoli; undè sciemus & numerum Evangelistarum, nisi ex Traditione Ecclesiæ, de qua sic loquitur Origenes cap. 18. *Ex Traditione didici de quatuor Evangelijs.* Undè rectè S. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 27. *Si Traditiones non scriptæ negligantur, fore, ut Evangelium etiam magnum detrimentum patiatur.* Idem Epist. 61. *Dogmata Patrum contemnuntur, Apostolicæ Traditiones annihilantur, recentiorum hominum inventa Ecclesiæ inseruntur.* Et S. August. lib. contra Epist. fundam. cap. 5. clarè dicit, *se Evangelio non crediturum, nisi Ecclesia id doceat.* Brentius in Prolego. non habens quò evadat, fatetur, hanc unam & solam Traditionem non scriptam esse recipiendam. Idem docet Chemnicius, tractans secundum genus Tradit. in Exam. Conc. Trid. At parùm refert, hanc unam admitti Traditionem, si non admittunt Traditionem de vero & legitimo sensu illius, ex testificatione Ecclesiæ, seu si non admittunt Traditionem Ecclesiasticam. Respondet Calvinus lib. 1. Instit. cap. 7. §. 1. *Scripturas Sacras discerni per se, ut lucem à tenebris*; at contrà est: quare Lutherus Epistolam Jacobi vocat Stramineam, Calvinus Apostolicam? idem Apocalypsim veneratur, Lutherus reijcit. Respondet Calvinus §. 4. *Non omnibus apparere hanc differentiam Scripturarum, solùm illis, qui habent verum Spiritũ.* At contrà: Si Lutherus dixerit, se habere verum Spiritum, & Calvinum non habere illum, quo probabit Calvinus, apud se esse verum Spiritum, non apud Lutherum. Idem Calvinus ibidem cap. 9. §. 1. dicit, Apostolos habuisse verum Spiritum, quod & nos dicimus: at Apostoli Librum Sapientiæ Sacrum, & Divinum esse dixerunt, ut S. August. de Prædest. c. 14. testatur, & tamen Calvinus hunc Librum, qui etiam Spiritum jactat, vult esse profanum. Combinentur hæc, si possunt.

Secundò probatur minor primi argumenti, discurrendo per singulos Ecclesiæ militantis Status Legis Naturæ, Legis scriptæ, & Legis Gratiæ, in quibus multa ad Fidem & salutem necessaria, per solam Traditionem habita, reperiuntur.

Discursus Theol.

In quo probatur Vtilitas Traditionũ per singulos Ecclesiæ militantis Status, in Statu Legis Naturæ, Legis scriptæ, & Legis Gratiæ.

DE Lege Naturæ nullum est dubium: nam per bis mille annos & ampliùs, ab Adam usq; ad Moysen, Scriptura Sacra nulla fuit, cùm omnium consensu, Moyses fuerit primus Sacer Scriptor; toto ergo illo tempore, in quo pleriq; Sancti floruerunt, ut Abraham, Isaac, Jacob, & alij, solis Traditionibus, soloq; Verbo DEI non scripto, gubernata fuit vera tunc existens Ecclesia, creditaq; à Fidelibus plura ejusdem Mysteria, ut Creatio Mundi in tempore, futura Incarnatio, remuneratio bonorum, & castigatio malorum, & alia id genus, quæ in quacunq; Lege scitu & creditu fuerunt ad salutem necessaria.

Sicut enim conservari potuit antiqua illa Religio, & Fides, solâ Traditione, sinè Scriptura, ad duo millia annorum: sic potuit doctrina Christi conservari cum Traditionibus per mille sexcentos annos, multò magis, cùm se invicem juvant, & conservant Scriptura cum Traditione.

In Lege quoq; scripta, à Moyse usq; ad Christum, cùm Judæi Fide crederent, femellas concipi in peccato Originali non minùs, quàm masculos, pro quibus Circumcisio erat constituta, eâdem etiam Fide credere debebant, illas salvari non posse, nisi per aliquod remedium à DEO institutum. At tale remedium nullibi reperitur in Scriptura Vet. Test. quòd tale fuerit, Ergo per Traditionem hoc debebant scire. Hæc autem Traditio erat necessaria ad salutem, quia sinè hoc remedio non poterant saluari femellæ. Deindè, cùm ante octavum diem Circumcisionis morerentur masculi, ne in peccato Originali morerentur, debuit esse remedium, de quo nihil in Scriptura Vet. Test. Ergo ex Traditione fuit aliquod remedium necessarium ad salutem parvulorum. Et ideò tam de his, quàm de alijs

Traditionibus loquens S. Scriptura, præcipit observandas, ut Deuteron. cap. 32. *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, & maiores tuos, & dicent tibi.* Et Job 8. *Interroga generationem pristinā, & diligenter investiga Patrum tuorum memoriam.* Et Jud. 6. *Ubi sunt mirabilia, quæ narraverunt nobis Patres nostri.* Et Psalm. 77. *Quanta mandavit Patribus nostris nota facere filijs suis, ut cognoscat generatio altera, filij qui nascentur & exsurgent, & narrabunt ea filijs suis.* Et multa similia alia.

In Lege verò Nova, de qua potissimùm est Controversia inter Catholicos & Dissidentes, multa enim sunt de Fide, quæ tamen nullibi in Scriptura reperiuntur, sed per solam Traditionem habentur, hujusmodi est Symbolum Apostolorum, de quo sic S. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 27. ait: *Ipsam Fidei Professionem, quâ credimus in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, è quibus Scripturis habemus?* aci diceret, non haberi ex Scriptura, sed ex Traditione, per quam venit ad nos Symbolum Apostolorum. In hoc quoq; Symbolo aliqua sunt, de quibus Scriptura tacet, vel obscurè loquitur. *Secundum* est, quòd baptizati ab hæreticis non sint rebaptizandi, & hoc ex sola Scriptura, seclusâ Traditione, evidenter deduci non potest, ut potiùs ex ea contrarium colligere sibi visus fuerit S. Cyprianus, cùm S. Stephanus Papa, & S. Augustinus cum alijs Patribus, è contrario ad Catholicum dogma defendendum, Ecclesiæ Traditionem allegarent. Et quamvis S. Cyprianus, & ejus Prædecessor Agrippinus, notam hæresis non incurrerunt, cùm Ecclesiæ unionem nunquam dereliquerint, & hunc errorem ante determinationem Ecclesiæ tenuerint, tamen Donatistæ, quia ob id ab Ecclesia recesserunt, & post determinationem Ecclesiæ hunc errorem non reliquerunt, pro hæreticis habiti sunt, vide S. August. lib. 2. contra Donat. *Tertium*, intemerata B. V. MARIÆ Virginitas, etiam post partum, quam se quoq; credere dicunt adversarij, damnatâ contrariâ Helvidij hæresi, qui oppositum asserebat, de quo S. Hieron. lib. contra illum, & S. August. lib. de hæres. cap. 84. Quæ tamen Virginitas perpetua ex sola Scriptura probari non potest, seclusâ Traditione, ut satis per se patet. *Quartum*, celebrandum esse Pascha die Dominico post 14. Lunam Martij, non autem more Judæorum ipsâ Lunâ 14. & quamvis hæc celebratio liberæ forsan fuit observationis, re nondum ab Ecclesia determinatâ, ante Concilium Nicæn. I. vel ante definitionem Victoris I. circa annum 198. qui primus oppositum

Donatistæ damnati quare.

positum errorem condemnavit, excommunicatis Asiaticis Ecclesijs, à dicto tamen Concilio coacti sunt omnes Catholici, ita Pascha celebrare, & sentire ita esse celebrandum, ut Quartodecimani vocati, pro hæreticis semper fuerunt habiti, qui determinationem Ecclesiæ sequi noluerunt, vide Epiphan. hæres. 50. & S. August. hæres. 29. non aliâ ratione, nisi quia hujusmodi ritum celebrandi Pascha ab Apostolis profectum esse, & à majoribus per continuam Traditionem tunc ad ipsos pervenisse judicârunt, & crediderunt præfati Concilij Patres, cùm nullibi in S. Scriptura hoc inveniatur. Lutherani & Calvinistæ nobiscum hanc determinationem Ecclesiæ sequuntur. Idem asserendum est de translatione Sabbathi in diem Dominicum, ne videatur Ecclesia Judæos imitari. S. August. Tom. 2. pag. 212. Epist. 118. cap. 1. ait: *Illa quæ non scripta, sed tradita, custodimus, quæ quidem toto Orbe terrarum observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas commendata, atq; statuta retineri, sicuti quòd Domini Passio, Resurrectio, & Ascensio in Cœlum, & adventus de Cœlo Spiritûs Sancti anniversariâ solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacunq; se diffundit Ecclesia, &c.* Et cap. 5. ait: *Si quid tota per Orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Innocentius I. vixit post An. 300. Epist. ad Decentium Tom. 1. Concil. pag. 69. ait: *Id quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usq; custoditur, ab omnibus debere servari.* *Quintum*, quod sit certus numerus Sacramentorum in Novo Test. quod in ea forma & materia, quam observat Ecclesia, & non in alia, a Christo Domino fuerit instituta, solùm ex Traditione Apostolica & Ecclesiastica. Hoc tam Catholici, quàm adversarij credunt, solùm interest, quòd Catholici constanter numerum septenarium credunt, adversarij in numero discrepant. Philippus Melanchton in Locis Commun. solùm recipit Baptismum & Eucharistiam: multi Lutherani in suis Catechismis Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam: Zwinglius in lib. de vera & falsa Relig. Baptismum, Cœnam, & Matrimonium: Calvinus lib. 4. Instit. cap. 14. §. 31. Baptismum, Cœnam, & Ordinationem. At hic numerus, quemcunq; vult adversa pars, non invenitur in Scriptura evidenter definitus aut expressus; nullibi enim dicit, duo tantùm vel tria Sacramenta: undè necessariò adversarij fateri debent, qualemcunq; numerum excogitant, illum habere

non

non ex Scriptura, sed ex proprio sensu. Sacramenta verò ex Traditione Ecclesiæ, & Verbo DEI non scripto, Catholici credunt, Septem esse Novæ Legis, talemq; esse uniuscujusq; Materiam & Formam, qualem evidentissimè SS. Patres & Catholici Doctores ostendunt. *Sextum*, Parvulos esse baptizandos. Hoc enim nullibi in Scriptura invenitur, seclusâ Traditione, ut testatur Origenes in cap. 6. in Epist. ad Rom. *Ecclesia ab Apostolis Traditionem accepit, etiam parvulis Baptismum dare.* Et S. August. lib. 4. de Bapt. contra Donat. cap. 23. & lib. 10. de Genes. cap. 23. ait: *Consuetudo Matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis, nequaquam spernenda est, nec ullo modo superflua reputanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset Traditio.* Chemnicius in 5. genere Tradit. ait: *Affirmat Origenes & Augustinus, Baptismum parvulorum esse Traditionem Apostolicam, hanc recipimus; sed etiam idem Augustinus, & alias Traditiones affirmat Apostolicas. Ergo & aliæ sunt recipiendæ.* Respondent: Hæc unica est vera, aliæ falsæ, ideòq; non recipiendæ. Hoc argumento mirè vexant Anabaptistæ Lutheranos & Calvinistas, cùm habeantur pro hæreticis ab ijs utrisque, ex defectu hujus Apostolicæ Traditionis, Anabaptistæ. Undè objiciunt Lutheranis & Calvinistis, quòd in nulla Scriptura invenitur Baptismus parvulorum. Sicuti neq; hoc, quod Lutherani existimant, Baptismum sinè Fide Actuali nihil valere in parvulis, propterea credunt, dum baptizantur, actu credere infantes. Id non solùm Lutherus docet in cap. 3. ad Galat. & Chemnicius in Exam. Sess. 7. Conc. Trid. sed & Synodus Lutheranorum Wittembergæ hoc definivit; at hoc nullo modo ex Scripturis probari potest. Ubi enim Scriptura docet, uti ratione infantes, ante usum rationis, dum baptizantur? Respondent Lutherani & Calvinistæ Anabaptistis, non esse quidem in Scriptura Baptismum parvulorum, sed est Traditio Apostolica. Respondent Anabaptistæ: Vos negatis, dari Traditiones, quæcunq; illæ sint, extra Verbum DEI scriptum, quod solùm est sufficiens ad salutem; sed etiam & ista est extra Verbum DEI scriptum, ergo pariter neganda. Respondent Lutherani & Calvin. Negamus alias, quia in illis erravit, in hac verò non erravit Cathol. Ecclesia. Respondent Anabaptistæ: Si in alijs erravit, & in hac errare debuit; posito enim errore circa plures Traditiones, sequitur, quòd & circa hanc erravit, dicendo eam Apostolicam, sicut alias dicit Apostolicas, & vos illas negatis, tales esse. Hîc Lutherani & Calvinistæ constricti, vel debent reijcere Baptismum parvulorum, vel

Videtur contra rationem agere Chemnicius, cùm duorum Patrum testimonio suscipit unam hanc Traditionem, alias reijcit, cùm tot SS. Patres testentur de illis ultra S. Augustinum & Origenem.

Si actu credũt, dum baptizantur, debent recordari sui Baptismi.

debent, licèt inviti, fateri, quòd circa nullam Traditionem erravit Ecclesia, quamcunq; pro Apostolica agnoscit, & tradit credendum Fidelibus, cùm sit *Ecclesia columna & firmamentum veritatis*, habens assistentiam Spiritûs S. qui eam docet, quæ sunt veræ Traditiones, & quæ falsæ; hâc unicâ responsione possunt vincere Lutherani & Calvinistæ Anabaptistas. Hoc argumento pressus Lutherus, vel invitus debuit fateri aliquas Traditiones, qui ad duos Plebanos sic ait: “ Quòd dicant Anabaptistæ, nunquam in Scripturis haberi, quòd “ debeant baptizari infantes, fatemur nos, id nullâ Scripturâ pro- “ bare posse, quæ clarè &c. dicat, debetis pueros baptizare. Si quis “ nos urgeat, &c. nos tanquam victori cedamus oportet, nusquam “ enim scriptum invenimus: Boni autem, & ratione præditi Chri- “ stiani, tale nihil à nobis exigunt, faciunt id contentiosi tantùm, “ & præfracti homines, ut esse prudentes videantur; contrà verò “ nullam illi Scripturam proferunt, quæ dicat, debetis adultos ba- “ ptizare, non autem pueros. Mox ex Apostolorum Traditione in “ Ecclesia DEI observatâ docet, parvulos esse baptizandos, etiamsi “ nulla Scriptura faciendum id esse præcipiat. Ac sicut nuper in Eu- “ charistiæ Sacramento, ita nunc in parvulorum Baptismo defen- “ dendo. potissimùm nititur Ecclesiæ auctoritate. Sed parùm refert, quamvis Lutherus admittat, ex Traditione Apostolica Baptismum parvulorum & Eucharistiæ Sacramentum, & defendat, ex auctoritate Ecclesiæ illa procedere, cùm tamen alias Traditiones Apostolicas, similes Baptismo parvulorum, de quibus plures SS. Patres quàm de Baptismo parvulorum testantur, non recipit. Ore proprio judicavit, se esse contentiosum, & præfractum hominem, ut esse prudens videretur, cùm ejusdem Ecclesiæ auctoritate firmatas Traditiones, quas vult, recipit, quas vult, reijcit; & cùm Ecclesiæ auctoritatem. quam pro Baptismo parvulorum allegavit, contemnit, seipsum condemnat, & Anabaptistis victas dat manus, sibi ipsi Regula Fidei factus, cùm parvulorum Baptismum paucioribus Patribus attestantibus, etiam teste Chemnicio recipit, alias Traditiones, de quibus plures, & fermè omnes Patres testantur, & ab eadem Ecclesia procedant, reijcit. Undè verissima sententia Dreieri de Luthero completur, cùm ille reijciat Patres, & Ecclesiast. Traditioné, quòd nunquam potuerit probare suam orthodoxam sententiam, sed more aliorum hæreticorum, processit in reijciendis Traditionibus. Vide suprà pag. 211. & seq. quomodo ad amussim dictû

reiectis Traditionibus, Lutherus convictus ab Anabaptistis, debuit fateri invitus Traditiones & Auctoritatem Ecclesiæ, cùm non possit suo commento trahere Anabaptistas ad Baptismum parvulorum.

Dreieri Luthero conveniat. Ultimum tandem. Lutherus ait in Assert. Artic. 37. *Ego tamen & credo, Purgatorium esse, & consulo, suadeoq; credendum*, & tamen in eodem Articulo asserit, *Purgatoriū non posse probari ex Sacris literis*. Ergo Lutherus credebat aliquam Traditionem, quam dicit non esse in Sacris Literis, licet nos contrarium ostendemus, ex Sacra Scriptura probari Purgatorium, cùm de Purgatorio agemus.

Discursus Theol.

In quo fundamentali ratione probantur Traditiones, nempè quòd procedant ex voluntate DEI Traditiones.

SEcunda Ratio Catholica pro Traditionibus desumitur ex Voluntate DEI, quam sic formamus. Admittendæ sunt in Ecclesia Sacræ Traditiones, præsertim in statu Legis Evangelicæ, si DEUS eam voluerit in tali statu gubernari, non tantùm per Verbum suum scriptum, sed etiam per non scriptum, seu traditum. Sed ita DEUS voluit, Ergo: Major hujus argumenti est certa. Omnia enim, quæcunq; voluit DEUS, fecit. Minor probatur. *Primò*, omnibus Sacræ Scripturæ. & SS. Patrum authoritatibus superiùs adductis, siquidem nobis Divina voluntas potissimùm innotescit, ac manifestatur per S. Scripturam, juxta communem SS. Patrum sensum intellectam, & interpretatam. Cùm igitur juxta talem sensum Sacræ nos edoceant literæ Traditionum veritatem, & earundem observantiam nobis commendent. *State*, inquit Apostolus, *& tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam*. 2 ad Thess. 2 Ex quo loco, & alijs similibus, omnes ferè SS. Patres docent, utrumq; Verbum DEI, scriptum & traditum, pariter observare, ut supra ex illis clarè patuit. Nulli cordato viro rationale dubium suboriri potest, quin DEUS per Traditiones voluerit Ecclesiam suam regi, & gubernari. *Secundò* probatur eadem minor. Quia Christus in Novo Testam. nihil scripsit, nec unquam aliquid scribi præcepit, sed tantùm præcepit prædicari Evangelium omni Creaturæ, & ideò pauci ex Apostolis ac Discipulis scripserunt, omnes verò prædicationi operam dederunt: Cum enim prædicatio, quatenùs fit vivâ voce, ad Traditionem magis, quàm ad Scripturam pertineat, præsertim, quia

quia Apostoli diù prædicaverunt, antequam scriberent, videtur indè manifestè sequi, DEUM voluisse, non minùs vivâ voce, seu Verbo non scripto, quàm scripto, doctrinam Evang. primùm tradi, & ad nos pervenire, aliàs, si intenderet Christus suam doctrinam scribi, non verò primariè prædicari, debuerunt omnes Apostoli Evangelia scribere, sicut scripserunt duo, S. Matthæus, & S. Joannes. Confirmatur hoc magis, quia Apostolis & Evangelistis non fuit propositum, omnia dogmata ad Fidem & mores pertinentia, Scripto complecti, quia nullibi in Scriptura legitur, tale illis præceptum impositum fuisse, sed tantùm prædicandi, ut superiùs diximus. Tum quia hi Apostoli & Evangelistæ occasionaliter Evangelia scripserunt. S. Matthæus rogatu Hebræorum, à quibus erat discessurus ad Gentes. S. Joannes propter Ebionem, contra quem negantem, Divinitas Christi erat confirmanda. S. Marcus à Romanis compulsus. S. Lucas videndo aliquos Pseudo-Apostolos, qui abutebantur doctrinâ Christi. Hæc enim, & similia argumenta clarè ostendunt, eos non habuisse animum, omnia dogmata ad salutem necessaria conscribendi, sive conficiendi unum aliquod Corpus S. Doctrinæ, excluso quocunq; Jure non scripto. Si enim id voluissent, aut fuisset necessarium, debuissent inter se convenire, sicut convenerunt de Symbolo, quod ideò vocatur Symbolum Apostolorum, & tamen illud in nulla parte Scripturæ expresserunt. Idem sentiendum est de omnibus Epistolis eorum, quas semper occasionaliter scripserunt, orto aliquo errore in materia Fidei inter Fideles, ut patet ex Epistola ad Romanos, & in omnibus alijs, ut legentibus omnibus has Epistolas clarè patet. Si enim Scriptura simpliciter necessaria fuisset, sinè dubio præcepisset illam Christus; at nullibi hoc legimus, nisi prædicationem præceptam: *Prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Igitur concludendum est, Christum non minùs voluisse Ecclesiam suam Traditione, quàm Scripturâ subsistere, & conservari, imò forsan magis, quandoquidem à Christo non fuit impositum præceptum scribendi, sed solùm prædicandi, sive tradendi vivâ voce Legem Evangelicam, & hâc potissimùm ratione Lex Evangelica dicitur scripta, non ut Lex Vetus in tabulis lapideis, sed in cordibus, seu in tabulis cordis carnalibus, de qua prophetavit Jerem. 31. *Dabo Legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam*; quam Prophetiam de Lege Evangelica clarè expressit Apostolus ad Hebr. 9. ubi est sermo de Novo Testam. Et 2. Corint. 3. dum ait: *Epistola nostra*

vos

vos estis, scripta non atramento, sed Spiritu DEI vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Ideò enim Lex Evangelica vocatur scripta in cordibus, quia non tam per atramentum, quàm vivâ voce & Traditione sua docet Mysteria, qua de causa in primitiva Ecclesia, ubi de præcipuis Fidei Mysterijs agebatur, dicere solebant Patres, *nórunt Fideles, nórunt initiati*, acsi dixissent, non possunt hæc Pagani & Hæretici scire, quamvis Scripturas legant, quia per Traditionem, quæ inter Catholicos asservatur, illa cognoscuntur. Cùm enim duo sint, in Scriptura uoces scriptæ, & sensus in eis inclusus, licèt ex his duobus primum omnes habeant, secundum tamen, id est sensum verum, habere non possunt omnes, nec possunt in pluribus locis certi de illo esse, nisi Traditio Ecclesiæ & Majorum accedat, quod significare voluit S. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 27. dum ait: *Evangelium sinè Traditionibus non scriptis est purum nomen*, id est, *voces tantùm & verba sinè sensu.* Undè & Lutherus in Præfat. Historiarum, quæ contigit in Stasfort. An. 1536. vocat Scripturam librum hæreticorum, quâ malè utuntur ad suos errores, ideò, quia reijciuntur Traditiones, quæ secundùm S. Petrum apud Clementem sunt Clavis Scripturæ Sacræ.

Discursus Theologicus.

Quo ostenditur, quàm acerbo odio persecuti sunt Traditiones hæretici, incipiendo ab Ario, Macedonio, Pelagio, Nestorio, & alijs recentioribus, cùm per Traditiones hæreses & fraudes hæreticorum detegantur.

EFficacissima Ratio pro sententia Catholica & Traditionibus assumitur ex acerbo odio, quo semper omnes hæretici persecuti sunt Traditiones. Si enim ex communi consensu SS. Patrum omnium ætatum recipientium Traditiones, illasq; opponentium novis erroribus hæreticorum collegimus, supra eas admittendas, non minùs ex unanimi odio hæreticorum omnium ætatum in Traditionibus reijciendis, sequitur, eas in Ecclesia semper viguisse, nec reijciendas esse. Undè sic arguitur: Si Traditiones Sacræ non fuissent semper in Ecclesia, per quas tanquam per Verbum DEI non

scriptum, certamq; proinde Fidei Regulam, ac normam, tunc exortæ circa illius dogmata Quæstiones & Controversiæ terminarentur, non esset, cur omnium ætatum hæretici tam ferali & implacabili odio illas habuissent, sed in Ecclesiasticis Historijs nihil eis odiosius fuisse passim legitur. Ergo fatendum est, in Ecclesia semper extitisse Sacras Traditiones, per quas veritas Catholica patescit, & hæreses deteguntur. Major hujus argumenti est certa: ab hæreticis enim odio haberi non poterat, quod omninò non fuisset, aut ad confutandos eorum errores, nihil certi contulisset, ut satis ex se constat. Igitur, si tale illorum probetur odium, manifestum erit argumentum, Sacras Traditiones semper in Ecclesia fuisse, quodq; in omnibus retrò Sæculis ad illas tanquam ad sacram anchoram confugerint SS. Patres, Concilia, & quotquot Catholici unquam habiti sunt, quoties de dogmatibus Fidei exorta est contra hæreticos disputatio. Minor probatur, discurrendo per singula Ecclesiæ Sæcula, & natas in illis hæreses.

Etiam ex ipsis Dissidentibus patet, quoties veritatem assequi volebant, recurrebant ad Traditiones, vide supra p. 209 de Disp. in Alba Iulia, Vide etiam Dreterū pag. 211.

Primo loco sint Ariani, qui disputantes de Divinitate Christi Domini, nihil volebant admittere, nisi Scripturam. Ita testatur D. Hilarius lib. contra Constant. ubi Arianum hunc in modum introducit: *Nolo verba, quæ non scripta sunt, legi.* Et Maximinus, Arianorum Episc. cum S. August. disputaturus, init. lib. 1. ait: *Si quid de Divinis Scripturis protuleris, &c. hæ verò voces, quæ extra Scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur* Et ijdem Ariani apud Epiphan. Hær. 73. *Rejicimus Vocem Cōsubstantialem, Homousion, velut alienam à Divina Scriptura,* quam tamen, etsi nusquam scriptam, Sacratissima Synodus Nicæna I. contra illos sanxerat, ad SS. Patrum & Apostolicarum Ecclesiarum Traditiones potissimùm respiciens, circa An. Dñi 325.

Notent Dissidentes.

Macedoniani quoq; & Eunomiani, Divinitatis Spiritûs S. impugnatores, nolebant admittere hanc locutionem: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,* eò quòd non haberetur in Scriptura, de quibus S. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 25. & cap. 29. post longam cum illis altercationem, concludit: *Arbitror autem Apostolicum esse, etiam non scriptis Traditionibus adhærere.* Propterea Sacrosancta Synodus Secunda Generalis Constantinop. à majoribus per Traditionem, Divinam Spiritûs S. Naturam, à dictorum hæreticorum blasphemijs constantissimè asseruit; circa An. Dñi 379.

Ter-

Tertiò, Pelagiani, à Pelagio dicti, qui circa An. Dñi 415. cœpit docere, peccatum Originale non esse in hominibus: sinè gratia DEI posse implere omnia mandata; & alia ejusmodi, Sacrarum Traditionum hostes & inimicos satis sese declarârunt, dum apud S. Augustin. lib. de Natura & Gratia, cap. 39. ajunt: *Credamus quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus astruere.* Et tamen Lutherani Pelagianos pro hæreticis agnoscunt.

Quartò, Arius cum sua hæresi prostratus est in Concilio Nicæno I. Generali per Traditionem, per hanc vocem *Homousion*, quæ nullibi in S. Scriptura invenitur, vide suprà Disc. Auth. pag. 41. & sequ. Valentiniani & Marcionistæ Traditiones reijciebant, teste S. Irenæo lib. 3. cap. 2. & Tertull. de Præscr. Donatistæ quoque Scripturam crepabant, explicando illam ad suos errores, non admittendo Traditionem, per quam verus sensus illius cognoscitur, S. August. de Unit. Eccles. cap. 19. & alibi. Aerianos hæreticos Traditiones rejecisse, scribit Epiphan. Hær. 75. Idem de Eunomianis hæreticis ex S. Basilio lib. de Spiritu S. cap. 27. & 29. patet. Et hos omnes pro hæreticis habent tam Lutherani, quàm Calvinistæ, cùm ab Ecclesia annorum 500. sint damnati.

Quintò, Nestorius, qui circa annum Dñi 430. cæpit docere, B. V. MARIAM non esse Matrem DEI, & in Christo duas esse personas, alteram Divinam, alteram humanam, vide S. Cyrillum in Act. Concil. Ephes. I. circa An. Dñi 431. celebrati.

Sextò, Eutichete docente, ut Nestorio contradiceret, in Christo unam esse personam, & unam Naturam, diceteque, ut habetur in Concil. Chalcedon. Act. 1. contra ipsum & Dioscorum circa annum Dñi 461. celebrato: *In qua Scriptura* (aït) *iacent duæ Naturæ?* Idem Concilium Generale IV. impermixtas DEI & Hominis Substantias in unica Christi Persona, sive hypostasi, juxta Patrum, adeòque & Ecclesiæ Traditionem confirmavit, damnatâ hæresi Eutichetis & Dioscori.

Istos præcipuos priorum Sæculorum Hæresiarchas secuti sunt, eodemq; quo illi afflati spiritu, repudiârunt Apostolicas & Ecclesiasticas Traditiones. & ad solam Scripturam contentiosè provocârunt Lollardi apud Bernardum de Luxemburgo Catal. hæreticorũ, & Thomam Valdensem Tom. 1. doctr. cap. 3. Abaibardus, teste S. Bernardo Epist. 190. ubi aït: *Eum ab omnium Patrum Fide (adeòq; & Ecclesiæ Traditione, quæ potissimùm attenditur penes unanimem illorum*

rum sensum in aliquo Religionis dogmate) discredere non curâsse. Idem S. Bernardus, quem Lutherus, Calvinus, & Confessio Augustana agnoscunt pro Sancto, Hom. 66. in Cantica scribit, *Apostolicos ita dictos hæreticos rejecisse Traditiones.* Wiclefus in Supplem. Trialogi cap. 9. ac tandem fere omnes hujus Sæculi adversarij, qui tamen inter se non consentiunt; nam aliqui sine omni exceptione reijciunt omnes Traditiones, sive ad Fidem, sive ad externum DEI cultum spectantes, & nihil aliud volunt esse credendum, quàm quod Scriptura expressum habet, quam ipsi explicant, ut illis placet: alij quasdam admittunt Traditiones, quas volunt, quas nolunt, reijciunt, ut superius patuit.

Vide supra p. 100 & 101

Alij tandem utuntur distinctione, & ajunt, admitti posse Traditiones de rebus adiaphoris, non autem de rebus ad salutem necessarijs. Sed hoc falsum manifestè patuit, quòd præcipua dogmata consistunt in Traditionibus, quæ Ariani, Macedoniani, Pelagiani, Nestoriani, Eutiches, & alij hæretici negârunt: Catholica autem sententia claré patuit, quòd DEUS voluerit, Ecclesiam suam æquè per Traditiones, ac per Scripturas gubernari in rebus, etiam ad Fidem & mores spectantibus, prout hucusq; demonstratum est. Sicut & hoc, quòd semper SS. Patres omnium Sæculorum, & Catholici defenderunt Traditiones; hæretici è contrà semper illas oppugnârunt. Et concludo cum S. Augustino lib. contra Donat. *Fecerunt scissuram, & Altare contra Altare. Diabolo se tradiderunt, cùm pugnant de Traditione.*

ideò scissi sunt in partes minutas.

Discursus Theol.

De Vijs seu Regulis, quibus Traditiones cognoscuntur.

HAbitâ notitiâ Traditionum, quæ negari non possunt, nisi à veritatis inimicis, ut demus occasionem magis agnoscendæ veritatis, rectè instituimus Discursum:

Quibus vijs seu Regulis possunt agnosci veræ Traditiones, ut magis appareat falsa imputatio, quasi ex levi causa admittantur Traditiones in Ecclesia Catholica Romana.

Multi hæretici olim libros Apocryphos pro Canonicis venditare, & ipsos Canonicos corrumpere, in suarum hæresum confirmationem semper conati sunt. *Omnes namq; hæretici* (dicit S. Cyrillus in Epist. quæ habetur in Concil. Chalced.) *de Scriptura Divinitùs inspirata sui*

colligunt erroris occaſiones. Et Tertull. ante Cyrillum de Præſcr. cap. 10. ait: *Nec periclitor dicere, ipſas quoq; Scripturas ſic eſſe ex DEI voluntate diſpoſitas, ut hæreticis materias ſubminiſtrent, cùm legam, oportet hæreſes eſſe, quæ ſinè Scripturis* (malè ſcilicet intellectis) *eſſe non poſſunt.* Pertinuit ad ſuavitatem Divinæ Providentiæ, in ſua gubernanda Catholica Eccleſia, quòd ſicut in ea non defuerunt Regulæ, vel Notæ, quibus libri Canonici, legitimiq; illorum ſenſus, ab Apocryphis & falſis diſcernerentur, non deeſſent quoq; ſuæ Regulæ, ſeu Notæ, quibus legitimæ Traditiones ab illegitimis dignoſcerentur, ut ſic tam S. Scripturæ, quàm Traditionibus (cùm DEUS per utrumq; voluerit regi ſuam Eccleſiam) ſua tribueretur auctoritas & certitudo, cùm ad invicem de ſe teſtificantur. Scriptura enim Traditiones multis locis tenendas oſtendit: Traditiones verò verum & legitimum ſenſum Scripturæ diſtinguunt à falſo & hæretico.



Lapis lydius ex Vincent. Lirin. quomodo cognoſcendum ex Traditione, quis eſt Catholicus, & quis hæreticus. Vide ſupra pag. 44. poſt medium, Verſ. 6 & ſeq.

Prima ergo *Regula* eſt agnoſcendarum legitimarum Traditionum, quando univerſa Eccleſia de unanimi conſenſu SS. Patrum aliquid amplectitur, quod non invenitur in Divinis literis, neceſſe eſt dicere, ex Apoſtolorum Traditione id haberi, ſecundùm Regulam S. Auguſtini ſuperiùs citati. Ratio hujus eſt, quia cùm Eccleſia univerſa errare non poteſt, cùm ſit *columna & firmamentum veritatis*, & de ea dictum ſit à Domino, *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Quod ergo Eccleſia de Fide credit, ſinè dubio de Fide eſt: at nihil de Fide eſt, niſi quod DEUS per Apoſtolos tradidit, aut Scripto, aut Verbo. Talia ſunt: Conſubſtantialitas Filij cum Patre; duæ Naturæ in Chriſto Domino; Proceſſio Spiritûs S. à Patre & Filio; perpetua Virginitas B. V. MARIÆ; Numerus Sacramentorum, & Librorum Canonicorum; Materia & Forma Sacramentorum; & ſimilia.

Secunda Regula. Quando univerſa Eccleſia aliquid ſervat, quod nemo conſtituere potuit, niſi DEUS, quod tamen nuſquam invenitur ſcriptum, neceſſe eſt dicere, ab ipſo Chriſto & Apoſtolis ejus traditum. Unde Vinc. Lirin. dicit: *Proprium eſt dogmatum Catholicorũ, non habere principia, quia referuntur vel ad Chriſtum, vel Apoſtolos, inſtituta ab illis.* Ratio ſimilis ſuperiori. Nam Eccleſia univerſa non ſolùm non poteſt errare in credendo, ſed & nec in operando, ac præſertim in ritu & cultu Divino, ut rectè docet S. Auguſt. Epiſt. 118. *Inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe, exiſtimare, non rectè fieri, quod ab univerſa Eccleſia fit.* Tale eſt Baptiſma parvulorum, quod licèt nullibi ſit



scriptum, nisi in libris veterum Patrum, & auctoritate Ecclesiæ venit ad nos, ut suprà Lutherus fassus sit vel invitus, strictus ab Anabaptistis, de Baptismo parvulorum, vide suprà pag. 294. tamen observat Ecclesia, quia scit, certissimam esse Apostolicam Traditioné, quod etiam observant nobiscum Lutherani & Calvinistæ contra Anabaptistas, & exindè illos habent pro hæreticis, quod non recipiant Baptismum parvulorum, undè cuiq; mirum videri debet, quòd Lutherani & Calvinistæ hanc unam recipiant Traditionem, & alias similes, quæ sunt ejusdem evidentiæ, & ejusdem Ecclesiæ auctoritate, & SS. Patrum pluribus testimonijs probantur, reijciant, & non acceptent, videat quisque, si hoc secundùm rectum judicium fieri potest. Idem dicendum de validitate Baptismi ab hæreticis collati, si ad intentionem Ecclesiæ baptizant, & debitam materiam & formam adhibent.

Tertia Regula est. Id quod in universa Ecclesia, & omnibus rerò temporibus servatum est, meritò ab Apostolis creditur institutũ, etiamsi tale illud sit, ut potuerit ab Ecclesia institui. Hæc Regula est S. Augustini lib. 4. contra Donat cap. 24. Exemplo est Jejunium Quadragesimæ, id enim poterat ab Ecclesia institui, si Christus vel Apostoli non instituissent, tamen probamus, à Christo vel Apostolis institutum, quia sursùm ascendentes, & quærentes originem hujus instituti, non invenimus, nisi tempore Apostolorum, etiamsi Calvinus lib. 4. Instit. cap. 12. §. 20. doceat, Quadragesimam meram superstitionem, nec à Christo, nec ab Apostolis traditam, sed à posterioribus excogitatam. Sed contrarium verum sic ostenditur. S. Bernard. Serm. 3. de Quadrag. ante Bernard. Gregor. Hom. 16. in Evang. ante Gregor. Leo in Serm. 12. de Quadrag. ante eum Augustinus in Epist. 117. & 119. & Serm. 44. de Quadrag. ante eum Hieron. in cap. 9. Matth. & in cap. 3. Jonæ, & in Epist. ad Marcell. de erroribus Montani ait: *Non unam Quadragesimam ex Apostolica Traditione tempore nobis congruo ieiunamus.* Undè apparet, quòd Montanus hæreticus negârit Quadragesimam. Chrysost. Hom. 1. in Genes. ante illum Ambros. Serm. 8. de Quadrag. Epiphan. in Compend. doctr. Basilius Orat. 2. de Jejunio, Nazianz Orat. in S. Lavac. Cyrillus Catech. 1. ante hos Origenes Hom. 10. in Levit. ante Irenæum apud Euseb. lib. 5. Hist. cap. 24. ante eum Telesphor. Papa & Mart. Epist. Decretal. ante eum Ignatius in Epist. ad Philipp. & Clemens lib. 5. Constit. c. 13. tandem Canon 68. Apostolorum, & nullus ex antiquis contradixit.

Quar-

Quarta Regula. Cùm Doctores Ecclesiæ communi consensu docent, aliquid ex Apostolica Traditione descendere in Concilio Generali, congregati vel plures & præcipui extra Concilium, alij verò non contradicant, illud credendum est, Apostolicam esse Traditionem. Ratio est hujus Regulæ. Quia si Doctores Ecclesiæ, cùm in aliqua sententia conveniunt, errarent, tota Ecclesia Universalis erraret, quæ Doctores suos sequi tenetur, quos DEUS posuit ad regendam eam, ut testatur Apostolus: tamen errare non potest, secundùm promissum Christi, *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Exemplum est Imaginum Veneratio, quam esse ex Apostolica Traditione, asseruerunt Doctores Ecclesiæ congregati in Concilio Generali Nicæno II. Act. ultimâ. Ratio hujus, quia multa erant in Ecclesia primitiva, per Traditionem accepta, ita notissima in Ecclesia, ut illa hæretici negare erubuerint, undè tunc, nullâ de illis quæstione exortâ, Patres etiam siluerunt, qui nisi occasione hæresum vel maximè expungendo errores scribebant, ut manifestè loquitur S. Basilius Epist. 78. Et S. Hieron. Epist. ad Pammach. *Tunc quæstio fuit de Filio, non de Spiritu S. Confessi sunt, quod negabatur: tacuerunt, quod nemo quærebat.* Quando verò aliquis ex Veteribus erravit in re gravi, statim multi contradixerunt, ut patet in Origene & Tertulliano. Hâc Regulâ probamus, Apostolicam Traditionem esse ritus, qui servantur in Baptismo, quòd qui baptizatur, baptizetur aquâ prius à Sacerdote benedictâ, quòd jubeatur abrenunciare Satanæ, & pompis ejus, quòd signetur Signo Crucis, quòd ungatur Oleo benedicto, &c. id disertè asserunt S. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 27. Tertull. de Corona Milit. S. August. lib. 2. cont. Donat. cap. 4. ait: *Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissimâ auctoritate firmati.* Nemo autem unquam his ritibus contradixit, & plures ex Veteribus illorum meminerunt, tanquam in Ecclesia ab omnibus per Traditionem receptorum. Undè Hermannus, videns tam indefessum defensorem Traditionum S. Augustinum cum alijs Patribus, non erubuit exclamare: *Cur, Augustine, extra Scripturam Traditiones cum alijs Patribus Ecclesiæ obtrudis?* Responsio in promptu: Quia omnes hæretici semper hostes erant Traditionum, & SS. Patres illas defendebant, ut ipsemet Hermannus agnoscit, & mirum est, quòd dixerit, extra Scripturam Traditiones obtrudere, cùm S. Scriptura tam claré, & tam sæpè præcipiat Traditiones tenendas, ut superiùs patuit; Deindè, numquid

doctior

ad Ephes. 4.
Matth. 16.

doctior Hermannus Calvino & Luthero, qui in defens. Verbi Cænæ Dni ait: *Meo sanè judicio, post Apostolos Ecclesia non habuit meliorem Augustino*. Et Calvinus lib. 3. Instit. cap. 3. §. 10. ait: *Ax Augustino sumant Lectores, si quid de sensu Antiquitatis certum habere volunt*, multò magis, cùm alij plures SS. Patres de Traditionibus testantur, ut ipse fatetur Hermannus, Traditiones tenendæ.

Quinta Regula. Id sinè dubio credendum esse ex ApostolicaTraditione, quod pro tali habetur in illa Ecclesia, ubi est integra, & continuata Successio ab Apostolis. Hanc Regulam tradit Irenæus lib. 3. cap. 3. Tertull. lib. de Præscr. S. August. lib. 1. contra Crescon. c. 33. *Quamvis certum de Scripturis non proferatur exemplum, tamen earundem Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm id facimus, quod universæ placet Ecclesiæ*. Ratio Regulæ est. Quia Apostoli tradiderunt Successoribus suis cum Officio Episcopatûs etiam doctrinam Religionis. Si ergo in Ecclesia, ascendendo per Episcopos sibi succedentes, perveniamus ad Apostolos, & non possit ostendi, quòd ullus eorum Episcoporum introduxerit aliquam novam doctrinam, certi sumus, illam esse Apostolicam Traditionem, quod S. August. lib. 4. de Baptis. contra Donat. cap. 24. expressit: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur*. Et lib. 4. cap. 6. *Illa consuetudo, quam & tunc homines sursùm versùm aspicientes, non videbant à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita creditur*. Ex ignorantia hujus Regulæ Lutherus graviter erravit, putans esse abusus Pontificum, quæ Ecclesia per Traditionem acceperat, & tamen probare non potuit, sub quo Pontifice aliquis prætensus abusus irrepsit, nec posteri illius probârunt. Voluit quidem Calvinus & Chemnicius, sed vano conatu, nam ex ignorantia aliqua objecerunt, quæ cum veritate non cohærent, ut inferiùs mox ad oculū patebit p. 506.

Vide suprà Notam de Ecclesia Apostolica pag. 109 & sequ.

Sed & ipsi adversarij, licèt pugnent contra Traditiones, tamen præcipuas nobiscum tenent, ut suprà dictum est. Tenent nobiscum ex Traditione quatuor Evangelia Ecclesiæ; in nulla enim Scriptura habetur, quòd hæc, & non alia Evangelia, sint vera Evangelia: tenent Symbolum Apostolorum, Symbolum S. Athanasij, quæ in nulla S. Scriptura inveniuntur: tenent Baptismum parvulorum contra Anabaptistas: tenent validum esse Baptismum hæreticorū, si ad intentionem Ecclesiæ baptizent: tenent Processionem Spiritûs S. à Patre & Filio: tenent duas Naturas in Christo Domino: tenent

hoc

hoc verbum *Homousion* contra Arianos: tenent B. V. MARIAM Matrem DEI contra Nestorium, ex Concilio Ephesino: credunt perpetuam Virginitatem illius, etiam post partum: credunt diem Dominicum solemnem, non diem Sabbathi; & multa alia. Si ista credunt, quæ ex Traditionibus sunt, quare alia non credunt? cùm ejusdem Ecclesiæ, quæ ipsis eâdem fidelitate & certitudine credenda proponit, sicut illa, quæ credunt. Undè hoc habent? quòd illa credant, illa non credant, cùm æqualis certitudo Ecclesiæ sit circa omnia, quæ illi credunt, & quæ rejiciunt, vel ergo credant omnia, vel reijciant omnia. Si credunt omnia, credunt tanquam columnæ Ecclesiæ, contra quam portæ inferi non prævalebunt; si reijciunt aliqua, arguunt Ecclesiam gravissimi erroris, & dant occasionem Paganis, & alijs hæreticis, ut obijciant illis, quòd non sint securi de illis, quæ credunt, cùm habeant illa ab illa Ecclesia, in quibus illam judicant errâsse, quæ non recipiunt, & semper obijcient illis: dicitis, Ecclesiam errâsse in his, quæ non recipitis, etiam in his, quæ recepistis, errare potuit; posito enim Ecclesiæ uno errore, omnia jam sunt, & Fides vestra suspecta. Si ergo Protestantes alias Traditiones, quæ versantur circa dogmata Fidei, nobiscum credunt. non habent rationem, nec sunt excusabiles coram DEO, ut nobiscum non credant alias Traditiones, quæ versantur circa ritus & cæremonias, quas Ecclesia accepit Traditione, per eandem viam, per quam illas accepit, quas nobiscum credunt, quid repugnat? ut illa non suscipiant, susceptis alijs, & per hanc differentiam maneant in Schismate, cùm illud separat à DEO & Ecclesia, ex quacunq; causa sit, & solum hoc unicum sufficit ad æternam damnationem.

Vide suprà pag. 90 & seq.

Discursus Theolog.

De sinistris Opinionibus & Objectionibus, quas Dissidentes habent contra Traditiones.

VIdeamus modò Opiniones, quas habent adversarij circa Traditiones, & quid imputent Catholicis, non attentâ distinctione Traditionum, ex Regulis suprà positis SS. Patrum, quibus veræ à falsis dignoscuntur Traditiones. Calvinus lib. 4. Instit. cap. 10. §. 19. ait: *Romanenses Magistri extorquere volunt, ut nulla sit apud eos cæremoniola, quæ non pro Apostolica censeatur.* Sed non hoc dicimus, sed eas

Superiùs patuit, quàm graviter Calvinus in hac Objectione erraverit.

eas tantùm recipimus pro Apostolicis, quas firmis testimonijs Antiquorum probare possumus, secundùm suprà dictas Regulas. Non enim dicimus, omnes Apostolicas, quia & Ecclesiasticas assignavimus Traditiones: undè mirum est, quòd hæc objicere Calvinus ausus sit. Undè apparet, quòd Calvinus ignoraverit prædictas Regulas, & ex ignorantia illarum, hæc temerariè objecerit. Commune enim est, sic agere adversarijs, quasi ipsi Scripturas tantùm, nos Traditiones tantùm defendamus, neq; curemus, an Traditiones sint secundùm Scripturam, an contra Scripturam; at non ita est, nam Scripturam nos pluris facimus, cùm illam non interpretamur, nisi sensu Ecclesiæ, cum unanimi consensu SS. Patrum, alium non recipimus; illi verò contrarium faciunt, unusquisq; secundùm suum privatum spiritum interpretatur: nec ullam Traditionem admittimus contra Scripturam, & ideò hucusq; non ostenderunt, quænam illa sit in particulari, quæ pugnat contra Scripturam.

Objicit Calvinus lib. 4. Instit. cap. 19. §. 24. & dicit, Ordines Minores esse inventum Novitium, de quibꝰ nusquam legitur, nisi apud ineptos, rabulas Sorbonistas & Canonistas. At nos contrarium verum ostendemus ex Regula posita, esse Apostolicæ Traditionis. Nam ante omnes Sorbonistas & Canonistas, Isidorus lib. 7. Etymol. cap. 12. enumerat singulos Ordines: ante Isidorum Concilium Carthagin. IV. in quo à Cap. 1. usq; ad 10. traditur, quo ritu ordinentur Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Lectores, Exorcistæ, Ostiarij: ante hoc Concilium fuit Hieron. qui in Cap. 2. ad Titum enumerat Ordines omnes, præter Acolythos, quorũ meminit in Epist. ad Nepotian. de Vita Cleric: ante Hieron. fuit Concilium Laodicenum, in cujus Capite 20. est mentio Diaconi & Subdiaconi, & Cap. 23. Lectoris & Cantoris, & Cap. 24. nominantur omnes Ordines minores: ante hoc Concilium Cornelius Papa & Martyr, in Epist. ad Fabium Antioch. ut est apud Eusebium lib. 6. Hist. cap. 33. qui asserit, in Ecclesia Romana suo tempore fuisse præter Episcopum, Presbyteros 46. Diaconos 7. Subdiaconos 7. Acolythos 42. Exorcistas cum Lectoribus & Ostiarijs 52. Sed & ante Cornelium Ignatius, qui fuit Discipulus & Successor Petri, salutat nominatim omnes Ordines, in Epist. ad Antiochen. Quomodo ergo Calvinus veneratur Primitivam Ecclesiam Annorum 500. Si hos rejecit Ordines, dicendo, inventum Novitium, vel consultò, vel ex ignorantia hæc dixit, & fecit utrumq; malum, in re tam gravis momenti

celebratum Anno 398

celebratum tempore S. Sylvestri.

Anno 254 in Pontificatum assumptus.

crassa ignorantia Calvini de Sacris Ordinibus.

menti errare, ubi agitur de legitima Ordinatione Miniſtrorum Eccleſiæ, & conſecratione panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, quæ nulla eſt ex defectu Sacrorum Ordinum, & legitimæ Succeſſionis Apoſtolicæ, ſuppoſitâ tali, & non aliâ, Chriſti & Apoſtolicâ Traditione & Ordinatione, de qua vide ſuprà pag. 113.

Quæ ſollicitudo fuit in primitiva Eccleſia de Ordinibus, & quare, vide ſupra pag. 113

Objicit aliqua Chemnicius, quæ breviter examinemus. Objicit *primò*, totum Canonem Miſſæ eſſe ex Apoſtolica Traditione, ſi quis dubitare ſe oſtenderit, anathemate percellitur. ℞. Nemo ex Catholicis dicit, quòd totus Canon ſit ex Apoſtolica Traditione, quare Chemnicius non oſtendit, in quo Catholico Authore hoc legerit, quod tam audaciter affirmat; at Catholici ſemper conſtantes hoc dicunt, quod verum eſt, non totum Canonem, ſed ſummam & præcipuam partem illius, aſſerunt ex Apoſtolica Traditione, cùm poſteà alij Pontifices antiquæ Eccleſiæ, alios Sanctos appoſuerunt, neq; in his Subſtantia Sacrificij conſiſtit, quæ ſunt per modum accidentis, ſed in Oblatione, quam certò Chriſtus docuit Apoſtolos, ab Apoſtolis pervenit ad nos.

Secundò objicit. Alexander aquam vino eſſe miſcendam in celebratione Euchariſtiæ ſtatuit; idem aquam & ſalem benedictum inſtituit. Igitur falsò iſti ritus ad Apoſtolorum Traditionem revocantur. Sed contrarium in Epiſtola 1. Alexandri legimus, in qua ait: *Repulſis opinionibus ſuperſtitionum, panis tantùm & vinum aquâ permixtum in Sacrificio offerantur; non debet enim (ut à Patribus accepimus, & ipſa ratio docet,) in Calice Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri.* Verũ itaq; eſt, quod dicit Cyprianus lib. 2. Epiſt. 3. *hanc eſſe Divinam Traditionem*, Alexander enim ſatis apertè indicat, non à ſe incepiſſe hunc uſum, cùm eum à Patribus accepiſſe indicat. Deindè, ſi Eccleſiam primitivam annorum 500. dicant ſe venerari, quare illam errorum arguunt? Idem dicendum de Aqua benedicta, quòd ſit Apoſtolica Traditio, ex Clemente lib. 8. Apoſtolicar. Conſtit. & ex S. Baſilio lib. de Spiritu S. cap. 27.

Sacrificij quàm antiqua ſit Oblatio, cùm S. Alexander inclytus Martyr vixerit An. D. 100 quam dicit ſe à Patribus accepiſſe.

Tertiò objicit Chemnicius. Teleſphorus Jejunium Quadrageſimale inſtituit. Sed contrarium ex Epiſtola Teleſphori patet, in qua non dicit, ſe inſtituiſſe Jejunium Quadrageſimæ, ſed tantùm, ut Clerici ad ſolitum Jejunium adderent tres dies Jejunij, id eſt, ut abſtinere à carnibus inciperent in Dominica Quinquageſimæ, his verbis: *Cognoſcite,* (ait) *à nobis, & à cunctis Epiſcopis, in hac S. & Apoſtolica Sede congregatis, ſtatutum eſſe, ut ſeptem hebdomadas plenas ante S.*

Pascha, omnes Clerici à carne ieiunent. Undè optimè cohæret, quod dicit S. Hieron. in Epist. ad Marcell. de erroribus Montani: *Quadragesimam ab Apostolis institutam, Traditione non scriptâ.*

Quartò obijcit. Higinus Chrisma instituit. Sed nihil tale in Epistolis Higini invenitur, nec alibi apud eundem, nisi quod S. Fabianus Papa in Epist. 2. docet, *Chrisma singulis annis renovandum, & quòd sic Apostoli instituerint.*

Quintò obijcit Chemnicius. Felix IV. instituit, ut infirmi ante obitum ungantur. Nos verò legimus Marci 6. Apostoli *ungebant Oleo multos ægrotos, & sanabant.* Et Jacobi 5. præcipitur, ut Presbyteri ungant ægrotos Oleo, & orent pro ipso. Et Innocentius I. Felice IV. centum propè annis antiquior, in Epist. 1. ad Decenn. c. 8. Unctionem infirmorum Sacramentum Ecclesiæ esse dicit.

Sextò obijcit. Siricius memoriam & invocationem Sanctorum Missæ addidit. Sed Cyrillus Hierosol. Siricio antiquior, in Cateche. 5. Mystagogi ait: *Cùm hoc Sacrificium offerimus, facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormierunt, primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut DEUS Orationibus illorum suscipiat preces nostras.* Similem in Liturgia S. Basilij, qui antiquior fuit Siricio, invenimus memoriam fieri, & invocationem Sanctorum, & in alijs Liturgijs, ut S. Chrysostomi.

Septimò obijcit. Pelagius memorias mortuorum anniversarias Missæ addidit. Sed Tertull. longè Pelagio antiquior, lib. de Monoga. meminit anniversariæ Oblationis pro defunctis, & lib. de Coro. Mil. Suffragia pro defunctis, dicit ex Apostolica Traditione. Idem affirmat S. Chrysost. Hom. 69. ad popul. *Non temerè hæc ab Apostolis sancita fuerunt, ut in tremendis mysterijs defunctorum agatur Commemoratio. Sciunt enim, indè multum illis contingere lucrum, utilitatem multam.* Et Hom. 41. in 1. ad Corint. *Juvetur mortuus non lacrymis, sed precibus, supplicationibus, & eleëmosynis.* Et infra: *Ne fatigemur mortuis auxilium ferre, preces pro illis offerentes.* Imò S. Dionysius Martyr inclytus, Discipulus Apostolorum, qui vidit illorum tempora, de Ecclesiast. Hierar. cap. 7. par. 3. ait: *Accedens deindè Venerandus Antistes, precem sacram super mortuum peragit, precatur Oratio illa Divinam Clementiam, ut cuncta dimittat, per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumq; in luce constituat, & regione vivorū.* His similia habent Athanasius, Gregor. Nazianz. Cyprian. Ambros. Hieron. August. Gregor. Magnus. Si hæc legisset Chemnicius, fortè respon-

respondisset, quod respondit Calvinus lib. 3. Instit. cap. 5. §. 1. *Ante mille trecentos annos usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis.* Ista Confessio Calvini est sufficiens ad probandum Purgatorium ex Calvino, cùm fierent precationes circa An. 200. nec ullum fuisse ex antiquis Patribus, qui his precationibus pro mortuis restiterit, nisi solus Aerius, quem & nos, & Lutherani pro hæretico habent, fortè & Calvinistæ.

Sunt aliæ Objectiones contra Traditiones adversariorum, *sed non adeò formidabiles,* quæ licèt ex S. Scripturâ sumuntur, tamen nihil directè vel indirectè contra Traditiones aliquid probare possunt, si sensus Scripturæ, quo abutuntur, intelligatur genuinus & proprius, ut mox patebit.

Prima Objectio est Ezech. 20. *In præceptis Patrum vestrorum nolite incedere, nec Judicia eorum custodiatis, nec in idolis eorum polluamini.* Sed paulò superiùs videnda est Scriptura, de quibus Patribus loquitur, ut in præceptis illorum non incedamus. Subjicio textum superiorem ejusdem Cap. Ezech. *Judicia mea projecerunt, & in præceptis meis non ambulaverunt, & sabbatha mea violaverunt, post idola enim cor eorum gradiebatur.* Hinc manifestè patet, quòd Spiritus S. per os Prophetæ locutus sit, non de SS. Patribus, & Ecclesiæ Cathol. Doctoribus, nec de Traditionibus eorum, sed de Patribus Judæorum Idololatrarum, qui sæpiùs post egressum ex Ægypto DEUM suum fontem vivum dereliquerunt; aliter enim Prophetæ loquuntur de operibus malis, aliter de bonis, hinc Isaias c. 51. *Attendite ad Abraham Patrem vestrum.* In Ecclesia autem Cathol. quos DEUS constituit regere Ecclesiam suam, jussit audire illos, quamvis non semper rectè vivant, Matth. 23. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate, & facite; secundùm verò opera eorum nolite facere.* Nihil ergo SS. Patribus ejusmodi objici potest, qui semper incorrupti testes fuerunt Apostolicarum Traditionum, ut non incedamus præceptis illorum, quorum si inspiciamus vitam, sancta fuit; si doctrinam, sanctissima, & universali consensu Ecclesiæ receptissima, hos enim nobis Deus Ephes. 4. dedit Pastores, & Doctores, & Magistros. Auctoritas ergo Scripturæ currit contra Patres prævaricatores in Judaismo, non contra Ecclesiæ Doctores, quos DEUS dedit ad regendam Ecclesiam.

Secunda Objectio Isaiæ 29. *Invanum colunt me, docentes mandata & doctrinas hominum.* Et Matth. 15. *Irritum fecistis mandatum*

DEI, propter Traditionem vestram. ℞. Ex his locis nihil colligi contra Traditiones Novi Testam. Isaias enim in Veteri Lege Traditiones Judæorum reprehendebat, quas habebant superstitiosas, quas etiam Apostolus ad Tim. 1. vitare jubet, *Ne intendas fabulis Judaicis.* Et Christus Dominus de ijsdem eosdem reprehendit, cui cùm objecissent vanam Traditionem, *Quare Discipuli transgrediuntur Traditionem Seniorum? manducant enim panem non lotis manibus*; hanc, & similes reprehendit Christus: *Non lotis manibus manducare panem, non coinquinat hominem.* Undè non rectè procedunt adversarij, quòd Christus & Propheta in Judæis reprehendebat vanas Traditiones, illi contrà veras & Apostolicas Traditiones, in Ecclesia semper observatas, Sacrâ Scripturâ abutuntur.

Tertia Objectio ad Galat. cap. 1. *Licèt nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Hic locus S. Scripturæ retorquetur in adversarios qui evangelizant aliquid, præter id, quod Apostolus evangelizavit, qui oppugnant Traditiones, contra id, quod Apostolus dixit: *Tenete Traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam.* Deindè ex hoc loco clarè patent Traditiones, quia non dixit Apostolus, quæ scripsimus vobis, sed, quæ evangelizavimus vobis, id est, quæ per sermonem tradidimus, ergo aliquid servandum est sub anathemate, quod Apostolus evangelizavit, non solùm, quod scripsit, scilicet S. Scripturam, & Traditiones. Videantur & aliæ similes his Objectiones, & satis sufficientes Responsiones ad illas in Catholicis Authoribus.

Ultimatè evidentissimâ ratione, convincente intellectum prudentis viri, probantur Traditiones. Numquid Fidelium ullus primi Sæculi potuit habere Regulam suæ Fidei integram Scripturam? Quomodo crediderunt Fideles, antequam scriberet Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, Evangelia, quæ occasionaliter scripserunt, ut superiùs patuit. Quomodo totus Orbis prædicantibus Apostolis credidit? numquid omnes Apostoli vel Scripturam, vel Evangelia illis scripserunt, & quatuor tantùm numerantur: numquid Thomas Evangelium Indis reliquit? numquid Simon & Judas Mesopotamiæ & Ægypto sua Evangelia scripta tradiderunt? O ineptiam! exclamat S. Augustinus. Ergo Fides Christianorum, debes fateri, primis Sæculis Traditionibus non scriptis innixa fuit. Tu verò aliam Fidem habes, non Christianam, qui Fidem Traditionibus innixam subsannas,

nas. At inquis, quod annunciatum fuerat Spiritu Divino, ſcriptum eſt eodem Spiritu. At quo teſte hoc dicis? niſi Eccleſiâ: numquid tibi Chriſtus hæc de Cœlo annunciavit? non credo. Numquid aliquis ex Apoſtolis? at omnes mortui ſunt ante mille ſeptingentos annos. Quis ergo? Eccleſia dicis, idq; poſt mortem Apoſtolorum: at iſta æquè teſtatur Verbum non ſcriptum, & ſcriptum, à Divino Spiritu manare. Si tibi mentitur Eccleſia, non ſcripto credendum dicens, quidni mentiatur, ſcripto credendum aſseverans. Ergo vana eſt Fides tua, cùm primum fundamentum, & cauſam priorem Fidei evertis, cùm Traditionem eliminare conaris, & vis, ut effectus ſit ſinè cauſa, ut effectus majorem habeat certitudinem, quàm cauſa. Si ergo Traditio apud te nutat, quæ eſt cauſa Scripturæ? neceſſe eſt, ut nutet & Scriptura, quæ eſt effectus Traditionis? Sic fiet, cùm Traditionem parvi pendas, Scripturam etiam parvi pendas, neceſſe eſt. Conſequenter myſteria Fidei tuæ erunt vana, cùm præcipua Traditionibus innitantur: ſic & Evangelia alia ſuſcipere debes, quia hæc quæ habes, ab illa Eccleſia habes, quam dicis erràſſe in hoc, quòd tibi Traditiones non ſcriptas obſervandas tradit. O ineptiam! cum S. Auguſtino iterum exclamo. Undè veriſſimè dixit S. Baſilius: *Si Traditiones rejiciantur, neceſſe erit, multa damnare, rejicere, reprobare, abolere, plura tollere, quæ in Evangelio neceſſaria ad ſalutem habentur.*

Conſultò hos duos Diſcurſus de S. Scriptura, & de Traditionibus longiùs protraximus, ut daremus occaſionem inter litigantes partes de Religione mutuæ pacis. Hæ enim duæ Controverſiæ, de Verbo ſcripto & tradito, ita principantur inter alias, ut ſi vel in his duabus mutuus fieret conſenſus, non multum laborandum eſſet de perfecta concordia. Controverſiam enim tum de Regula credendi, tum de Judice Controverſiarũ infallibilem eſſe hujusmodi, ex cujus concordi deciſione, perfecta inter partes ſequi videtur unio, apud omnes in confeſſo eſt. Ubi enim convenimus, non ſolùm Verbum ſcriptum, ſed etiam Verbum traditum, illud quod verè Apoſtolicum ab univerſa Eccleſia creditur, eſſe Regulam credendi. Iterum, ubi Eccleſiæ judicium infallibile in Concilijs Generalibus, de tali, & non alio ſenſu recognoſcimus, nihil reſtare videtur, niſi jungere manus, & ſi non cum omnibus, ſaltim cum his, qui veritatem amplecti volunt, & ſincerè optant ſalutem animarum ſuarum.

Diſcur-

Discursus Theol.

Quare Deus voluit, ut observentur Traditiones

PRimò, ut implerentur multa loca S. Scripturæ, inprimis illud: *Qui vos audit, me audit*; & illud: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete illis*; & illud: *Omnis Potestas à DEO*; & illud: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Ex quibus locis manifestè patet, quòd vult DEUS, ut non tantùm illum immediatè, sed Prælatos illius, & Ecclesiam audiamus, ideò DEUS per Ecclesiam profunda mysteria Fidei, SS. Trinitatis, Incarnationis Filij DEI, de Natura Divina & Humana in una Persona, de Processione Spiritûs S. à Patre & Filio, per Concilia voluit determinari, & alia multa, quæ Ecclesia continuâ assistentiâ Spiritûs S. determinavit, quem cùm credimus continuò assistentem Ecclesiæ, ex promissione Christi Domini, magis meremur per tales actus Fidei, magis honoramus Matrem nostram, cùm credimus, quòd ex plenitudine potestatis sibi à Christo Domino traditæ, nunquam errare possit. Cùm enim audimus Christum loquentem, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Cùm ergo credimus Christo, quòd ex promissione illius Spiritus Sanctus assistat Concilijs, secundùm illud, *visum est Spiritui Sancto, & nobis*, & docet Ecclesiam omnem veritatem, traditque, quid credendum, quid non credendum, tunc maximè honoramus Christum, cùm illi, tanquam æternæ Veritati credimus, quæ nec fallere, nec falli potest. Unde non benè quadrat Ecclesiæ primitivæ, & doctrinæ SS. Patrum antiquorum, quod statutum est in Synodo Ultrajectana, in Prologo suarum Ordinationum, num. 2. *Obstringimus nos in forma Juramenti, & Obligationis, quòd in hac Provincia non aliam velimus amplecti, & sequi doctrinam, regulam, mensuram, & amussim Fidei, & vitæ Christianæ, quàm solum Verbum DEI, quod in libris Veteris ac Novi Testamenti expressum est.* Symbolum Apostolorum, Symbolum Nicænum, & S. Athanasij, quia hæc non habentur in Scripturis nec Veteris, nec Novi Testam. insuper & Concilia, in quibus explicatum est mysterium SS. Trinitatis, & mysteria Fidei de Christo Dño contra Ariũ & Nestoriũ, & tunc triumphabunt hæretici, Arius, & Sabellius, & Nestorius: ergo illi ne triumphent, semel per hæc Concilia cum suis impijs dogmatibus

Joann. 16

Hæc Synodus, omnia hæc cùm excludat, excitat Arium, Sabellium, Nestorium hæreticos, & victas dat illis manus.

bus anathematizati, ultra ergo Vet. & Nov. Testam. recipienda sunt hæc Concilia, recipiendum est Symbolum Apostolorum, quod est Summa Fidei nostræ, quod per Traditionem accepit Ecclesia, sicut & Symbolum Athanasij. Ergo clarè patet, non solùm recipiendum esse Vetus & Novum Testamentum. Ideò diabolus easdem Traditiones ab initio cæpit oppugnare per hæreticos, Arianos, Eutichianos, Pelagianos, &c. dum videret illas multū prodesse Ecclesiæ, & saluti hominum: Traditio enim ostendit genuinum sensum S. Scripturæ, & quid Catholicus credere, quid fugere debeat. Non sinè causa dixit S. Augustinus contra Donatum: *Diabolo se tradiderunt, dum pugnant de Traditione.* S. Ambrosius Serm. 34. *Quòd id neq; Divinis literis iubetur, neq; traditum sit auctoritate Maiorum.* 2. ad Timot. 2. *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Ultimatè omnes Dissidentes contra rationem agere videntur, dum plures Traditiones, idq; præcipuas, nobiscum teneant, & tamen Traditiones oppugnant, quamvis sinè illis præcipua mysteria Fidei habere non possunt.



ad quos pertinent, qui oppugnant Traditiones. Vide supra pag. 211 & 212

Discursus Authoris Cap. XIV.

Pag. 67. Num. 3.

An sola Fides justificet?

Quòd si dicamus utrinque. Sola Fides justificat, originaliter & inchoativè, fundamentaliter & radicaliter: at non justificat completivè & consummativè, & quidem in adultis, benè agere occasionem habentibus. Nam & fidelis tenetur, non tantùm credere, sed & benè agere, & Charitatem habere, juxta illud S. Pauli: *Si charitatem non habeam.* Item Jacobi: *Fides sinè bonis operibus mortua est.* Pro hac sententia citat Author 2. Petri, Apocal. 7. Ignat. Clement. Alexand. Greg. Nazianz. Hilar. Ambros. Hieron. August. de Fide & bonis Oper. Concil. Trident. Sess. 6. Cap. 8.

1. Cor. 13 Iacob. 2

Discursus Theol.

Sola Fides non justificat hominem adultum, nam requirit ab eo Deus Dilectionem Dei & proximi, Pœnitentiam, Timorem, Observantiam mandatorum, Exercitium Virtutum, & Imitationem Christi.

PRobatur. *Primò;* ex S. Scriptura. 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; in remissionem peccatorum.* Actor. 3. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Luc. 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Ex his patet, non solùm Fidei, sed etiam alijs Virtutibus, Dilectioni & Pœnitentiæ tribuitur vis justificandi, ut etiam testatur Christus Luc. 18. *Publicanus &c. percutiens pectus suum dicens: DEUS, propitius esto mihi peccatori! dico vobis, descendit hic justificatus.* Ecclesiastic. 1. *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit justificari.* Matth. 7. *Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spaciosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam: quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. Attendite à falsis Prophetis, &c. à fructibus eorum cognoscetis eos. &c. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. &c. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse intrabit in Regnum Cœlorum.* Voluntatem Patris declarat Christus in multis locis. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus vos. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Non veni solvere legem, sed adimplere. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis. Beati, qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud.* Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate. &c. Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me; qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. &c.* Contrà verò non servantibus mandata, per Prophetam maledicit Deus, *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis,* Psal. 118.

Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus; qui non diligit me, sermones meos non servat.* Et cap. 15. *Manete in dilectione mea. Si mandata mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione.* Et multa similia bona opera præcipiuntur à Christo, sub amissione vitæ æternæ. Ergo non sola, nec vacua Fides potest justificare, sed qualem Apostolus requirit ad Galat. 5. quæ *per charitatem operatur;* quam explicat 1. ad Corint. 13. *Charitas patiens est, benigna est, Cha-*

ritas non æmulatur, &c. omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Et superiùs ait: *Et si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Undè S. August. lib. 15. de Trinit. cap. 18. ait: *Ipsam fidem non facit utilem, nisi charitas; sinè charitate quippè fides potest quidem esse, sed non prodesse.* Et probat hoc ex illo ad Gal. 5. *In Christo JESU neq; circumcisio, neq; præputium aliquid valet, sed Fides, quæ per Charitatem operatur.* Idem S. August. lib. de Fide & Operibus cap. 14. ait, fuisse quosdam non intelligentes, quod ait Apostolus, *arbitramur iustificari hominem per Fidem, sinè operibus Legis*, putârunt eum dicere, sufficere homini fidem etiamsi malè vivat, & bona opera non habeat. Et hi fuerunt Anomæi, Aerius, & Eunomius, imò & Simon Magus, hæretici: sed Apostolus hæc dixit, non ut opera extingueret, sed ut ostenderet, non esse opera præcedentia gratiam; sed consequentia, ut scilicet non se quis arbitraretur, ideò percepisse gratiam, quia benè operatus est, sed benè operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam. Instabant memorati hæretici, & illum locum S. Pauli adducebant pro suo errore, ad Ephes. 2. *Gratiâ salvati estis per Fidem, & hoc non ex vobis: DEI enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Sed hanc fraudulentam citationem hujus loci prodit S. Cyprianus de Unit. Eccles. his verbis: *Corruptores Evangelij, atq; interpretes falsi, extrema ponunt, & superiora prætereunt, subdolè corrumpentes, ut ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita Capituli unius sententiam scindunt. Superiora ponunt, & quæ proximè sequuntur, prætereunt.* Hæc scilicet sunt immediata verba Apostoli, post illa, quæ citant hæretici pro sola fide, sufficiente ad justificationem, quæ prætermiserunt subdolè: *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo JESU in operibus bonis, quæ præparavit DEUS, ut in illis ambulemus.* S. August. lib. de Gratia & libero arbitrio, cap. 8. ait: „Vidit Apostolus, putare posse homines, hoc ita dictum, quasi ne- „cessaria non sint opera bona credentibus, sed eis fides sola suffici- „at. Vidit simul, & hoc posse homines de bonis operibus extolli, „velut ad ea facienda sibi sufficiant, itaq; mox addit, quod isti si- „lentio prætereunt. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo „JESU in operibus bonis, quæ præparavit DEUS, ut in illis am- „bulemus. Quid est hoc? (inquit S. Augustinus) quod cùm DEI „gra-

" gratiam commendans dixisset, non ex operibus, ne fortè quis ex-
" tollatur: cur hoc dixerit, rationem reddens, Ipsius enim sumus
" figmentum, creati in Christo JESU in operibus bonis. Quomo-
" do ergo non ex operibus, ne fortè quis extollatur? Sed audi, in-
" quit, & intellige, non ex operibus dictum, tanquam tuis, ex te
" te ipso tibi existentibus, sed tanquam ijs, in quibus te Deus finxit,
" id est, formavit, & creavit. Hoc enim ait: Ipsius enim sumus
" figmentum, creati in Christo JESU in operibus bonis; non illâ
" creatione, quâ homines facti sumus, sed eâ, de qua ille dicebat,
" qui utiq; jam homo erat: Cor mundum in me crea DEUS. Et de
" qua dicit Apostolus. Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera
" transierunt, & ecce, facta sunt omnia nova. Fingimur ergo, id
" est, formamur, & creamur in operibus bonis, quæ non præpara-
" vimus nos, sed præparavit DEUS, ut in illis ambulemus. Itaque
" charissimi, vita nostra bona nihil aliud est, quàm DEI gratia, sinè
" dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur. DEI gratia est, &
" ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa
" cui datur, tantummodò gratia est. hæc autem, quæ illi datur, quo-
" niam præmium ejus est, gratia est, pro gratia, tanquam merces
" pro justitia, ut verum sit, quoniam reddet unicuiq; DEUS secun-
" dùm opera ejus. Hucusq; S. August. Ex his S. Augustini verbis patet, quæ sint opera, quæ S. Paulus à justificatione voluerit esse exclusa, nimirùm ea, quæ fiunt extra fidem, & ante fidem, *quia sinè* ad Hebr. 11. *fide impossibile est placere Deo* talibus operibus, nec ullis prima gratia mereri potest, quæ propterea gratia vocatur, quia gratis datur, nullis præcedentibus meritis, quæ ante fidem, & extra fidem nullitatis coram DEO erant. Nulla igitur merita nostra fidem tanquam gratuitum donum DEI præcesserunt. Non autem subsequentia fidem excludit opera S. Paulus, quæ præparavit DEUS, ut ambularemus in illis, postquam cor mundum creavit in nobis, postquam novæ creaturæ facti sumus per lavacrum regenerationis: sed ea excludit, quæ nondum exuto veteri homine fecimus, hæc à S. Paulo sic dicta interpretatus est S. Augustinus. Sed & Theodoretus hunc locum S. Pauli explicans: *Creati*, inquit, *hic posuit pro regenerati. Ante Baptismum quidem, activam à nobis virtutem non exigit, post Baptismum verò, ei etiam iubet hærere, & eam tenere. Hoc enim dicit in operibus bonis, ut in illis ambulemus.* Qui etiam in eo libro, quem inscripsit de fabulis hæreticorum, ad Simonem Magum hæresim hanc refert,

tan-

tanquam primum Authorem, quòd is bono esse animo suos discipulos jubebat, nec Legis minas pertimescere, sed ea quæ vellent, tanquam liberos factitare, non enim per bonas actiones, sed per gratiam eos salutem consecuturos ajebat.

Discursus Theol.

In quo eadem materia firmiùs probatur.

S. Augustinus item lib. de Fide & Operibus cap. 14. scribit: S. „ Apostolos, Petrum, Jacobum, Joannem, Judam, Epistolas suas „ scripsisse, ad refellendum eorum errorem, qui non intellecto S. „ Paulo, bona opera, in quibus creati sumus in Christo JESU, reij- „ cere volebant, & ex hac occasione dixisse S. Petrum, 2. Petr. 3. „ *Esse quædam in Epistolis Pauli difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* S. Petrus. Unde S. Petrus contra hunc errorem scribit, 1. Petr. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* Et cap. 4. *Christo igitur passo in carne, & vos eádem cogitatione armamini.* Et Num. 13. *Communicantes Christi passionibus gaudete.* Et Num. 19. *Qui patiuntur secundùm voluntatem DEI, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.* Et cap. 5. *Qui vocavit nos in æternam suam gloriam, in Christo JESU modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* 1. Joan. 2. *Cognovimus eum, si mandata eius observemus. Qui dicit, se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & veritas in eo non est.* S. Ioannes. Et inferiùs: *Omnis qui facit iustitiam, ex ipso natus est.* Et cap. 3. *Qui servat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo.* Et 1. Joan. 2. *Et hæc est charitas, ut ambulemus secundùm mandata eius.* Legimus Jacobi 1. 2. *Quid proderit, Fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, numquid fides poterit salvare illum.* S. Iacobus. Ibidem inferiùs: *Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed dicet quis, tu fidem habes, & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam sinè operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis, quoniam unus est DEUS, benè facis, & dæmones credunt, & contremiscunt. Vis autem scire, ó homo inanis, quoniam fides si è bonis operibus mortua est. Abraham Pater noster, nonnè ex operibus iustificatus est? offerens filium suum super Altare. Vides, quia fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est, & suppleta Scriptura, dicens:*

Credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus DEI appellatus est. Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm. Similiter & Rahab meretrix, nonnè ex operibus iustificata est, suscipiens Nuncios, & aliâ viâ eijciens. Sicut enim corpus sinè spiritu mortuum est, ita & fides sinè operibus mortua est. Similia habet S. Judas in sua Catholica: Subintroiêrunt enim (ait) quidam homines, & DEI nostri gratiam transferentes in luxuriem, &c. carnem quidem maculant. dominationem autem spernunt, &c. quæcunq; ignorant, blasphemant, &c. væ illis, quia in via Cain abiêrunt, &c. hi sunt in epulis suis maculæ convivantes, sinè timore semetipsos pascentes, &c. arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, &c. quibus procella tenebrarum servata est in æternum, &c venit Dominus &c. facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus impietatibus eorum, &c. hi sunt &c. secundùm desideria sua ambulantes, &c. Quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundùm sua desideria ambulantes in impietatibus. Hæc Prophetia S. Apostoli videtur modò compleri, cùm sint tot hæreses & Schismata, quæ secundùm sua desideria unaquæq; vivit & credit, prout cuiq; placet, solâ fide mortuâ contentæ, docentes, jam pro nobis Christus omnia fecit, transferentes gratiam DEI in luxuriam. Etiam ex ipso Apostolo, quem hæretici antiqui non intellexerunt, patet manifestus error illorum. Ait enim satis clarè S. Paulus ad Rom. 3. *Legem destruimus per fidem? absit! sed Legem statuimus.* Et cap. 2. *Qui reddet unicuiq; secundùm opera eius, ijs quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, &c. ijs autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio, tribulatio, & angustia, &c. gloria autem, & honor, & pax, omni operanti bonum. &c.* Idem ibidem: *Non enim auditores Legis iusti sunt apud DEUM, sed factores Legis iustificabuntur.* S. Augustinus lib. 1. de Fide & Oper. cap. 15. Si mandatis, non servatis ad vitam veniri potest, per solam fidem, quæ sinè operibus mortua est, illud deindè, quomodo verum erit, quod eis, quos ad sinistram positurus est, dicet, *ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*; nec increpat, quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt. Nam profectò, ne quisquam sibi de fide, quæ sinè bonis operibus mortua est, promittat æternam vitam. &c. Apparet, quòd hic error fuerit tempore S.

S. Judas

Augustini, immo tempore Apostolorum, contra quem scripserunt ijdem SS. Apostoli, ut S. Petrus, Jacobus, Joannes & Judas, ut superiùs patuit ex S. Augustino, qui lib. de Fide & Operibus cap. 14. his verbis ait: Quia hæc opinio de sola fide tunc fuerat exorta, ,, aliæ Apostolicæ literæ, Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam ,, maximè dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant, fidem ,, sinè operibus nihil prodesse. Sed & S. Paulus, cujus Epistolâ ad ,, Romanos abusi sunt hæretici, patet, quòd de antecedentibus fidem operibus, non consequentibus, dixerit ad Rom. 8. *Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. &c. Si compatimur, ut & conglorificemur. Quia propter te mortificamur totâ die.* Et 2. Tim. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Et 1. Corint. 9. *Sic currite, ut comprehendatis. &c. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans; sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Et Cap. sequenti ait: *Bonum autem faciamus, non deficientes, tempore enim suo metemus. Non deficientes ergo, dum tempus habemus, operemur bonum.* Et ad Titum cap. 2. ait: *Sobriè, & iustè, & piè vivamus in hoc Sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni DEI, & Salvatoris JESU Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Ex his clariùs luce meridianâ patet, quòd S. Paulus de antecedentibus fidem bonis operibus, non de consequentibus, gratiâ DEI factis, dixerit, sed hæretici dolosè abusi sunt S. Scripturâ, de quibus Ecclesiast. 32. hæc prævidit Spiritus S. cùm ait: *Qui quærit Legem, replebitur ab ea, & qui insidiosè agit, scandalizabitur in ea.* Nec Psalmista excludit bona opera, immo cùm dicit Ps. 50. *Cor mundum crea in me Deus*, iterum dicit Ps. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâsti cor meum.* Cum creaverit in illo DEUS cor novum, & dilataverit per gratiam, tunc dicit, se currere viam mandatorum; immo minatur iram DEI, non observantibus mandata ejus, Psalm. 2. *Servite Domino in timore, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Et Psal. 118. *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* Undè hic locus S. Pauli ad Rom. 3. *Arbitramur hominem iustificari per fidem, sinè operibus Legis*, debet intelligi sic, modo Catholico, secundùm Traditionem Ecclesiæ, & doctrinam SS. Patrum. Duplicia enim sunt



ex defectu bonorum operum timor reprobationis.



opera bona: alia præcedunt fidem, alia sequuntur. Prima excludit Apostolus, cùm operibus Legis Mosaicæ, scilicet Circumcisionis, & aliorum rituum, quibus se putabant Judæi promereri justificationē. Secunda non excludit, cùm Actus Charitatis, Timoris, Spei, & Pœnitentiæ, sequantur fidem, & in fide fundati sunt, certum est.

Quæres, undè constat, hanc mentem esse Apostoli? ℞. Constat ex tot superiùs adductis testimonijs Christi & Apostolorum, qui bona opera præcipiunt, & pro illis vitam æternam promittunt. Indè etiam constat, quia vult ostendere Apostolus, nec Judæos ex nuda observatione Legis Mosaicæ, nec Gentiles propter bona opera, ante Christi fidem susceptam facta, justitiam à DEO consequi, aut consecutos esse, sed ex fide in Christum, quæ est gratuitum donum DEI, nec dari ex operibus præcedentibus. Vide S. August. lib. 1. de Prædest. Sanctor. cap. 7. & in Præfat. Psal 31. Si verò subsequentia bona opera fidē excluderent Apostoli, essent sibi per omnes Epistolas contrarij, qui ubiq; recommendant bona opera, & Christi Domini doctrinæ, qui dixit, *Si vis ingredi vitam, serva mandata*: & in multis alijs locis, ut superiùs patuit.

De Antecedentibus bonis Operibus Concil. Trid. Sess. 5. cap. 8. sic loquitur: *Gratis autem ideò iustificari dicamus, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur.*

De subsequentibus autem fidem bonis Operibus, sic idem Concil. eâdem Sess. cap. 10. sic loquitur: *Sic ergo iustificati &c. de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem, per observationem mandatorum DEI, & Ecclesiæ, in ipsa iustitia, per Christi gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus crescunt, atq; magis iustificantur, sicut scriptum est* Apocal. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc. Et* Eccl. 18. *Ne verearis usq; ad mortem iustificari.*

Argumenta contra sententiam, quæ tenet solam fidem justificare.

Argument. Primum. S. Scriptura non minùs requirit alias Virtutes, ut Timorem, Spem, Charitatem, Pœnitentiam. Ergo sola Fides, secundùm Scripturam, non potest justificare. *imò,* requirit Timorem. Eccl. 1. *Qui sinè timore est, non potest iustificari.* ad Phil. 3. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Requirit Spem. Psalm. 16. *Qui salvos facis sperantes in te.* Et Psalm. 30. *In te Domine*

Timor.

Spes.

mine ſperavi, non confundar in æternum. Et Pſal. 33. *Beatus vir, qui ſperat in eo.* Et Pſal. 36. *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Ad Rom. 5. *Spe enim ſalvi facti ſumus.* Joan. 3. *Qui habet ſpem in eo, ſanctificat ſe.* Requirit Charitatem. 1. ad Corint. 13. *Charitatem autem ſi non habuero, nihil ſum, &c. nihil mihi prodeſt.* Ibidem: *Fides, Spes, Charitas, tria hæc: maior autem horum eſt Charitas.* Et ſi major eſt Charitas, quàm Fides & Spes, ergo eſt neceſſaria, quia dicit Apoſtolus ad Gal. 5. *Fides per Charitatem operatur.* Et 1. ad Corint. 14. ait: *Sectamini Charitatem.* Et 1. Joan. 4. *DEUS Charitas, & qui manet in Charitate, in DEO manet, & DEUS in eo.* Et cap. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Requirit & Pœnitentiam. Luc. 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; veſtrûm, in remiſſionem peccatorum.* *Charitas.* *Pœnitentia.*

2dum Argumentum. Nihil debet aſſeri ab adverſa parte, præſertim in his, in quibus conſiſtit ſalus & vita æterna, quod non invenitur in S. Scriptura, ut ipſi fatentur; ſed non invenitur in Scriptura, ſolam Fidem juſtificare, ut nos contrarium per totum oſtendimus. Ergo hoc non debet aſſeri, &c. Minor probatur. Nullus locus ex S. Scriptura citari poteſt, in quo ſola fides dicatur juſtificare. Hoc argumentum Lutherus nunquam potuit diſſolvere, & cùm illam particulam (*ſola*) nullibi poſſet in S. Scriptura invenire, ſuâ uſus eſt authoritate, & audacter illã appoſuit, in 3. Cap. Epiſt. ad Rom. NB. Et cùm de hac re monitus fuiſſet, quòd depravâſſet in re gravi Scripturam, nihil aliud, quàm hoc dedit reſponſum: *Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.* Et ſi uni licuit unam addere, quod ipſi placuerit, voculam, quare alteri aliam, & alteri aliam non licebit? & ſic quisq; poterit addere, quod ipſi placuerit, ad S. Scripturam; Per hanc additionem hujus voculæ, excluſit omnia bona opera ſubſequentia fidem, quæ paſſim S. Scriptura ubiq; commendat, ut ſuperiùs oſtenſum, & cuiq; clarè patet Sacram Scripturam legenti. Undè Concil. Trid. Seſs. 6. Can. 9. *Si quis dixerit, ſolâ fide impium iuſtificari, ita, ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad iuſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſt cum ſuæ voluntatis motu præparari atq; diſponi, anathema ſit.* Et Can. 20. ait: „Si quis hominem juſtificatum, & quantumlibet perfectum dixerit, non teneri ad obſervantiam mandatorũ DEI & Eccleſiæ, ſed „tantùm ad credendum, quaſi verò Evangelium ſit nuda & abſolu- „ta pro- „

" ta promissio vitæ æternæ, sinè conditione observationis mandato-
" rum, anathema sit. Et Can. 21. Si quis dixerit, Christum Jesum
" à DEO hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non
" etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathema sit. Et hoc cla-
" rissimum, Christum esse etiam Legislatorem, cùm ipse dixerit:
" *Non veni solvere Legem, sed adimplere.* Et: *Discite à me, quia*
" *mitis sum, & humilis corde.* Et: *Hoc est præceptum meum.* Et: *Vos*
" *amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* Et: *Beati, qui audi-*
" *unt Verbum DEI, & custodiunt illud.* Et: *Nisi iustitia vestra abunda-*
" *verit plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnū*
" *Cœlorum.* Et: *Non omnis, qui dicit Domine, Domine, intrabit in Re-*
" *gnum Cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Hæc, & mul-
ta alia ex SS. Evangelijs, & ex tota S. Scriptura, debet expungere adversa pars, & probare, quòd hæc non dixerit Christus, tunc probabit, solam fidem justificare. Undè ad rem nostram S. August. lib. 3. contra 2. Epist. Pelag. cap. 4. ait: *Quis ita impius est, ut dicat, se propterea præcepta non servare, quia Christianus sit, non sub lege, sed sub gratia.* Et tamen Lutherus lib. de libertate Christiana ait: *Christiano neq; opera, neq; lex necessaria est, quia per fidem liber est ab omni Lege.* Et si sola fides salvare potest, quare Apostoli tot Epistolas, præcipuè S. Paulus, ad varias gentes scripserunt, monendo de bonis operibus, præscribendo varia præcepta in illis, ad quid dicit 2. ad Corint. 11. *Instantia mea, quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum,* nonnè sufficiebat illos monere de sola Fide, nisi ut solùm credant, & ampliùs nihil faciant. Tamen Calvinus de dono Charitatis lib. 3. cap. 11. §. 20. fassus est Catholicam veritatem, dum ait: *Fatemur cum Paulo, non aliam fidem iustificare, quàm illam, Charitate efficacem.* Quis Catholicus meliùs dicere potuit? ista sunt valdè diversa à placito Lutheri, qui Christianum absolvit ab omni Lege, & valedixit omni virtuti, & bonis operibus, ut suprà patuit.

Discursus Authoris Cap. XIV.

Pag. 67. Num. 4.

An bona opera sint meritoria gratiæ & vitæ æternæ?

AN non admitti posset talis Conciliatio? Gratiam, quâ justificamur, non cadere sub meritum strictè propriè dictum, nec opera

opera nostra posse mereri vitam æternam ex se, & quidem ab homine non constituto in statu gratiæ, nec Christo unito, lato tamen sensu dici posset mereri, idq; per Christum, & ejus gratiam. Nempè opera nostra, si vocanda sunt nostra, dona sunt Christi, nam nihil est nostrum, quod non juvante DEO faciamus, quod non sit DEI. Adeoq; quòd opera nostra placeant DEO, quòd digni habeamur, & nobis certantibus corona justitiæ detur, à solo DEO est: ipse enim est *Vitis, & nos palmites*; palmites autem non possunt ferre fructus, nisi in vite: sic nec nos, nisi in Christo. Ut autem nihil viti derogatur, si palmites multum fructus ferant, sic nec Christo, qui causa est, ut nobis secundùm talia opera corona justitiæ detur. In hoc conveniamus, & erit pax. Convenit hæc conciliatio (ait Author) cum S. Scriptura & SS. Patribus, & citat illos ibidem, 1. Cor. 15. 2. Tim. 4. Dionys. Areopag. Justin. Mart. Basil. Greg. Nyssen. Cyprian. Ambros. Hier. August. Chrysost. Conc. Trid. Sess. 6. c. 16.

Discursus Theol.

Bona opera sunt meritoria gratiæ & vitæ æternæ, In virtute & meritis Christi, adjuvante nos gratiâ illius.

LIcèt sufficientissimè solus Christus Dominus promeruit nobis vitam æternam, quæ gratuitò datur, ex sola DEI misericordia, nullis nostris præcedentibus meritis, *tamen quia ipse prior dilexit nos, vocavitq; in sortem Sanctorum*, & *quos vocavit, hos & iustificavit, sic ergo gratis iustificati*, sive ut acceptam gratiam conservemus, sive ut amissam recuperemus, illud nobis continuò observandum Apostoli 1. ad Cor. 15. *Abundate in omni opere bono, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino.* Et ad Hebr. 6. *Non enim iniustus est DEUS, ut obliviscatur operis vestri & dilectionis.* Atq; ideò nobis benè operantibus usq; ad finem, & in DEO sperantibus, expectanda est vita æterna, & tanquam gratia filijs DEI, per JESUM Christum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius DEI promissione, bonis nostris operibus & meritis fideliter reddenda, ad hæc bona opera meritoria vitam æternam, adjuvante gratiâ DEI, nos ipsemet Christus hortatur, Matth. 19. *Si vis vitam ingredi, serva mandata. &c. Omnis qui reliquerit domum, fratres, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* & cap. 16. & Luc. 14. similia legimus.

gimus, it. Matth. 11. *à diebus autem Joannis Baptistæ usq; nunc Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et Luc. 13. *Contendite intrare per angustam portam, quia multi dico vobis quærent intrare, & non poterunt.* Hæc est ergo illa corona justitiæ, quam post suum certamen ajebat Apostolus sibi reddendam, non solùm sibi, sed & omnibus certantibus, ad quam hortatur 1. ad Corint. 19. *Sic currite, ut comprehendatis.* Et solùm certantes coronandos ait, 2. ad Tim. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Cùm enim JESUS Christus tanquam Caput in membra, & tanquam Vitis in palmites, in justificatos jugiter virtutem influat, ut Christus ait, *Sinè me nihil potestis facere:* quæ Virtus per gratiam semper antecedit, comitatur, & subsequitur, & sinè illa nullo modo DEO grata esse possent opera nostra, & meritoria vitæ æternæ. Cùm autem in DEO, & adjuvante Christo facta sint, & à DEO nobis infunduntur per meritum Christi, ut Apostolus ait 1. ad Corint. 15. *Gratiâ DEI sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia DEI mecum,* taliter vitam æternam merentur, ut ipse Christus manifestè ostendit Matth. 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis.* Item Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum. &c. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Item: *Ite maledicti in ignem æternum, esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* In quæ verba Christi S. August. lib. 1. de Fide & Operibus cap. 15. *Si mandatis &c.* vide suprà pag. 318. Et Joan. 5. *Et procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Et 1. ad Corint. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar,* undè ex defectu castigationis corporis & bonorum operum, timet reprobari Apostolus, pro quibus 2. ad Tim. 4. sperat coronam, *Reposita est mihi corona iustitiæ, &c.* Cæterùm, quia ipsa merita, quibus debetur corona justitiæ, procedunt ex gratuita gratia DEI, & gratia DEI datur ex sola misericordia DEI, hinc corona justitiæ potest dici corona misericordiæ. Nam quæ datur in executione pro meritis, hæc eadem datur in intentione gratuitò, juxta illud: *qui coronat te in misericordia & miserationibus,* non respectu meritorum nostrorum, quasi propriè nostra sint absq; gratia DEI, sed potiùs donorum DEI, quia nobis ipsa quoq; merita, & actus nostri, ex gratuita misericordia largiuntur, ut ait Apost. 1. ad Cor. 15.

Vide suprà pag. 319

Psalm. 102

Quid.

Quidquid ſum, gratiâ DEI *ſum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Et ad Philipp. 4. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*, & tamen illa ſua in nobis dona coronat juſtitiâ. Undè S. Auguſt. lib. 2. de Natura & Gratia: *Non eſt iniuſtus DEUS, qui iuſtos fraudet mercede iuſtitiæ.* Idem Epiſt. 105. ad Sixtum ait: *Sicut merito peccati, tanquã ſtipendium redditur mors, ita merito iuſtitiæ, tanquam ſtipendium vita æterna.* S. Ambroſ. Serm. 22. *Qui enim ſocij ſunt contumeliæ, debent & participes eſſe & lætitiæ,* ita enim dicit B. Apoſtolus: *Sicut ſocij paſſionum eſtis, & reſurrectionis eritis. Si tolerabimus* (inquit) *& conregnabimus. Qui ergo toleraverunt mala propter Chriſtum, debent & gloriam habere cum Chriſto.* Quod ipſemet Chriſtus expreſſit Luc. 16. *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem conſolatur, tu verò cruciaris.* Idem S. Ambroſ. ibidem: *Notas mihi fecit vias vitæ, cùm me docuit Fidem, Miſericordiam, Juſtitiam, Charitatem. His enim pervenitur itineribus ad ſalutẽ.*

Aperta ſunt plura S. Scripturæ teſtimonia, quòd omnia bona opera DEUS operatur in nobis; ſed & hoc verum eſt, & hoc nos facere, quod facimus, quamvis ille faciat, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati. Sic ait Ezech. 36. *Faciam, ut in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſervetis, & faciatis ea.* In hunc locum S. Auguſt. lib. de Grat. & lib. Arbitr. c. 16. ait: *Cùm dicit, faciam ut faciatis, quid aliud dicit, niſi auferam à vobis cor lapideum, undè non faciebatis, & dabo cor carneum, ut faciatis.* Idem ibidem cap. 12. ait: *Non ſolùm DEUS poſſe noſtrum donavit, atq; adiuvat, ſed etiam velle & operari operatur in nobis, non, quia nos non volumus, aut nos non agimus, ſed quia ſinè ipſius adiutorio, nec volumus aliquid boni, nec agimus.* Idem in Pſalm. 30. ait: *Quidquid DEUS operatur per nos, nos videmur operari; poteſt ille multum, & totũ ſinè nobis, & nos nihil ſinè ipſo.* Idem de Cor. & Grat. cap. 2. *Intelligant, ſi filij DEI ſunt, Spiritu DEI ſe agi, ut quod agendum eſt, agant; & cùm egerint illi, à quo aguntur, gratias agant; aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil agant.* Idem lib. 2. cap. 8. contra 2. Epiſt. Pelag. *Quamvis niſi adiuvante illo, ſinè quo nihil poſſumus facere, os non poſſumus aperire, tamen nos aperimus illius adiumento, & opere noſtro, implet autem illud Dominus ſinè opere noſtro.*

Juſtum ergo eſt, ut illius divinæ bonitati totum adſcribamus, ut ait Apoſtolus 2. ad Cor. 10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, non quòd nihil agamus ipſi, ſed quod nihil poſſumus, nihil volumus, agimus,

mus, aut ſumus, quod non illius beneficio poſſimus, velimus, agamus, aut ſimus, *à quo ſolo omne datum optimum, omne bonum perfectum*, neq; enim ſufficientes ſumus vel cogitare ſaltim aliquid ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt. Et cum Apoſt. dicat ad Gal. 2. *Vivo ego iam non ego, vivit autem in me Chriſtus*, ita qui cum Apoſtolo per Fidem & Baptiſmum eidem Corpori Chriſti inſiti ſunt, ejus etiam Spiritu vegetantur. Et cùm imitatores facti fuerint Chriſti, ut præcipit Apoſtolus 1. ad Cor. 11. & ad Epheſ. 5. dicere cum illo quisq; poteſt: *Vivo iam non ego, vivit autem in me Chriſtus*; ut vivamus, facit vita noſtra Chriſtus: ut operemur, facit, qui & voluntatem præmovet, & vires ad operandum ſuppeditat, adjutor noſter Chriſtus, *hic adiuvat infirmitatem noſtram*, ad Rom. 8. ut mereamur, facit, qui merita ſua nobiſcum communicat, Redemptor noſter Chriſtus, ut ait Apoſtolus ad Rom. 8. *Quem pro nobis tradidit, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit.* Sic S. Auguſtinus ad Bonifacium ait: *Nos quidem ambulamus, verum eſt, nos obſervamus, nos facimus. ſed ille facit, ut ambulemus, obſervemus, faciamus. Hæc eſt gratia DEI, bonos faciens nos: hæc eſt miſericordia eius, præveniens nos. Hoc Eccleſia Cathol. dicit & credit, hoc eſt pium, hoc verum, inconcuſſumq;, ut ſit humilis & ſubmiſſa Confeſſio, & totũ DEO detur & concedatur.* Idem S. Auguſt. Serm. 256. de Tempore ait: *Adiuvit bonæ voluntatis conatus, ut facerent, ac per hoc Deus, qui operatur in ſuis & velle & perficere pro bona voluntate, hæc omnia ipſe cæpit, ipſe perfecit, & quia opera bona in conſpectu ſuo, nunquam eſſe permittit inania fidelibus ſuis, quibus operantibus præbuit virtutis ſuæ favorem, tribuet condignam pro tanta operatione mercedem.*

Iacobi 1

☞

Diſcurſus Theol.

In quo eadem materia fuſius probatur.

QUando dicit homo Catholicus, vivo autem jam non ego, vivit autem in me Chriſtus; acſi diceret, vivo autem ego non jam ille, qui conceptus in iniquitatibus, ex carnis meæ parentibus iræ filius natus, verùm qui ſum ex aqua & Spiritu S. DEI filius renatus, qui in Baptiſmo veterem exui, & novum hominem indui, Dominũ noſtrum JESUM Chriſtum, in cujus fide vivo, cujus agor Spiritu, hic meam infirmitatem adjuvat, hic ad operandum voluntatem movet, hic facultatem ſuggerit, hic efficit pro ſua immenſa bonitate,

ut qui dum naturâ filius eſſem iræ, nihil mereri poteram, niſi gehennæ ſupplicia, factus per adoptionis gratiam, DEI filius, & hæres, & cohæres, jam deinceps mereri poſſum ea, quæ DEI filio & hæredi, quæ induto Chriſto debentur. Hoc voluit exprimere Apoſtolus 2. ad Corint. 12. *Gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.* Et cap. 13. *Infirmi ſumus in illo, ſed vivemus cum eo ex virtute DEI,* qualecunq; à me profectum, & illius Sanguine conſperſum, Sanguine pretioſo pretium, ex eo mutuatur, ut fiat meritum cœleſtis præmij, non mea quidem, verùm Chriſti viventis, operantis, & merentis in me virtute, dignitateque, qui quæ eſt illius immenſa benignitas, merita mea, quæ ſunt illius dona, non tanquam merita mea, ſed tanquam dona ſua coronat. Nam ab ipſo manat, & ex ipſius morte pretium acquirunt. Nos ergo ſumus, qui vivimus, qui operamur, qui viventes in fide Filij DEI, Legem implemus, qui mandata ejus, quæ mandavit cuſtodiri, obſervamus, verùm non ſinè eo, qui dixit, *ſinè me nihil poteſtis facere,* illius deſtituti gratiâ nihil poſſumus, illius adjuti gratiâ, in eo omnia poſſumus, dicente Apoſtolo ad Philip. 5. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Et ſic idem Apoſtolus, unitis meritis Chriſti, ſperat retributionem unicuiq; tribuendam, 1. ad Cor. 3. dum ait: *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem, DEI enim adiutores ſumus.* Quid ad hæc dicet, qui negat bona opera, cùm Apoſtolus dicat, ſe adjutorem DEI eſſe. Et ad Philip. 3. ait: *Vt inveniar in illo, non habens meam iuſtitiam, quæ ex Lege eſt, ſed quæ ex Fide eſt, & ſocietatem paſſionum illius, configuratus morti eius.* Et inferiùs ait: *Imitatores mei eſtote, Fratres, & obſervate eos, qui ita ambulant, ſicut habemus formam noſtram. Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Et cap. 4. ait: *De cætero Fratres, quæcunq; ſunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; iuſta, quæcunq; ſancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate, quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite.* Idem ait: *Apparuit gratia DEI Salvatoris noſtri, ut abnegantes omnem impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem &c. Salvatoris noſtri, qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem* *ad Tit. 2*

bono-

☞ *bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio.* Et ipsemet Christus: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, &c. qui non diligit me, sermones meos non servat.* Non rectè itaq; citavit Lutherus locum Apostoli ad Rom. 3. ad tollenda bona opera, Fidem & Justificationem concomitantia, ubi ait: *Arbitramur enim, justificari hominem per Fidem, sinè operibus Legis,* cùm Apostolus non de bonis operibus, sed de operibus Legis antiquæ, scilicet Circumcisionis, & alijs Judaicis ritibus ait, quibus se putabant Judæi meruisse gratiã novæ Legis; hoc patet ex ipso textu Epistolæ ad Roman. & ad Galat. De hac intentione Apostoli, habemus testem omni exceptione majorem S. Augustinum, qui in exposit. Epist. ad Gal. Tom. 4. sic ait: Causa, propter quam scribit Apostolus ad Galatas, hæc est, ut intelligant gratiam DEI, id secum agere, ut sub Lege jam non sint. Cùm enim prædicata eis esset Evangelij gratia, non defuerunt quidam ex Circumcisione, quamvis Christiani nomine, nondum tamen tenentes ipsum gratiæ beneficium, & adhuc volentes esse, sub oneribus Legis, quæ Dominus DEUS imposuerat, non justitiæ servientibus, sed peccato, justam scilicet Legem injustis hominibus dando, ad demonstranda peccata eorum, non auferenda; non enim aufert peccata, nisi gratia Fidei, quæ per Charitatem operatur. Sub hac ergo gratia jam Galatas constitutos, illi volebant constituere sub oneribus Legis, asseverantes, nihil eis prodesse Evangelium, nisi circumciderentur, & cæteras carnales Judaici ritus observationes subirent, & ideò Paulum Apostolum suspectum habere cœperant, à quo illis Evangelium prædicatum fuerat, tanquam non tenentem disciplinam cæterorum Apostolorum, qui gentes cogebant Judaizare. Talis quidem quæstio est & in Epistola ad Romanos, verùm tamen videtur aliquid interesse, quod ibi contentionem ipsam dirimit, litemq; componit, quæ inter eos, qui ex Judæis, & inter eos, qui ex Gentibus crediderant, orta erat, cùm illi tanquam ex meritis operum, Legis sibi redditum Evangelij præmium arbitrabantur, quod præmium incircumcisis, tanquam immeritis, nolebant dari: illi contrà, Judæis se præferre gestirent, tanquam interfectoribus Domini. In hac verò Epistola ad illos scribit, qui jam commoti erant auctoritate illorum, qui ex Judæis erant, & ad observationes Legis cogebant. Hucusq; S. Augustinus. Hìc clarè ostendit S. Augustinus, quæ mens fuerit S. Pauli

Ioan. 14

Iniquè ergo Lutherus hoc loco S. Scripturæ abusus est.

cap. 2 & 3

ad quem Calvinus remittebat, tanquam fidelissimũ Antiquitatis testẽ, vide suprà pag. 148

Pauli Apoſtoli in ſcribendis Epiſtolis ad Rom. cap. 3. & ad Gal. & *cap. 2 & 3*
de quibus operibus locutus eſt S. Apoſtolus, cùm locutus ſit, *Arbi-
tramur hominem iuſtificari per Fidem, ſinè operibus Legis*, ſcilicet Cir-
cumciſionis, & aliorum rituum, ut ipſe ad Gal. 5. explicat, *ſi circum-
cidamini, Chriſtus vobis nihil prodeſt*, quibus ritibus putabant illi, qui
ex Judæis erant, tanquam ex meritis operum Legis ſibi redditum *qui legit, intel-*
Evangelij præmium, quod præmium illis, qui erant ex Gentibus, *ligat. Matth. 24*
tanquam immeritis nolebant dari: & hoc eſt veriſſimum, quòd neq;
Judæi ſuis obſervationibus Legis, neq; Gentes ullis bonis meritis
meruerunt, nec fidem, nec ipſam juſtificationem, quia ex mera gra-
tia DEI utrumq; procedit, nullis præcedentibus meritis, quæ nulla
utrumq; præceſſerunt. Non autem ſubſequentia fidem, & juſtifica-
tionem bona opera excludit Apoſtolus, imò nihil ſæpiùs, quàm bo-
na opera, in qualibet ſua Epiſtola præcipit, ut legentibus clarè patet,
& non ſolùm ille, ſed & alij SS. Apoſtoli, immo ipſe Chriſtus vitam
æternam haberi & aſsequi, neminem poſſe oſtendit, ut ſuperiùs vi-
dimus: ut v. g. *Non omnis, qui dicit Domine, Domine, intrabit in* *Matth. 7*
Regnum Cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris, Venite benedicti Pa- *Matth. 25*
tris mei, percipite Regnum: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare. *Luc. 11*
Beati, qui audiunt Verbum DEI, & cuſtodiunt illud. Beati pauperes *Matth. 5*
ſpiritu. Beati miſericordes, mites, pacifici. Beati, qui perſecutionem *In alijs promi-*
patiuntur, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum. Vos, qui reliquiſtis *ſit Deus, veſtrũ*
omnia, & ſecuti eſtis me, &c. centuplum accipietis, & vitam æternam *erit: in prima*
poſſidebitis. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Quærite *& ultima bea-*
Regnum DEI, & Juſtitiam eius. Niſi iuſtitia veſtra magis abundaverit *titudine dat a-*
quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum. *ctu, dicens, Ve-*
Undè & Apoſtolus non vacuam, ſed quæ per Charitatem operatur, *ſtrum eſt Re-*
fidem requirit. Et 1. ad Corint. 13. *Fides, Spes, Charitas, tria hæc:* *gnum Cœlorũ.*
maior autem horum eſt Charitas Et cùm dixerit Apoſtolus: *Arbitra-* *Matth. 19*
mur iuſtificari hominem per fidem, ſinè operibus Legis, inferiùs ſubjun- *Matth. 11*
xit ſtatim: *Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit! Sed Legem ſta-* *Matth. 6*
tuimus. Et de ſola Fide dicit: *Si habuero omnem fidem, ita ut mon-* *Matth. 5*
tes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil ſum, &c. Nihil *ad Gal. 5*
mihi prodeſt. S. Petrus: *In omni converſatione ſancti ſitis, quoniam* *ad Rom. 3*
ſcriptum eſt: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus ſum. Et: *Chriſtus* *1 ad Cor. 13*
paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia *Epiſt. 1. cap. 1* *cap. 2*
eius. Et: *Declinet à malo, & faciat bonum, &c. quia oculi Domini* *cap. 3*
ſuper iuſtos, &c. & quis eſt, qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueri-

cap. 4 *ad Rom. 8* *Epist. 1. cap. 2*

tis. Sed etsi quid patimini propter iustitiam, beati. Et: *Christo igitur passo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini.* Idem legimus: *Si compatimur, ut & conglorificemur.* S. Joannes: *Cognovimus eum, si mandata eius observemus: qui dicit, se nosse DEUM, & mandata eius non custodit, mendax est, & veritas in eo non est. &c.* S. Jacobus: *Estote autem factores Verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmet ipsos. &c. Non auditor obliviosus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Et cap. 2. ait: *Sic & Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. &c.* In hac Epistola, illum errorem damnat Apostolus illorum, qui ex Epistolis S. Pauli, ad Romanos & ad Galatas, falsò colligebant, non esse necessaria bona opera ad justificationem, sed solam fidem, cùm ibidem ait: *Abraham Pater noster, nonnè ex operibus iustificatus est? offerens filium suum super Altare. Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est. &c. Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.* Hanc Epistolam S. Jacobi Calvinus agnoscit pro Apostolica, & omnes Calvinistæ in Confess. Pissiacensi Art. 3. & tamen bona opera reijciunt. Et ipse Christus: *Non veni Legem solvere, sed adimplere.* Et ultimatè sic claudit Evangelium S. Matth. cap. ult. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, docentes eos servare omnia, quæcunq; mandavi vobis. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem sæculi:* non dicit Christus, docete eos tantùm credere, sed dicit, servare omnia, quæcunq; mandavi vobis; sicut alibi dixerat, *si vis ingredi ad vitam, serva mandata.* Et Luc. 11. *Beati, qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud.* Et 2. Petr. cap. 1. *Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis.* Hanc Secundam S. Petri agnoscit Lutherus pro Canonica in Prologo Epistolæ ad Hebræos. Undè apparet, quàm graviter abusus sit Lutherus S. Scripturâ, cùm dixerit Tom. 3. lib. 4. Wittemb. fol. 175. *Ubicunq; iubet Scriptura bona opera facere, tu id sic intelliges, quòd Scriptura prohibeat bona opera facere.* Hoc Commento renovavit antiquum errorem Simonis Magi, Basilidis, Carpocratis, & fœdissimorum Anomæorum hæreticorum, teste S. Irenæo lib. 1. c. 13. & S. August. Hæres. 54. Vide plura suprà pag. 99. & sequ.

Undè apparet, quòd Lutherus & Calvinus antiquum renovarint errorem Simonis Magi, & aliorũ hæreticorum, ignorantes distinctionem bonorũ operum, antecedentium & consequentium Fidem.

cap. 1

Argu-

Argumenta Calvini, *quibus objicit, pro bonis operibus non dari vitam æternam.*

Calvinus objicit. Quia vita æterna non datur pro bonis operibus per modum mercedis, sed per modum hæreditatis: ait enim in Antid. Sess. 6. cap. 16. *Quòd vitam æternam faciant mercedem, in eo ab illis dissentio, quin potiùs hæreditatem esse ubiq; Scriptura clamat.* ℞. Clamat Scriptura ubique, utroq; modo dari: quòd detur per modum mercedis, plura loca S. Scripturæ ostendunt. Matth. 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis.* Item cap. 20. *Voca Operarios, & redde illis mercedem.* 1. Corint. 3. *Unusquisq; propriam mercedem recipiet, secundùm suum laborem.* 2. ad Cor. 5. *Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisq; prout gessit, sive bonum, sive malum,* illo tempore experietur Lutherus & Calvinus mercedem condignam factis, & fatebitur uterque, quòd DEUS reddat condignum pretium bonis & malis. Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, &c. ut sitis filij Patris vestri, qui in Cœlis est, &c. Si enim diligitis eos, qui diligunt vos, quam mercedem habebitis.* Et cap. 10. *Mercedem iusti accipient.* Marci 9. *Non perdet mercedem suam.* Luc. 6. *Ecce enim, merces vestra multa est in Cœlo.* Ibidem: *Diligite inimicos vestros, &c. & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi.* Joan. 2. *Ne perdatis quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis.* Apocal. 14. *Ut requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur eos.* Et cap. 22. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc, & qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuiq; secundùm opera sua.* Ad Rom. 2. *DEUS reddet unicuiq; secundùm opera sua, ijs quidem, qui secundùm patientiam, boni operis gloriam.* Ex his, & multis alijs mirantur Catholici Authores, cùm dixerit Calvinus, quòd vitam æternam faciant mercedem, in eo ab illis dissentio. Quare non dixit Calvinus, à Christo, & à S. Scriptura dissentio, quæ in multis locis facit vitam æternam mercedem. Sciendum ergo est, quòd utroq; modo S. Scriptura dicit donari nobis vitam æternam, & per modum mercedis, & per modum hæreditatis. Ratio hujus, quia non sumus filij DEI per naturam, sed per adoptionem, ex quibus omnibus nobis alij adoptantur, ante usum rationis in Baptismo, ut parvuli, alij post usum rationis primâ justificatione, acceptâ in Baptismo, ut adulti. Parvuli, qui ante

usum rationis adoptantur, & moriuntur, accipiunt vitam æternam, solo titulo hæreditatis: Adulti, qui usu rationis utuntur, & in adoptione filiorum usq; ad mortem perseverant, duplici titulo accipiunt vitam æternam, altero mercedis, altero hæreditatis. Hoc expressit Apostolus ad Colots. 3. *Quodcunq; facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* His duobus ultimis verbis apertè ostendit Apostolus, vitam æternam non solo titulo hæreditatis, sed etiam mercedis, seu retributionis dari adultis. Ratio hujus, ut superiùs diximus, quia cùm non simus per naturam filij DEI, sed per adoptionem, hâc conditione adoptavit nos DEUS, ut non adiremus ☞ hæreditatem, nisi vellemus mandatis DEI obtemperare, & obtemperando vitam æternam promereri, juxta illud Psalm. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas iustitias tuas in æternum, propter retributionem.* Et Psalm. 18. *Lex Domini immaculata. &c. Justitiæ Domini rectæ. &c. Timor Domini sanctus. &c. Judicia Domini vera, &c. & servus tuus custodit ea, & in custodiendis illis retributio multa.* Simile quid videmus in Christo Domino. Nam jure hæreditatis (suppositâ unione hypostaticâ) debebatur illi & gloria Corporis, & exaltatio Nominis, & tamen suis meritis eam meruit, juxta illud Apostoli:

ad Philip. 2

Humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & DEUS exaltavit illum. Si ergo Christo Domino, qui est Filius DEI Naturalis, data est gloria Corporis, & exaltatio Nominis duplici titulo, nempè hæreditatis, & mercedis; quid mirum? si nobis, qui sumus filij tantùm adoptionis, utroq; titulo conferatur vita æterna adultis. Dices, si ita est, feliciores sunt parvuli, quàm adulti, nam hi suis laboribus debent acquirere, quod illis gratis conceditur. ℟. Immo adulti feliciores. Nam parvuli debent esse contenti solâ hæreditate, quæ illis ex gratuita Divina liberalitate obvenit: adulti verò ultra hanc gratuitam donationem hæreditatis, quò magis merentur, major illis crescit gloria, juxta illud:

1 ad Corint. 3

Unusquisq; propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem. Et:

Matth. 5

Qui ergo solverit unum, &c. minimus vocabitur in Regno Cælorum; qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum. Et Danielis 12. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Et 1. ad Cor. 15. *Stella enim à Stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Modò quisq; videat, quàm verum sit,

Hic Calvinus omninò fateri debet dari Regnum Cælorum per modū mercedis, cùm un°

ſit, quod Calvinus dixerit lib. 3. Inſtit. cap. 11. §. 9. 13. 14. 17. 18. & alibi. *Valeat eorum ſomnium, qui iuſtitiam ex fide & operibus conflatam comminiſcuntur.* §. 14. *In calculum fidei non veniunt opera, ſed prorſùs ſeparanda ſunt.* *minimus, aliter magnus vocatur. reſpectu meritorum, in Regno Calorũ.*

Secunda Objectio. Quare adverſa pars contendit, ſolo titulo hæreditatis dari vitam æternam. Calvinus in Antid. Seſs. 6. cap. 12. hanc aſſignat rationem, Prophetas, & Patriarchas, & pios Reges, ,, utcunq; DEI Spiritu adjuvarentur, ferendo Legis jugo pares non ,, fuiſſe. Sed contrà eſt. *Hæc eſt charitas, ut mandata eius cuſtodiamus, & mandata eius non ſunt gravia.* ,, *1. Ioann. 5* *Tollite iugum meum ſuper vos, iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* *Matth. 11* Et Joan. 15. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea.* ad Phil. 4. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Ergo Apoſtolus ferendo Legis jugo par fuit, adjuvante gratiâ DEI, non autem impar, ut ait Calvinus.



Tertia Objectio. Luc. 17. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inutiles ſumus.* Hæc Objectio magis confirmat bona opera, quia illa præcepit Chriſtus, ſicut aliàs dixit: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis omnia quæ præcipio vobis.* *Ioan. 15* Cùm ait, *cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt,* vult, ut faciamus omnia, quæ præcepit Chriſtus. Hoc clarum eſt. Quare autem Chriſtus juſſerit, ut cùm fecerimus omnia, dicamus, nos ſervos inutiles. hæ ſunt Rationes ex SS. Patribus. *Prima.* Nos ex nobis ſumus ſervi inutiles, quia licet faciamus omnia, quæ præcepta ſunt, non tamen noſtris viribus, ſed gratiâ DEI facimus, ut ait Apoſtolus: *Quidquid ſum, gratiâ DEI ſum*; & ſtatim addit, *& gratia DEI vacua in me non fuit.* *Primą.* Ità explicat S. Ambroſ. lib. 8. in Luc. *Sumus ergo inutiles, quatenùs ex Adamo naſcimur: ſumus utiles, quatenùs in Chriſto renaſcimur, quo ad cooperationem gratiæ Divinæ.* *Secunda.* Sumus inutiles, reſpectu DEI, etiamſi omnia præcepta ſervemus, nullam utilitatem DEO præſtamus, nec ipſe *eget bonorum noſtrorũ,* ita exponit Beda in Comment. *Secunda.* Unde patet, eſſe nos inutiles reſpectu DEI, quia nihil illi accedit utilitatis ex noſtro labore: utiles eſſe reſpectu noſtri, quia quidquid boni facimus, in noſtrum commodum nobis ſerimus, nobis metimus, in meritis Chriſti, & cum auxilio illius. *Tertia Ratio.* Sumus inutiles, etiamſi omnia fecerimus: niſi enim DEUS liberali pacto nobiſcum conveniſſet, nullam mercedem ex juſtitia à DEO potuiſſemus petere, Ita S. Auguſt. exponit Serm. 3. de Verb. Dni. Unde *Tertią.*

clarè patet, quomodo sumus inutiles ad mercedem vitæ æternæ pro bonis operibus, secluso scilicet pacto Divino; utiles, interveniente pacto Divino, & promissione illius, ex sola gratuita donatione, & misericordia illius. Et mirum videtur, quòd adversa pars proponit illud, quòd se habeat ex parte nostri, & silet illud, quòd se habeat ex parte DEI, scilicet Matth. 25. *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam*; quomodo hic vocatur servus bonus & fidelis? ex parte DEI, & gratuita illius donatione, qui ex parte sui fuit, & est semper inutilis, ut est filius veteris Adam. ☞ Hoc modo, vel simili, solvuntur omnia argumenta adversæ partis, quæcunq; adducit contra bona opera, quæ dicimus gratuita dona esse DEI, ad quæ facienda dum præstat gratiam & vires, coronat ea illâ coronâ justitiæ, quam sibi Apostolus repositam dicebat, nec gloriabatur de illis, nisi in Domino, & alios jussit gloriari, 2. ad Cor. 10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, non tanquam suis, sed tanquam à Domino provenientibus, gratuitò donatis. Undè in Ecclesia Catholica, quò majores sunt, & fuerunt Sancti, eò magis humiliabant se coram DEO, existimantes se majores debitores DEO, pro tot à DEO præstitis donis, quot documenta, & auxilia exercendæ Virtutis, & acquirendæ Sanctitatis, ab illo acceperunt, ex mera gratia, & donatione Christi. Sic S. Franciscus. (a) Neq; ignoravit hæc omnia Calvinus, ait enim lib. 2. Instit. cap. 3. §. 7. nec gratiam sinè voluntate, nec voluntatem sinè gratia quidquam posse operari. Qui verò sinè meritis, gratiâ DEI, & adjutorio illius factis, sperat vitam æternam, non tam sperat, quàm præsumit sibi dari vitam æternam, sicut malus servus & infidelis, præsumit gratiam Domini sui, sed loco mercedis, pro suo infideli servitio, vapulabit multis.

(a) *cujus sanctitatem fatentur etiam Dissidentes. Dicebat,* Videor mihi maximo esse peccatorũ. *Similiter & alij indignos se gratiâ Divinâ reputabant.*

Cùm verò hæc erronea opinio de bonis operibus non merentibus vitam æternam, processerit indè, quòd adversa pars teneat, concupiscentiam etiam in renatis esse peccatum, licèt reluctet voluntas, exindè omnia sua opera putant esse sordes & inquinamenta, infecta peccato, quod putat Lutherus & Calvinus remanere post Baptismũ in renato, ideò ad magis firmandam veritatem Catholicam, & expungendam hanc erroneam, & hæreticam opinionem, statuendum, quòd sublato per Baptismum peccato, bona opera mereantur de congruo vitam æternam, rectè instituimus Discursum de hac Concupiscentia.

Discur-

Diſcurſus Theolog.

De Concupiſcentia, quòd non ſit verè & propriè peccatum in renatis non conſentientibus, cùm reluctat voluntas.

CUm Controverſia de Concupiſcentia ferè omnium dogmatum, in quibus moderni Diſſidentes recedunt ab Eccleſia Cath. Rom. ſit quaſi origo & radix, ideò non ſinè magno fructu diſcurrendum de illa. Indè enim, quia tenent, Concupiſcentiam illam verè & propriè peccatum eſſe, licèt reluctat voluntas, tenent conſequenter, peccatum per Baptiſmum non tolli aliquâ infuſione gratiæ expulſivâ maculæ illius, ſed tantùm non imputatione peccati Originalis, imputatione verò juſtitiæ Chriſti; idem à ſimili de alijs peccatis. Hinc magna inter Catholicos & adverſarios Eccleſiæ ſæpiùs fuit Controverſia de peccato Originali, & ex errore circa peccatum Originale, teſte S. Auguſtino, plures ortæ fuerunt hæreſes, & hanc Controverſiam ad fundamenta Fidei pertinere, refert idem S. Auguſt. dum lib. adverſ. Julian. cap. 2. ait: *Quiſquis in Chriſtiana fide vult labefactare, quòd ſcriptum eſt: Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum, & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur; totum quod in Chriſto credimus, auferre molitur.* Et lib. de peccato Orig. cap. 24. ait: *In cauſa duorum hominum, quorum per unum venundati ſumus ſub peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè fides Chriſtiana conſiſtit.* Deciſâ ergo hâc Quæſtione, quòd Concupiſcentia poſt Baptiſmum, in renatis non conſentientibus, non ſit verè & propriè peccatum, remanebunt maxima ex parte res Fidei accommodatæ, & multæ ſolventur difficultates cum adverſarijs, qui in hoc dogmate, tanquam in primo fundamento, ſuum receſſum ab Eccleſia Cathol. fundârunt, ſicut Lutherus Art. 2. ex ijs, quos An. 20. Leo X. damnavit, ſic ait: *In puero poſt Baptiſmum negare remanens eſſe peccatum, eſt Paulum & Chriſtum ſimul conculcare.* Et Calvinus in Antidoto Concil. Seſs. 5. ait: *Manet verè peccatum in nobis, neq; per Baptiſmum ſtatim uno die extinguitur, ſed quia deletur, reatus imputatione nullum eſt*, quamvis alibi idem Calvinus huic contrarium ſenſerit, ut inferiùs patebit. Chemnicius Exam. Conc. Trid. Seſs. 5. idem defendit, ſed magis cautè,

cautè. Fatetur enim, primò remitti in Baptismo omnia peccata, quin etiam tolli ac deleri, solùm restare reliquias quasdam peccati Originalis, quas reliquias dicit malum quoddam culpæ, quòd hominem damnare posset, si DEUS illud imputare vellet. Sed quidquid isti dicant.

Conclusio Catholica. *Concupiscentia in renatis, non est verè & propriè peccatum, in quantum est in se aversio à DEO, macula ac sordes in anima, & reatus æternæ damnationis.*

Probatur 1mò, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum.* Apocal. 21. *Nihil coinquinatum intrabit in eam,* id est cœlestem Hierusalem. ad Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius, propter remissionem præcedentium delictorum.* Cap. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo JESU, qui non secundùm carnem ambulant. &c. Prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui, &c. quos vocavit, hos & iustificavit.* 1. Corint. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Joan. 1. *Ecce Agnus DEI, ecce, qui tollit peccata mundi.* Apocal. 1. *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo.* Hebr. 9. *Christus semel oblatus est, ad multorum exhauriunda peccata* Et illud: *Beati mundo corde.* Hæc omnia vaticinatus est Michæas, cap. 7. *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra*

Probatur 2dò. In Symbolo Apostolorum omnes Articulos Fidei firmiter debemus credere, ut v. g. *Credo in DEUM Patrem Omnipotentem, &c. Et in JESUM Christum &c. Et in Spiritum Sanctum.* Ergo etiam istum: *Credo &c. Remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam.* Quòd autem Articulus Fidei sit de remissione peccatorum, quæ per Baptismum tolluntur in renatis, clarè patet ex Symbolo Concilij Nicæni I. quòd hunc articulum magis explicaverit, dicens: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Quid clariùs dicere potuit de remissione peccati Originalis per Baptismum: nam Actualia peccata remittuntur per Sacramentum Pœnitentiæ.

Symbolum Apostolorum non dicit, tecta peccata, sed, remissionem peccatorum credo.



Probatur 3tiò. Ex Apostolo ad Rom. 5. *"Quoniam cùm adhuc "peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est, "multò igitur magis nunc, iustificati in Sanguine ipsius, salvi erimus "ab ira per ipsum.* Ibidem: *Si enim unius delicto mors regnavit "per unum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iusti"tiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Ibid.

"Sicut

Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita ut per unius obeditionem iusti constituentur multi. Et cap. 11. *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo.* Ibidem: *Vt destruatur corpus peccati, ut ultrà non serviamus peccato.* Ibidem: *Vos mortuos quidem peccato, viventes autem DEO.* Ibidem: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentijs eius.* Ibidem: *Liberati autem à peccato, servi facti estis iustitiæ.* Ibidem: *Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti DEO.* Et cap. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo JESV, qui non secundùm carnem ambulant*; Et dat rationem S. Apostolus statim, dum ait: *Lex enim Spiritus vitæ in Christo JESV liberavit me à lege peccati & mortis, &c. ut iustificatio Legis impleretur in nobis.*

Probatur 4tò. Concilium Ephesinum Generale III. ex Epist. ad Rom. hæc habet: Nihil ergo damnationis est ijs, qui sunt in Christo JESU, qui non secundùm carnem ambulant: Lex enim Spiritus vitæ in Christo JESU liberavit me à Lege peccati & mortis, nam quod impossibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem, DEUS Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut iustificatio Legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm Spiritum. Et infrà ait: Misit Dominus DEUS Filium suum in similitudinem carnis peccati, ut peccatũ condemnet in carne. &c. Per hanc namq; (scilicet Incarnationem Verbi) peccatum, quod in carne nostra grassabatur, condemnatum est. Hucusq; Concilium Ephesinum. Et quomodo adversa pars dicit, se venerari quatuor Concilia, ut Sacrosancta, si hanc doctrinam non recipit Concilij Ephesini Generalis III.

Probatur 5tò Ex SS. Patribus. Jacobi 5. *Vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus, deindè concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* S. August. hunc locum Apostoli sic explicat, contra Julian. Apostat. lib. 6. cap. 5. dum ait: *Profectò in his verbis partus à pariente discernitur: pariens enim est concupiscentia, partus peccatum; sed concupiscentia non parit, nisi conceperit: non concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum.* Idem contra eundem lib. 1. ait: *Tu autem qui putas, quòd si malum non esset concupiscentia, careret eâ, qui baptizatur: multum*

Iulianus Apostata hanc sententiam tenuit, teste S. August. lib. 6 c. 5 contra illum.

Pelagius etiam hanc sententiã tenuit, & Manichæus. Videant, quales habent auctores hujus hæresis.

erras, omni enim peccato caret, non omni malo. Idem S. August. lib. 1. contra Epist. 2. Pelag. ait: *Non enim damnatur, nisi concupiscentiæ carnis consentit ad malum*; & lib. 2. de Gen. con. Manich. c. 14. similia habet, & tamen Lutherani & Calvinistæ Julianum Apostatam, Pelagium, Manichæum, pro hæreticis agnoscunt. Proclus etiam hæreticus, apud Epiphan. Hæres. 64. asseruit, peccatum in renatis semper vivere, neq; tolli per Baptismum. Idem S. Augustin. Serm. 6. de verb. Apost. ait: *Remanet ergo cum carne conflictus, quia deleta est iniquitas, sed remanet infirmitas.* Idem lib. 1. de Civit. Dei cap. 25. *Quantò magis concupiscentialis inobedientia absq; culpa est in corpore non consentientis, si absq; culpa est in corpore dormientis.* Et lib. 2. de Pecc. Mer. & Remiss. cap. 3. ait: *Quasi nostrûm hoc nullus ignoret, quòd si nolumus, non peccamus.* Idem S. August. apud Blosium in Consol. Pusillan. pag. 314. de Concupiscentia sic ait: *Attendite Sancti, quicunq; pugnatis, præliantibus loquor, intelligunt, qui pugnant, non me intelligit, qui non pugnat: vult homo castus, ut nulla omninò surgat in membris suis concupiscentia adversaria castitati. Pacem vult, sed nondum habet, &c.* Et infrà ait: *Quid enim vultis, ô sancti! ô boni præliatores! ô fortes milites Christi! quid vultis? ut non sint omninò concupiscentiæ malæ; sed non potestis. Exercete bellum, sperate triumphum.* Idem S. August. Conc. 1. in Psal. 115. ait: *Sicut Ægyptios in mari obrutos, ita in Baptismo delicta nostra demersa & extincta, luce clariùs intimat Propheta, dicens: Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* SS. Patres hunc errorem semper refutabant. S. Justinus Martyr in Dial. cum Tripho. *Cui non imputavit Dominus peccatum, hoc est, cui pœnitenti DEUS peccata remittet, non sicut prædicatis, vosmet ipsos fallentes, & alij quidem vestri similes asseverant, quòd etiamsi peccatores fuerint, modò DEUM noverint, non imputabit eis Dominus peccatum.* Ex his fuit unus Simon Magus, qui idem tenebat, quos S. Justinus commemorat & arguit.

Discursus Theol.

In quo ex SS. Patribus fusiùs eadem materia probatur.

S. Bernard. Serm. 5. in Quadrag. ait: *Gravis lucta adversùs domesticum hostem, &c. verùm tamen in nobis est, si vinci nolumus, nemo nostrûm in hoc certamine dejicitur invitus. Sed sub te est homo appetitus tuus, & tu dominaberis illius, potest inimicus excitare tentationis*

onis motum, sed in te est, si volueris dare seu negare consensum: in tua facultate est, si volueris inimicum tuum facere servum tuum, & omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim, inflat inimicus, &c. aut excitat libidinis motum, tu solummodò non consenseris, & quoties restiteris, toties coronaberis. Quanta consolatio! non consentientibus, & certantibus cum suis concupiscentijs, quas quoties vincunt, toties corouantur, & illi sunt, qui habent firmum propositum non offendendi DEUM, nec unquam permittunt regnare peccatum in membris suis, cùm illud statim expellunt: quanta verò tribulatio ijs, qui putant, peccata esse quoscunq; motus concupiscentiæ, cùm statim dant vinctas manus hosti, putantes se offendisse DEUM. Idem S. Bernard. Serm. 1. de Cæna Dñi ait: *Lavamur igitur in Baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ, & gratia hæc nobis confertur, ne iam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstineamus.* Hujus erroris occasionem sumpsit adversa pars ex illo loco Apostoli ad Rom. 7. *Sed quòd habitat in me peccatum;* in quem locum sic scribit Calvinus in Antidoto Concil. Trid. Sess. 5. *Jam perspicuum est, quàm falsum sit, quod docuerunt quidem nonnulli, per Baptismum solvi nos, & eximi ab Originali peccato.* Ibidem §. 11. ait: *Nemo sibi in suo malo blandiatur, cùm audit, peccata in nobis habitare.* ℟. Non quidem nonnulli, sed multi SS. Patres hoc docuerunt suprà citati, cum Symbolo Apostol. Concilijs, Nicæno I. Ephesino I. Et ipsa Scriptura clamat, Joan. 1. *Ecce Agnus DEI, ecce, qui tollit peccata mundi.* 1. Corint. 6. *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Et Actor. 3. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Sed ultra jam citatos SS. Patres respondent alij. S. August. in Psal. 118. ait: *Quòd peccatum appellat Apostolus, universus reatus Sacramento Baptismatis est solutus, cum omnibus, quæ illi obedientes fecimus, diximus, cogitavimus, nec deinceps nobis languor iste obesset, quamvis inesset, si desiderijs eius illicitis nullis unquam obedientiam præberemus.* S. Hieron. in cap. 9. Danielis ait: *Daniel dicens, peccavimus, iniquè egimus, &c. peccata populi enumerat ex persona propria, quod & Apostolum in Epist ad Rom. cap. 7. facere legimus.* Idem in princ. Serm. cont. Pelag. *Tunc enim iusti sumus, quando nos peccatores fatemur, dicente S. Scripturâ, Justus accusator sui est.* S. Chrysost. in illa verba Apostoli, *in carne ambulantes, non secundùm carnem militamus,* ait: *Hæc non Pauli persona, sed peccantium intelligenda, quam in semetipso Paulus expressit.* Origenes

S. Bernardum Lutherus, Calvinus, & Conf. August. agnoscunt pro Sancto, vide suprà pag. 110 & 111

obscurum lotũ aßumpsit Calvinus, qui variè à SS. Patribus explicatur, relictis tot claris, quòd concupiscentia in renato non sit verè peccatum.

nes in eundem Apoſtoli locum ait: *Paulus tanquam Eccleſiæ Doctor, hic in ſemetipſo infirmorum perſonam ſuſcipit.* Oecumenius in hunc locum ait: *Non dicit vos, qui legem transgredimini, ne gravem redderet ſermonem ac moleſtum; ſed ego, inquit, quæ illorum erant, in ſeipſo figurans.* Vel poteſt reſponderi Calvino, quòd dixerat Apoſtolus ex humilitate, ſicut dixerat, *non ſum dignus vocari Apoſtolus,* & tamen Apoſtolus erat; & S. Petrus: *Exi à me, quia homo peccator ſum.* Luc. 5. Dicitur enim Eccleſiaſt. 18. *Juſtus prior eſt accuſator*

Pſalm. 50. *ſui.* Sic & Pſalmiſta dicebat, *Tibi ſoli peccavi,* & tamen Spiritus S. habitavit in eo, nam in eodem Pſalmo ait, *& Spiritum S. tuum ne auferas à me.* Vel etiam de levibus peccatis locuti ſunt Sancti, ut Proverb. 24. legitur: *Septies enim cadet iuſtus, & reſurget.* Sic intelligit S. Auguſt. in illa verba, *Nihil ergo damnationis &c.* Serm. 6.

diſtinctio peccati gravis & levis. dum ait: *Sicut bona quædam malis non proficiunt, ſic quædam maculæ, ſi ſunt leves, ſinè quibus humana vita non ducitur, nihil impediunt ad coronam.* S. Hieron. Epiſt. ad Ruſticum ait: *Si cadit, quomodo iuſtus? ſi iuſtus, quomodo cadit? ſed iuſti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam ſemper reſurgit.* Hæc poſſunt confirmari ex eo, quod legimus Actor. 9. *Dominus miſit me JESUS, &c. ut videas, & implearis Spiritu Sancto.* Et cap. 13. *Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu Sancto.* Et 1. Corint. 15. *Gratia eius in me vacua non fuit.* Et 2. Corint. 12. *Sufficit tibi gratia mea.* Quomodo ergo in Sancto Apoſtolo, Spiritu S. repleto, & in actuali gratia DEI exiſtente, peccatũ Originale, vel Actuale mortale habitare potuit, cùm repletio Spiritûs S. & gratia DEI contradictoriè opponuntur peccatis gravibus. Sed & Calvinus alibi contrarium docuit. Nam lib. 2. Inſtit. cap. 1.

Antilogia Calvini. §. 5. ait: *Poſtquam in Adamo fuit obliterata cœleſtis imago, &c. ut in locum Sapientiæ, Virtutis, Sanctitatis, Veritatis, Juſtitiæ, &c. teterrimæ caderent peſtes, cæcitas, impotentia, impuritas, vanitas, iniuſtitia.* Habemus ergo ex Calvino, quòd ante peccatum fuimus ornati ſapientiâ, ſanctitate, veritate, juſtitiâ: ſed ad hunc ſtatum redimus, per merita Chriſti, qui nos, ut ipſe Calvinus lib. 1. Inſtit. cap. 15. §. 4. ait, *in veram & ſolidam integritatem reſtituit;* ergo per Chriſtum acquirimus, & recuperamus ſapientiam, ſanctitatem, veritatem, juſtitiam, quæ eſt interior animi renovatio, quam quærimus. Et lib. de vera ratione reformandæ Eccleſiæ, non procul à principio, ait: *Nunquam reconciliamur DEO, quin ſimul donemur inhærente iuſtitiâ.* Idem de dono Charitatis lib. 3. cap. 11. §. 20. ait: *Fatemur cum Paulo, non*

aliam

aliam fidem iustificare, quàm illam, charitate efficacem, licèt alibi aliud dixerit, manere peccatum in nobis, nec per Baptismum extingui. Sed hunc errorem Calvini revocârunt Calvinistæ Heidelbergenses, &c. in Catechismo Palatino, dum quæst. 69. dicunt: Christus æternum lavacrum mandavit, additâ hâc promissione, me non minùs certo ejus Sanguine & Spiritu à sordibus animarum, hoc est, ab omnibus meis peccatis lavari, quàm aquâ extrinsecùs ablutus sum, quâ sordes corporis expurgari solent. Et quæst. 73. Cur Spiritus S. Baptismum appellat ablutionem peccatorum, ut nos doceat, quemadmodum sordes corporis aquâ purgantur, sic peccata nostra Sanguine & Spiritu Christi expiari. Ibidem: Ut nobis hoc Divino Symbolo certum faciat, nos non minùs verè à peccatis nostris internâ lotione ablui, quàm externâ, & visibili aquâ abluti sumus. Hæc omnia contraria sunt Calvino, qui in Antidoto Concil. Trid. ad Sess. 5. dixerat: *Manet verè peccatum in nobis, neq; per Baptismum extinguitur.* Ex hac doctrina Calvini hæc sequentur: Periclitabitur liberum arbitrium, homine necessariò peccante, non poterit impleri Lex DEI, quæ prohibet non concupiscere, *Non concupisces.* Et liberâ voluntate hominis Scriptura in multis locis ostendit. *Reliquit Deus hominē in manu consilij sui*, Eccles. 15. & Gen. c. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi*: impossibilis erit continentia omni statui hominum, tam maritatis, quàm uxoratis, & virginibus, nulla erit pugna, nulla lucta, inter carnem & spiritum, quam in multis locis Scriptura commendat, nullum certamen; & Apostolus ait: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Et ipsemet ait: *Bonum certamen certavi, ideò reposita est mihi corona iustitiæ.* Nulla opera nostra erunt accepta DEO, cùm erunt, ut ipsi dicunt, sordes, & inquinamenta, & tamen Luc. 1. legimus, *incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini, sinè quærella.* Et Matth. 1. *Joseph autem vir eius, cùm esset iustus*: quomodo viri justi opera injusta, vel sordes. Et Christus ad Apostolos: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus*; & Matth. 5. *videant opera vestra bona*; quomodo sordes? si sunt bona, si justa opera, testimonio ipsius Salvatoris.

Fatetur Calvinus iustificationem.



Hoc intentum illorum erat, ut suum appetitū explerent sensualem.

2 ad Tim. 2.
1. ad Tim. 6.

Discursus Theol.

In quo sententia Cathol. ut vera, meritoria, & consolatoria ostenditur, & contraria ut fraudulenta, & ad explendam libidinem, ab hæreticis excogitata, reijcitur.

SEd inquires: Quare in Renatis ipsa Concupiscentia non tollatur, quæ est fomes peccati, ut plenior sit gratia Christi? ℞. Majorem in hoc relucere bonitatem, & misericordiam Divinam in electos illius, cùm illud sublatum sit, nempè peccatum, quod inducit æternam damnationem, illud autem relictum est, quod certantibus majora causat merita, & coronas per luctam cum concupiscentia. Sic S. August. lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 14. *Non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur.* Et S. Bernardus Serm. 5. in Quadragesf. *Inimicus &c. excitat libidinis motum, tu solummodò non consenseris; quoties restiteris, tot es coronaberis.* Idem de Cæna Dñi Serm. 1. ait: *Sicut enim de concupiscentia diximus, quòd licèt damnationem abstulerit, quia iuxta Apostolum, nulla damnatio est his, qui sunt in Christo JESV, tamen ad humiliandos nos, ipsam adhuc patitur vivere in nobis, & graviter affligere nos, ut sentiamus, quid nobis gratia præstet, & semper ad illius auxilium recurramus. Sic & de minoribus istis peccatis piâ dispensatione nobiscum agitur, ut non penitùs auferantur, sed in illis erudiat nos DEUS, ut cùm minima cavere non possumus, certi simus, quòd non nostris viribus maiora superemus, semperq; timorati & omninò solliciti simus, quomodò eius gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter necessariam esse ostendimus.* Probatur ratione evidenti, prænotando, quòd Calvinus assumpsit unum locum, ex Apostolo ad Rom. 7. quòd maneat in nobis peccatum, obscurum, nam hic locus variè explicari potest, ut superiùs patuit: vel de humilitate Apostoli, vel de levi peccato illius, vel quòd in aliorum persona, tanquam Doctor, dixerit. Symbolum verò, Concilia, Nicænum & Ephesinum, & SS. Patres, multa & clara loca Scripturæ adduxerunt, quòd concupiscentia post Baptismum in Renatis non consentientibus, non sit propriè peccatum, sed per luctam ad meritum relicta. His prænotatis, quæritur ex Calvino, cur tot clara loca cum SS. Patribus & Concilijs Generalibus non assumpsit

☞ minora peccata

nulla præsumptio in meritis, sed in gratia Christi spes firma.

Nicæni 1. & Ephesini 1. Generalium.

ſumpſit Calvinus, quòd concupiſcentia non ſit peccatum, ſed unum obſcurum locum, quo probat, concupiſcentiam eſſe peccatum, vel hic locus unus obſcurus, quem Calvinus aſſumpſit, eſt contrarius his multis & claris à SS. Patribus adductis, vel non? Si dicit eſſe contrarium, cur Calvinus uni potiùs obſcuro adhæſit, rejectis tot claris, putans, Scripturam in hoc uno loco verum dicere, & in his alijs multis falſum? Si dicet, hunc locum obſcurum à ſe aſſumptũ, verum dicere, & non eſſe contrarium his citatis à SS. Patribus, prout de facto ita eſt, Scriptura enim à Spiritu S. prolata, nunquam eſt ſibi contraria, Ergo neceſſe habet Calvinus, fateri utrumque, & manere peccatum in nobis, modo ſuperiùs explicato à SS. Patribus, leve ſcilicet, quod gratiam DEI non impediat in nobis, ut patet in Apoſtolo, qui dicebat, *Gratia DEI in me vacua non fuit*, & Spiritus S. habitavit in illo. Actor. 13. *Paulus repletus Spiritu Sancto*; ſimul & tolli peccata ex tot claris adductis locis, ex S. Scriptura, & SS. Patribus. Sed Calvinus uſus eſt illo ſolito ſtratagemate, quod S. Auguſtinus in alijs reprehendebat, qui lib. de Unitate Eccleſiæ, cap. 16. ait: *Aliquid ergo præferte, quod non contra vos verius interpretetur, ſed quod interprete non egeat, ſicut non eget interprete. Ecce Agnus DEI, ecce, qui tollit peccata mundi*, ſicut non eget interprete. *Convertimini, ut deleantur peccata veſtra*, ſicut non eget interprete. *Spiritus vitæ JESV Chriſti liberavit me à Lege peccati*, ſicut non eget interprete. *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis*, & multa alia ſuperiùs adducta, non egent interprete. Maximè, cùm & ipſe Calvinus lib. 1. Inſtit. cap. 15. §. 4. conceſſerit, per merita Chriſti hominem reſtitui in veram & ſolidam integritatem. & recuperare ſapientiam, ſanctitatem, & juſtitiam, & inhærente juſtitiâ donari hominem per Baptiſmum, qui etiam 4. Sect. 1. §. 4. ait: *Extra Eccleſiam neq; remiſſio peccatorum fit, neq; ulla ſalus.* Ergo concedit, remitti peccata in Eccleſia, adeòq; non manere in nobis peccata. Idem de dono Charitatis lib. 3. cap. 11. §. 20. ait: *Fatemur cum Paulo, non aliam fidem iuſtificare, quam illam, charitate efficacem*; quomodo fides charitate efficax juſtificat, ſi peccatum manet ſecundùm Calvinum in homine? Similia legimus contra ſiniſtram interpretationem Calvini Pſal. 31. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*; & infrà ibidem: *Confitebor adversùm me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Hîc debet fateri

inviſibilis apud Calvinum, vide ſupra p. 135



Calvi-

Calvinus, quòd ſecundum S. Scripturam, iniquitas & impietas peccati, ſemper ſupponunt gravia peccata, iniquus enim & impius ſemper ſunt odibiles DEO, ut Pſal. 27. legimus, *iniquos odio habui*, & Pſal. 1. *Non reſurgent impij in iudicio, & iter impiorum peribit.* Undè petit Pſalmiſta Pſal. 25. *Ne perdas cum impijs DEUS animam meam*; & Pſal. 5. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem*; & Pſal. 72. *Peribunt propter iniquitatem ſuam*; & 1. Petri 4. *Si iuſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt.* Peccatum verò præcisè conſideratum, dividitur in Mortale & Veniale, in grave & leve. Cùm ergo DEUS non tegit, ſed remittit iniquitatem & impietatem, ut gravia peccata, tegit, id eſt, abolet peccata minora, deſtructo enim per remiſſionem gravi peccato iniquitatis & impietatis, annihilatur & minus peccatum. Sic S. Auguſt. in eundem Pſalm. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &c.* ait: *Quorum tecta ſunt peccata, id eſt, abolita peccata.* Et inferiùs ait: *Medicus tegat, & curet: emplaſtro enim tegit, & ſub tegmine Medici curatur vulnus*, nempè ſub tegmine emplaſtri, quis dicet non eſſe ſanatum vulnus? deindè, quare adverſa pars non aſſumpſit hæc duo clara loca: *Remiſſæ ſunt iniquitates*; & : *remiſiſti impietatem peccati?* ubi clarè patet, quòd DEUS gravia peccata remittit, non tegit; ſed aſſumpſit obſcurum locum unum, nempè, *quorum tecta ſunt peccata*, qui de levibus peccatis intelligi poteſt, ut ſuperiùs ex SS. Patribus oſtendimus. Sed videte evidentiſſimam rationem, & tam claram, ſicut eſt Sol in Cœlo. Quare illi fecerunt Concupiſcentiam peccatum in renatis, licèt reluctet voluntas, ut magis ſua deſideria carnis explerent, & hoc patrarent, quod illis in Eccleſia Cathol. Romana non licuit. An non ita? Teſtes omnes Proteſtantes appellamus, quomodo iſti, qui ab Eccleſia Cathol. Rom. recedunt, habentes aliquam capacitatem ingenij, in ſuperbiam elati, non tamen plenè de veritate Catholica informati, ex aliquo privato reſpectu receſſerunt, vel ut ſuas libidines explerent, & alia, quæ in Eccleſia Cathol. vetantibus Sanctis legibus non licebant, patrarent. Sic fœdiſſimi & infames vitio carnis Gnoſtici, ſic Arius, ſic Macedonius, ſic Neſtorius, &c. ſic alij recentiores Hæreſiarchæ & Hæretici, paſſim his vitijs notantur à SS. Patribus, vide ſuprà pag. 29. & pag. 30. quomodo SS. Patres ejusmodi homines ad vivum expreſſerint, & illorum pravos fines, ſub prætextu Fidei, aperuerint, quod unicuiq; advertere non eſt difficile, ſi ſano oculo velit illorum fraudes & impoſturas ad ſuum

pesſimum

pessimum voluptatis explendæ intentum scrutari, pro æterno bono animæ suæ. Undè Concilium Trident. Sess. 5. Can. 5. secundùm antiquam Traditionem Ecclesiæ, Conciliorum suprà memoratorum, & SS. Patrum doctrinam, quid sit Concupiscentia, declaravit his verbis: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur & sentit, quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi gratiam repugnantibus non valet, quinimò, qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Cathol. nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Et de peccato Originali eâdem Sessione hæc statuit: *Si quis per JESV Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum peccati Originalis remitti negat, aut etiam asserit, non tollit totum, id quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema sit.* Citat Concilium S. Paulum ad Rom. 6. ad Ephes. 4. ad Col. 3. his verbis: *In renatis enim nihil odit DEUS, quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem, qui non secundùm carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum induentes, qui secundùm DEUM creatus est, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac DEO dilecti effecti sunt hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsùs eos ab ingressu Cœli removeretur.* Undè timendum illis, qui contra S. Scripturam, antiquam Ecclesiam, Concilia, & SS. Patres tenent, post Baptismum in Renatis Concupiscentiam esse peccatum, cum antiquis hæreticis, ut superiùs patuit, ne ille locus S. Scripturæ competat illis Apocal. 22. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*; nam per hunc errorem induxerunt in peccata homines, & præcluserunt viam elabendi ex illis, cùm Concupiscentiam, quâ plurimum sinè consensu mereri poterant, peccatū adstruentes, illis in ruinam posuerunt, & Sacramentū Pœnitentiæ subtraxerunt.

Discursus Theol.

De falsa imputatione Cathol. Ecclesiæ Rom. ex occasione bonorum operum, per quam multi subdolè avulsi sunt ab eadem Ecclesia.

CUm hostibus Ecclesiæ Catholicæ non adeò successerit ûna fraus, persuadendi, bona opera non esse necessaria ad vitam æternam, nec mereri per ea vitam æternam, ex eo, quòd sint sordes & inquinamenta, ratione Concupiscentiæ, quam finxerunt (ostendi superiùs quare) in renatis peccatum, nec tolli illud per Baptismа, & videntes, quòd S. Scriptura tam Vet. quàm Novi Testamenti ubiq; præcipit, & serio suadet, bona opera necessaria ad salutem, minaturq; ex defectu illorum æternam damnationem; ad aliud fraudulentum medium confugiunt hæretici, aptissimum ad decipiendum miseras animas, affirmantes tam inverecundè, nec timentes Deum, quòd tam splendidè mentiantur, acsi Ecclesia Cathol. Romana tot Sæculis nihil docuerit de Fide Mediatoris, quasi non propter Christum, sed propter dignitatem operum nostrorum, acciperemus remissionem peccatorum. Hoc quàm sit alienum à veritate, qui vult experiri, legat omnes Doctores, & Catholicos Authores, qui omnes uno ore docent, quòd illa sola opera DEO placent, sol s illis merces æterna datur, quæ in fide Mediatoris facta sunt, & fiunt, aliter nulla sunt, nec placent DEO, ut verè S. Hieron. Epist. ad Dardanum dixerit, *Sanguis Christi clavis Paradisi est*; maxima ergo injuria facta est multis, quia per hanc sinistram imputationem multi abhorrent ab Ecclesia Cathol. Rom. Sed ut nos ostendamus, quàm splendidum hoc sit mendacium, ex multis SS. Patribus & Theologis Catholicis clarè patebit. S. Thomas Aquinas 3.p.qu.49.Art.5.ait: *Per passionem Christi aperta est nobis ianua Regni cœlestis.* In Summa p.1. qu.23. Art. 5. docet, dari gloriam ex meritis, merita ex gratia, gratiam ex Divina voluntate. In eadem Summa: Si consideretur opus hominis meritorium, secundùm substantiam operis, & quatenùs ex libero proficiscitur arbitrio, vitâ æternâ dignum non est: si autem spectetur quatenus procedit ex gratia Spiritûs Sancti, dignum est, non propter suam, sed propter Spiritûs S. dignitatem, moventis nos in vitam æternam, sicut scriptum est: *Erit in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Idem in cap. 6. ad Rom. explicans illa verba, *Gratia DEI vita æterna*, ait: Quia enim dixerat, justos homines habere vitam æternam, quam certum est non posse haberi, nisi per gratiam, ideò hoc ipsum, quòd bona operamur, & quòd opus nostrum est dignum vitâ æternâ, est gratia DEI. Undè in Psalmo dicitur, *gratiam & gloriam dabit Dominus.* In hoc uno Mediatore spem nostram defixam habemus, ideò in ijs Orationibus

nibus ad Altare, quas vulgò Collectas vocant, preces omnes in DEUM Patrem per Chriſtum dirigimus, neq; per alium concedi nobis ea quæ petimus, poſtulamus, quàm per unicum DEI & hominum Mediatorem, Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, ut dicere Mediatorem Eccleſiæ Catholicæ fuiſſe ignotum tot Sæculis, eſt dicere, non lucere Solem in Cœlo. Sed & SS. Patres, quorum doctrinis in unico Mediatore Chriſto JESU, & in gratia ipſius, omnes Theologi Catholici tanquam fundamento innituntur, quid dicant audiamus.

S. Ambroſius in Pſal. 118. *Semper homo, etiamſi ſanctus & juſtus ſit, debet orare, ut exaudiat eum ſecundùm miſericordiam ſuam, non ſecundùm merita virtutis alicuius.* Idem Orat. præparante ad Miſſam Feriæ 5. ait: *Non enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.* S. Auguſtinus Serm. 19. *Juſti meritis ſuis nihil tribuunt, non tribuunt totum, niſi miſericordiæ DEI.* S. Hieron. in cap. 64. Iſaiæ: *Si noſtra conſideremus merita, deſperandum eſt; ſi tuam autem clementiam, &c. audemus preces fundere.* S. Greg. M. lib. 5. in 1. Reg. cap. 2. *Non bonitate noſtrâ, ſed DEI ſit, ut homo terrenus bonis cœleſtibus perfruatur. Donum quippè DEI eſt, non ex nobis.* S. Auguſt. Tract. 3. in Joan. „Pro gratia Fidei, Spei, & Charitatis, in quibus per gratiam ejus „proficientes ambulamus, accepimus, jam ſpe accepturi, deinceps „etiam re gratiam illam, de qua loquitur Apoſtolus, *Gratia autem* „*DEI, vita æterna.* Idem de Cor. & Grat. cap. 13. Quia & ipſa vi„ta æterna, quam certum eſt bonis operibus debitam reddi, à tan„to Apoſtolo gratia DEI dicitur, cùm gratia non operibus, ſed gra„tis detur, ſinè ulla dubitatione confitendum eſt, ideò gratiam vi„tam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contu„lit homini. Idem 1. diſt. 27. art. 4. Vocatur autem vita æterna „gratia, non ob aliud, niſi quòd gratis datur, nec ideò, quia meritis „non datur, ſed quia data ſunt & ipſa merita, quibus datur. Idem „ad Sixtum Epiſt. 150. *Da veniam Apoſtole, propria tua non novi, niſi mala, &c. Cùm ergo DEUS coronat merita tua, nihil coronat, niſi dona ſua.* Idem lib. 9. Conf. cap. 13. Væ autem laudabili vitæ ho„minum, ſi remotâ miſericordiâ diſcutias eam. Nam niſi Chriſti „miſericordia interceſſiſſet, qui ſemetipſū tradidit pro nobis obla„tionem & hoſtiam DEO, niſi Sanguis ejus interpellaret, niſi vul„tui DEI pro nobis appareret, cicatrices illi ſuas oſtentans væ foret, „quam-

" quamlibet laudabili vitæ nostræ. S. Athanas. lib. 5. cont. Arian.
" Quemadmodum Verbum Caro factum est, sic & homo, quæ Dei
" sunt, per Verbum accepit, Verbum dicitur accepisse, ut quamvis
" indignus sit homo, quantùm ad naturam ejus pertinet, qui talia
" acciperet, tamen propter Verbum Carnem factũ accepisse mon-
" stretur. S. Basilius de Spiritu S. cap. 16. *Quis adeò rudis est, ut non audiverit de bonis, quæ DEUS præparavit dignis, ut ignoret, quòd corona iustorum est Spiritûs S. donum, sive gratia, quæ largior tum ac perfectior exhibetur, cùm iuxta proportionem rectè factorum spiritualis gloria fuerit unicuiq; distributa.* S. Bernard. Serm. 1. de Annunciat. B. V. MARIÆ: *Ipse enim peccata condonat, ipse merita donat, & præmia nihilominùs ipse redonat.* Guilel. in Vita S. Bernardi lib. 1.
" cap. 12. Fateor, non sum dignus ego, nec proprijs possum meritis
" Regnum obtinere Cœlorum. Cæterùm duplici jure illud obtinens
" Dominus meus, hæreditate scilicet Patris, & merito passionis, al-
" tero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud
" mihi vendicans non confundor. Sacerdotale Romanum hæc habet inter alia ad infirmum: *Credis non proprijs meritis, sed passionis Domini nostri JESU Christi virtute & merito ad gloriam pervenire? Credis, quòd Dominus noster JESUS Christus pro nostra salute mortuus sit, & quòd ex proprijs meritis, vel alio modo nullus possit salvari, nisi in merito passionis eius?* Respondet infirmus, *Credo.* S. Bernard. in
" Cantica Serm. 68. Sufficit ad meritum scire, quòd non sufficiant
" merita, sed, ut ad meritum satis est, de meritis non præsumere,
" sic carere meritis, satis ad judicium est. &c. Merita proindè ha-
" bere cures, habita data noveris, fructum speraveris DEI miseri-
" ricordiam, & omne periculum evasisti paupertatis, ingratitudi-
" nis, præsumptionis; Periculosa paupertas, penuria meritorum,
" &c. felix Ecclesia, cui nec merita sinè præsumptione, nec præ-
" sumptio absq; meritis deest, habet unde præsumat, sed non me-
" rita, habet merita, sed ad promerendum, non ad præsumendũ:
" ipsum non præsumere, nonnè promereri est? Ex his S. Bernardi verbis clarè patet, quòd ille non merita, sed præsumptionem de meritis excludit. S. Chrysost. Hom. 3. in Matth. & 38. ad popul. An-
" tioch. similia docet: Satis certus thesaurus, rectè factorum obli-
" vio, &c. Idcircò, quanto majora fecerimus bona, tantò de nobis
" minora dicamus, hoc enim modo maximam, & coram DEO, &
" coram hominibus gloriam consequemur, nec solùm gloriam, quæ
" à DEO

à DEO eſt, verùm etiam mercedem pleniſſimam. &c. Si bona „ tua magna vis facere, noli ea magna putare. &c. Sic etiam Petrus „ ait, *exi a me Domine, quia homo peccator ſum*; & propterea fa- „ ctus eſt Eccleſiæ fundamentum: nihil enim ſic eſt amicum DEO, „ quàm ſi quis ſe minimis annumeret, hoc eſt enim Caput totius „ Philoſophiæ atq; faſtigium. Idem Homil. de Pœnit. & Confeſſ. „ Audi, quomodo Chriſtus præcipit, nos oblivioni tradere bona o- „ pera: *Quando hæc omnia feceritis, dicite, quoniam inutiles ſervi ſumus*. Ego te non facio inutilem, tu autem ſi confeſſus fueris nul- „ litatem tuam, ego te illuſtrem faciam, & coronabo, &c. Non igi- „ tur in ſuperbiam contumeſcamus, ſed dicamus nos ipſos inutiles, „ ut in partem utilium tranſeamus. Si enim te laudandum dixeris, „ reprobus effectus es, etiamſi fueras antè laudabilis; ſi verò inuti- „ lem te eſſe fatearis, factus es utilis, etiamſi fueras antè culpabilis. „ S. Hieron. in princ. Serm. in lib. adverſ. Pelag. *Tunc enim iuſti ſumus, quando nos peccatores ſatemur, dicente S. Scripturâ, Juſtus accuſator ſui eſt.* S. Baſilius lib. de Spiritu S. ad Amphi. cap. 24. Qua- „ lis actio, talis etiam merces pro operibus debetur. Idem Homil. „ quam ſcripſit in initium Proverb. Omnes qui viam Evangelicam „ incedimus, mercatores ſumus, per opera mandatorum nobis poſ- „ ſeſſionem cœleſtium comparantes. Idem in lib. de laude vitæ ſo- „ litariæ, vocat Cellam Negotiatorum Cœleſtium Apothecam, in „ qua videlicet illarum mercium Summa reconditur, quibus terræ „ viventium poſſeſſio comparatur. Felix (inquit) commercium, „ ubi terrenis cœleſtia, tranſitorijs mutantur æterna: felices nun- „ dinæ, ubi venalis æterna vita proponitur, ad quam emendam eti- „ amſi eſt minimum quid, ſolùm ſufficit, quod habetur, ubi brevis „ afflictio carnis emit cœleſte convivium, & exiguæ lacrymæ viſum „ capiunt ſempiternum; unde Chriſtus Matth. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Poſſeſſio terrena diſtrahitur, & ad hæ- „ reditatis æternæ patrimonium pervenitur. S. Auguſtin. Serm. de „ Verb. Apoſt. Serm. 22. *Avaritia te ad Indos miſit, ad deportandum aurum; ego tibi ante oſtium Chriſtum poſui, à quo emeres Regnum Cœlorum.* Idem in Pſal. 93. *Venale eſt Regnum Cœlorum, dicis illi, quantum valet? pretium illius labor eſt.* S. Ambroſ. de Helia & Jejunio, cap. 20. Habemus plura ſubſidia, quibus peccata noſtra „ redimamus, pecuniam habes, redime peccatum tuum, non vena- „ lis eſt Dominus, ſed tu ipſe venalis es: peccatis tuis venundatus „



laus vita ſolitaria & contemplativa.



" es, redime te operibus tuis, redime te pecuniâ tuâ: vilis pecunia, " sed pretiosa est misericordia. *Eleemosyna,* inquit, *à peccato liberat.* " Tob. 4. &c. Idem inferius: Ne quis detractum aliquid pretio " Sanguinis Christi existimare posset, pretium nostrum Sanguis est " Christi. Idem alio loco: *Cibi corruptibilis pretio, incorruptibilem Regni Cœlorum gloriam, æternamq; vitam merearis.* Prudentius, ubi scribit de S. Cypriano, ait: *Merce doloris, emit spem luminis, & diem* " *perennem.* S. Chrysost. Hom. 9. de Pœnit. Pretium non appono, " ne obijcias inopiam, quanti potes, tanti eme: habes denarium, " eme Cœlum, non quòd venale sit Cœlum, sed quòd clemens est " Dominus. Non habes denarium, da calicem aquæ frigidæ, inquit

Matth. 10 " enim, *Quicunq; dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ* " *propter me, non perdet mercedem suam. &c.* Da panem, & accipe " paradisum: parva da, & magna suscipe. Gregor. Nazian. in Orat. ad Cives: *Negociationem optimam esse, ut pauco sanguine Regnum emeretur Cœlorum, & gloria sempiterna pro rebus acciperetur temporarijs.*

Discursus Theol.

In quo ostenditur, quòd fideles tanquam membra in Christo Capite merentur, à quo omnia bona procedunt, & Sanguine illius DEO Patri grata fiunt.

Seclusâ omni præsumptione de nostris meritis, quæ non nostra, sed potiùs dona DEI dicimus, & cum omni humilitate fatemur cum Ecclesia Cathol. & Sanctis Patribus, imò & cum S. Scriptura

ad Rom. 8 constanter asserimus, quòd *non sint condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis,* quòdque nostris operibus, quatenùs nostra tantùm sunt, ea comparari non possit, verùm tanta est DEI clementia, ut quæ per se digna non sunt, ea intercedente Filij sui, & passione pro nobis & Sanguine, quo respersa sunt, pro dignis habeat, quibus Regni cœlestis præmia largiatur, ut

ad Rom. 6 ait Apostolus: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* In hoc Sanguine Agni illius immaculati, suas stolas dealbaverunt omnes

Apocal. 7 Sancti, tam Martyres, quàm Confessores, de quibus dicitur: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas in sanguine Agni;* ille est, qui lavat, ille est, qui dealbat in Sanguine, non eo tantùm, quem ipse Caput nostrum fudit in sua passione, verùm in eo,

eo, quem fudit in ſuis membris, quorum paſſiones, Chriſti fuerunt paſſiones, Chriſti Sanguis in Martyrum ſanguine fundebatur, tanquam membrorum in Capite. Quod expreſſit Origenes Hom. 11. *Si conſideres Martyres ubiq; condemnatos, & de ſingulis Eccleſiis exhibitos ad tribunal, videbis, quomodo per ſingulos Martyres JESUS condemnetur.* Et paulò pòſt ait idem: *Si condemnatur etiam Chriſtianus pro hoc tantùm, quòd Chriſtianus eſt, Chriſtus eſt, qui condemnatur.* Hoc etiam expreſſit Apoſtolus: *Nemo veſtrûm patiatur ut homicida, aut fur, &c. Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat, &c. Itaq; & hi, qui patiuntur ſecundùm voluntatem DEI, fideli Creatori commendent animas ſuas in benefactis.* S. Cyprianus de Exhort. Martyrij cap. 11. ait: „Dominus luctatur, ipſe in vobis congreditur, ipſe in certamine agonis noſtri & coronat pariter, & coronatur. S. Ambroſ. explicans illud S. Pauli: *Semper mortem JESU in corpore noſtro circumferentes, &c.* ait: „Dubium non eſt, quia in Martyribus Chriſtus occiditur, & in ijs, qui pro fide patiuntur, aut exilium, aut vincula, aut verbera, Chriſti paſſiones ſunt. S. Auguſtin. Tract. 28. in Joan. ait: *Nam ſi non ipſi eſſent membra ejus, non diceret, Saule, quid me perſequeris? non enim Saulus ipſum, ſed membra ejus, id eſt, fideles ejus in terra perſequebatur, noluit tamen dicere, Sanctos meos, Servos meos, poſtremò honorabiliùs Fratres meos, ſed me, hoc eſt, membra mea, quibus ego ſum Caput.* S. Gregor. in 5. Pſal. Pœnit. & lib. 3. Moral. cap. 11. illud Pſalmi explicans, *In quacunq; die tribulor, &c* ait: „Ecce, jam Caput noſtrum ſedet à dexteris DEI, & tamen ſe dicit tribulari, ubi ergo tribulatur, niſi in Corpore? Nam quòd in Corpore tribuletur, manifeſtè oſtendit, cùm Saulo perſecutori dixit, *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Et Petro ait: *Venio Romam, iterum crucifigi.* Qui enim in ſe ipſo jam pridem crucifixus fuerat, in Petro iterum ſe crucifigendum dicebat. Et alio loco ait: Si Caput noſtrum tormenta noſtra non tangerent, nequaquam pro afflictis membris perſecutori ſuo etiam de Cœlo clamaret: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Si cruciatus noſtri ejus pœnæ non eſſent, converſus, afflictusq; Paulus minimè diceret: *Suppleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea.* Sed quomodo Apoſtolus *ſupplebat, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne ſua,* cùm Chriſtus ſufficientiſſimè ſatisfecerit pro nobis? Sciendum eſt, Quia Chriſtus *eſt Caput Eccleſiæ*, ad Coloſſ. 1. *nos autem ſumus Corpus & membra Chriſti*, ut ait Apoſtolus 1. ad Corint. 12. & ſicut

1 Petri cap. 4

lib. 2 Epiſt. 6

in Orat. de Baſilicis tradendis.

ad Coloſſ. 1.

sicut ait S. August. in Psal. 61. & 86. *Dominus noster JESUS Christus unus est Homo cum Capite & Corpore suo, Salvator Corporis & membrorum, Corporis dico, in Carne una, in Voce una, in Passione una. Passus est itaq; Christus in Capite, & passus est, & patitur in membris suis. Passus est Christus sufficienter in Capite.* Unde ergo dicit Apostolus, *Suppleo, quæ desunt Passionum Christi, in carne mea*; numquid deerat Passionum Christi? an non passus sit, quidquid pati debuit? an non dixit, *Consummatum est?* significando, nihil deesse mensuræ passionum Christi, cùm completa essent, quæ dicta fuerant de se, ergo gratis dixit Apostolus, *adimpleo, quæ desunt passionum Christi, in carne mea.* Non gratis, ait S. August. in Psalm. 86. *In his membris cùm esset Apostolus, dixit, adimpleo, quæ desunt passionum Christi, in carne mea*; quia Christus licet sufficienter passus sit in Capite, sed restabant adhuc, & restant passiones Christi in Corpore & membris ejus, de quibus Apostolus: *Vos estis Corpus Christi, & membra de membro.* Passus est semel Christus in Capite, passus est sæpè, & patitur, & patietur usq; ad consummationem sæculi Christus in membris suis, ideò ait Apostolus, *Suppleo, quæ desunt, in carne mea.* Sic patiebatur Christus à Saulo, cùm dixerit, *Saule, Saule, quid me persequeris?* membra persequebatur Saulus, & Christus totus erat gloriosus, & tamen se in membris suis pati dicebat, quid me persequeris? *Sicut calcato pede clamat lingua, cur me calcas? cùm linguam nullus calcat, sed quia calcatur membrũ, sentit Caput, clamat lingua*; ita & Christus, si quis membro ejus facit injuriam, si quis persequitur, sibi Christus fieri imputat, ut alibi dixerat, *quidquid ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*; in quæ verba ibidem ait S. August. *Adhuc Christus hìc eget, Christus hìc peregrinatur, Christus hìc ægrotat, Christus hìc in carcere includitur,* nempè in membris suis. Sic adimplebat, quæ deerant passionum Christi, in carne sua, & membro Christi, quod erat Paulus. Undè ait: *Gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo quæ desunt,* acsi diceret, patior pro vobis, satisfacio ex donatione Christi pro vobis, non ut Caput, sed ut membrum Christi, quod est caro mea. Undè cùm præcesserit Caput cum Cruce, invitat me membrum ad meam portandam. *Qui non accipit Crucem suam, non est me dignus.* Invitat me tanquam membrum ad passionem suam, ut sicut ille patitur ut Caput meum, ita ego, ut membrum ejus, pati debeo. *Si compatimur, & conglorificabimur. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

1. ad Cor. 12

S. August. in Psalm. 86

Matth. 25

ad Coloss. 1

Matth. 10

ad Rom. 8

nobis. Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris, ait Apostolus. Et cùm Apostolus superimpenditur pro animabus aliorum, virtute Capitis sui, donatione, non necessitate, impenditur per Christum, impenditur in Christo, meretur, satisfacit in Christo, imò Christus tanquam in suo membro meretur, & satisfacit in Apostolo, meretur tanquam Vitis in suo palmite, & Palmes quidquid boni agit, quidquid meretur, virtute suæ Vitis agit, meretur, & *multum fructum affert*. Joan. 15. Idem de omnibus Electis intelligendum. S. Ambrosius in Psal. 118. Serm. 20. v. 3. Omnis ut justitia nostra Sanguis Christi sit. Omnia ut merita nostra Christi Sanguis merita sint, siquidem Caput & Corpus, unus est Christus, ut si quæ sunt virtutes nostræ, nihil aliud, quàm justitia meritorum Sanguinis Christi fulgent in illis, quam etiam ob causam cùm Christi fideles persequeretur Saulus, non dixit Christus, Saule, Saule, cur persequeris membra mea? sed, cur me persequeris? ut se cum suis membris unum esse Christum, se persecutionem in illis pati, suum Sanguinem in illorum sanguine fundi demonstraret. Detrahere itaq; meritis Sanctorum, nihil est aliud, quàm detrahere meritis Christi. Christus enim, qui vivit in illis; Christus est, qui patitur in illis; Christus est, qui meretur in illis. Simile habet S. Hieron. contra Pelag. cùm ait: Et Sanguis JESU Christi emundat nos ab omni peccato, tam in Confessione Baptismatis, quàm in clementia pœnitudinis non mundat, nisi Sanguis JESU Christi. 1. ad Cor. 15. *Gratia eius in me vacua non fuit, &c. non ego autem, sed gratia DEI mecum*, quæ verba sic explicat S. Augustinus lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 5. Non ego autem, sed gratia DEI mecum, id est, non solus, sed gratia DEI mecum, ac per hoc nec gratia DEI sola, nec ipse solus, sed gratia DEI cum illo. Et Psalm. 26. *Adiutor meus esto*. Si DEUS adjuvat nos, ergo & nos aliquid facimus, quod rectè explicat S. August. Serm. 13. de verbis Apost. *Nomen adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis.* Huc spectant illa 2. ad Corint. 6. *Ne in vacuum gratiam DEI recipiatis.* Et ad Rom. 8. *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram.* Et ad Philip. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Undè S. August. Tract. 72. in Joan. *Operanti in se Christo, cooperatur homo salutem æternam, & iustificationem suam.* Idem in Enchir. cap. 11. *Hominis voluntatem DEUS præparat adiuvandam, & adiuvat præparatam.* S. Bernardus lib. de Gratia & libero Arbitrio:

2. Cor. 12

" Conatus nostri cassi sunt, si non adjuvantur, & nulli, si non exci-
" tantur. Tolle ergo Sanguinem hunc à sanguine Martyrum, tolle
" gratiam excitantem & adjuvantem, nihil nobis proderit sanguis
" Martyrum. Audeo dicere, quòd citiùs nos inquinaverit, quàm la-
" verit. Ex his clarè patet, quàm gravis sit calumnia in Ecclesiam Cathol. Romanam, quasi ipsa nihil doceat de Fide, & Meritis Mediatoris, magis fidendo proprijs, quod nemo dicit Catholicorum, nisi stultus, & omni prorsus destitutus ratione: immo Catholica sententia hæc est, hanc esse hæresim Pelagianorum. Sed hoc Commentum placuit excogitare, nec curare, verum vel falsum dicant, modò à corpore Ecclesiæ dispergant illos, & ab unitate fidei separent, quos Christus pretioso Sanguine suo collegit.

Discursus Theolog.

In quo probatur intentum efficaci & evidenti ratione, hoc modo:

DEUS in S. Scripturis indicat, se velle, ut Legem servemus, ut Matth. 11. *Tollite iugum meum, &c.* Et cap. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et Joan. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis;* & multa alia superiùs citata. Vel ergo seriò vult, ut ea servemus, vel joco, ut Calvinus ait. Si seriò vult, seriò tenemur servare: si joco, cur seriò DEUS punit transgressores. Joan. 5. *Procedent qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala, in resurrectionem iudicij.* Quare & Apostolus 1. ad Corint. 9. serio timebat reprobationem, ex defectu bonorum operum? *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Nec timebat idem Apostolus, fieri injuriam Christi passioni, cùm diceret ad Colos. 1. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea.* Jam superiùs patuit, quomodo supplebat tanquam membrum in Capite Christo. Et ad Gal. 5. *Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem;*
NB. *qui autem seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.*

Ut autem falsam opinionem expungamus adversæ partis, quæ Catho-

Catholicis imponit, quasi ipsi benè operando proprijs viribus plus quàm DEO adscribant, in illisq; magis, quàm in DEO confidant: adduco Concilij Trid. doctrinam, Sess. 6. cap. 16. Adducit Concilium S. Paulum, 1. ad Cor. 16. scribentem, *Abundate in omni opere bono, scientes, quòd labor vester non sit inanis in Domino.* Et ad Hebr. 6. *Non enim injustus est DEUS, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Et cap. 10. *Et nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* „ Atq; ideò benè operantibus usq; in finem, & in DEO speranti- „ bus, proponenda est vita æterna, & tanquam merces, ex ipsius „ DEI promissione, bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter „ reddenda. Hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum cer- „ tamen & cursum, repositam sibi esse ajebat Apostolus, à justo Ju- „ dice sibi reddendam, nec solùm autem sibi, sed & omnibus, qui di- „ ligunt adventum ejus. Cùm enim ille ipse Christus JESUS, tan- „ quam Caput in membra, & tanquam Vitis in palmites, in ipsos „ justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera „ semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sinè qua nullo „ pacto DEO grata, & meritoria esse possent. &c. Et inferiùs ait: „ Absit tamen, ut Christianus homo in seipso vel confidat, vel glo- „ rietur, & non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines „ bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Hucus- „ que verba Concilij. Videant ergo, si verum est, quod objiciunt. Non minùs etiam falsam aliam expungimus Objectionem, acsi Catholici putent, se mereri Justificationem bonis operibus. Adduco ejusdem Concilij doctrinam, huic falsæ contrariam opinioni, Sess. 6. cap. 8. ubi ait: Gratis autem justificari ideò dicamur, quia nihil eorum, „ quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justi- „ ficationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, jam non ex o- „ peribus, alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est „ gratia. Undè Concilium illos, qui ex his falsis opinionibus non „ tantùm antecedentia justificationem bona opera, cum Catholicis tollunt, sed etiam subsequentia justificationem expungunt, Canone 18. 19. 20. 21. anathematizavit.

2 Tim. 4.

1. Corint. 15. Joann. 15

Author Tubæ adducit SS. Patres superiùs in suo Discursu pag. 323. citatos. Adducit Concil. Trident. Sess. 6. ibidem ait, quòd opera nostra suo modo mereantur, non abhorrent loqui Luther. nostri Theol. ita enim docet Urb. Regius c. l. cap. de Fide & Oper.

& Meritis, Num. 6. p. m. 32. *Bona opera nostra ex gratuita promissione Divina merentur corporalia & spiritualia præmia in hac vita, & post hanc vitam.* Hæc ex diametro pugnat doctrina Lutheranorum Theolog. cum doctrina Lutheri & Calvini, cùm totaliter bona opera excluserint: nam Calvinus vocat illa sordes & inquinamenta. lib. 2. Instit. cap. 12. & 14. Lutherus de Captiv. Babil. cap. de Euchar. ait: *Non aliâ viâ potest homo cum DEO convenire, aut agere, quàm per Fidem: Opera ille nihil curat.* Idem ibidem: *Tam dives Christianus, ut non possit perire, etiamsi velit, quantumcunq; malè vivat, nisi nolit credere.* Pulchra sanè connexio Magistrorum cum Discipulis! quod illi negant, isti affirmant. Tandem sententia Catholica in asserendis bonis operibus gratiâ DEI factis triumphat, & in cordibus Dissidentium triumphabit, si benè intellecta fuerit, cùm Lutherani Theologi à bonis operibus vitam æternam merentibus non abhorrent, (ait Author Tubæ) quod utinam fiat, alias est Hæresis Simonis Magi, & aliorum, ut supra, qui per gratiam hominem salvari dicebat, non per operas justas, ait Irenæus lib. 1. cap. 20.

Discursus Theologicus.

In quo Testimonia Centuriatorum Magdeb. & aliorum adducuntur, quorum Centuriæ magnum pondus habent apud Dissidentes: Sunt enim velut Corpus Iuris, quod per modum historiæ de primitiva Ecclesia confecerunt, ideò illis frequenter suprà usi sumus, & inferiùs utemur, de controversis Dogmatibus, quæ Author Tubæ pag. 66. usq; ad pag. 78. Protestantibus sub specie distinctionis suscipienda proponit, & suadet, ut concordiam ineant cum Ecclesia Cathol. Romana.

De Sacra Scriptura imò.

MUltos libros Canonicos S. Scripturæ ab hæreticis controversos jam pridem receptos à Concilijs & Patribus, agnoscunt adversarij. Reinoldus in Conclus. annexis collat. Concl. 2. p. 699. post medium ab August. & Patribus Concilij Carthag. apertè id confitetur.

Celebrati An. 397 sub Siricio Papa.

tur. De ijsdem libris agnoſcit judicium ejusdem Concilij, & Innocentij I. & Gelaſij, Zanchius de Sacr. Script. pag. 32. & 33. & Hoſpinianus in Hiſtor. Sacram. parte I. pag. 160. ab eodem Concilio, Innocentio I. Gelaſio, Auguſtino, receptos in Canone agnovit. Et Lubbertus de princip. Chriſt. dogmatis, lib. I. cap. 4. pag. 8. Et Hipperius in Metho. Theol. lib. I. pag. 46. ſic ait: *In Concilio Carthagin. adduntur Canonici, &c. Sapientia, Eccleſiaſt. duo Libri Machab.* An. 397 *Tobias, Judith, &c. quos omnes eodem ordine numerat Auguſt. Innocentius, Gelaſius.* Idem agnoſcit judicium Fieldus de Eccleſ. lib. 4. cap. 23. pag. 246. Covellus contra Burgheſium pag. 76. & 77. & 78. Similiter & alij dicunt, *Eccleſiam habuiſſe DEI Spiritum, ad diſcernendum veras à falſis Scripturas,* ita Fulco reſpon. ad Pſeudo-Cathol. pag. 5. Juellus Anglus in defenſ. Apolog. pag. 201. Fieldus lib. 3. fol. 170. Gommarus in Speculo veræ Eccleſ. pag. 96. S. Auguſtinus, qui illi Concilio Carthag. interfuit, à DEO inſpiratum Doctorum maximum agnoſcunt, & quod magis eſt, nonnullis apparentibus rationibus, quibus aliqui moti ſunt ad truncandos eosdem libros de Canonicorum volum. Catalogo ſatisfacere nititur. Hoc & Covellus reſpon. ad Burgeſium, pag. 83. facit, dum ait: *Facilè poſſemus ea cum alijs Scripturis concordare, & ſinè dubio ea quàm veriſſima oſtendere,* & nonnullis Objectionibus reſpondet pag. 87. 88. 89. 90. Nota obiter, quòd Lutherus injuſtè Epiſtolam S. Jacobi reijciat ex eo, quia mortuam dicit fidem ſinè bonis operibus; & Apocalypſim, quia habet, *Opera enim illorum ſequuntur illos,* Apoc. 14. ex levibus ſanè rationibus, videndis apud Cathol. Authores, cùm utraq; ſit relata inter Canonicos libros in eodem Concil. Carthag. An. 397. Sed Calvinus acriter pro illa pugnat, & Centuriatores cum illo contra Lutherum Apocalypſim Canonicum librum aſſerunt, Cent. I. lib. 2. cap. 4. col. 56. licèt fuerint rigidi Lutherani. Sicut & Epiſtolas Jacobi, Judæ, Secundam Petri, Secundam & Tertiam Joannis, reijcit Lutherus in Prolog. Brentius, Chemnicius, Calvinus verò & Calviniſtæ, in Confeſs. Piſsiacen. Art. 3. eam recipiunt. Catholici verò non dubitant de ſuprà dictis libris Canonicis, cùm Concilia plura, & SS. Patres de his libris teſtantur, quos vide apud Bellarm. lib. I. cap. 18. fol. 55. & cap. 18. fol. 60.

Sed numquid alij SS. Apoſtoli obſcurè de bonis operib⁹ ſcripſerunt? ut ſuperius patuit.

licèt fuerint rigidi Lutherani!

in fundamento Fidei non eſt unitas inter Diſſidentes.

ex prædicto Concil. Carthagin. teſtibus S. Auguſtino, Innoc. Gelaſio, & alijs.

Testimonia Dissidentium de Traditionibus.

Vixit An. 80 Wittakerus de S. Script. pag. 655. ait: *Concedo, Dionysium pluribus in locis favere Traditionibus.* Idem pag. 675. ait: *Sermonem Chrysostomi de Traditionibus esse inconsideratum, & tanto Patre indignũ.*
Vixit An. 380 Chemnicius part. 1. pag. 878. reprehendit Clement. Alexandr. Origenem, Epiphan. Ambros. Hieron. Maxim. Theoph. Damasc. Traditiones prædicantes. Fulco cont. Purgat. pag. 362. 303. 397. ob assertas Traditiones à Chrysost. Tertull. Innocent. Leone, Basil. Euseb. Damasc. eosdem Patres corrigere audet. vide plures SS. Patres, quos pro Traditionibus adduximus in Discursu de illis, p. 275. & seq. Considera etiam attentè, Benevole Lector, ad quos pertinent, qui Traditiones oppugnant, vide suprà pag. 239. & 240. & sup. p. 211. 212. quomodo ex principijs illorum, & proprio ore eorum veritas Catholica de Traditionibus triumphat, undè cognitis ex pag. 239 fraudibus hæreticorum magis exactam curam geras animæ tuæ.

An sola Fides justificet? de qua Author Tubæ p. 67.

Doctrinam de Justificatione à Patribus traditam, agnoscunt Centuriatores, Cent. 5. col. 505. dum dicunt: Augustinus in illo Rom. 3. *Justificati gratis*, nihil aliud vult intelligi per gratis, nisi quia NB. justificationem opera non præcedunt. Cyrillus contendit, non solam Fidem ad salutem sufficere, sed Fidem & Opera, quam sententiam habent Leo, Prosper. Isychius, Sedulius, & alij Nos in Discursu de Justificatione plures SS. Patres adduximus, qui ante primam gratiam justificantem nullum opus agnoscunt, ex humano arbitrio procedens, quòd vocantem gratiam præcedat, sed primâ gratiâ justificante acceptâ crescere, meritis crescentibus, Catholicè docuerunt, undè frustrà adversa pars laborat, SS. Patribus & Catholicis imponendo, quasi dicant, bona opera esse causam justificationis. Patres enim nunquam de operibus, quæ primam gratiam præcedunt, locuti sunt, sed de subsequentibus, per quæ homo crescit in gratiæ augmento. Bullingerus in Apocal. Serm. 87. fol. 270. dicit, *Doctrinam Meriti, Satisfactionis, Justificationis ex operibus, (hæc enim omnia supponunt primam gratiam) ab Apostolorum tempore prima iecisse fundamenta.*

De

De merito bonorum operum, de quo Author pag 67. N. 4.

Centuriatores Cent. 2 col. 60. docent, obscuratam doctrinam de fide bonorum operum ætate Clementis, dum ajunt, *in illis salutem æternam, alias fidei, alias operibus, modo utrisq; simul adscribit*, & citant Theophil. Cent. 5. col. 506. & 507. dicunt: *Nimium hæc ætas bonis hominum operibus adscripsit. Chrysostomus immodicus Encomiastes est operum humanorum, Augustinus etiam nimium tribuit operibus, docetq; mala opera condemnare, & bona vitam æternam mereri. Ita enim Leo, Prosper, Salvianus, Salonius, Maximus, & alij.* Cent. 4. col. 295. Patrum verba afferunt, quibus docuerunt, *nos mereri vitam æternam virtutibus & ærumnis nostris, nihil prodesse, si habeamus omnia, solâ autem Charitate nos salvante careamus*; & recitatis locis Patrum, hoc Epiphonema ponunt: *Jam cogitet pius Lector, quàm procul hæc ætas in hoc articulo ab Apostolorum doctrina desciverit.* Reprehendunt ergo Primitivam Ecclesiam, dum reprehendunt Patres illius ætatis, scilicet Chrysostomum, Augustinum, Leonem, Prosperum, & omnes, tam Latinos, quàm Græcos, qui de merito bonorũ operum constanter docuerunt: immo reprehendunt doctrinam Apostolorum, qui in suis Epistolis nihil frequentiùs commendant, ut bona opera, & Doctor Gentium nihil magis quàm bona opera, & eorundem meritum in suis Epistolis adstruit. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit. Non sunt condigna passiones ad futuram gloriam. Si compatimur, & conglorificabimur.* Reprehendunt & Evangelium; nam expressè dicit, *Ite maledicti &c. esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* In quem locum sic ait S. August. lib. 1. de Fide & Operibus cap. 15. *Non reprehendit illos, quòd in eum non crediderunt, sed quòd bona opera non fecerunt.*

immo ipsi desciverunt à doctrina non solùm Apostolorum, sed & Christi, cùm negant, bona opera mereri vitam æternã, ac si negarẽt Solem in Cœlo, ut superius patuit.

Vide reliqua suprà pag. 329 & seq.

Discursus Authoris Cap. XIV.

Pag. 68. Num. 5.

An per peccatum fides amittatur?

Quid impedit, quin dicamus omnes, quòd fides non amittatur, simpliciter & finaliter, nam per pœnitentiam & dilectionem reviviscit; amittatur secundùm vitam, nam fides per peccatũ mortua est. Citat Author SS. Matth. Luc. Jacob. Cyprian. August. Gregor. Conc. Trid. Sess. 6. c. 15.

Discursus Theol.

Fides per peccatum non amittitur, sed remanet informis, & mortua in peccatoribus.

PRobatur. Matth. 7. *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonnè in nomine tuo prophetavimus? in nomine tuo dæmonia eiecimus? in nomine tuo multas virtutes fecimus?* sed ista sinè fide facere non poterant, ut per se patet: & tamen fuerunt peccatores, quia dicit illis Christus, *Non novi vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem,* non exprobrat illis, quia in illum non crediderunt, sed vocat illos operarios iniquitatis. Ibidem inferiùs viro sapienti comparat illum, *qui audit verba sua, & facit ea, & qui non facit, viro stulto.* Audire autem verba Christi, est credere Christo, *cùm ex auditu fides,* ait Apostolus. Jacobi 4. legimus, *Scienti igitur bonum, & non facienti, peccatum est illi,* quid autem est scire bonum, scire voluntatem DEI, nisi credere Spiritui Sancto, per Prophetas, Apostolos, Evangelistas, nos docenti, & tamen non facere hoc bonum, reprehendit Christus Matth. 7. *Non omnis, qui dicit Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Hic per fidem credit Dominum, & invocat illum Domine, Domine, cùm ait Apostolus, *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* & tamen peccat, cùm non facit voluntatem Patris, & ideò non intrabit in Regnum Cœlorum, ut Matth. 7. ait: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et Matth. 23. ait Christus: *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, servate, & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere.* Et quis dicet, quòd per mala opera Fidem amiserint, cùm Christus Scribas & Pharisæos audire jusserit, licèt illis peccata exprobraverit, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi!* & tamen pro tunc fuerunt primaria Capita in populo, undè fidem servârunt, qui rectè docebant Legem Divinam, ex Christi testimonio, quod sinè fide non poterat esse, saltim informi & mortuâ per peccatum. Sola igitur hæresis, vel apostasia à fide, infidelem facit, & excludit habitum fidei, etiam informis, ita, ut si quis vel in uno articulo fidei discrepet ab unius S. Ecclesiæ Catholicæ sensu & consensu, is habitum fidei absolutè amisisse dicitur, non verò per peccatum. Hæc est doctri-

ad Rom. 10

doctrina Cathol. Ecclesiæ, & SS. Patrum, quòd per peccatum amittatur fides formata, quo ad suam vitam, quæ est gratia & Charitas, remanet fides informis & mortua.

Discursus Authoris Cap. XIV. Pag. 68. Num. 6.

An Lex impleri possit?

FAciamus talem Conciliationem: Non impleri ex viribus Naturalibus ab homine per peccatum corrupto extra statum gratiæ. Impleri viribus DEI per mensuram donationis Christi. Ephes. 4. 7. Quid hâc Conciliatione conformius S. Scripturæ, SS. Patrum, & Ecclesiæ Cathol. sensui? Pro hac Conciliatione citat Author Matth. 11. Joan. 14 & 15. Luc. 1. & SS Patres, Clemen. Alexandr. Athanas. de servanda Virginitate, Basil. Chrysost. Cyprian. Hieron Augu. Hilar. Leon. I. Epiphan. Greg. M. Bernard. Conc. Trid. Sess. 6. cap. 11.

Discursus Theolog.

Homo justus in hac vita non quidem suis viribus, sed cum auxilio gratiæ Divinæ potest servare Legem DEI.

PRobatur ex S. Scriptura. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, &c.* Hoc præceptum cum gratia & auxilio DEI servari potest, licèt adversa pars contrarium tenet, servari non posse. Probatur Catholica sententia exemplo plurium Sanctorum. Psal. 118. *In toto corde meo exquisivi te.* Et 3. Reg. 14. *Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum est in conspectu meo.* Et 4. Reg. 23. de Josia: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysi* Et Eccles. 47. de David: *In omni corde suo dilexit DEUM.* Dilexit ergo Josias, dilexit David DEUM, ex toto corde, nec dubium, quin idem fecerit Abraham, Moyses, Samuel,

muel, Helias, Elisæus, Jeremias, & alij SS. Prophetæ. Et in Novo Testam. B. V. MARIA, Apostoli, Stephanus, Ignatius, Timotheus, & alij non pauci, de quibus Deuter. 30. *Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas eum in toto corde, & in tota anima, ut possis vivere.*

Sed ut res tota intelligatur, explicandum est, quis sit sensus præcepti, quo jubemur diligere DEUM ex toto corde. Sic enim facilè constabit, an hoc præceptum servari potest. Ut ergo diligamus DEUM ex toto corde, super omnia necesse est, ut præferamus illum omnibus rebus creatis, ut nullius rei amorem, DEI amori anteponamus, ut nullius creaturæ timore vel amore DEUM offendamus, & ab amore illius recedamus. Hic verus sensus est, ut DEUM ex toto corde diligamus. Hoc expressit Apostolus: *Nulla creatura poterit nos separare à charitate DEI.* Et Christus: *Qui amat Patrem aut Matrem plus quàm me, non est me dignus.* Hoc sensu laudatur Abraham, quòd cùm haberet unicum filium, quem intimè diligebat, ejus tamen dilectioni præferret dilectionem DEI, cùm ipsum paratus erat offerre DEO in Sacrificium, evidens signum erat, eum dilexisse DEUM super omnia: hinc patet, hoc præceptum non esse impossibile, si hoc sensu intelligatur, ut diligamus DEUM ex toto corde; patet etiam, quòd qui diligit DEUM ex toto corde, idem mandata DEI custodit: fieri enim non potest, ut quis diligat DEUM ex toto corde, & mandata ejus non servet, cùm dilectio & observantia mandatorum semper conjungantur, ut Exod. 20. *Faciens misericordiam his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Et Deuter. 10. *Et nunc Israël, quid Dominus DEUS petit à te, nisi ut diligas eum in toto corde tuo, & custodias mandata eius.* Et cap. 11. *Ama Dominum DEUM tuum, & observa præcepta eius.* Et Christus Joan. 14. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Et cap. 15. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi* Et 1. Joan. 2. *Qui dicit, se nôsse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est: qui autem servat verbum eius, verè in hoc charitas DEI perfecta est.* Et Luc. 1. de Zacharia & Elisab. *Erant iusti ambo ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sinè querela.* Et Joan. 17. *Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem meum servaverunt.* Et Matth. 5. *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.*

ad Rom. 8
Matth. 10
Genes. 20
☞

Et

Et certè, si Lex DEI esset impossibilis, neq; cum auxilio DEI servari posset, cur eam DEUS Optimus Maximus nobis præciperet? cur clamaret Christus Matth. 11. *Tollite iugum meum super vos, iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* cur Joannes 1. Epist. cap. 5. *Hæc est charitas DEI, ut mandata eius custodiamus, & mandata eius gravia non sunt.* cur Psal. 118. legimus? *Viam mandatorum cucurri, cùm dilatásti cor meum.* cur alius ait Ezech. 26. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Ex his & similibus patet, Legem DEI non modò possibilem esse, sed etiam facilem, & jucundam ijs, qui gratiâ DEI adjuvantur, & illi cooperantur.

Discursus Authoris Cap. XIV.

Pag. 68.

An homo habeat liberum arbitrium ad bonum supernaturale?

AN non licet dicere, homo non habet liberum arbitrium ad bonum supernaturale, ex proprijs viribus naturæ corruptæ extra statum gratiæ, habet in statu gratiæ, per adjumenta DEI, viribus nimirùm gratiæ Divinæ adjutus. Consentient in hoc, credo, Romani Catholici, nec nos dissentiamus, & erit pax. Neq; (ait) hæc sententia est contra nostros Theologos; & adducit Renecium, qui ait: *Quanquam Orthodoxi Patres sæpenumero affirmant liberam voluntatem, quo ad res spirituales in nobis regeneratis esse, tamen non statim aiunt, eam ex proprijs nostris esse viribus, cùm istam ex DEI nobis obtigisse constet dotibus.* Ibidem citat SS. Patres, Irenæum, Cyprian. Basil. Chrysost. Hieron. August. Conc. Trid. Sess. 6. cap. 1.

Renecius Orthodoxos Patres adducit pro libero arbitrio.

Discursus Theol.

An detur liberum arbitrium in homine, ad agendum in rebus Naturalibus & Supernaturalibus?

LIberum arbitrium primus fuit, qui negaverat, Simon Magus, ex Clemente lib. 3. Recognit. infensus hostis SS. Apostolorum, & primus parens in Novo Testam. omnium hæreticorum. Item fuit

Manes, à quo dicti sunt Manichæi, ex S. Chrysost. Homil. 45. & ex S. August. lib. contra Fortunatum. Item Priscillianistæ, ex S. August. lib. de Gratia & libero Arbitrio. Sed hos omnes SS. Patres compescuerunt, præcipuè S. Augustinus, ut octingentis & ampliùs annis hanc insaniam nemo secutus sit. Primùm ante aliquot centenos annos Petrus Aderhardus hunc errorem reassumpsit, sed à S. Bernardo convictus, ducentis quadraginta annis hæc hæresis siluit, usq; ad Wiclephum. Lutherus librum scripsit de servo Arbitrio contra Erasmum. cùm Erasmus assereret liberum Arbitrium. Et in Assert. Art. 36. ait: *Liberum Arbitrium est figmentum in rebus, & titulus sinè re, quia nulli est in manu sua, quidquam cogitare boni vel mali, sed omnia, ut Wiclephi Articulus Constan. damnatus docet, de necessitate absoluta eveniunt.* Et infrà ait: *Non est dubium, Sathanâ Magistro in Ecclesiam venisse hoc nomen liberum Arbitrium*; ac ut præcluderet viam retractandi hanc doctrinam, in eadem Assert. ait: *In cæteris Articulis ferenda levitas, &c. sed in hoc Articulo, qui omnium optimus, & rerum nostrarum Summa est, dolendum & flendum est, miseros sic insanire.* Melanchton ab initio cum Luthero tenebat. Nam in Locis An. 21. ait: *Usurpata est vox liberi arbitrij, a Divinis literis ac sensu alienissima.* Et alibi ait: *Quandoquidem omnia, quæ eveniunt, necessaria, &c. nulla est arbitrij nostri libertas.* Ex hoc errore alium pejorem infert in Comment. ad cap. 8. ad Rom. dum ait: *Sicut fatemur, proprium DEI opus esse Pauli vocationem, ita fatemur, opera DEI propria esse, sive quæ media vocantur, ut comedere, &c. sive quæ mala sunt, ut Davidis adulterium, & proditio Judæ, ita est proprium opus DEI, sicut vocatio & conversio Pauli.* Et infrà ait: *Ergo non est, cur frigidum glossema admittamus, DEUM mala permittere, non etiam facere.* In posterioribus locis suam mutavit sententiam sic: *Concedendum est, quòd Scriptura Apostolica tribuat homini etiam nunc post lapsum libertatem aliquam deligendi ea, quæ sunt subjecta rationi.* ☞ Et infrà ait: *Hæc est Manichæa imaginatio, quæ videlicet libertatem & contingentiam tollit, horribile mendacium est, & ab hoc errore mentes abducendæ & docendæ sunt, agere aliquid liberum arbitrium.* Et in locis de causa peccati ait: *Est hæc vera & pia sententia utraq; manu, & veriùs toto pectore tenenda, DEUM non esse causam peccati, nec velle peccatum.* Et sic Melanchton in optimo Articulo, ut ait Lutherus, & Summa rerum illius recessit à Luthero, concedendo liberum Arbitrium, & affirmando, quòd DEUS non sit, au-

Antilogia Melanchtonis, esse & non esse Deũ Authorem peccati.

thor

thor peccati, nec velit illud, dicens, hanc esse Manichæam imaginationem, & horribile mendacium, quod Lutherus optimum Articulum asserebat.

His prænotatis ponitur Catholica Sententia.

Datur usus liberi arbitrij in actionibus Moralibus, quæ dependent à viribus naturæ. Quotidiè experimur, in nobis dari liberum arbitrium, liberè sedendo, surgendo, ambulando, quiescendo, loquendo, silendo, subveniendo, vel repugnando proximo, non furando, non occidendo, non adulterando, &c. Datur etiam liberum arbitrium in actionibus Supernaturalibus, neq; extinctum esse in homine per peccatum Originale, sed liberam in homine voluntatem liberè agere, DEIq; motiones liberè admittere, vel repellere, etsi repellit, non DEUM, sed hominem esse causam peccati. Quod nobis ex multis locis S. Scripturæ & SS. Patribus utrumq; probandum est. Legimus Sap. 14. *DEO enim odio est impius, & impietas eius.* Et Psalm. 5. *Quoniam non DEVS volens iniquitatem tu es. Neq; habitabit iuxta te malignus, neq; permanebunt iniusti ante oculos tuos; odisti omnes, qui operantur iniquitatem.*

Sed potiùs, sicut justus est Dominus, justitiam exigit, & mandat eam nobis Psalm. 118. *Justus es Domine, & rectum iudicium tuum, mandâsti iustitiam, testimonia tua, & veritatem tuam nimis* Hoc passim clamat Scriptura. Et Psalm. 135. *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Et Psalm. 118. *Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas,* Et Psal. 144. *Suavis est Dominus universis, & miserationes eius super omnia opera eius.* Ibidem: *Justus Dominus in omnibus viis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis.* Et Ezech. 33. *Dic ad eos, dicit Dominus DEVS, nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat. Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis* Et Oseæ 13. *Perditio tua Israël, tantummodò in me auxilium tuum.* Et Proverb. 1. *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas despexistis: ego quoq; in interitu vestro videbo, & subsannabo.* Et Ezech. 18. *Numquid voluntatis meæ mors est impij.* Habac. 1. de DEO dicitur, *Respicere ad iniquitatem non poteris.* Tertullian. lib. de Resurrect. Carnis ait: *DEVS de suo optimus, de nostro iustus.* August. lib. 22. de Civit. DEI cap. 1. *Multa quidem fiunt à malis contra voluntatem DEI.* Et lib. 2. de peccat. merit. & remiss.

liberũ Arbitrium.


cap. 17. *Nullius culpæ humanæ in DEUM referas causam.* S. Greg. M. lib. 29. cap. 12. *Voluntas DEI nunquam vult nisi bona, præscientia autem & bona nescit & mala, sed bona, quæ aut ipse faciat, aut etiam & nos faciamus imperat. Mala autem, quæ omninò ille non facit, nec fieri suasit, aut impulit.* Et lib. 14. *Infidelitas non credentium Evangelio, nunquam ex DEI prædestinatione generatur. Bonorum enim DEUS auctor est, non malorum.* S. Fulgentius lib. 1. ad Monim. c. 13. *Potuit DEUS, sicut voluit, prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam: sed quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad iustitiam; quos autem prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam.* Idem: *DEUS non est ultor, cujus est author.* Concilium Arausicanum, celebratum An. 529. Can. 25. ait: *Aliquos ad malum Divinâ potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiamsi sint, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione, illis anathema dicimus.* S. Gregor. M. lib. 29. Moral. cap. 23. *DEUS auctor est Naturæ, non Culpæ.*

Etiam profani Authores conformiter S. Scripturæ & SS. Patribus de DEO senserunt. Plato in 2. Dial. de Repub. *Bonorum quidem solus DEUS causa est dicendus, malorum autem quamlibet etiam " aliam præter DEUM causam quærere decet.* Idem inferiùs: Ma- " lorum alicui causam esse DEUM, cùm bonus sit, refellendum est " omninò, nec permittendum, hoc quenquam dicere in sua Civita- " te, si bonis instrui Legibus Civitas debet, &c. quæ neq; dictu san- " cta sunt, neq; alijs utilia, nec inter se consona. Mercurius Trismegistus in Pimandr. cap. ult. ait: *à DEO factore nihil turpe, nihil malum prodire.* Hæc ex Catholicis & profanis, assentitur & Calvinus, sed quàm constanter, quisq; judicet. In Præfat. lib. de æterna " Prædest. ait: Inter omnes pios fixum hoc, & confessum esse de- " bet, non esse, cur suis peccatis socium homines DEUM adscri- " bant, nec ullo modo socium involvant, ad partem culpæ susti- " nendam. Idem lib. 3. Instit. cap. 23. §. 4. ait: Justitiam natura- " liter amat, injustitiam aversatur. Et lib. 2. Instit. cap. 1. §. 10. *à carne nostra culpa, non à DEO nostra perditio est, quando non aliâ ratione perijmus, nisi quia degeneravimus à prima nostra conditione.* " Ibidem: Homini tantùm suum exitium adscribendum apparet, " cùm DEI benignitate rectitudinem adeptus, suâ ipse dementiâ in " vanitatem delapsus est; licèt idem alibi contrarium dixerit, lib. 1. Instit. cap. 18. §. è. *à DEO ipso manat efficacia erroris & mendacij.*

NB. *Antilogia Calvini.*

Et

Et lib. 1. Instit. cap. 8. §. 1. ait: *Ita est opus DEI, incestus Absalonis,*
proditio Judæ, ut Pauli conversio. Et §. 3. *Jam satis apertè ostendi, DE-*
UM vocari omnium eorum Authorem, quæ isti Censores volunt, otioso
tantùm eius permissu contingere. Lib. 1. Instit. cap. 18. §. 2. ait: *Non*
solùm permissu, sed etiam voluntate DEI homines peccant, ita ut nihil
ipsi deliberando agitent, nisi quod DEUS apud se decreverit. Et infrà
cap. 24. §. 24. ait: *Quòd aliqui Verbum DEI audire contemnunt,*
ipsorum est pravitas, sed in hanc pravitatem à DEO addicti sunt. Sed
hanc gravem injuriam vendicat ipse Christus, cùm ait: *Non est veri-*
tas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia men-
dax est, & pater eius. Sed quàm Christianè dixerit, ultra allegata
patet ex SS. Patribus. S. Augustinus lib. 6. Hypognostici ait: *Ma-*
la Judæ præscivit, non fecit. Idem Epist. 105. ad Sixtum: *Iniquitatem,*
quam rectissima Veritas improbat, damnare novit ipse, non facere. S.
Ambros. lib. de Parad. cap. 15. *DEUS operatur quod bonum est, non*
quod malum. Et in Exameron. cap. 8. *Numquid malitiam DEUS cre-*
avit? sed ea ex nobis orta, non à Creatore DEO condita. S. Basilius
integram Homiliam scripsit, cui titulus est: Quòd DEUS non est ,,
Auctor malorum; imò est Author omnis sanctitatis & bonitatis. ,,
ut & Jerem. 3. *Quia Sanctus ego sum.* Et Isaias vidit Seraphin stan-
tes, qui *clamabant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS exercituũ.*
Undè in Authorem omnium bonorum & Sanctitatis, nulla culpa
potest refundi, nisi in nostrum liberum arbitrium, cùm hoc luce
meridianâ pateat ex S. Scriptura & SS. Patribus. Ecclesiast. 15. le-
gimus: DEUS ab initio constituit hominem, & reliquit illum in ,,
manu consilij sui: adjecit mandata & præcepta sua. Si volueris ,,
mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam & ignẽ, ,,
ad quod volueris porrigere manum tuam. Numer. 30. In arbi- ,,
trio viri erit, sive faciat, sive non faciat. Deuter. 30. Testes invo- ,,
co hodiè cœlum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & ,,
mortem, benedictionem & maledictionem. Josuè 24. Ut Do- ,,
mino serviatis, optio vobis datur. Daniel. 13. Susanna elegit in ,,
manus hominum incidere, quàm peccare in conspectu Domini. ,,
Eccl. 31. Qui potuit transgredi, & non est transgressus facere ,,
mala, & non fecit. 1. Paralip. 29. Si quæsieris eum, invenies, si ,,
autem dereliqueris eum, proijciet te in æternum. 2. Paralip. 12. ,,
Hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos. Gen. 4. ,,
Nonnè? si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus ,,
pecca- ,,

Hæc illata gravis injuria DEO, quomodo potest excusari?

Ioan. 8

Isaiæ 6

Liberũ Arbitrium.

" peccatum aderit. Matth 23 Quoties volui congregare filios tu-
" os, sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti.
" Matth. 19. Si vis vitam ingredi, serva mandata. Apocal. 3. Ego
" sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad
" illum. Actor. 7. Vos semper Spiritui S. resistitis. Psal. 94 Hodie
" si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Proverb. 1.
" Vocavi, & renuistis. Ezech. 31. Projicite à vobis iniquitates ve-
" stras. Undè S. August lib. de Spiritu & Litera cap. 34. Consen-
" tire vocationi DEI, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est. Et
" lib. de Grat. Christi cap. 14. Quis non videat, venire quenquam,
" aut non venire arbitrio voluntatis. Idem lib. de vera Relig. c 14.
" Usq; adeò peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit
" peccatum, si non sit voluntarium. Huc spectat, quod Apostolus
" ait ad Rom. 11. Vide ergo bonitatem & severitatem DEI, in eos
" quidem, qui ceciderunt, severitatem, in te autem bonitatem Dei,
" si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris. Sed & Cal-
vinus agnoscit liberum arbitrium, lib. 1. Instit. cap. 15. §. 8. dum
☞ " ait: Hominem in illo statu & integritate præditum fuisse libero
" arbitrio, quo si vellet, adipisci posset vitam æternam.

Discursus Theol.

In quo magis elucidatur & firmatur sententia Cathol. de libero arbitrio.

HIc notandum est de libero arbitrio in sententia Catholica: Liberum Arbitrium non esse extinctum per peccatum Originale, quia retinuit vires naturales; est tamen attenuatum. Undè Concilium Tridentinum Seisione 6. Capite 1. ait: *Liberum arbitrium non quidem extinctum esse, sed tamen viribus attenuatum.* Hinc apparet, Catholicam sententiam dissentire ex una parte ab hæresi Pelagiana, quæ dicit, liberum arbitrium nullo modo læsum esse. Ex altera parte dissentire à Simone Mago, Valentino, Marcione, Hermogene, Manichæo, Wiclefo, & multis alijs recentioribus hæreticis, qui omnes omninò extinctum dicunt, quos SS. Patres satis refutârunt. Cathol. verò Ecclesia semper constanter docuit, & docet, attenuatum esse, quo ad supernaturalia, integrum mansisse quo ad naturalia. & sic Ecclesia Cathol. honorem DEI tuetur, credendo & do-

& docendo, DEUM non eſſe Authorem peccati, poſito libero hominis arbitrio, qui cùm offendit DEUM, liberâ voluntate offendit, non autem volente DEO. Undè optimè definitum eſt in Concil. Trident. Seſs. 6. Can. 4. *Homo liberè aſſentitur, & cooperatur gratiæ excitanti, ita, ut poſſit diſſentire, & eam reijcere, ſi velit.* Hoc ſi non eſſet, nunquam nos tam anxiè S. Scriptura in multis & plurimis locis moneret, ut DEO vocanti & excitanti conſentiamus. Ezech. 18. *Convertimini, & agite pœnitentiam.* Jerem. 7. *Vocavi vos, & non reſpondiſtis.* Matth. 23. Apocal. 3. *Sto ad oſtium, & pulſo;* & multa alia, ut ſuprà. Ex his omnibus ſic concluditur. Cùm DEUS peccatores excitat ad pœnitentiam, ut etiam apparet in Ninivitis, vel liberum eſt illis converti, vel non? Si eſt liberum, ergo gratia excitans non tollit libertatem: ſi non eſt liberum, ergo fruſtraneæ ſunt minæ inferni, admonitiones, & increpationes Divinæ. Cùm autem increpat DEUS, & minatur æternam damnationem peccantibus, oſtendit hominem liberè peccare, oſtendit non eſſe ſe Authorem peccati. Idem dicendum eſt de gratia adjuvante. Undè rectè S. Auguſt. lib. 1. contra 2. Epiſt. Pelag. cap. 2. ait: *Quis noſtrûm dicat, quòd primi hominis peccato, perierit arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, ſed illa, quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam.*

Quòd autem homo nullis præcedentibus meritis præventus gratiâ Divinâ, cùm per ejus excitantem & adjuvantem gratiam movetur ad bonum, eidem gratiæ liberè aſsentitur, & liberè cooperatur, ita ut illam abijcere poſſit. Patet hoc ex multis locis Scripturæ. Zach. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos,* libertatis noſtræ admonemur, cùm reſpondemus gratiæ eius. Et Joan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios DEI fieri,* dedit poteſtatem, ut cooperando ſuperiùs expreſſæ gratiæ efficiantur filij DEI. Joan. 3. legimus, ut *Cooperatores ſimus veritatis.* Apoſtolus 1. ad Corint. 3. homines vocat *adiutores DEI.* 2. ad Tim. 1. *collaborare iubet Evangelio.* Oſeæ 2. *vocat Vinitores.* Matth. 20. *vocat Operarios miſſos ad vineam:* iſta omnia ſupponunt libertatem in homine, quam ſatis clarè expreſſit Apoſtolus 1. ad Cor. 15. *Abundantiùs illis omnibus laboravi; non ego autem, ſed gratia DEI mecum.* Undè S. Auguſt. lib. de Grat. & libero ait: *Nec gratia DEI ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia DEI cum illo.* cap. 5 Legimus etiam Pſalm. 26. *Adiutor meus eſto.* Et Pſal. 69. *DEUS in adiutorium meum intende.* Si DEUS adjuvat nos, ergo aliquid agimus,

mus, ut rectè advertit S. August. Serm. 13. de Verb Apost. *Nomen adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis.* Et Tract. 72. in Joan. *Operanti in se Christo, cooperatur homo salutem æternam.* Huc spectat 2. Cor. 6. *Ne in vacuum gratiam DEI recipiatis.* Et ad Rom. 8. *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram.* Si adjuvat, facit aliquid infirmitas nostra, præventâ gratiâ DEI, excitante & adjuvante. SS. Patres communiter docent, dari in homine liberum arbitrium. Clemens Rom. Successor Petri, lib. 5. Recognit. ait: *Nunc autem quòd liberum est animo, in quam velit partem declinare iudicium suum, & quam probaverit eligere viam, constat evidenter, inesse hominibus arbitrii libertatem.* Hoc idem docent Justinus Martyr Orat. ad Gentil. Irenæus lib. 4. cap. 71. Clemens Alex. lib. 1. Strom. Athanas. Orat. contra idola. Cyrill. Hierosol. Cathe. 4. Nissen. in Cant. Hom. 4. Chrysost. Hom. 22. in Genes. Basil. in Isai. cap. 1. Tertull. lib. 2. adversus Marcion. cap. 5. Cyprian. de Unit. Eccles. & lib. 1. Epist. 55. Hilar. in Psalm. 2. Ambros. lib. 1. de Jacob. & uita beata, c. 1. Hieron. in cap. 44. Isai. & ad cap. 7. Ecclesiastæ, & in cap. 5. Galat.

Hoc notandum est, quod in hominibus justificatis, qui habent in se præsentem Spiritum S. per gratiam inhabitantem, perfectior est arbitrii libertas, in quibus gratia, quæ absolvit hominem a servitute peccati, & veram adfert causam libertatis, cum anima & libero arbitrio conjungitur: illa enim illustrat intellectum, ne errore deceptus, mala pro bonis eligat, frangit impetum concupiscentiæ, ne tanto impetu ad voluptatum illecebras, pravaq; desideria nos impellat: corroborat voluntatem, ut blanditias hujus sæculi, & cupiditates spernat, cæterasq; potentias confirmat virtutibus, ut ad id quod rectum est, magis inclinentur: Charitate suâ mentê illustrat.

Negârunt liberum arbitrium omnes superiùs nominati hæretici, ut Simon Magus, Arius, Marcion, Manichæi, Wiclef, & alij recentiores, hos omnes ex Historijs constat fuisse tales, quales superiùs expressit Apostolus ad Rom. 3. abnegantes omnem pietatem, & traditos omnibus vitijs. Et si non daretur libertas in homine, frustraneæ essent adhortationes ad bonum, & retractiones à malo, frustra laudes & vituperia. *Nec etiam* (ait Tertullian.) *vetaret, nec præciperet vitanda peccata, nec iustè pro illis pararet supplicia DEUS.* At contrarium ubiq; loquitur Scriptura. & SS. Patres. Tolletur omnis consultatio, omnis anxietas, omnis sollicitudo, in rebus agendis, nulla erit causa reprehensionis, frustrà punientur latrocinia, rapinæ,

pinæ, homicidia, furta, adulteria: deniq; ut omnia ſimul dicamus,
homo non erit ratione præditus, ſed ad inſtar animalis, ratione ca-
rentis, qui eo contendet, quem non ratio, ſed natura impellet. Hæc
argumenta non ſolùm apud Patres, & Chriſtianos, ſed etiam apud
Gentiles paſſim inveniuntur, dari liberum arbitrium in homine, ne
hæc ſequantur abſurda, ſic illis, qui negant liberum arbitrium, infer-
vire poteſt Pſal. 108. *Et dilexit maledictionem, & veniet ei, & nolu-*
it benedictionem, & elongabitur ab eo. Et illud Pſal. 35. *Noluit in-* *hic locus com-*
telligere, ut benè ageret Undè Concil. Trident. Seſs. 6. Can. 5. ait: *petit illis, qui*
Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum, amiſſum & ex- *bona opera re-*
tinctum dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immo titulum ſinè re, *jecerunt.*
figmentum deniq; à Satana invectum in Eccleſiam, anathema ſit. Et
Can. 6. *Si quis dixerit, &c. quòd ſit opus proprium DEI, non minùs*
proditio Judæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit. Notandum obiter,
quòd Melanchton Viſitationem Saxonicam ſcripſit latinè, non pla-
nè Luthericè, quia plus ibi Pœnitentiæ doctrinæ, Legis & Timoris
DEI tribuere viſus eſt, quàm Lutheri Evang. patiebatur, atq; adeò
libertatem arbitrij, & licet hæc cum ſuperiori doctrina illorũ pugna-
rent, etiam Lutherus ſubſcripſit ejus ipſius Viſitationis in editione
Germanica. Surius ad An. 1528. pag. 162. Author Tubæ hanc
quæſtionem de ſervo arbitrio, potiùs ad vexamen, quàm ad Fidei
examen pertinere dicit pag. 57. rem indignam judicans diſputare de
hac re, an detur liberum arbitrium in homine? Ex quo clarè pa-
tet, DEUM eſſe cauſam omnis boni, cùm nihil boni agere poſſimus
abſq; eo. Stante tamen libertate arbitrij, ſi quid mali agimus, totum
ex nobis eſt, nec in DEUM ut Authorem refundi poteſt, ſuperiùs
ſufficienter probatum eſt.

Diſcurſus Authoris Cap. XIV.

Pag. 69.

Quæritur: An fideles ſint certi de ſalute ſua?

QUid impedit dicere, quòd ſint certi, certitudine condicionatâ, ſi
videlicet fecerint voluntatem Patris, Matth. 7. & perſeverave-
rint usq; ad finem. Matth. 10. 14. Non ſunt certi, certitudine abſo-
lutâ: nam multi circa fidem naufragare ſolent. 1. Tim. 1. 19. Con-
ſentiamus, & erit pax. Conſonant Scripturis, Ezech. 33. 1. Corint.

 10. 12.

10.12. Philip. 2.12.13. 1. Petr. 1.13. Rom. 8.13. Consonant SS. Patres, & Concil. Trident. Sess. 6. cap. 9. & 13.

Discursus Theolog.

Quòd fideles non sint certi de sua salute, certitudine absolutâ.

PAtet hoc ex multis locis S. Scripturæ. Eccles. 9. *Nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum reservantur incerta.* Eccles. 15. *De propitiato peccato noli esse sinè metu.* Psal. 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Proverb. 21. *Omnis via viri recta sibi videtur, appendit autem corda Dominus.* 1. Corint. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me, Dominus est.* ad Philip. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* 1. Cor. 1. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Ex his patet, quòd S. Scriptura non ad securitatem, sed ad timorem hortatur nos, ut etiam legimus Rom. 11. *Tu autem fide stas, noli autem sapere, sed time.* Et Psal. 2. *Servite Domino in timore, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur*
NB. *Dominus, & pereatis de via iusta.* Rom. 8. *Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Hoc tamen notandum, quòd licèt si ex parte nostra non sit certitudo absoluta salutis nostræ, ex parte tamen DEI non est aliqua dubietas de illa, cùm ipse sciat, *quos elegerit ante mundi constitutionem*: ne tamen nos superbiamus, vel de gratia ejus præsumentes, bona opera negligamus, vult, nos cum timore operari salutem
2 Petr. 1 nostram, *ut per bona opera certam nostram vocationem faciamus*, & ad finem tendentes media opportuna adhibeamus.

Discursus Authoris Cap. XIV.

Pag. 70:

An Sancti videant nostras necessitates? An audiant preces? An sint invocandi? Quantus honor ipsis dandus? eorumq; Imaginibus & Reliquijs?

An

AN non componenda foret hæc Controverſia ita? Videre Sanctos, & audire noſtras preces & neceſſitates, ſpiritualiter, proportionato illis modo, ſcilicet, pro glorioſo ipſis jam competenti beato ſtatu, quo vident DEUM, & in ipſo, qui omnia eſt in omnibus, omnia. Non videre aut audire, corporali ac improportionato beato illorum ſtatui modo, hosq; non invocandos tanquam Adjutores ſalvificos, aut Redemptores, ſicut Chriſto convenit, tamen invocandos tanquam interceſſores, filios, ac ſervos DEI, &c. Sic & Imagines & Reliquiæ honorandæ non honore DEO debito, ſed honore ipſis proportionato, quatenùs repræſentantur nobis, ceu DEI filij, ſervi, & amici, ad DEUM ipſum laudandum & glorificandum, ultimatè & terminativè, ita ut cultus & venerationes Sanctorum non ſint ipſimet, ſed DEUS finis ac terminus.

Idem Author ad Marginem ait: *Sanctos Beatitudine frui apud DEUM; probari poteſt* ex Philip. 1. Luc. 23. Joann. 14. Joann. 17. 2. Cor. 5. Hebr. 11. Conſentiunt SS. Patres, quos adducit Author per quinq; Sæcula, viginti ſex. Deindè pag. 71. ait: *Illorumq; preces apud DEUM valere, patet* ex 2. Petr. cap. 1. Baruch 3. Matth. 17. Item ex Liturgijs, Romana, Petri, Hieroſolym. Æthiopica, Mediolanenſi. Itē ex PP. 20. adductis ibid. præcipuè ex Liturgijs S. Baſil. & S. Chryſoſtomi. Eâdem pag. inferiùs ait: *Quare iam in priori ævo Eccleſiæ doctiores illos invocârunt, ac illorum interceſſiones expetiverunt* Orig. Baſil. Magn. Nectarius, Conſtan. Greg. Nazianz. Greg. Nyſſen. Chryſoſt. in Liturgia, & alias Cyrill. Alexandr. Cyprian. Ambroſ. de præparatione ad Miſſam, Hieron. Hilar. Auguſt. Synod. Chalced. Act. 11. Conſentiunt Lutherus de præparat. ad mortem, & Epiſt. ad Erphor. in Epiſt. ad Georg. Spalat. & in Feſto S. Joan. Bapt. Oecolamp. ad Orat. Chryſoſt. de Juven. & Maxim. Martyre, Bucerus in defen. cont. Abrin. Epiſc. Joach. Camerarius de pijs Cathol. & Orthodoxis precibus fol. 12. *Nam ſi Sancti hoc corpore mortali exiſtentes, abſentia & futura, non minùs quàm præſentia videre poſſint*, ut patet 4. Reg. 5. 4. Reg. 6. Luc. 1. Act. 5. Apoc. 21. &c. *quidni poterunt in Cœlo?* Luc. 15. Marc. 10. Luc. 20. 16. Accedit conſenſus SS. Patrum, quos ibidem ſeptemdecim adducit, *præſertim cùm animas Sanctorum ſæpiùs hominibus apparuiſſe ſciamus.* Idq; certum eſt ex apparitione Moyſes & Eliæ, Matth. 17. Luc. 9. &c. Conſentit Concil. Trident. Seſs. 22. cap. 3. ubi ait: *Eccleſiam non docere Sanctis Sacrificium offerri, ſed ſoli DEO, qui illos coronavit.* Ergo vult DE-

Lutherus aliquoties, Oecolamp, Bucerus, Camerar. agnoſcūt interceſſionem Sanctorū, ergo & Orationes noſtras vident in DEO.

NB.

DEUM esse finem ultimatum cultûs Sanctorum, per Sacrificium in honorem & memoriam illorum fieri solitum. & Sess. 25. De cultu Sanctorum, & illorum Imaginum, fusè tractat Urb. Regius c. I. à pag. 77. usq; ad pag. 98. Paucula excerpemus. *Charissimi Fratres,* inquit, *si quis spiritualis est, agnoscat, quae scribo vobis. Honorificentissimè de Sanctis iuxta Scripturas sentiendum & loquendum est, quos enim DEUS ipse sic honorat, eos procul dubio honorari vult & à nobis,* Psal. 71. Honorabile nomen *eorum coram illo. Ipse enim Pater eos pro Filijs suis agnoscit, Filius vocat eos Fratres & Cohaeredes, Spiritus S. verò sua Templa. Nonnè Sancti, qui in Christo obdormiêrunt, sunt cum Christo? Qui igitur eos non honorat, ipsum etiam Christum in eis contemnit, & gratiam DEI, per quam tales tantiq; evaserunt, parvipendit. Obsecro, quid sentit ille de Sancta Ecclesia, qui nostra commembra, iam cum Christo in pace constituta, & de aeterna salute certificata, non honorat. Et cùm Angeli pro nobis orant,* Zach. I. *verisimile est, etiam Sanctos pro nobis orare, cùm charitas eorum erga nos non est diminuta, sed aucta. Ego datâ operâ coniungo Sanctos, de quorum salute Scriptura testatur, & reliquos, quos etiam speramus in Fide Christi obdormivisse. Charitas enim Christi mirè efficax virtus est, nec se continet, quin & pro vivis & defunctis sit sollicita, ita ut & commembra nostra ex hoc seculo migrantia, piâ prece commendet Christo Domino. Et haec erat olim, & est nunc in Ecclesia Cathol. memoria defunctorum, quae evidens est testimonium Charitatis & Fidei de gloriosa carnis resurrectione, & cùm sit* Fidei *fructus, quae per Charitatem operatur, nemo eam reijciet, nisi Epicurei & Saducei.* Id. Urb.Reg. postquam plurima loca ex SS. PP. pro memorijs defunctorum, pro Orationibus, Supplicationibus, Commendationibusq; ad Altare DEI pro cura mortuis praestanda, pro memoria in tremendis Sacramentis allegâsset, tandem ex S. Augusť. contra Fausť. lib 2. cap 21. haec refert: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, ut meritis illorũ associetur.* Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines DEI, & post varias sententias SS. Patrum concludit cum S. Hieron. in c. 3. Soph. *Nomen Apostolorum quotidiè nominatur in Eccles. quotidiè magnificamur, non quòd illis prosit à nobis in Ecclesia nominari, sed quòd nos magnificantes nomen eorum, & quae scripserant lectitantes, consequamur salutem.* Sic & D. Dreieri est sententia, quòd liceat orare, *Sancte Petre, Sancte Paule,*

qui Sanctos non honorat, contemnit in illis Christum.

cùm Sancti ultrò orent pro nobis, quare non debemus petere Orationes illorum.

hucusq; Urb. Regius Dissid.

imitatio & merita Sanctorum ex S. Augustino.

NB.

ora pro nobis. Miniſt. Tripol. in Scripto aliquo ad D. Regentes Pruſſiæ, 18. Auguſt. 1666. atteſtatur; & Bernh. à Sanden, Theol. Regiom. in Theſibus Succinctis CXXII. de Angelis, Qu. 21. ad §. 17. inter alia hoc habet de Angelis: (a) *Quarto quidem Sæculo hæc orandi formula increbuit, Sancte Angele Cuſtos ora pro me, quæ nihil impij continet, cùm interceſſio apud DEUM ab hominibus quodq; in hac vita licitè peti poſſit* (b) Cùm autem Sancti Angelis in Cœlis ſint ſimiles, cur talis cultus, quem deferre poſſumus Angelis, ipſis denegabitur. Confirmatur id ex eo, quia Theologi noſtri in Academia Regiomontana Liturgias veteres approbant, in quibus eſt Invocatio Sanctorum. (c)

Diſcurſus Theolog.

An Sancti beatitudine & viſione DEI fruantur? ait Author ad marginem pag. 70. An videant noſtras neceſſitates? An audiant preces? An invocandi? De eorum veneratione. Quis honor Reliquijs & Imaginibus eorum tribuendus?

SAnctorum animas cum Chriſto in Cœlis regnare, patet. Ad Philip. 1. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Luc. 23. *Hodiè mecum eris in Paradiſo* ad Epheſ. 4. *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem.* Apoc. 7. *Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbárunt eas in Sanguine Agni, ideò ſunt ante thronum DEI, & ſerviunt ei die ac nocte.*

Quis honor & cultus exhibendus ſit Sanctis, Reliquijs, & Imaginibus eorum?

VLtra illa, quæ in ſuperiori Diſcurſu Authoris Tubæ ex ſententia Diſſidentium adduximus, qui fatentur, honorandos Sanctos ut Fratres & Cohæredes Chriſti, ut Templa Spiritûs Sancti, quos qui non honorat, contemnit in illis ipſum Chriſtum, ut ſuperiùs ait Urb. Regius Diſsidens.

Ponitur Catholica ſententia. *Honorandi ſunt Sancti, honore illis debito & proportionato, ut Amici DEI, Cohæredibus Chriſti, & Templis* Spiri-

(a) *Longè ante 4tum Sæculum incepit invocatio Sanctorum, ut patet ex S. Dionyſio, Origene, Irenæo, Corn. Athanaſ. qui aliqui vicini temporum Apoſtolorum fuerunt. NB.*

(b) *hoc Argumentum nunquam hæretici ſolvere potuerunt, cùm S. Paulus petebat ſæpiùs Orationes vivorum, vide ſup. p. 358*

(c) *etiam veteres Liturgiæ antiquiores ſunt Sæculo IV. quæ ſunt vel SS. Apoſt. vel SS. PP. qui ante Sæculum IV. vixerunt, videant Proteſtantes, ſi ex illis, & Theologis Acad. Regiomont. habeant invocationem Sanctorũ*

Spiritûs Sancti, longè tamen inferiori modo, quàm ipsimet DEO competit.

Probatur hæc Sententia sic: Licet venerari Sanctos, quos dignos veneratione & honore docet Scriptura, & se honoraturos promisit Christus. Sed sic se res habet. Ergo Probatur minor. Psalm. 138. *Nimis honorificati sunt amici tui DEUS.* 1. Reg. 2. *Quicunq; glorificaverit me, glorificabo eum.* Joan. 12. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* ad Rom. 2. *Gloria & honor operanti bonum, reddet unicuiq; secundùm opera eius, ijs quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem.* Apoc. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in Throno meo.* Et ipse Christus Matth. 19. *Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Isräel.* Ex his & multis alijs patet eximius honor Sanctorum.

Probatur 2dò ex principijs omnium Protestantium Lutheranorum & Calvinistarum, qui agnoscunt post Christum quingentorum annorum Eccles. Cathol. Rom. veram. Si ergo probabimus, fuisse cultum & honorem Sanctis exhibitum in illa Ecclesia, ut modò exhibetur, non possunt nisi impudenter, & contra omnem veritatem negare, cultum & venerationem Sanctorum illicitum nunc esse. Nam quis dicet, quòd Ecclesia vera secundùm illos quingentorum annorum exhibuerit cultum erroneum & illicitum Sanctis, eo ipso esset vera, ut ipsi dicunt, & non esset vera, si in cultu & veneratione Sanctorum erraret. Probatur intentum. Circa annum 324. SS. Martyrum cultum & venerationem improbandam, atq; Ecclesias exstructas in memoriam illorum contemnendas esse, Eustachiani ab Eunomio hæretico, Eunomius à Manichæis, mutuati sunt. Eodem anno Concilium Gangrense sub Silvestro I. illos anathematizavit, Can. 20. his verbis: *Si quis Sanctorum memorias contemnendas putaverit, anathema sit,* ut patet ex Annot. ejusdem Can. & ex S. Augustino adversùs Hæres. lib. 20. cap. 4. Item in Concilio Ephesino Generali III. quod omnes Protestantes pro legitimo agnoscunt: In hoc Concilio dicuntur Patres sedisse in Sancta Ecclesia, quæ appellatur *Maria.* Hinc & Concilium Chalcedonense dicitur congregatum in Ecclesia Sanctæ Martyris Euphemiæ, quibus patet, in honorem Sanctorum Basilicas dicatas. In suprà dicto Concilio Ephes. Gener. III. cùm Nestorius damnatus fuisset, S. Cyrillus Alex. ut Præses Concilij & Legatus Romani Pontificis, par. 1. hom. " ad Patres Concilij, contra Nestorium inter alia hæc habet: Salve

Celebratum circa An. 324

celebr. An. 431

Hoc Concilium etiam Protestantes agnoscunt.

" itaq;

itaq; à nobis Sancta Mystica Trinitas, quæ nos omnes in hanc S. MARIÆ Deiparæ Ecclesiam convocasti. Salve à nobis Deipara, venerandus totius Orbis Thesaurus, Lampas inextinguibilis, Corona virginitatis, Sceptrum rectæ doctrinæ, Templum indissolubile, locus ejus, qui loco capi non potest, Mater & Virgo, per quam is benedictus in Sanctis Evangelijs nominatur, qui venit in nomine Domini. Salve, quæ immensum, incomprehensumq; in sancto Virgineo utero comprehendisti, per quam S. Trinitas glorificatur, & adoratur, per quam pretiosa Crux celebratur, & in universo Orbe adoratur, per quam Cœlum exultat, per quam Angeli & Archangeli lætantur, per quam dæmones fugantur, per quam tentator &c. per quam prolapsa natura in Cœlum adsumitur. Et infrà: Et quis hominum laudabilissimam illam MARIAM pro dignitate celebrare queat? Et in fine Hom. sic ait: MARIAM semper Virginem, Sanctum videlicet (DEI) Templum, ejusdemq; Filium & Sponsum immaculatum, laudibus celebrantes. Severinus Binius in Notis ad Concil. Ephesin. fol. 665. hæc scribit: Ad hanc Urbem toto Orbe celeberrimam, totius Orbis Episcopi convocati in Ecclesia quadam, quæ S. Maria dicitur, convenerunt, ut Deiparæ Virginis honorem in Ecclesia suo Nomini dicata, adversus furentium hæreticorum furorem tuerentur. Ita ex Cyrilli Apolog. ad Theod. Baron. An. 431. N. 41. Idem Binius in ijsdem Notis ad Action. 7. fol. 621. hæc scribit: Pulcheria verò Augusta Templum insigne ad littus maris, in honorem DEI Genitricis extruxit. Niceph lib. 15. cap. 2.

Dedicatio Ecclesiæ in honorē S. Mariæ quàm antiqua.



Eximiæ laudes & encomia B. V. Mariæ in Conc. Ephesino in consessu Patrum.

Adoratio Crucis in Conc. Ephes. Gener. Tertio, quod se venerari dicunt Dissidentes.

Probatur ex SS. Patribus. S. Justinus Martyr Apol. 2. ait: *Bonorum Angelorum exercitum, & Spiritum Propheticum colimus, atq; adoramus, verboq; & re seu veritate veneramur.* S. Irenæus lib. 3. c. 20. *Cùm hæc ita se habeant, ad tantam temeritatem progreßi sunt quidam, ut etiam Martyres spernant, &c. à Christo confundentur omnes, qui inhonoraverunt eorum Martyrium.* Origenes Homil. 3. de Innocentibus ait: *Benè, & secundùm voluntatem DEI, eorum memoriam SS. Patres celebrari mandaverunt sempiternam.* Eusebius Cæsar. de Præparat. Evang. cap. 7. *Nos quotidiè id factitamus, nam verè pietatis milites, ut DEI amicissimos honoramus.* S. Basilius in San. Mamem. ait: *Ecclesia per hoc, quòd eos honorat qui præcesserunt, præsentes impellit.* Idem Orat. in 40. MM. *Honor quem bonis conservis exhibemus, benevolentia erga communem Dominum significationem de se præbet.*

Vixit An. 150

Vixit A. 150

Vixit A. 230.

Vixit A. 330

Vixit A. 380

Vixit A. 380 *præbet.* Greg. Niſs. Orat. in Theodoretum M. ait: *Cui Regum talis*
 *honor habetur? quis ex ijs, qui ſupra modum inter homines excellere viſi ſunt, tali memoriâ celebratur? quis Imperatorum adeò decantatus, & famâ celebratus eſt, ut hic miles pauper, &c. quem Angeli unxerunt,*
Vixit A. 380 *quem Chriſtus coronavit.* S. Chryſoſt. Homil. de SS. Juven. & Max. *Non aliter priſcos, aliter recentiores colitis Sanctos, ſed eâdem alacri-*
Vixit A. 430 *tate omnes.* Et infrà ait: *Idcircò ſæpè eos inviſamus.* S. Cyrill. Alex. Præſes Concilij Epheſini, lib. 6. ait: *Nos non Deos factos eſſe diximus*
Vixit A. 240 *Sanctos Martyres, ſed omni honore dignari conſuevimus.* S. Cyprianus lib. 4. Epiſt. 5. ait: *Martyrum Paſſiones & dies, anniverſariâ comme-*
Vixit A. 380 *moratione celebramus.* S. Ambroſ Serm. 6. *Quisquis honorat Martyres, honorat & Chriſtum: & qui ſpernit Sanctos, ſpernit & Dominum.**
Vixit A. 420 Maximus de Natali SS. Octavij &c. MM. *Cuncti Martyres devotiſſimè*
antiquus uſus Reliquiarum. *percolendi ſunt, ſed ſpecialiter ij venerandi, quorum Reliquias poſſidemus.* Prudentius de S. Hyppol. *Oravi, quoties ſtratus opem merui.* S. Hie-
Vixit A. 380 ronym. in Epiſt. ad Ripar. *Honoramus ſervos, ut honor ſervorum re-*
Vixit A. 380 *dundet ad Dominum. Vale ô Paula, & Cultorem tuum Orationibus iuva.*
honor Sanctorũ, honor DEI. S. Auguſt. Serm. 1. de SS. Petro & Paulo: *Beatiſſimum Petrum piſca-*
Vixit A. 400 *torem modò genibus provolutis adorat gentium multitudo.* Et Epiſt. 44.
NB. *Oſtendatur mihi Romæ in tanto honore Templum Romuli, in quanto ibi oſtendunt memoriam Petri; in Petro quis honoratur, niſi ille defunctus pro nobis.* Idem in Pſal. 96. objicientibus Ethnicis, quòd Chriſtiani
idem dicitur omnibus Proteſtantibus. colerent Angelos, reſpondit: *Utinam & vos illos colere velletis, facilè enim ab ipſis diſceretis, non illos colere, id eſt, non colere illos ut Deos, ſed ut Sanctos.* S. Bernard. Serm. in illud, *Signum magnum*, quem Lutherus, Calvinus, & Confeſſio Auguſtana pro Sancto agnoſcunt, ait: *Amplectamur MARIÆ veſtigia, & devotiſſimâ ſupplicatione beatis illius pedibus provolvamur.* Et Serm. de Aquæ ductu ait: *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus MARIAM veneremur, quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per MARIAM.*

* *Honor vel contumelia Sanctorum, eſt honor vel contumelia Chriſti.*

Diſcurſus Theol.

In quo ex SS. Evangelio eximius honor & cultus SS. Deiparæ Virginis MARIÆ probatur.

Pro-

PRobatur ulterius Sanctissimæ Deiparæ honor & veneratio sic. Non est denegandum Sanctissimæ Deiparæ Virgini MARIÆ, quod illi tribuit Sacra Scriptura. Sed tribuit illi eximium honorem, propter excellentiam Ordinis supernaturalis, plenitudinem gratiæ, & specialem habitationem DEI in illa. Ergo. Probatur minor. Salutatio Angelica est quidam eximius honor, propter excellentiam Ordinis supernaturalis, cùm illi annuncians mysterium Incarnationis Legatus DEI, salutet eam Gratiâ plenam, Dominum esse cum illa, Benedictam in mulieribus. Item Elisabeth repleta Spiritu S. exclamat Benedictam inter mulieres, & Benedictum fructum ventris illius, Beatam quæ credidit, pronunciat. Et Luc. 10. *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti* Et ipsa de se Propheticè ait: *Beatam me dicent omnes generationes.* Ista omnia sunt eximij honores, propter excellentiam Ordinis supernaturalis, ex S. Scripturis. Ergo tribuendi Sanctæ Deiparæ, etiam secundùm principia Dissidentium, qui dicunt, nihil asserendum, quod non est in Scripturis. Sed isti honores eximij inveniuntur in Scripturis in Sanctis Evangelijs, Ergo Deiparæ exhibendi, & cùm vocentur Evangelici, deberent ex Evangelio salutare Matrem DEI, *Ave gratiâ plena, &c.* nisi dixerint, Angelum errâsse, & Elisabetham, repletam Spiritu Sancto. Alia non potest assignari ratio.

Luc. 1
v. 41
v. 45
Luc. 1

2dò Probatur. Non est denegandum Sanctissimæ Deiparæ, quod illi Antiquitas quingentorum annorum tribuit. Sed tribuit ædificationem Basilicarum in honorem illius, ut vidimus superiùs ex Concil. Ephesino, quod celebratum est in Basilica S. MARIÆ, in honorem illius dedicatæ. Constantinus M. teste Eusebio lib. 7. Hist. cap. 5. Urbem Bizantinam Virgini Deiparæ dedicavit. Eidem Helena magnificam ædem sacravit. Calistus Pontifex eidem dedicavit Basilicam Transtiberinam Romæ, teste Nicephoro lib. 8. c. 3. circa An. 351. Liberius Pontifex, Basilicam ad Præsepe S. MARIÆ Majoris, sumptibus Romani Patricij, insigni miraculo dedicavit. Pulcheria Augusta, postquam suam Virginitatem DEO dicâsset, tres insignes Basilicas in honorem S. Deiparæ ædificavit circa An. 450. Eodem ferè tempore Leo Imperator, Successor Pulcheriæ Augustæ, Basilicam ad littus maris in honorem Virginis Matris condidit, in qua deportatam ex Palæstina vestem S. MARIÆ loculo argenteo venerationi exposuit. Hi sunt, & plures alij eximij honores Primitivæ Ecclesiæ, quos vide multos alios in varijs antiquis Historijs Eccle-

An. 218

clesiasticis. Confirmatur eximius honor SS. Deiparæ ex celebratione Festorum sub primis Sæculis, præcipuè Assumptionis & Purificationis, quæ Solennitates sunt antiquissimæ, ut patet ex Scriptis SS. Patrum, Athanasij, Procopij, Ephrem, Augustini, Chrysostomi, & aliorum. Centuriatores Cent. 4. col. 451. citant S. Athanasium pro Festo Annunciationis: *Festum hoc, inquit, unum est ex Dominicis Festis, adeò primarium, ac prorsus venerandum.*

Probatur eadem materia Testimonijs SS. Patrum quingentorum Annorum Primitivæ Ecclesiæ.

PRobatur firmius & planè ad oculum veritas Catholica. Non potest esse superstitiosum: quod & doctrinis & exemplis professi sunt primis quingentis Sæculis præcipui Patres & Doctores Ecclesiæ. Sed certò certius per hæc Sæcula doctrinis & exemplis professi sunt, Deiparam cultu sacro venerandam, ut convenit Matri DEI, Ergo veneratio Deiparæ non est superstitiosa. Minor adeo est clara, ut nullo modo negari potest. Nam notum est omnibus, etiam hæreticis, quantum studuerint, Honorem & Encomia Scriptis suis SS. Patres testari Sanctissimæ Deiparæ. Primus sit S. Cyrillus Alexandr. in Concilio Ephesino Generali III. in consessu Patrum quàm prolixus fuerit in Laudibus, & eximijs Titulis ornaverit S. Deiparam, ut v. g. cùm dixerit, *Salve à nobis venerandus Orbis Thesaurus, &c. Corona virginitatis, Sceptrum rectæ doctrinæ, Templum indissolubile, Locus eius, in quo capi non potest &c. &c. per quam Cœlum exultat, Angeli & Archangeli lætantur, per quam dæmones fugantur, &c. per quam prolapsa natura in Cœlum aßumitur, &c. Et quis hominum laudabilissimam MARIAM pro dignitate celebrare queat.* vide reliqua supra pag. 377. S. Athanasius in Evang. de Deipara ait: *Quandoquidem ipse Rex, qui natus est ex Virgine, idemq; Dominus & DEUS, quapropter & Mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara propriè & verè censetur.* S. Epiphan. Serm. de Laud. Deip. ait:
NB. *Solo enim DEO excepto, cunctis superior existens, formosior & ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ, cœlestis ac terrenæ linguæ minimè sufficit.* S. Basil. Orat. de Nativ. Deip.
☞ ait: *De Virgine qui omnia & illustria dixerit, nunquam à veritatis scopo aberraverit.* Dat rationem S. Bernard. Hom. 4. sup. *Missus est,* dum ait: *Non est dubium, quidquid in laudibus Matris proferimus, ad*

Filium

Filium pertinere. Sed & Lutherus, & alij faſſi ſunt hanc veritatem, quòd eximij honores Deiparæ debentur, vide ſup. pag. 250. & ſeq. de Eraſmo Oecolampadio. Hæc obiter de eximijs honoribus & Encomijs ex Primitiva Eccleſia & SS. Patribus. Neq; etiam Catholici ampliori alios Sanctos honorant cultu, quàm excellentia illorum apprehenditur, quæ cùm apprehendatur ut creata, & à DEO participata, non ut Divina, aut Infinita, ideò competentem illis deferunt honorem, non aliter quàm Amicis DEI, & honoratis à DEO, & in ipſum DEUM finaliter reſolvunt honorem illorum, juxta illud Pſal. ult. *Laudate Dominum in Sanctis eius.* Si verò Diſſidentes alias ſibi fingunt imaginationes de Honore Sanctorum, & illas imputant Catholicis, quas illi abhorrent, ipſi ſeipſos ſeducunt, & alios in eosdem inducunt errores. Confingant ergo quidquid volunt Diſſidentes, excogitent, ut illis placet, aperta mendacia & calumnias, more Paganorum & antiquorum Hæreticorum, contra cultum & honorem Sanctorum, nos non alium ipſis tribuimus, niſi qui illis ex S. Scripturis competit, ut ſuprà, *Nimis honorificati ſunt Amici tui DEUS,* & Pſal. 138 qualem à SS. Patribus & Doctoribus Primitivæ Eccleſiæ per Traditionem accepimus, quam illi pro vera Eccleſia (utinam ſincere!) agnoſcunt. Tribuimus honorem Sanctis, ut Amicis DEI, Cohæredibus Chriſti, & Templis DEI, in quibus habitavit Spiritus S. cum omni Subordinatione & Relatione Honoris ad Chriſtum, qui eſt Sanctus Sanctorum, & ab ipſo omnis Sanctitas procedit, quæ in honorem illius refertur. Nonne Templum eſt Beatiſſima, ut in Concilio Epheſino dictum à S. Cyrillo, & quidem præſtantiſſimum Filij DEI & Spiritus S. 1. Cor. 3. *Neſcitis quia Templum DEI eſtis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis. Si quis autem Templum DEI violaverit, diſperdet illum DEUS* Diſſidentes & Hæretici continuò Templa DEI violant, dum Sanctos, Corpora, & Oſſa eorum, *quorum mors pretioſa in conſpectu Domini,* varijs contumelijs afficiunt, ad inſtar Paganorum & antiquorum Hæreticorum, ut mox patebit. Unde expectant ſeveram ſententiam Apoſtoli, *diſperdet illos DEUS* pro violatione Templi ſui, in quo habitat Spiritus S. Scandalizantur, dum Beatiſſimam vocamus Reginam Cœli, Dominam Mundi, &c. cùm longè major ſit honor, eſſe Matrem DEI, & longè ſuperans excellentiâ & dignitate alios titulos, ſicut Cœlum ſuperat terram. Et ſi non concedunt, quòd ſit Mater DEI, infecti ſunt hæreſi Neſtorianâ, condemnatâ in Concil. Epheſino, quod ipſi legitimū agnoſcunt:

Pſal. 115



si verò concedunt, quòd sit Mater DEI, quare ex minoribus scandalizantur titulis, cùm hi tituli etiam excogitabiles, non adæquent titulum Maternitatis, & sunt velut tenebræ respectu Solis. Probatur magis cultus Sanctorum ex inconvenienti: Julianus Apostata primus esse videtur, qui contra Sanctorum cultum insurrexerit, reprehendebat enim Catholicos, quòd pro Dijs Sanctos colerent, teste S. Cyrillo Alexand. lib. 6. contra eundem. Item Gnostici, hæretici fœdissimi, cultum Sanctorum negabant, teste S. Irenæo lib. 3. c. 20. Item Vigilantius, contra quem S. Hieronymus librum scripsit. Item Faustus Manichæus, teste S. August. adversus eum, lib. 20. cap. 4. refert eum reprehendisse Catholicos, & dixisse: *Idola vertitis in Martyres, quos votis similibus colitis.* Gentiles corpora Martyrum comburebant, vel in mare projiciebant, dicentes: *Ne fortè Christiani, qui deos nostros adorare nolunt, servos nostros adorent.* Gentiles apud Eusebium lib. 4. cap. 15. peracto Martyrio S. Polycarpi timuerunt, ne Polycarpum pro Deo colerent Christiani. S. Cyrillus Alexand. lib. 6. contra Julian. respondit illi: *Sanctos Martyres nec Deos esse dicimus, nec adorare consuevimus; laudamus eos potiùs summis honoribus, quòd pro veritate strenuè certârunt.* Ex his omnibus, & multis alijs, quæ Benevolus Lector in probatis inveniet Authoribus, clarissimè patet, primis Sæculis viguisse venerationem & cultum Sanctorum, talem, qualis & modò est in Ecclesia Cathol. Romana. Patet etiam, omnimodam esse connexionem antiquæ Ecclesiæ 500. annorum cum Ecclesia moderna Cathol. Romana, quam nisi cæcus, obstinatus in malo, & proprio judicio hæresis condemnatus solum negare poterit. Modò nemo non videt, quàm iniquè objecerit Lutherus in Evangelium Domin. 23. post Trin. dum ait: *Quid enim Sanctorum cultus & veneratio fuit, nisi res diabolica.* Calvinus lib. 1. Instit. cap. 12. §. 2. ait: *Quem Sanctis cultum deferunt Papistæ, nihil re ipsâ differre à DEI cultu palam est* ℞. Palàm est, apertissimum esse Calvini mendacium, & falsam imputationem: debuerunt enim scire isti Magistri, quòd omnis cultus & veneratio consistit in actibus etiam internis intellectûs & voluntatis, quæ distinguunt inter cultum Supremum soli DEO exhibendum, & Sanctis, Religiosum ipsis competentem, ut servis & amicis DEI. Legimus Josuè 5. *Josuè videns Principem exercitûs Domini, cecidit Josuè in terram, & pronus adorans ait, &c.* Num. 22. *Vidit Angelum stantem in via, &c. & adoravit eum pronus in terram.* 1. Reg. 28. *Intellexit Saul, quòd*

Samuël

Samüel eſſet, inclinavit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adoravit. 3. Reg. 18. *Abdias occurrens Eliæ, cecidit ſupra faciem ſuam.* 4. Reg. 2. *Filij Prophetarum venientes in occurſum Eliſæo, adoraverunt eum proni in terram.* Ergo iſtorum omnium (ſecundùm Lutherum) veneratio fuit Diabolica, cùm tam profundo adorationis cultu venerati ſunt Sanctos Angelos & SS. Prophetas. Ergo debent fateri Lutherus & Calvinus, licèt inviti, quòd in actu intellectûs, voluntatis, & intentionis, conſiſtebant illæ adorationes. Supremus adorationis cultus ipſi DEO, proportionatus & Religioſus Sanctis Angelis, ipſorum excellentiæ competens, licèt idem videbatur externus. Et hoc debent fateri, ſi Sanctis Angelis exhibitus ſit cultus venerationis, quare etiam & ſimilis non debet exhiberi Sanctis, qui ſunt *ſimiles Sanctis Angelis*, ſecundùm teſtimonium ipſiusmet Chriſti. *Marci 12.* Palàm ergo eſt, non eſſe eundem cultum DEO & Sanctis: nam Catholica Eccleſia aſſignat triplicem. Latriæ, Hyperduliæ, & Duliæ, de quo etiam & mediocris ingenij homines ſciunt, undè mirum eſt, quod hæc objecerit Lutherus & Calvinus, eo fine, ut ſimplices deciperent. Et quàm multi & pleni Libri ſunt apud Diſſidentes calumniarum, quòd Romani committant idololatriam, in veneratione Sanctorum & Reliquiarum. Undè optimè Author Tubæ pag. 82. ait: *Non ſufficit incuſare Eccleſiam additamentorum vel diminutionum fidei, ſed & probare neceſſe eſt, & convincere.* Vide ſuprà Caput 5. illius pag. 45. quomodo ſoli hæretici addunt vel minuunt aliquid fidei, Eccleſia verò Cathol. explicat ſe in Concilijs, cùm aliquid negat aliqua hæreſis. *pag. ſup. 374* Vide etiam ſententiam Urb. Regij Diſſidentis, de veneratione Sanctorum, in ſuperiori Diſcurſu Authoris, quàm ſit aliena à placitis Lutheri & Calvini, cùm vocat Epicuræos & Saducæos, qui denegant cultum Sanctorum.

Diſcurſus Theol.

In quo cultus Sanctorum ex veneratione Reliquiarum probatur.

MArtyrum Reliquias inſectati ſunt Ariani, teſte S. Ambroſ. Serm. 91. de SS. Gervaſ. & Protaſ. Item Manichæi & Marcionitæ, teſte Magnete lib. 4. contra Theoſten. Julianus Apoſtata, teſte S. Cyrillo lib. 10. contra eundem. Vigilantius, teſte S. Hieron. cap. 2.

lib.

lib. contra eundem. Copronymus, Wiclefus, Hieronymus de Praga, & alij recentiores.

Circa venerationem Reliquiarum, habemus plures SS. Patres ex superiùs citatis, ex illis aliquos brevitatis causâ adducemus. S.
Vixit An. 380 Basilius in Psal. 115. in illud, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius,* ait: *Cùm pro Christo mors contingit, pretiosæ sunt Reliquiæ Sanctorum eius.* S. Gregor. Niss. Orat. in Theodor. Mart.

Vixit An 380 *Anima quidem, ex quo sublimis abijt, in suo loco requiescit, & corpore soluta, cum sui similibus una vivit; Corpus verò venerandum &c cum multo honore & cultu compositum, atq; ornatum, in augusto sacroq; loco situm est.* Gregor. Nazianz. Orat. I. in Julianum Apostatam, re-
Vixit eod, temp. " prehendens illum, ait: Non victimas pro Christo cæsas reveritus " es? &c. quorum vel sola Corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, sive Manibus contrectentur, sive honorentur, quorum vel " solæ sanguinis guttæ, atq; exigua passionis signa, idem possunt, " quod Corpora: hæc non colis, sed contemnis, & aspernaris. Ju-
NB. lianus verò, qui recusabat honorare Sanctos, quòd fuerit Apostata à fide in antiqua Ecclesia toti Orbi notum est. S. Cyrillus Hierosol.
" Catech. 18. ait: Ut autem non solùm anima Sanctorum hono-
" retur, credaturque, quòd etiam Corporibus mortuorum inest vir-
" tus, seu potentia, jacens in sepulchro, Elisæus mortuus, mortu-
" umq; Corpus Prophetæ attingens, vivificatus est. S. Chrysost.
" Serm. de S. Innocentio & Maximo: Idcircò sæpiùs eos invisamus,
" &c. magnâq; fide Reliquias eorum contingamus, ut inde benedi-
" ctionem aliquam assequamur. Idem in 2. Epist. ad Cor. Homil.
" 26. ait: Nam & ille ipse purpurâ indutus peregrè proficiscitur,
" Sepulchra illa complexurus, & fastu posito consistit, Sanctos ro-
" gans, ut sibi apud DEUM patrocinentur. Idem lib. contra Gen-
" tiles ait: Sententiæ nostræ abundè fidem faciunt, quæ quotidiana
Miracula ad Reliquias SS. " à Martyribus eduntur miracula. Vide eundem Homil. ult. in E-
" pist. ad Rom. ubi dicit: Romam excellentiorem omnibus Urbi-
" bus, propter Corpora SS. Petri & Pauli. S. Ambros. Serm. 93.
" de SS. Nazario & Celso in fine ait: Quod si dicas mihi, quid ho-
" noras in carne jam resoluta atq; consumpta? honoro in carne

" Martyris exceptas pro Christi nomine Cicatrices: honoro viven-
Notent S. Ambros. Doct. Ecclesiæ sententiâ de SS. Reliqu. " tis memoriam perennitate virtutis: honoro per Confessionem
" Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis:
" honoro Corpus, quod mihi ostendit Dominum diligere, quod me
" pro-

propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non „
honorent Corpus illud fideles? quod reverentur & dæmones, „ 
quod afflixerunt in ſupplicio, ſed glorificant in ſepulchro: hono- „
ro itaq; Corpus, quod Chriſtum honoravit in gladio, quod cum „
Chriſto regnabit in Cœlo. Prudentius, Poëta Chriſtianus, ait „ *Vixit An. 380*
in Hymno de S. Laurent. Vix fama nota eſt abditis, Quàm plena „
Sanctis Roma ſit: Quàm dives Urbanum Solum Sacris Sepul- „
chris floreat. S. Paulinus in Natali S. Felicis, de Urbe Roma ob „ *Vixit An. 400*
Reliquias Apoſtolorum ait: Nam prius Imperio tantùm & vi- „
ctricibus armis, Nunc & Apoſtolicis terrarũ es prima Sepulchris. „
Idem: Martyris ad tumulum debes & terra Coronas. S. Hieron. „ NB.
lib. contra Vigilantium ait: Dolet Martyrum Reliquias pretioſo „ *pretioſo Vela-*
operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proij „ *mine operiebã-*
ci in ſterquilinium, ut ſolus Vigilantius ebrius & dormiens adore- „ *tur Reliquiæ SS*
tur. Idem contra eundem: Tu ſæpiùs hoc viliſſimo tortus es „
pulvere. S. Auguſtinus Epiſt. 103. ad Quint. Portant ſane Re- „ *geſtatio Reli-*
liquias Beatiſſimi & Glorioſiſſimi Martyris Stephani, quas non „ *quiarum quàm*
ignorat Sanctitas Veſtra, ſicut & nos fecimus, quam convenien- „ *antiqua.*
ter honorare debeatis. S. Leo Serm. de S. Laurent. Quando in „ NB.
honorem tranſierunt triumphi, etiam inſtrumenta ſupplicij. S. „
Gregor. lib. 5. Epiſt. 50. ad Pallad. Quia Reliquias SS. Apoſto- „
lorum Petri & Pauli, nec non Laurentij, atq; Pancratij Martyrũ, „
cum veneratione præbuimus, hortamur, ut eas cum reverentia „
ſuſcipere, & collocare auxiliante Domino debeatis. Lutherus „
An. 1522. ad Lovan. ait: *Non fuit mens mea, unquam dicere, vene-
rationem Sanctorum eſſe ſuperſtitioſam, &c. hoc enim ſapiunt vietmé
noſtri &c.*

Diſcurſus Theol.

In quo eadem materia ex Revelatione Reliquiarum divinitus facta, ex miraculis & Translatione honorifica illarum magis probatur.

PRobatur cultus Reliquiarum ex Revelatione divinitus facta. Si enim non placeret DEO cultus illarum, non manifeſtaret illas. S. Ambroſius ſcribit, revelata ſibi Corpora SS. Gervaſij & Protaſij. Hoc idem ſcribit S. Auguſt. lib. 9. Confeſſ. cap. 7. cùm ait: *Cùm Corpora SS. Gervaſii & Protaſii prolata & effoſſa digno honore transferentur.*

ferentur. Idem Serm. 256. de Tempore ait: *Agendæ sunt gratiæ Deo nostro. Hanc enim Ecclesiam, quam fecit nomini suo constitui, fecit etiam SS. Martyrum Reliquijs ampliùs honorari.*

Probatur magis cultus Reliquiarum ex miraculis. In Vet. Testam. 4. Reg. 13. *Cùm tetigisset cadaver ossa Elisæi, revixit homo, & stetit supra pedes suos.* Voluit ergo DEUS honorari Reliquias S. Prophetæ, cùm talem virtutem ostendit in illis. S. August. de S. Stephano Serm. 91. *Latuit,* inquit, *multo tempore Corpus eius, processit, quando DEUS voluit, illuminavit terras, tanta miracula fecit mortuus, vivos facit mortuus, quia nec mortuus.* Idem lib. 22. de Civit. DEI cap. 8. ait: *Tot miracula facta ad Reliquias S. Stephani brevissimo tempore, ut multi libri scribendi essent ad narranda omnia.* Pag. suprà 179. adduxi continuum miraculum ad Reliquias S. Joannis Baptistæ & S. Januarij Mart. Neapoli. In Actis Apostolorum cap. 19. ita legimus: *Virtutesq; non quaslibet faciebat DEUS per manus Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria & semicincta, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Videantur plura alia apud Catholicos Authores. Hanc veritatem fatetur & Lutherus, qui in purgatione quorundam articulorũ ait: *Quis enim potest contradicere his, quæ adhuc hodiernâ die mirabiliter & invisibiliter apud Divorum Sepulchra & Corpora operatur Deus.* Bullingerus miracula in Reliquijs facta agnoscit ex S. Hieronymo dicente, *Ad S. Andreæ Reliquias rugiunt dæmones.* Wittakerus contra Duræum lib. 10. pag. 866. ait: *Non ea miracula vana iudico, quæ ad Sanctorum monumenta facta referuntur.* Chemnicius in Exam. p. 3. p. 32. p. 10. ait: *Suscipiebant etiam peregrinationes ad loca, ubi Reliquias miraculis celebres & claras audiebant.*

NB.

Probatur magis veneratio ex Translatione Reliquiarum. S. Cornelius Papa Epist. 1. ait: *Beati Apostolorum Principis Petri accepimus Corpus, & condecenter posuimus illud iuxta locum, ubi crucifixus est, &c. orantes DEUM & Dominum nostrum JESUM Christum, ut intercedentibus suis SS. Apostolis, maculas vestrorum purget peccatorũ.* Ruffinus lib. 2. cap. 28. describit Translationem Reliquiarum S. Joannis Baptistæ ex Palæstina Alexandriam. S. Hieron. lib. contra " Vigilantium cap. 2. ait: Tempore Constantini Magni, translatas " Constantinopolim Andreæ, Lucæ, Timothei: tempore Arcadij " ex Judæa in Thraciam translatas Reliquias tanto honore, ut in " vase aureo ab Episcopis portarentur, apud quas dæmones rugiunt.

Vixit An. 251

intercessio SS.

circa An. 315

S. Ambrosius Serm. ad Virgines ait: *Ego ad Bononiense invitatus con-vivium, ubi S. Martyru celebrata Translatio est.* S. Leo Papa, qui vixit post An. 400. Serm. in Natali S. Laurentij ait: *Gaudeamus, Dilectis-simi, gaudio spirituali &c. in Domino, qui est mirabilis in Sanctis suis, in quibus nobis præsidium constituit & exemplum, atq; ita per univer-sum mundum clarificat gloriam suam, à Solis ortu usq; ad occasum, Leviticorum luminum corruscante fulgore, quàm clarificata est Hieroso-lyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio.* NB.

Ultimò in sententia Catholica dicimus, cultum Sacris Reliquijs non alium exhiberi à nobis, quàm qui rebus Sacris, & ad Sacra re-lationem habentibus, creatis tamen & inanimatis proportionatus est. Sicut & Sanctis, qualemcunq; adversa pars imaginatur sibi ho-norem fieri Sanctis à nobis, & imputat nobis erronee: nos non ali-um tribuimus Sanctis, quàm ut excellentia illorum apprehenditur, quæ cùm apprehendatur ut creata & participata, non verò ut Divi-na & infinita: Cultus consequenter, qui illis exhibetur, non excedit terminos veræ Hiperduliæ vel Duliæ. Soli enim DEO, ut Sancto Sanctorum, tribuimus supremum cultum Latriæ, secundùm illud 1. ad Tim. 1. *Soli DEO honor & gloria*, & si aliquis illum tribueret alicui Creaturæ, Idololatram illum pronunciamus, ut etiam Author Tubæ pag. 72. in præsenti Discursu explicavit sententiam Catholi-cam, quæ dicit *& vult, DEUM esse finem ultimatum cultûs Sanctorũ.*

Imagines Sanctorum in sententia Catholica honorandas dici-mus honore illis proportionato, in quantum referuntur ad suum exemplar, ita ut ultimatè honor Imaginum terminetur in ipsa sua exemplaria. Probatur auctoritate Conciliorum, Romani, sub Gre-gorio III. item Concilij Romani, sub Stephano dicto III. vide Bel-larminum de Imaginibus, lib. 2 cap. 10. fol 715. Item probatur authoritate Concilij Septimi Act. 7. in quo definitum est, Imagines esse venerandas honore illis proportionato, ad Sacra relationem ha-bentibus præstamus honorem, creatis tamen & inanimatis propor-tionatum, ut suprà, quem exhibemus rebus Sacris. Est autem hoc Concilium ejusmodi, ut nullo modo dubitari possit, quin Generale & legitimum fuerit: nam habuit imprimis Legatos Romani Ponti-ficis, & trium aliorum Patriarcharum, Alexand. Antioch Hierosol. necnon Patriarcham Constantinop. omnes consentientes, ut ex Subscriptionibus patet; præterea consensit Imperator Constanti-nus. Ad hæc disputatum est acriter & diù. allatis in medium Scri-

in hoc Concilio fuerunt Episcopi CCCL. teste Cedreno.

 pturis,

pturis, Concilijs, & Patribus, vide Bellarm. cap. 10. de Imag. Sanct. lib. 2. cap. 11 fol. 715. quomodo omnia argumenta in oppositum contra hoc Concilium resolvit sufficienter.

Probatur ampliùs ex SS. Patribus cultus Imaginum. S. Basilius in Julianum, ut citat Adrianus Papa, in Epist. ad Imperatores in 7ma Synodo Act. 2. ait: *Historias Imaginum illorum honoro, & palàm adoro, hoc enim nobis traditum à SS Apostolis, non est prohibendum, &c.* S. Chrysost. in Litur. *Sacerdos* (ait) *ad Imaginem Christi caput inclinat.* S. Ambros. Serm. 10. in Psal. 118. ait: *Qui Imaginem coronat Imperatoris, utiq; illum honorat, cujus imaginem coronavit, &*

NB. *qui Statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utiq; fecisse videtur injuriam.* S. August. lib. 10. Confess. cap. 34. reprehendit Pictores, & similes artifices, quòd necessarium & moderatum usum, & piam significationem aliquando transgrediantur, ubi admittit, quasdam esse picturas necessarias, quasdam etiam piam significationem habentes, & proinde venerabiles. S. Gregor. lib. 7. Epist. 5. ad Januar. Episcop. Caralit. loquens de Imagine B. V. MARIÆ, & Cruce, quæ positæ fuerant in Synagoga Judæorum, quas jubet inde auferri, ait: *His hortamur affatibus, ut sublatâ exinde cum ea, quâ dignum est veneratione, Imagine atq; Cruce debeatis, quod violenter ablatum est, reformare.* Et lib. 7. Epist. 53. ad Secund. docet, Imaginem Sacram honorandam, non tamen ut DEUM, dum ait: *Et nos non quasi ante Divinitatem, ante illam prosternimur, &c.* Damascen. lib. 4. cap. 17. de Fide. dicit esse Apostolicam Traditionem, cultum & Crucis, & Imaginum. Prætereà Crucem, id est Crucifixi Imagi-

Vixit An. 300 nem, fuisse in Ecclesia semper honoratam, nam Lactant. in Carm.

Vixit An. 450 de Pass. Dni: *Flecte genu, lignumq; Crucis venerabile adora.* Sedulius lib. 5. Carm. Paschal. *Neve quis ignoret speciem Crucis esse colendam.* S. Ambros. Orat. de Obitu Theodosij ait: *Sapienter Helena egit, quæ Crucem Christi in Capite Regum levavit & locavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur.* Et lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento

reflex⁹ & direc⁹ ad Exēplar Christi cultus. cap. 7. ait: *Numquid cùm in Christo Imaginem DEI Crucemq; veneramur, dividimus eum?* S. Hieron. in Vita Paulæ: *Prostrata ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* S. Athanasius

in quo Gentiles accusabant Primitivā Eccles. in eodem moderni Dissidentes accusant. " Qu. 16. ad Antiochum dicit, Christianos Imaginem Crucis colere " potiùs, quàm lanceæ, vel Columnæ, & similium, quia si Gentiles " accusent nos, quòd colamus lignum, possumus mox separare " duo ligna Crucis adinvicem, & commode sublatâ figurâ Crucis

" con-

conculcare duo illa ligna, ut oſtendamus, nos non ligna, ſed Ima- „ ginem Crucifixi venerari. Deniq; Patres teſtantur, Chriſtianos „ ſemper accuſatos à Gentilibus, quod colerent Crucem, quæ eſt Imago Crucifixi.

Diſcurſus Theolog.

In quo magis probatur cultus SS. Imaginum, ex miraculoſis Imaginibus.

PRobatur amplius à miraculis cultus Imaginum Sanctarum. Deus enim per Imagines Chriſti & Sanctorum multa miracula operatur, ex quo intelligimus, placere illi, ut Imagines honorentur. Multa inveniuntur in varijs Authoribus probatiſſima miracula, quæ nullus, niſi cæcus & pertinax negare poterit: tot reſuſcitationes mortuorum, illuminationes cæcorum, ſanationes claudorum, & variarum infirmitatum, quæ niſi à ſolo DEO miraculosè patrari poſſunt, de quibus in particulari mox, quæ ſi omnia Diſſidentes recto & ſano oculo aſpicere vellent, nullam haberent difficultatem in cultu Sanctarum Imaginum.

Illuſtre imprimis eſt miraculum, quod Euſebius refert lib. 7. Hiſt. cap. 14. de Baſi Statuæ Chriſti Æneæ, cujus herba creſcens omnes pellebat morbos, qui illa utebantur, quod etiam refert Theophylact. in cap. 9. Matthæi. Addit Sozom. lib. 5. Hiſt. cap. 20. de eadem Statua, quod videlicet cum Julianus Apoſtata eandem Statuam Chriſti inde amoviſſet, & ſuam in eodem loco poſuiſſet, mox ignis de Cœlo Statuam Juliani diſcerpſit, & caput à reliquo corpore divulſit planè, ad eundem modum, qui idolo Dagon olim accidit. 1. Reg. 5. Multa alia miracula per Imagines à DEO facta legi poſſunt apud ipſos Magdeb. Centuriat. Cent. 6. & ſeq. cap. 13. *Vixit A. 330.*

In noſtro Regno Poloniæ eſt clariſſima varijs & multis miraculis Sacra Imago in Claro Monte, dicta Czeſtochovienſis, & teſte Nicephoro lib. 2. cap. 43. & lib. 15. cap. 14. à S. Luca Evangeliſta in menſa ex Domo Lauretana depicta, & prout Hiſtoria refert, Hieroſolymâ Conſtantinopolim Carolo Magno in donum transmiſſa, ab eodem Leoni Duci Ruſſiæ donata, ac deinde per Vladislaum Ducem Opolienſem in Poloniam translata, & Sacri Ordinis Religioſis S. Pauli Primi Eremitæ in Tutellam tradita. Hæc plurimis & evi-

dentissimis sæpiùs claruit & claret miraculis, quæ in unum librum collecta, cujus titulus: *Fragmenta Mensæ Regiæ*, sive *Historia de Miraculosa Imagine SSmæ Virginis MARIÆ Czestochoviensis*. Hic liber ab Illustrissimo Nicolao Oborski, Episcopo Laodicensi, Suffraganeo & Administratore protunc Episcopatûs Cracoviens. est revisus, & approbatus. In hoc libro à pag. 96. ad pag. 120. miracula autentica, & fide publicâ probata inveni, nempè 17. homines, qui fuerant in varijs submersi aquis, & post aliquot horas ex aquis extracti mortui, per invocationem Deiparæ, cum voto visitandi Sacram Imaginem, ad vitam revocati. Item à pag. 117. ad pag. 127. inveni, vel mortuos, vel occisos, ad Sanctam Imaginem 23. allatos, vel in itinere, vel in ipso loco, per invocationem Deiparæ ad vitam revocatos. Inter plura alia, allati sunt duo filij occisi, cum matre occisa ad Sacram Imaginem; dum canitur Hymnus Magnificat in Vesperis, ad illa verba, *fecit mihi magna qui potens est, & Sanctum Nomen ejus*, res stupenda! surgunt omnes occisi filij, cum occisa matre, cum magno stupore omnium, qui tunc plures aderant. Ex Moravia longo itinere portat in tumba mortuum filium mœsta mater etiam fœtentem ad Sacram Imaginem; in ipso limite Templi surgit mortuus, & vivus intrat Capellam, stupentibus plurimis, & laudantibus Deum, quòd hæc magnalia faciat in honorem Sanctissimæ Matris suæ. Hoc miraculum usq; hodiè depictum manet in foribus, ubi surrexit mortuus. Pag. 134. ad hanc Imaginem 10. cæci visum receperunt. Pag. 137. & septem muti & surdi loquellam & auditum recuperârunt. Facta & alia plura miracula, in hoc libro expressa, per invocationē Sanctissimæ Deiparæ patrata, maximè, quæ tempore Sueticæ Obsidionis contigerunt, tam clara & manifesta, ut ipsi Sueci mirati sint, & fassi coram multis, singularem protectionem habuisse Deiparam istius loci, ipsisq; multa infortunia & mira accidisse, cùm in oppugnatione Monasterij globi ex tormentis Sueticis explosi, redibant ad castra illorum, magno damno & stupore eorum, cùm non semel apparuerit Monasteriū in nebula, aliàs vel nimis depressū, vel nimis elevatum, ut falleret tormentorum explosionem: non semel etiam visa est in aëre à Suecis & alijs, terribilis ut castrorum acies ordinata, cum evaginato gladio, ad cujus terribilem aspectum ad quadraginta Sueci mortui ceciderunt. Hoc etiam mirandum, quòd tam arctam obsidionem, & tam magnum apparatum omnis generis armorum, violentamq; expugnationem, 70. Religiosi S. Ord. S. Pauli Primi

Insigne miraculum.

Simile aliud.

Supremi Ducis Milleri Nepos globo tormenti in duas partes scissus, & ipse Dux eodem globo in secreto loco vulneratus graviter, exclamabat sæpius in gravi dolore, ô Czestochovia!

Primi Eremitæ cum alijs Obsidibus, per septem septimanas sustinuerunt, cùm non adeò illo tempore fuit fortificatum Monasterium, ex repentina hostis obsidione. Sunt plura alia, quæ brevitatis causâ omittimus, suntq; nota toti Regno, & cùm liceat illa unicuiq; in prædicto libro legere, mirari, & laudare Divinam potentiam, quæ facit mirabilia in Honorem Sanctissimæ Matris suæ.

Secunda Imago extra Cracoviam in Arenis, miraculis toti Regno celeberrima, de quibus prodijt Liber sub hoc titulo: *Diva Virgo Cracoviensis Carmelitana in Arenis*, à Reverendo Patre Hyacintho Liberio, Juris Utriusq; Doctore, Præposito SSmi Corporis Christi, Canon. Regul. Librorum Censore Diœcesis Cracov. & à varijs Theologis approbatus. In hoc libro inveni, mortuos ad hanc Sacram Imaginem, vel aquis submersos, octodecim resuscitatos. Item cæcos & oculis orbatos & perfectè illuminatos; Num. 5. surdum & claudum perfectè sanatos. Sunt & alia plurima miracula, quæ legere in libro prædicto Lector poterit, cùm nos brevitati consulendo, hæc occasionaliter adduximus.

Tertia Imago miraculis varijs clarissima est Zdzieszoviensis, penes Oppidum Borek in Diœcesi Posnaniensi, cujus plurima miracula collecta sunt in librum, cujus Titulus: *Magnalia Deipara ad Imaginem Zdzieszoviensem.* Hic liber est approbatus à Perillustri ac Reverendiss. Dño Alberto Dobrzelowski, Archidiac. & Officiali Posnan. Generali; item à Perillustri. Magnifico, ac Reverendo Dño Simone Stanisl. Makowski, Rectore protunc Almæ Academiæ Cracovienf. S. Theol. Doctore & Profess. In hoc libro inveni, ad hanc miraculosam Imaginem resuscitatos mortuos, vel submersos, vel occisos, varijs temporibus, Num. 35. Cæcos & visu totaliter carentes, illuminatos, Num. 21. Claudos & usu pedum totaliter carentes, perfectè sanatos, N. 15. Sunt & plurima alia, quæ brevitatis causâ omittere debui. Hæc sunt magnalia DEI, quæ facit in honorem SS. Matris suæ, & vult, ut eam pro dignitate honoremus. Hic est lapis Lydius, quo vera Religionis, & falsa hæresis moneta probatur. Dicat quidquid velit omnis hæreticus, evomat quæcunq; velit contra miracula figmenta, ipsa Incarnata Sapientia stat pro miraculis, Joan. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Novit astuta & in malum prodiga hæresis rationibus in rationes armari, Scripturas in suum sensū depravatas Scripturis opponere, consonam SS. Patrū Antiquitatem minus curare, ubi illorum perstringit errores, at ubi

de alijs miraculosis Imaginibus sileo, cùm authentica testimonia ad manus non habeam de illis.

ubi

vis miraculorum in medium prodit lumen veræ fidei, à tenebris hæresum dividit, & nisi obcæcatos in tenebris relinquit. Ita Christus ultimum doctrinæ suæ examen ad judicium miraculorum remittit, his judicibus suum Divinum probat Evangelium, Joan. 10. *Opera quæ ego facio, hæc testimonium perhibent de me.* Et Joan. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt me.* Patet ergo, certissimam in probandis Orthodoxis dogmatibus miraculorum vim esse, maximè resuscitationem mortuorum, illuminationem cæcorum, sanationem repentinam claudorum, ut nullo modo in dubium vocari possint: repugnat enim Divinæ bonitati & veracitati, ut permittat fieri miracula in testimonium falsæ doctrinæ, vel erroris; negare verò, hæc miracula non facta ad prædictas Sacras Imagines, est negare Solem in Cœlo. Cùm tot miraculosæ Imagines inveniantur in varijs Regnis, tot testes oculati testati sunt, tot authentica testimonia vel in libris Ecclesiarum ingrossati, vel coram Actis Civitatensibus cum multorum subscriptionibus recogniti inveniuntur, hæc omnia negare, est major impudentia, quam negare Constantinopolim vel Hierosolymam, quod nec est, nec fuerit in rerum natura.

Quid de alijs Sacris Imaginibus dicemus? ut Lauretana, quæ per Universum Christianum Orbem floret miraculis. Hoc unicum sufficit, quòd ex Oriente transportata sit mirabili aliquo modo in partes Italiæ, ut ipsimet omnes & oculis & manibus hoc palpamus miraculum: quæ ibi facta sunt, & fiunt miracula, Benevolum Lectorem ad Historias fide dignas remittimus.

Probatur amplius cultus Sacrarum Imaginum. Cùm Iconomachi, aut Judæi aut Samaritani, aut Mahometani, aut Necromantici, aut manifesti Hæretici fuerunt, qui impugnabant Sanctas Imagines, quos impios fuisse nemo negare poterit; qui verò cultum Imaginum defendebant, fuerunt Viri Sancti & docti, & Ecclesiæ Primitivæ Doctores, quos superius pro cultu Sanctarum Imaginum citavimus. Confirmatur ab infelici exitu Iconomachorum. Nam tempore Leonis Iconom. postquam Imagines SS. in foro Constant. crematæ fuerint, orta est pestilentia tam grandis, ut Constantinopoli trecenta hominum millia interirent, teste Matthæo Palmerio. An. DCCXLI tempore Constantini Copronimi inauditæ calamitates Orientem invaserunt, terræ motus ingentes integras Urbes dejecerunt, multa millia hominum occiderunt, pestis gravissima orta

eſt, ita, ut vineæ horti putei vix ſufficerent ad ſepeliendos homines. Deniq; obſtinatus Imperator Conſtantinus ita perijt, ut in morte clamaret, ſe adhuc vivum igni inextinguibili traditum comburendum, teſte Zonarâ, & Paulo Diacono in ejus Vita.

Neq; etiam hoc inſolitum eſt apud DEUM, quòd ſibi aliqua eligat loca, in quibus ſe magis propitium exhibeat, ut legimus lib. 2. Paralip. cap. 7. ubi ait: *Elegi locum iſtum mihi in domum Sacrificij, &c. Ego exaudiam de Cœlo, &c. Aures meæ erectæ erunt ad orationem ejus, qui in loco iſto oraverit.* Joan. 5. *Eſt autem* Hieroſolymæ *Piſcina probatica, &c. quinq; porticus habens, in his jacebat multitudo languentium magna, cæcorum & claudorum, &c. & qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat.* Si in loco à DEO electo exaudiebat DEUS: ſi ad Piſcinam ſanabatur multitudo languentium: ſi Actor. 19. ſudaria & ſemicincta S. Pauli applicata corporibus, expellebant varios languores & ſpiritus immundos; quare ad Imagines Sacras, quæ referuntur ad ſua exemplaria, & repræſentant vel Deiparam, vel alios Sanctos, non poterit præſtare ſimiles gratias; numquid ligabimus beneficas manus DEI? qui prout vult, & illi placet, effundit theſauros ſuæ bonitatis & miſericordiæ, cujus ſunt teſtes ſigna evidentia prædicta miracula, quæ nemo niſi ſolus DEUS patrare poteſt in honorem Sanctorum ſuorum. Ideò in Primitiva Eccleſia fuerunt Peregrinationes ad certa loca, quas fatentur etiam Centuriatores, Cent. 4. colum. 457. L. 57. quod etiam Chemnicius fatetur part. 3. pag. 32. dum ait: *Suſcipiebant peregrinationes ad loca, ubi Reliquias miraculis celebres & claras audiebant.* Qui verò hæc miracula cum Ethnicis & antiquis hæreticis contemnit, remitto illum pro reſponſione ſup. ad pag. 178. & ſeq.

Ipſe Chriſtus cũ SS. Matre ſua & S. Ioſeph ibat in Hieruſalem. Luc. 2

de peregrinationibus ad Sacra loca inferius.

Diſſidentes cultum Imaginum à Patribus traditum agnoſcunt. Fulco contra Sanderum p. 672. & 675. Chriſti Domini Imaginem eximiæ virtutis à Lactantio aſſertam agnoſcit. Centuriat. Cent. 4. cap. 10. col. 1080. l. 50. Cent. 4. col. 407. & ſeq. citant Athanaſ. pro Imagine Salvatoris, Berithi & Martyrium, repræſentantes in Templo locari ſolitas. lib. 3. cap. 12. citant & Euſebium pro Imaginibus Chriſti & S. Crucis, lib. 1. cap. 18. ejusdem Euſebij adducitur locus pro Imaginibus Petri & Pauli, & Salvatoris iterum. Crucis tamen Imaginem, ſeu in locis publicorum congreſſuum, ſeu domi privatim Chriſtianos habuiſſe, Tertull. in Apolog. indicare videtur. Ob hoc Ethnici Chriſtianis objiciebant, quòd Religioſi Crucis

 eſſent,

essent. Cent. 5. col. 645. fuisse Imaginem in Ecclesia Constant. à Luca depictam, &c. Author est Nicephorus.

Discursus Theol.

Ex celebratione Festorum magis cultus Sanctorum firmatur.

FEsta verò Sanctorum celebrari, est antiquissimus mos in Ecclesia Cathol. Vide plures SS. PP. id attestantes. S. Augustinus Serm. " 20. de Sanctis ait: Post illum Sacrosanctum Domini Natalis di- " em, nullius Nativitatem legimus celebrari, nisi solius Beati Joan- " nis Baptistæ, in alijs Sanctis & electis DEI, novimus illum diem " coli, quo illos post consummationem laborum, & devictum, tri- " umphatumq; mundum, in perpetuas æternitates præsens hæc vi- " ta parturijt. In alijs consummata ultimi diei merita, in hoc etiam " prima dies, & ipsa etiam hominis initia consecrantur. Nota, in ☞ alijs Sanctis ait consummata merita, in hoc etiam prima dies conse- " cratur. Idem Serm. 21. de Sanctis: Natalem S. Joannis, Fratres " charissimi, hodiè celebramus, quod nulli unquam Sanctorum le- " gimus fuisse concessum. Solius enim Domini, & Beati Joannis " dies Nativitatis in universo mundo celebratur & colitur. Nota, in universo mundo celebratur. Author Tubæ pag. 72. adducit eundem S. Augustin. contra Faustum lib. 2. cap. 21. sic scribentem: *imitatio & merita SS.* *Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis illorum associetur.* Idem Author pag. 73. adducit Suos, Dreierum, Bernard. à Sanden, Regiom. Academiam, quæ Liturgias Veteres approbat, in quibus est invocatio Sanctorum.

Discursus Theol.

In quo ostenditur, antiquam esse venerationem & usum S. Crucis, quæ est Imago Crucifixi.

DE Signo S. Crucis, quàm antiquus sit honor & mos signandi S. Cruce, & venerandi illam, SS. Patres audiamus. S. Dionysius Areopag. de Cœlest. Hierar. part. 3. cap. 5. Signum Crucis vo-

cat

cat vitalis signi impressionem. S. Clemens lib. 8. cap. 13. Constit. Apost. ait: *Tropheo Crucis consignans in fronte dicat &c.* Martialis Episcop. Lemovi. unus ex 70. Christi Discipulis, Epist. ad Burdeg. cap. 8. monet, ut Crucem Domini semper in mente, in ore, in signo teneant. *Crux enim Domini,* ait, *armatura nostra invicta contra Satanam est.* Tertullian. vicinus temporum Apostol. ait: *Ad omnem progressum, &c. ad omnem aditum & exitum, &c. frontem Crucis Signaculo terimus.* S. Ephrem de vera Pœnit. ait: *Pingamus in ianuis, atq; in frontibus nostris, & in ore, & in pectore, &c. vivificum Signũ Crucis, armemur hâc insuperabili Christianorum armaturâ: ea enim victrix est mortis, fidelium spes, lux Orbis terræ, Paradisi inseratrix, hæresum profligatrix, dæmonum expultrix, &c. gloria perpetua Orthodoxorum in æternum.* Idem de Armatura Spirituali cap. 2. *Hanc ô Christiane! armaturam diebus singulis &c. circumferre non desinas, nihilq; sinè illa perficias.* S. Hieron. ad Demetr. *Scuti vice Crucis Signo te ipsum muni ex eo &c. cor tuum, validissima quippè armatura hæc est, nullusq; tibi unquam nocere poterit.* S. Cyrill. Catech. 4. *Tu manifestè signa te Cruce in fronte, ut dæmones Signum Regis videntes, trementes procul fugiant. Fac autem hoc Signũ, & manducans, & bibens, &c. in Summa, in omni tuo negotio.* Idem Catech. 13. "Cùm de Domino, Cruceq; contra infideles quæstio tibi erit, priùs statue manu tuâ Signum &c. Non potuisti dicere, ô Angele! scio quem quæritis meum Dominum, sed confidenter dicis, scio quòd Crucifixum. Corona enim est Crux, non ignominia. Idem post pauca: In fronte confidenter Signaculum Crucis digitis imprimatur, & in alijs omnibus Crux fiat, &c. recumbendo & surgendo, eundo & quiescendo. Magna hæc est custodia, quæ propter pauperes gratis datur, sinè labore propter infirmos, cùm à DEO sit hæc gratia, signum fidelium, & timor dæmonum. Triumphavit enim de illis in hoc Signo, ostentat illud audacter, quando enim viderint Crucem, recordantur Crucifixi. Metuunt eum, qui contrivit capita Draconis, neq; propterea, quòd est gratuitum, contemnas hoc Signaculum, sed ideò magis venerare benefactorem." S. Cyrillus Alexandr. in Concilio Ephesino Generali III. Hom. ad Patres Concilij ait: *Mater & Virgo, &c. per quam pretiosa Crux celebratur, & in universo Orbe adoratur.* Quomodo dicunt, se venerari Concilium Ephesinum Generale III. si Crucem non venerantur. S. Hieron. ad Demetr. "Claudas cubiculum pectoris, & crebro Signaculo Cru-"

Eximia Encomia S. Crucis.

Generatio S. Crucis in Concilio Ephesino.

" Crucis munias frontem tuam, ne exterminator Ægypti in te locum reperiat. Idem ad Eustoch. de custodia Virginitatis: *Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat Crucem.* Idem in locum illum, *Signatum est super nos lumen,* ait: *Ad Crucem, quam fronti imprimimus, & ad solemnem signandi nos Cruce morem refert.* S. Ambrosius lib. de Isaac & Anima ait: *Signaculum Christus in fronte est, Signaculum in corde, ut semper diligamus: Signaculum in brachio, ut semper operemur.* S. Ambrosij coëtaneus Prudentius Poëta Christianus in Hymno ante somnum:

quàm antiquū Signaculum Crucis in fronte, corde, & brachijs.

Cùm vocante somno castum petis cubile,
Frontem, locumq; cordis Crucis figura signet.

S. Chrysostomus in Demonstrationibus adversùs Gentiles, quòd " Christus sit DEUS, Hom. 55. in Matth. ait: In toto Orbe Crux, " & super Solem fulget Crux, quam omnes priùs abhorrebant, e- " jus figuram tantoperè quærunt, ubiq; ea invenitur, apud Princi- " pes, apud Subditos, apud Mulieres, apud Viros, apud Virgines, a- " pud nuptas, apud subditos, apud liberos, subindè omnes eâ se si- " gnant, inscribendo in nobilissimum membrum nostrum, in fron- " te enim nostra, quasi in Columna, quotidiè figuratur. Sic in Sa- " cra Mensa, sic in Sacerdotum Orationibus, sic iterum cum Corpo- " re in Mysticis Cœnis fulget. Idem in Declarat. in Psalm. 109. *Omnia quæ ad salutem nostram conducunt, per Crucem consummantur. Nam cùm regeneramur, Crux Domini adest: cùm Sacratissimo alimur Cibo: cùm in Ordinem consecrandi statuimur, ubiq; ac semper id Victoriæ insigne nobis adsistit. Quapropter & in penetralibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte quoq; ac mente, magno studio Crucem in- " seramus.* Idem in illud S. Pauli, *Pretio empti estis:* Pretium (in- " quit) hîc Crucem appellat. Idem Hom. 12. in Epist. 1. ad Corin. " ait: A primis annis filios vestros spiritualibus armis muniatis, & " Cruce frontem sibi signandam erudiatis, & priusquàm per se ipsi " facere possint, vos id facite. S. August. lib. 1. Confess. cap. 1. ait: *Signabar iam Signo Crucis eius, & condiebar eius Sale.* Idem Tract. " 118. in Joan. Nisi Crucis Signum adhibeatur sive frontibus Cre- " dentium, sive ipsi aquæ, quâ regeneramur, sive Oleo, quo Chri- " smate unguntur, sive Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè " perficitur. Notent hæc, qui Signum Crucis abjecerunt. Idem Serm. 181. ait: *Hoc Signo Crucis, consecratur Corpus Dominicum, sanctificatur fons Baptismatis, initiantur Presbyteri, & cæteri gradus Ecclesiasti-*

antiquus usus S. Crucis in Missæ Sacrificio.

Consummatio salutis S. Crux.

☞ *in Ordinibus S. Crux adhibetur*

☞ *in omnibus Sacramentis S. Crux adhibetur*

NB.

clesiastici, omnia quæcunq; sanctificantur, hoc Signo Dominicæ Crucis consecrantur. Et iterum: Hujus Crucis ministerio rudes catechizan- ,,
tur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur, ejusdem ,,
CrucisSigno per manus impositionem dona gratiarum accipiunt, ,,
cum ejusdem Crucis charactere Basilicæ dedicantur, Altaria con- ,,
secrantur, Altaris Sacramenta cum interpositione Dominicorum ,,
Verborum conficiuntur. Sacerdotes ut Levitæ, per hoc idem ad ,,
Sacros Ordines promoventur. Et universaliter omnia Ecclesiarũ ,,
Sacramenta in hujus virtute perficiuntur. Idẽ in Psal. 30. Conc. ,,
3. ait: Non sinè causa Signum suum Christus in fronte nobis figi ,,
voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobrio Christianus ,,
erubescat, hoc ergo in conspectu hominum si feceris, si indè co- ,,
ram hominibus non erubueris, si in conspectu filiorum hominũ, ,,
nec ore, nec factis Christum negaveris, spera tibi perfici dulcedinẽ ,,
DEI. Idem in Psalm. 23. ait: *Jam in frontibus Regum pretiosius est Signum Crucis, quam gemma diadematis.* Idem in Psalm. 36. dicit: *A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum, qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid servat fidelibus suis.* Idem Tract. 11. in Joan. ait: *Signat te Cruce Christi, portat in fronte, & non erubescit de Cruce Domini sui.* S. Gregor. Nazianzenus, antiquior S. Augustino, in priore Orat. contra Julianum testatur, quòd cùm Julianus Apostata deseruisset Christi Fidem, ingruentibus dæmonum terroribus, cùm ex consuetudine Signum Crucis fronti impressisset, procul fugavit dæmones. Idem narrant Theodoretus, Sozomenus, & Nicephorus. Origenes Homil. 8. in diversos Evang. locos ait: *Dæmones, qui aurata Capitolia non timent, Crucem timent.* Quid mirum, si timeant Crucem dæmones, cùm ad sudaria S. Pauli applicata obsessis, egrediebantur ex corporibus. In Actis Apostolorum cap. 19. ita legimus: *Virtutesq; non quaslibet faciebat DEUS per manus Pauli, ita, ut etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria & semicincta, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* S. Cyprian. Serm. de Baptis. Christi & Manifest. Trin. ait: *Neq; nos gloriamur in Paulo, sed in Cruce Domini gloriamur, cuius virtus omnia peragit Sacramenta. &c. Hinc omnium sanctificationum exurgit sublimitas & profundum, & longè latèq; diffunditur plenitudo gratiarum.* Idem Serm. de Passione Christi: Quicunq; sint Sacra- ,,
mentorum Ministri, qualescunq; sint manus, quæ vel mergunt ,,
accedentes ad Baptismum, vel ungunt qualecunq; pectus, de quo ,,

Dedicat. Basilic. & Consecrat. Altariũ quàm antiqua.

NB.

 Sacra ,,

" Sacra exeunt Verba, Operationis auctoritas in figura Crucis o-
" mnibus Sacramentis largitur effectum. Idem scribens ad Demetrium, meminit de more frontem Cruce signandi. S. Ignatius, temporum Apostolorum vicinus, Epist. 5. ad Phil. scribit de Crucis trophæo, quòd illud videns dæmon, expavescit, & audiens timet. Quod expressit Prudentius in Hymno his verbis: *Crux pellit omne crimen, fugiunt Crucem tenebræ, Tali dicata Signo mens fluctuare nescit.* S. Dionysius, coætaneus Apostolorum, & Discipulus S. Pauli,
" Hierar. Eccles.. cap. 2. de Baptis. ait: Sacrâ appellatione invo-
" cationeq; sanctificatis aquis, cùm eas trinâ unguenti perfusione
" Crucis specie perfecit, pariq; numero Sacrosanctarum unguenti
" aspersionum. &c. Hunc usum Sanctæ Crucis signandi frontem, S. Basilius testatur, scribens ad Amphilochium, Traditionem esse ab Apostolis derivatam; quem vide etiam lib. de Spiritu S. cap. 27. Quàm verò frequens fuerit usus Sanctæ Crucis circa Annum, vel immediatè post 300, expressit Prudentius his Versibus: *Reges, Prophetæ, Judicesq; & Principes, virtute, bello, cultibus Sacris, Stylo non destiterunt formam pingere Crucis* Et quod Prudentius narrat de Regibus, idem scribunt Euseb. lib. 1. cap. 14. & lib. 3. cap. 3. Socrates lib. 1. cap. 1. Sozomen. lib. 1. cap. 4. Niceph. lib. 7. cap. 37. & 46. Constantinum M. Imperat. non solùm in fronte Signum Crucis designâsse, verùm in Vexillis, in Numismatibus, Signum Crucis fecisse, & in manu gestâsse. De Theodosio Imperat. scribit Niceph. lib. 12. cap. 39. quod is armaturâ Crucis fretus, intrepidus contra hostem progrediebatur. De Alexandrinis refert Ruffinus lib. 2. c. 29. quòd S. Crucis Signum unusquisq; in postibus, in ingressibus, in parietibus depingeret. Quod ipsum S. Chrysostomus non tantùm apud Alexandriam, verùm & alibi passim fieri testatur his verbis:
" Crucem ubiq; celebrari videre licet, in domibus, in foro, in soli-
" tudine, in vijs, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in
" navigijs, in insulis, &c. in murorum picturis. Ac paulò antè: In
" purpuris Crux, in armis Crux, in mensa Sacra Crux, in toto Or-
" be Crux, &c. quam omnes priùs abhorrebant, ejus figuram tan-
" toperè quærunt, ubiq; ea invenitur, apud Principes, apud subdi-
" tos, &c. apud servos, apud liberos, subindè omnes eâ se signant.
Hinc etiam in Sacramentis omnibus (in Liturgia Chrysost. & Serm. 19. de Sanctis) Cruces adhibentur, ut v. g. in Sacramento Ordinis, (ut ait B. Dionysius Eccles. Hierar. cap. 5.) Presbyteris & Diaconis forma-

Idem Hom. 55 in Matth. c. 12 ait, Signo Crucis omnia Sacram. perficit

formatur Crucis Signum, ut intelligamus, omnia nobis per Crucem donata, quæcunq; à DEO donantur. Undè Apostolus ad Galat. 6. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi*, sicut è contrà illos expressit, qui Crucem abominantur, ad Philip. 3. *Multi ambulant, quos sæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione, qui terrena sapiunt*; hi sunt fructus illorum, qui abnegant Crucem Christi. Undè patet ex tot testimonijs SS. Patrum, primitivæ Ecclesiæ fuisse semper in usu venerationem S. Crucis, & usum formandi illam in frontibus Christianorum: patet etiam, magnam esse temeritatem illorum, qui sinè omni fundamento, tam salutarem Crucis usum rejecerint, nec illum adhibent, ut S. Augustinus, Chrysostomus, Cyprianus, Dionysius, Basilius, Testes omni exceptione majores, ex quorum Scriptis apparet, quòd etiam aliqui impugnabant tam venerationem, quàm usum S.Crucis efformandi, contra quos scripserunt, & Apostolus vocat illos inimicos Crucis. Auget Apostolus venerationem S. Crucis, dum ad Gal. 6. ait: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi*; gloriari autem in Cruce, nihil aliud est, quàm honorare Crucē, sicut honoramus ideò Christum, quia gloriamur in illo. ad Philip. 2. *Factus obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod & DEUS exaltavit Illum, & donavit Illi nomen, quod est super omne nomen.* Veneranda igitur est Christi Crux, cùm Illi secundùm Naturam humanam exaltationem & excellentiam nominis attulerit. Veneranda item tanquam trophæum mortis, ut ait Apostolus ad Colofs. 2. *Chirographum Decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud Cruci.* Fuit quidem ignominiosa Crux Christo ex parte hostium, sed quia illam elegit Christus, ut docet S. Augustin. Epist. 120. cap. 26. *Nec finè causa Crucem potiùs quam aliud instrumentum mortis elegit*; sicut & Passio Christi fuit ignominiosissima ex parte hostium: sed ex parte Christi, quòd illam elegerit, nobis in immensum utilissima, undè attentè notate, quòd SS. Evangelistæ omnes quatuor, nullum mysterium in SS. Evangelijs, omnes simul, tam prolixè, nullum tam accuratè, quàm Passionem Dominicam descripserunt. Et Isaias Propheta, non tam Prophetam, quàm Evangelistam agere videtur, cùm tam fusè & tam clarè Dominicam expresserit Passionem cap. 53. Quare hoc? nisi quòd illius continuam memoriam haberemus, & membra Capiti nostro compaterémur,

mur, cum Apostolo, *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini.* Exindè ab ipso exordio Ecclesiæ in Quadragesima, quam ex Traditione Apostolica superiùs pag. 302. probavimus, intensiùs recolitur Sacratissima Passio Christi, vocaturq; Sacratissima Quadragesima, Dies Sancti, Dies Salutis, Tempus acceptabile ad promerendam Gratiam Divinam; Illos verò, qui non honorant Crucem & Passionem Christi, vocat Apostolus ad Philip. 3. *inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est.*

Probatur ampliùs Veneratio Crucis in Inventione Sanctæ Crucis, quòd illam DEUS non permiserit perire, vel igne, vel putredine, vel alio aliquo modo, per trecentos & ampliùs annos, cùm Judæi & Gentiles voluerint exterminare memoriam S. Crucis, positâ in loco crucifixionis marmoreâ Veneris Statuâ, & ad Præsepe Salvatoris, & in loco Resurrectionis, Adonidis & Jovis positis Simulacris. Sed illo tempore inventa est CruxS. quando incæpit publicè Catholica Religio sub Constantino Magno. Ab illo tempore instituta est Solennitas Inventionis S. Crucis, sicut & Exaltationis sub Heraclio, quæ fuit utraq; miraculosa. Vide Ruffinum lib. 10. Hist. cap. 8. Socrat. lib. 1. cap. 13. Theodoret. lib. 1. cap. 18. Sozomen. lib. 2. c. 1. Nicephor. lib. 8. cap. 29. Concludamus cum S. Cyrillo Alexandrino, qui in Concilio Ephesino Generali III. Hom. contra Nestor. ad Patres Concilij inter alia ait: *Per te Trinitas sanctificatur, per te Crux pretiosa celebratur, & adoratur in toto Orbe terrarũ.* Hoc Concilium tam Lutherani, quàm Calvinistæ dicunt se recipere & venerari, ut Sacrosanctum; & cur Crucem pretiosam non celebrant, nec adorant? cùm Concilium tam clarè de veneratione & adoratione Crucis loquatur.

Discursus Theolog.

An Sancti videant nostras necessitates? an invocandi?

ait Author Tubæ pag. 70.

SAncti Angeli orant pro nobis. Zach. 1. *Domine Exercituum, quousq; tu non misereberis Hierusalem, & Urbium Juda, quibus iratus es,* & respondit Dominus Angelo verba bona, verba consolatoria. Genes. cap. 19. *Venerunt duo Angeli Sodomam vesperè, & sedente Loth in foribus Civitatis, qui cùm vidisset eos, surrexit, & ivit obviam eis, adoravitq; pronus in terram.* En honor delatus SS. Angelis. Ibidem:

honor & Generatio SS. Angel,



Ibidem: *Cùmq; esset manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere Civitatis. &c.* Dixitq; Loth ad eos: *Quæso Domine mi, quia invenit servus gratiam coram te, &c. ut salvares animam meam, &c. est Civitas hæc iuxta, ad quam possum fugere parva, & salvabor in ea. &c.* Dixitq; ad eum: *Ecce, etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam Urbem, pro qua locutus es. &c.* En Angelus exaudivit invocantem se. Calvinus convictus concedit, Angelos pro nobis orare, lib. 3. Instit. c. 20. §. 23. at si SS. Angeli orant pro nobis, etiam Sancti orant, qui sunt æquales Angelis, Luc. 20. Apocal. 15. ait, *Cecidisse Sanctos coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Sancti in Cœlis expetunt vindictam de impijs, Apocal. 6. *Usquequò Domine Sanctus & verus non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra.* Multò magis misericordiam à DEO nobis postulabunt. Gen. 20. *Nunc ergo redde viro suo uxorem, quia Propheta est, & orabit pro te, & vives.* Baruch 3. *Domine Omnipotens DEUS Israël, audi nunc orationem mortuorum.* Job ult. *Ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis, & ego suscipiam faciem eius.* Sancti viventes hîc pro vivis DEUM orabant, & ad invicem se orationibus juvabant, ex præcepto Christi, Sic orabitis, *Pater noster da nobis, & dimitte nobis, sed libera nos;* non dixit Christus. nec docuit, da mihi, dimitte mihi, libera me, ostendens, communem orationem illi gratiorem esse, ut etiam in Symbolo dicimus: *Credo Communionem Sanctorum.* S. Paulus in varijs Epistolis se orâsse pro ijs Ecclesijs dicebat, ad quas scribebat, & invicem illorum se commendabat orationibus, ut patet ad Colos. 1. *Semper orantes pro vobis.* Ibidem: *Non cessamus pro vobis orantes.* & cap. 4. *Orantes simul & pro nobis.* cap. 24. *Orationi instate, &c. orantes simul & pro nobis.* & Jacobi 5. *Orate ad invicem, ut salvemini.* 2. ad Thess. 3. *Fratres orate pro nobis* Undè S. Hieronymus lib. contra Vigilantium Tom. 2. cap. 3. ait: Si igitur Apo- ,,
stoli & Martyres, adhuc in corpore constituti, quando pro se ad- ,,
huc debent esse solliciti, orant pro cæteris, quantò magis post co- ,,
ronas, victorias, & triumphos. Unus homo Moyses sexcentis mil- ,,
libus armatorum à DEO veniam, & Stephanus, imitator Domini ,,
sui & primus Martyr in Christo, pro persecutoribus veniam de- ,,
precatur, & postquam cum Christo esse cæperint, minùs valebũt? ,,

invocatio S. Angeli.

exauditio precum

mandatum invocãdi Sanctos.

Matth. 6

Symb. Apostol.

mandatum invocandi vivos, quare autem non mortuos? hoc argumentũ nunquam possunt solvere hæretici, cùm sit S. Hieronymi contra Vigilant.

" Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas, & postquam esse cæperit cum Christo, tunc ora clausurus est? & pro his, qui in toto Orbe ad suum Evangelium crediderunt, mutare non poterit? Hucusq; S. Hieron. Psal. 131. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius.* Et Salomon propter merita Parentis obtinuit Regnum; ut lib. 3. Reg. cap. 15. dicitur: *Propter David dedit ei Dominus DEUS suus lucernam in Jerusalem, ut suscitaret filium eius post eum, eò quòd fecisset David rectum in oculis Domini.* Et 3. Reg. 11. *Quia non custodisti præcepta mea, quæ mandavi tibi, disrumpens scindam Regnum tuum, &c. verùm tamen in diebus tuis non faciam propter David Patrem tuum.* Et Daniel. 3. *Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israël Sanctum tuum.* Undè S. August. quæst. 149. in Exod. ait: *Admonemur, cùm merita nostra nos gravant, ne diligamur à DEO relevari nos apud eum illorum meritis posse, quos DEUS diligit.* Idem docet S. Chrysost. Hom. 42. in Genes. 27. in Matthæum.

NB.

Prætereà in utroq; Testamento sæpè legimus, viventes à viventibus invocatos. Lib. 1. Reg. cap. 7. *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum DEUM nostrum, ut salvet nos.* Item Job ultimo: *Ite ad servum meum Job, ille orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.* Genes. 20. *Nunc ergò redde viro suo uxorē, quia Propheta est, & orabit pro te, & vives.* Genes. 18. DEUS propter decem justos voluit parcere Sodomæ, ait enim: *Si inventi fuerint ibi decem, & dixit, non delebo propter decem.* Actor. 7. *Domine nè statuas illis hoc peccatum.* Undè S. August. Serm. 1. de Sanctis: *Si Stephanus non orâsset, Ecclesia Paulum non haberet.* Et ipse Paulus sæpiùs orabat pro alijs, & aliorum petebat orationes, ut superiùs patuit. 2. ad Thessal. 3. *Fratres orate pro nobis.* Ergo licebit & nunc invocare Sanctos regnantes cum Christo. Si non liceret, maximè, quia dicit adversa pars, injuria fit Christo, cùm aliùs præter illum invocetur, eâdem ratione fiet injuria Christo, si homines viventes in terra invocabuntur, itaq; Paulus ex sententia adversæ partis fecit injuriam Christo, cùm peteret orationes viventium. Hoc argumentum, tam Vigilantius, quàm Calvinus & alij, negantes intercessionem Sanctorum, nunquam solvere poterant. Respondent quidem, sed non ad rem, & dicunt, aliam esse rationem invocationis vivorum, aliam mortuorum, quia vivi omnes subnixi unâ Christi

est argumentū S. Hieron. contra Vigilant. ut superius patuit pag. 400

fti intercessione, tam pro se, quàm pro alijs DEUM rogant, quia sunt invicem membra, & quia Scriptura hortatur, ut oremus pro invicem, Jacobi 5. *Orate ad invicem, ut salvemini.* At hoc idem dicendum est de mortuis, nam & illi sunt membra ejusdem unius Ecclesiæ, sub uno Capite Christo, illic Triumphantis, hîc militantis, & unâ eâdemq; intercessione Christi nituntur, quidquid nobis à DEO petunt, per Christum petunt; undè semper Ecclesia ad finem Orationum de Sanctis addit, *Per Christum Dominum nostrum.* Ut ergo ostendamus, non solùm non fieri injuriam Christo, cùm invocamus Sanctos, tam viventes in terra, quàm in Cœlo regnantes, sed potiùs cedere ad ipsius honorem, & ut erroneas opiniones de invocatione Sanctorum ex cordibus multorum explodamus & eradicemus.

Primò dicimus in sententia Catholica, Non licet à Sanctis petere, ut nobis tanquam authores Divinorum beneficiorum, gloriam vel aliquam gratiam concedant, quia ipsi hoc non possunt, nec habent, quod soli DEO competit, ut in Psalm. 120. legimus, *Auxiliũ meum à Domino, qui fecit Cœlum & terram.* *Secundò* dicimus, Sancti non sunt immediati intercessores nostri apud DEUM, sed quidquid à DEO nobis impetrant, virtute Passionis & Mortis Christi, & per Christum nobis impetrant, aliter nihil valent Orationes & Patrocinia Sanctorum. Sic S. Augustin. in Psal. 108. ait: *Oratio, quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum.* Itaq; invocamus Sanctos ad hoc solùm, ut faciant id quod nos facimus, ut orent nobiscum, & pro nobis ad Christum, quia meliùs & efficaciùs ipsi facere possunt, quàm nos, cùm amici DEI, meliùs illi, & nos simul, quàm nos soli. *Tertiò* dicimus, Solus Christus est, qui mundum reconciliavit DEO, meruitq; nobis gloriam & gratiam, & omnia necessaria ad salutem, nec est in aliquo alio salus, nisi in morte illius, ut ad Colofs. 1. patet: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare, omnia in ipsum pacificans per Sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in Cœlis sunt.* Et 1. Joan. 2. *Ipse est propitio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi;* undè dicitur Joan. 10. *Ostium,* & cap. 14. *via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem, nisi per eum.* 1. Tim. 2. dicitur *Mediator DEI & hominum,* non tantùm officio, sed etiam naturâ, quia nos reconciliavit DEO, non tantùm deprecando, sed condignum pretium & satisfactionem exhibendo, habebat enim vim illam ex Natura suæ

personæ. Undè solus est Christus JESUS Sanctus Sanctorum, cujus Sanctitate sanctus est, quicunq́, sanctus est, cujus Justitiâ justus est, quicunq; justus est, cujus nisi Crux intercessisset, nulla esset Sanctitas, nulla Justitia, nulla merita, nisi miseratio Domini, & acerba mors Crucis, quam ille misertus nostri, nostrâ causâ subire dignatus est, hanc si sustuleris, quid erunt universæ justitiæ nostræ, nisi pannus menstruatæ, Isaiæ 64. Hic itaq; Sanctus Sanctorum, quem dedit DEUS Caput super omnem Ecclesiam, quæ est Corpus ipsius, merita sua omnia passionis & mortis suæ, cum membris suis communicat, per Sacramenta Ecclesiæ, quæ vocantur Sancta, quorum est in Ecclesia Communio, ut ait Paulus 1. ad Corint. 10. *Unus panis, & unum Corpus, multi sumus, qui de uno pane participamus.* Hanc Communicationem meritorum & mortis Christi in multis locis ostendit Scriptura, cùm Christus Sanctos vocat amicos, fratres, cohæredes Regni Cœlestis; & quamvis ipsi soli competit remittere peccata, eandem tamen potestatem dedit Sacerdotibus, *quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Unde pulchrè S. Ambros. in Luc. cap. 9. *Sed quid miramur, eum famulis suis indulsisse sua nomina, quibus & Patrem suum participat & Regnum, dedit enim potestatem excipientibus se filios DEI fieri.* Cyrillus Alexandr. lib. 4. in Esaiam Orat. *Cùm ipse Christus lux vera sit, lucem vocavit Ss. Apostolos, & cùm ipse naturá solus verè sit Filius, nobis in ipsum credentibus potestatem dedit Patrem vocandi DEUM* S Paulus hanc donationem meritorum Christi nobis omnibus satis clarè expressit, dum ait ad Roman. 8. *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit.* Si omnia, ergo & merita, & mortem illius. Et 2. ad Corint. 1. *Abundant passiones Christi in nobis.* Et ad Philip. 3. *Societatem passionum illius configuratus morti eius.* In virtute ergo Passionum & Mortis Christi, Sancti intercedunt pro nobis, sinè injuria Christi, quia ad Christum, & per Christum intercedunt pro nobis, & orant nobiscum: quod expressit S. Ambrosius lib. de Isaac, cap. 8. dum ait: *Ipse Christus est os nostrum, per quod Patri loquimur; oculus noster, per quem Patrem videmus; dextera nostra, per quam nos Patri offerimus.* Et Sancti idem faciunt nobiscum, qui adhibentur comprecatores, ut nostris orationibus suas adjungant, & quidquid impetrant, virtute mortis Christi, & per Christum impetrant, undè potiùs ad honorem Christi hoc cedit, cùm omnia bona ab ipso, & per ipsum procedunt, quando non soli, sed cum Sanctis accedimus ad Christum. Di-

Difcurfus Theol.

In quo magis probatur interceffio Sanctorum ex eo, quod Diffidentes non conveniunt inter fe de ea, nec principium affignare poffunt, quando incepit invocatio Sanctorum, quod eft proprium dogmatum Catholicorum, quæ ad Apoftolos referuntur.

PHilippus Melanchton in Apolog. Confefs. Auguftanæ Art. 21. objicit, veteres Scriptores ante Gregorium M. nullam feciffe mentionem invocationis Sanctorum; at Chemnicius in Exam. Concil. Trident. Sefs. 22. affirmat, invocationem Sanctorum cæpiffe poft tempora Auguftini, qui vixit ducentis ferè annis ante Gregoriũ. Ergo fecundùm Melanchtonem incæpit invocatio Sanctorum circa Annum 600. & fecundùm Chemnicium circa An. 400. circa quam vixit S. Auguftinus. Idem Chemnic. in eodem Exam. Sefs. 25. ait, Authorem invocationis B. MARIÆ fuiffe Petrum Gnaphæum, circa An. 480. Ifti duo viri, cùm hæc prædicarent populo, poterant facilè retrahere fimpliciores, præfertim ab invocatione Sanctorum. Sed nos, ut ipfa veritas expofcit, rem examinemus, quis majorem veritatem ex illis dixerit, cùm inter fe tam longè difcrepant de tempore invocationis Sanctorum, cùm uterq; fit ex præcipuis adverfæ partis.

Videamus nos Veteres Scriptores, & SS. Patres, quid illi de invocatione Sanctorum fenferint: Primus fit S. Dionyfius Areopagita, qui tempora vidit Apoftolorum. Hic cap. 3. Ecclef. Hierar. ait: *Nam profectò idem fit, acfi quis Sole fuos radios fanis largiente oculis fibi oculos eruens, Solaris lúminis particeps fieri poftulet. Sic impoffibilium fuperfluâ fpe ille fufpenfus eft, qui Sanctorum flagitat preces, & naturæ ipforum confentaneas Sacras Operationes abigit.* Hic duo docuit S. Dionyfius, & flagitare preces Sanctorum, & Sacras Operationes illorum imitari. S. Irenæus lib. 5. contra Hæref. ait: *Et ficut illa feducta eft, ut effugeret DEUM, fic hæc fuafa eft obedire DEO, ut virginis Evæ MARIA fieret Advocata;* quid clarius? & indè canit Ecclefia: *Eia ergo Advocata noftra.* Origenes in Tractat. qui infcribitur, *Treni feu planctus,* ait: *Incipiam me genibus profternere, & deprecari univerfos Sanctos, ut mihi non audenti petere DEUM, propter nimi-*

quo tempore incepit invocatio SS.

Vixit An. Ch. 80



Vixit circa An. 150

Vixit An. 230

Vixit An. 250 *nimietatem peccati succurrant.* S. Cornel. Papa & Martyr in Epist. 1. (quæ est de Translat. Corporum Apostol.) ait: *Orantes DEUM, & Dominum nostrum JESUM Christum, ut intercedentibus Sanctis suis A-*
Vixit A. 340 *postolis maculas vestrorum purget peccatorum.* S. Athanas. Serm. in Evang. de SS. Virgine Deipara, id est de Annunciatione, ait: *Inclina aurem tuam in preces nostras, ne obliviscaris populi tui.* Et infrà: *Ad te clamamus, recordare nostri Sanctissima Virgo.* Et infrà: *Intercede*
Vixit A. 350 *Hera & Domina, & Regina, & Mater DEI pro nobis.* S. Hilarius in Psal. 129. ait: *Intercessione Angelorum non natura DEI indiget, sed infirmitas nostra.* idem dicit de intercessione SS. Apostol. & Prophet.
Vixit eodem tempore. oblatio Sacrificij in Psal. 124. S. Cyrillus Cateche. 5. Mystag. *Cùm Sacrificium offerimus, facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos dormierunt, primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut DEUS O-*
Vixit A. 330 *rationibus illorum suscipiat preces nostras.* Eusebius lib. 13. de Præparat. Evang. cap. 7. *Veræ pietatis milites, ut DEI amicos honorantes, ad monumenta quoq; illorum accedimus, vota quoq; ipsis facimus, tanquam Viris Sanctis, quorum intercessione ad DEUM iuvari non pa-*
peregrinatio ad monumenta Sanctorum.
Vixit A. 380 *rùm profitemur.* S. Basilius Orat. in 40. Martyr. *Qui aliquâ premitur angustiâ, ad hos confugiat, qui rursùm lætatur, hos oret.* Idem in Psalm. 33. in illud, *Oculi Domini super iustos,* ait: *Sanctæ spirituales virtutes aliquæ, oculi dicuntur, &c. nonnullæ aures, ut quæ nostras ex-*
Vixit A. 380 *cipiunt preces.* Gregor. Nazianz Orat. in Cyprian. *Virginem MA-*
Vixit eod. An *RIAM rogavit, ut periclitanti Virgini opem ferret.* Gregor. Nyssenus Orat. in S. Theodor. ait: *Intercede ac deprecare pro Patria apud Communem Regem.* Et infrà: *Si maiori opus fuerit deprecatione & advocatione, &c admone Petrum, excita Paulum, Joannem item, Theologum*
Vixit A. 380 *ac Discipulum dilectum.* S. Chrysost. Homil. 66. ad popul. ait: *Ipse qui purpurâ indutus est, accedit illa complexurus Sepulchra, & fastu deposito stat Sanctis supplicaturus, ut pro se apud DEUM intercedant.* S.
Vixit A. 380 Ephrem in Serm. de laud. SS Martyrum ait: *Precamur Beatissimi Martyres, &c. ut pro nobis miseris peccatoribus &c. Dominum inter-*
Vixit A. 380 *pellare dignemini.* S. Ambrosius lib. de Viduis ait: *Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt. Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam pignoris corpore patrocinium vendicare, possunt*
NB. *pro peccatis orare nostris, qui proprio sanguine etiamsi quæ habuerunt peccata, laverunt. Isti enim DEI Martyres, nostri Præsules, &c. non erubescamus, eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cùm viverent, cognoverunt.* Hi omnes SS.

Patres, usq; ad S. Dionysiũ ascendendo, vixerunt circa An. 380. quo etiam tempore Vigilantius negavit primus venerationem Reliquiarũ & invocationem Sanctorũ, sed à S. Hieron. refutatus, ut suprà ostensũ est. Nota Lector, hi omnes SS. Patres ante S. August. vixerunt, qui vixit circa An. 400. Ergo non potest verificari, quod dicit Chemnicius, incepisse invocationem Sanctorum post tempora S. Augustini; multò magis illud non potest verificari, quod dicit Melanchton, *Ante S Gregorium Veteres nullam mentionem fecerunt invocationis Sãnctorũ*, cùm ex S. Dionysio, Discipulo Apostolor. Irenæo, Origine, Cypriano, Cornelio Papâ & Mart. Athanas. Hilario, & aliis ut suprà, qui longè ante S. August. vixerunt. patuit invocatio SS.



Vixit An. 400

Sed videamus, quid S. Augustinus dixerit de Invocatione Sanctorum, qui præcessit S. Gregor. ducentis ferè annis. In lib. Meditation. cap. 24. ait: Felices Sancti omnes, qui jam pertransitis ,, hujus mortalitatis pelagus, &c. Per ipsum vos rogo, qui vos ele- ,, git, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam satiamini, &c. ,, de cujus beatissima visione semper gaudetis, &c subvenite nobis ,, miseris. Et infrà: Intercedite, orate, constanter atq; indesinen- ,, ter pro nobis. Ibidem cap. 40 Sancta & Immaculata Virgo, Dei ,, Genitrix MARIA, Mater Domini Nostri JESU Christi, interve- ,, nire pro me digneris apud illum, cujus meruisti effici Templum. ,, S. Michaël, S. Raphael, S. Gabriel, SS. Chori Angelorũ, Archan- ,, gelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangeli- ,, starum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Levitarum, Mo- ,, nachorum, Virginum, omniumq́, justorum, per illum, qui vos ,, elegit, &c. Vos rogare præsumo, ut pro me culpabili, ipsi DEO ,, supplicare dignemini. S. Fulgentius de laud. B. MARIÆ: Ideò ,, omnes cursus naturæ Virgo MARIA in Domino nostro JESU ,, Christo suscepit, ut omnibus ad se confugientibus fœminis subve- ,, niret. S. Leo, Serm. 5. Confirmate amicitias cum SS. Angelis, ,, & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, &c. ipsorum ,, ambite Suffragia. S. Victor lib. 3. de perse. Vandal. Adestote ,, Angeli DEI, deprecamini Patriarchæ, orate SS. Prophetæ, estote ,, Apostoli Suffragatores, præcipuè tu Petre Beate, quare siles pro ,, ovibus & agnis, à Communi Domino magnâ tibi cautellâ & solli- ,, citudine commendatis. S. Paulinus in Carmine Paneg. de S. Celso: Celse juva fratrem, sociâ pietate laborans. Isti omnes ferè ,, ducentis annis præcesserunt S. Gregorium, cùm S. Gregorius vixerit

NB. Visio Dei ex S. Augustino

NB.



Vixit A. 480

Vixit A. 480

Vixit A. 480

NB.

circa

circa An. 600. S. Augustinus circa An. 400. Undè non potest verificari, quod dixerit Melanchton in Apol. Confess. August. ante Gregorium nullam mentionem fecisse Invocationis Sanctorum Veteres, cùm plures fecerint ante S. Augustinum, reliqui ante S. Gregorium.

Mendacium.

S. Cyrillus Parte 5. Oratione Ephesi dictâ in die S. Joannis Evangelistæ, in ejusdem Templo, in Consessu Patrum Concilij, sic S. Cyrillus incipit Orationem: *Sanctorum gloriam celebritatemq; nulla quidem potest assequi Oratio; extiterunt enim Mundi luminaria, &c.* Et infrà ait: *Mysterium aperi, ô Evangelista! affare etiam nunc, ô Beate Joannes! Ecce, tantus hic Pastorum Cœtus ad te venit, remove nobis lapidem, resera nobis puteum vitæ, da, ut nunc quoq; de Salutaris fontibus hauriamus, immo verò tuum nobis fontem appone, adde quod reliquum est, ô Evangelista!* Ex his S. Cyrilli Orationibus, quas in conspectu totius Concilij Ephesini habuit, apparet manifesta veneratio SS. adoratio Crucis, & directa invocatio eorum: non est dubium, quòd S. Cyrillus ex sensu & mente totius Concilij hæc dixerit, cùm fuerit Supremus Legatus Romani Pontificis, & Præses Concilij. Concilium Constantinopol. Generale VI. cap. 7. sic habet: *Vnusquisq; Christianus solo DEO adorato invocet Sanctos, ut pro se intercedere apud Majestatem Divinam dignentur.* Franc. Longus in Summa Conciliorum, Præludio 9. fol. 73. Artic. 6. de Invocat. SS. Concilium Nicænum II. Generale VII. Act. 6. sic ait: *Cum timore omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ, item SS. Angelorum, omniumq; Sanctorum.* In Concilio Chalcedonensi Generali IV. Act. 11. Patres Concilij dixerunt, *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* Post hoc Concilium invenitur Epistola scripta ab Episcopis Europæ ad Leonem Imperatorem, quæ inter alia hæc habet: *Proterium in Ordine & Choro SS. Martyrum ponimus, & ejus intercessionibus misericordem ac propitium DEUM habere postulamus.* Quid ad hæc respondent omnes, qui dicunt, se Ecclesiam Veterem, & ejus quatuor Concilia venerari & suscipere, libenter omnes Protestantes, & Calvinistas, & omnes qui negant intercessionem Sanctorum, libenter, inquam, audirem. Sed cùm non possum, tu, Benevole Lector, supple pro me vices, audias responsa illorum, & intra se pondera, si erunt sufficientia, vel enim admittere debent intercessionem Sanctorum, vel Concilia hæc duo reijcere & damnare, ut est commune hæreticis. Synodus Nicæna II. Act. 6. ad finem " hæc habet: Cum timore DEI omnia facimus, expetentes etiam

Vide eximias laudes SSmæ Deiparæ in eodem Conc. sup. p. 376 vers. ult. & seq.

☞

manifestus honor, & invocatio SS. in Conc. Ephesino, celebrato An. 431

hoc idem Author Tubæ superiùs citavit Concilium in suo Discursu, vide suprà pag. 373

" inter-

intercessionem intemeratæ Dominæ nostræ, & naturâ DEI Ge-nitricis, semperq; Virginis MARIÆ, atq; SS. Angelorum, & si-mul omnium Sanctorum. S. Chrysost. in Epist. 2. ad Cor. Hom. 26. ait: Sanctorum ossa non hanc habent potestatem miserabi-lem & abjectam, sed illam multò majorem: dæmones enim si-stunt, ac torquent, & à vinculis illis acerbissimis vinctos liberant. Quid hoc Tribunali terribilius, cùm nullus videatur, nullus immi-neat dæmonis lateribus, clamores sentiuntur, dilacerationes, fla-gella, tormenta, dæmone non ferente admirandam illam virtutē. Et qui corpora gestârunt, incorporeas superant potestates. Pulvis ossa. deniq; cineres invisibiles illas affligunt naturas. Atq; hujus spectaculi gratiâ Reges multi sæpiùs peregrinati sunt. Vide S. Am-brosium de Miraculis, Serm. 90. S. Augustinum lib. 22. de Civit. DEI cap. 8.

Discursus Theol.

In quo etiam ex Dissidentibus probatur invocatio Sanctorum.

Lutherus in purgatione quorundam Articulorum, pressus veri-tate, agnoscit intercessionem Sanctorum, dum ait: De inter-cessione Divorum cum tota Christiana sentio Ecclesia, & judico, Sanctos à nobis esse honorandos, & invocandos. Author Tubæ p. 71. citat eundem Lutherum agnoscentem intercessionem SS. Epist. ad Erphordienses, & in Epistola ad Georg. Spalatinum, & de Præ-paratione ad Mortem. Lutherus An. 1522. ad Lovanienses ait: *Non fuit mens mea unquam dicere, venerationem Sanctorum esse su-perstitiosam, &c. hoc enim sapiunt vicini nostri; & Bohemi.* Becanus citat fol. 68. eundem Lutherum, Tom. 1. Jenensi An. 1564. p. 472. in responsione ad condemnationem doctrinalem Lovaniens. sic lo-quentem: *Non negavi unquam, nos meritis & precibus Sanctorum, &c. iuvari.* Philip. Melancht. in Locis Commun. Manlij fol. 151. *Dicam tibi manifestum testimonium ex Novo Testam. probans, quòd mor-tui sint solliciti de Ecclesia & nobis.* Oecolampad. quem etiam citat Author Tubæ pag. 71. ad Serm. Chrysost. de Juventio & Maximo MM. ait: *Sancti in Cœlis suâ adhuc charitate flagrantes, non desinunt pro nobis intercedere.* Brentius ad cap. 16. Lucæ: Ergonè mortui intercedunt pro vivis? certè negari non potest, quin hi, qui vivūt cum

Vide suprà pag. 385 quid dixe-rit de cultu & Veneratione SS.

" cum Christo, benè cupiant Ecclesiæ & membris ejus. Si enim An-
" geli orant pro nobis, quemadmodum Zachar. 1. testatur, &
" si Christus ipse apud Patrem pro nobis intercedit, quomodo non
" & Sancti afficerentur erga nos in Christo, & per Christum chari-
" tate, & optarent nobis à DEO felicia quæque. Author Tubæ ci-
tat etiam Bucerum pro invocatione Sanctor. pag. 71. & 72. Ex his clarè patet, nullam esse injuriam Christo, etiam ex Diffidentibus, cùm invocamus Sanctos, ut orent nobiscum, cùm ipsi hoc ultro præstant, ut concedunt adversarij, aliàs eadem injuria esset Christo, cùm rogamus viventes, ut orent pro nobis, ut sæpius S. Paulus fecit. Est ergo unicus Mediator DEI & hominum solus Christus, 1. ad Tim. 2. unde statim dicit Apostolus, *qui dedit semetipsum pro multis.* Quando ergo oramus DEUM, per hunc unicum Mediatorem oramus, & Sanctos invocamus, ut ipsi idem faciant nobiscum, pro faciliori exauditione, ut per Christum, & virtute Christi, ut petant nobiscum quod nos petimus; vel cùm oramus ipsum Christum ut DEUM & Hominem, utimur SS. Orationibus ad Christum, cùm simus peccatores, utimur Sanctis Mediatoribus ad Christum; quod expressit S. Bernardus Serm. de B. V. M. in illa verba, *Signum magnum apparuit:*
" Opus est (inquit) mediatore ad Mediatorem istum, nec alter no-
" bis utilior, quàm MARIA. Quibus verbis docet, Christum solum Mediatorem, qui per se impetrat; Sanctos verò nisi per Christum, & virtute Christi impetrare, cum omni subordinatione ad Christum. Unde Ecclesia semper addit in Orationibus Sanctorum, *Per Christum Dominum nostrum.* Hinc major inde sequitur honor Christo, cùm non soli, sed cum Sanctis accedimus ad Christum: honorem verò, quem exhibemus Sanctis, non alium, nisi qui decet amicos DEI, & honoratos à DEO, juxta illud: *Nimis honorati sunt amici tui DEUS.* Et hunc honorem in ipsum DEUM finaliter resolvimus, juxta illud: *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* Hinc S. August. Serm. 26. de Sanctis ait: *Quisquis honorat Martyres, honorat & Christum; & qui spernit Sanctos, spernit & Christum.* Et S. Bernard. Hom. 4. super Missus: *Non est dubium, quidquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere.* Immo ipse Christus Matth. 25. *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Et Saulus cùm persequeretur credentes, clamavit Christus è Cœlo, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Sicut ergo Saulus persecutus est Christum in Sanctis, ita  honorat Christum in Sanctis, qui illos honorat. Quia verò multi abhor-

Psalmo ult. contumelia Sanctorū, contumelia est Christi.

abhorrent ab Ecclesia Cathol. ob sinistras imputationes in multis dogmatibus, inter quæ etiam est Invocatio & Veneratio Sanctorũ: imputant enim, quasi Ecclesia Rom. Cathol. doceat, non minùs Sanctos, quàm Christum coli, & non solùm illum, sed Sanctos pro Mediatoribus haberi, immo pro Dijs adorari, in Festis Sanctorum nullam facere mentionem de Christo, non confidere Passioni & Morti Christi, sed partim in nostris meritis, partim in invocatione Sanctorum. Hæc quàm sint aliena à veritate, qui vult experiri, legat Catholicos Authores, qui dicunt, si non Christus unicus Mediator, si non Merita, Passio, & Mors acerba illius, nihil valent omnia, nam ex Morte Christi, tanquam fonte omnis Sanctitatis procedit. Si aliter adversa pars interpretatur, ipsa seipsam seducit. Pro illis verò, qui veritati dant locum, appono ex Sessione 25. Concilij Trident. de Invocatione Sanctorum decretum. Ait Conciliũ: „Mandat Sancta Synodus omnibus Episcopis, & cæteris docendi munus sustinentibus, ut juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usũ, à primævis Christianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorumq; Patrum consensionem, & Sacrorum Conciliorum Decreta, inprimis de Sanctorum Intercessione, Invocatione, Reliquiarum honore, & legitimo Imaginum usu, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos unà cum Christo regnantes Orationes suas pro hominibus offerre, bonum atq; utile esse, suppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda à DEO, per Filium ejus JESUM Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum Orationes, opem, auxiliumq; confugere. Et infrà: Omnis verò superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & Imaginum sacro usu tollatur."

Hîc notandum. Cùm Catholici aliquando dicunt, v. g. S. Petre adjuva me, semper intelligunt, precibus vel Orationibus tuis. Pulchrè hoc S. Augustinus exemplificavit, cùm dixerit, *Sancta MARIA succurre miseris, iuva pusillanimes, refove flebiles*; postmodùm addidit, *ora pro populo, interveni pro Clero intercede*; acsi dixisset, succurre, juva, tuis precibus & Orationibus, intercedendo ad Filium. Sic & Apostolus, cùm diceret ad Rom. 11. *ut salvos faciam aliquos ex illis*; & 1. ad Corint. 9. *ut omnes facerem salvos*; intelligendus non ut causa primaria, sed ut causa meritoria salvationis.

Discursus Theolog.

In quo triplici palmari Argumento probatur Veneratio, Invocatio, & Intercessio Sanctorum.

PRobatur ulterius veneratio & invocatio Sanctorum triplici Argumento sic. Ultra Scripturam superius allegatam pro intercessione Sanctorum, illa debent tenere nobiscum Dissidentes, quæ tenent nobiscum aliqua alia, quæ eâdem viâ & principijs venerunt ad nos, & ad illos. Sed invocatio & intercessio Sanctorum, eâdem viâ & principijs pervenit ad nos, sicut ista, quæ tenent nobiscum. Ergo invocatio & intercessio SS. tenenda. Probatur major. Ideò tenent nobiscum quatuor Evangelia, nec plura, nec pauciora, neq; S. Petri, neq; S. Bartholomæi, sed SS. Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis: ideò Processionem Spiritûs S. à Patre & Filio: ideò duas in Christo Naturas: Symbolum Apostolorum tenent nobiscum, quia ex testificatione Primitivæ Ecclesiæ à Patribus in Concilijs Generalibus sedentibus, & alijs pluribus extra Concilia idem affirmantibus, dictante Spiritu S. hæc omnia pervenerunt ad nos; non enim alia ratio assignari potest, quia prædicta omnia clarè non inveniuntur in Scripturis, sed etiam invocatio & intercessio Sanctorum ex testificatione Veteris Ecclesiæ à Patribus sedentibus in Concilijs, & alijs extra Concilium pluribus idem asserentibus, venit ad nos Ergo, Si nobiscum tenent quatuor Evangelia, hæc, & non alia, duas in Christo Naturas, &c. ex testificatione Veteris Ecclesiæ, à Patribus in Concilijs Generalibus sedentibus, debent tenere invocationem & intercessionem Sanctorum, cùm eadem viâ & principijs venit ad nos ex testificatione Veteris Ecclesiæ, sicut 4. Evangelia, Processio Spiritûs S. à Patre & Filio, duæ Naturæ in Christo. Probatur minor. Veneratio Sanctorum venit ad nos ex Concilio Ephesino Generali III. quando S. Cyrillus, Præses Concilij, in Consessu Patrum habuit Panegyricam Orationem in honorem B. V. MARIÆ, vocando illam Sceptrum Orthodoxæ Fidei, venerandum Orbis Thesaurum, Lampadem inextinguibilem. In eodem Concilio idem S. Cyrillus, in Consessu Patrum, invocat S. Joannem Evangelistam, dicens: *Mysterium aperi, ô Evangelista! assare etiam nunc, o Beate Joannes! &c. Ecce tantus hic Pastorum Cœtus ad te venit, remove no-*

bis lapidem, resera nobis puteum vitæ, da ut nunc quoq; de fontibus salutaris hauriamus, immo tuum nobis fontem appone, adde quod reliquum est, ô Evangelista! Quid clarius S. Cyrillus dicere potuit de invocatione Sanctorum, nec dubium, quòd ex mente Concilij Generalis, cùm in Consessu Patrum, tanquam Præses Concilij hæc dixerit. In IV. Concilio Generali Chalcedonensi hæc de S. Flaviano legimus: *Flaviano æterna memoria, Flavianus post mortem vivit Martyr, oret pro nobis.* Hanc invocationem & intercessionem Sanctorum, cùm ferè omnes SS. Patres audacter asserant, tum Concilia Generalia, Ephesinum & Chalcedonense, vel potiùs Patres in Concilijs sedentes, ex sensu Ecclesiæ Universalis, & alij plures extra Concilia, eam asserant, quod non facerent, si nescirent pro certo, invocationem Sanctorum esse Traditionem Apostolicam. Ergo Invocatio Sanctorum, cùm eâdem viâ & principijs venerit ad nos, sicut alia, quæ nobiscum Dissidentes credunt, consequenter intercessio & invocatio Sanctorum est de Fide Catholica tenenda.

Secundum Argumentum. Quod universæ placuit Ecclesiæ, quam Scripturarum commendat auctoritas, illud tenendum. Sed universæ placuit Ecclesiæ, Invocatio Sanctorum. Ergo est tenenda Invocatio Sanctorum. Major probatur auctoritate S. Augustini contra Crescon. cap. 33. Quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate S. Scriptura demonstrat. Minor probatur. Quòd universæ Ecclesiæ placuerit Invocatio Sanctorum. Nam placuit Concilijs Generalibus, Ephesino, ut superiùs patuit, placuit Chalcedonensi, cùm clamarent Patres in Concilio sedentes: *Flaviano æterna memoria, Flavianus post mortem vivit Martyr, pro nobis oret*; placuit Constantinopol. VI. Generali, placuit omnibus ferè Patribus asserere Invocationem Sanctorum, à primis ferè Sæculis, ut Dionysio, Irenæo, Augustino, Hieronymo, Basilio, utriq; Gregorio, & alijs superiùs enumeratis. Ergo Invocatio Sanctorum tenenda.

Tertium Argumentum. Quod contestante DEO, Signis & miraculis probatur, illud ut verum, & à DEO procedens tenendum. Sed Invocatio Sanctorum Signis & miraculis docetur. Ergo Invocatio Sanctorum est tenenda. Major est per se nota. Nam illud debet esse à DEO, quod miraculis confirmatur: nam nemo nisi DEUS, vel à DEO miracula solo procedunt. Minor probatur, quòd invocatio Sanctorum miraculis & signis docetur, teste S. Augustino, qui

qui lib. 22. de Civitate DEI cap. 8. Tom. 5. pag. 1487. refert supra centena miracula, & aliquot à se visa, facta à DEO ad memorias & Reliquias S. Stephani. Inter alia hæc habet Serm. 91. *Tanta miracula fecit mortuus, vivos facit mortuus, quia nec mortuus.* Et lib. 22. ut suprà ait: *Tot miracula facta ad Reliquias S. Stephani brevissimo tempore, ut multi libri scribendi essent ad narranda omnia.* S. Ambrosius scribit, revelata sibi Corpora SS. Gervasij & Protasij. Neapoli continua fiunt miracula in Reliquijs S. Joannis Baptistæ, & S. Januarij, de quibus continuò oculati testes indè venientes testantur. Sed & Lutherus hanc veritatem fassus est in purgatione quorundam Articulorum, dum ait: *Quis enim potest contradicere his, quæ adhuc hodiernâ die mirabiliter & invisibiliter apud Divorum Sepulchra, & Corpora operatur DEUS.* Ergo tempore suo agnoscit miracula Lutherus ad Sepulchra & Corpora Sanctorum. Wittakerus contra Duræum lib. 10. pag. 866. ait: *Non ea miracula vana iudico, quæ ad Sanctorum monumenta facta referuntur.* Bullingerus miracula ex Reliquijs facta, ex S. Hieronymo agnoscit. Chemnicius in Exam. P. 3. pag. 32. & pag. 10. ait: *Suscipiebant peregrinationes ad loca, ubi Reliquias miraculis celebres audiebant.* Nos ex his eruemus legitimam consequentiam: Fatente etiam Luthero & alijs miracula, Ergo Invocatio Sanctorum ut vera, & à DEO procedens, tenenda est, contestante DEO signis & miraculis eandem.

Probatur ultimò. Illa sunt Catholica dogmata, quæ non habent principium, quia per Traditionem Apostolicam in Ecclesia remanserunt. E contrà verò hæreticorum tempus, persona, locus, semper à pluribus notantur. Sed Invocatio Sanctorum est talis, nam nemo hucusq; docere potest, quo authore, quo loco, quo tempore, Invocatio Sanctorum incepit. Nam & ipsi Dissidentes mirè dissentiunt de tempore, ut superiùs patuit in Melanchtone & Chemnicio, in Luthero, qui eam aliàs admittebat. Ergo Invocatio Sanctorum est verè dogma Catholicum, & ad Traditionem Apostolicam pertinet, cùm non habeat principium, secundùm Regulam S. Augustini, qui Tom. 1. pag. 1. 5. lib. 2. 7. 7. p. 42. ait: *Quæ non inveniuntur in literis Apostolorum, neq; in Concilijs posteriorum, & tamen per Universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab Apostolis tradita creduntur.* Ex his verbis S. Augustini, *Per Universam custodiuntur Ecclesiam,* alia iterum veridica exurgit probatio. Nempè, quòd non solùm Latina Ecclesia, sed etiam & Græca, ubicunq; sit, nunquam dubi-

dubitavit de veneratione & invocatione Sanctorum, licèt multis annis, & sæpiùs fuit separata ab Ecclesia Latina, tamen semper constanter retinuit invocationem Sanctorum, & cultum Imaginum. Quem ista omnia non movent, supponitur proprio judicio esse, secundùm Apostolum condemnatus, cùm magis credat Vigilantio, Manichæis, Donatistis, Wiclefo, & alijs, quàm antiquæ Ecclesiæ Concilijs, & tot SS. Patribus. Ergo isti, cùm ubiq; crepent Scripturas, ostendant ex illis, quòd non liceat invocare & venerari Sanctos, sicut nos clarè ostendimus venerandos & invocandos. Et si tenent Matrem DEI Beatissimam Virginem MARIAM ex Concilio Ephesino, si tenent duas Naturas in Christo ex Concil. VI. Generali, contra hæresim Monothelitarum, debent tenere invocationem Sanctorum, ex ijsdem Concilijs Generalibus III. & IV. cùm se dicant Sex Concilia tenere & venerari. Si verò aliqua tenent, aliqua reijciunt ex ijsdem Concilijs, non Divinâ Fide revelante Spiritu S. qui Concilijs assistit, sed humanâ fide credunt, ipsimet sibi electores fidei, quia hoc placet, illud non placet, quod est proprie hæreticorum.

Discursus Theol.

In quo magis probatur veneratio & invocatio Sanctorum, quem semper constanter retinuit Græca Ecclesia, & solvuntur duo Argumenta.

DE Græca Ecclesiâ nullum est dubium, quòd constantissimè semper retinuerit venerationem & intercessionem Sanctorum, & cultum Sanctarum Imaginum, ut patet ex Censura Augustanæ Confessionis, à Hieremia Patriarcha Constantinopolitano, requisito à Dissidentibus, respondit: *Mediatores facimus Sanctos, inprimis autem &c. ipsam DEI Genitricem, Virginem MARIAM, &c. &c. Cùm Angeli, aliiq; Sancti, atq; adeò non minùs ipsa Mundi Domina pro nobis exorat*; etiam Dissidentes hanc Censuram fatentur, ut Crusius, Chytræus, Orat. de Statu Ecclesiarum in Græcia, Asia, &c. Francofurti editâ, ubi pag. 113. & sequ. præcipuè pag. 132. ex Crusio Summam Censuræ exponit, inter alia Num. 5. ait: Id est Hierem. Patriarch. Constantinop. *Sanctos defunctos, & MARIAM DEI Genitricem, & Sanctos Angelos invocat, & Sacras eorum Imagines adorat, non Latria cultu, (soli enim DEO debetur) sed coniunctivè, seu respectu non materiæ,*

Cultus conformis Ecclesiarũ Romanæ cum Græca.

non materiæ, sed Sanctorum, qui per materiam significantur, & affectione quâdam amicâ & venerationem ac honorem erga Sanctos ostendente. Hæc Crusio Authore, ut suprà. Gabriel Alexandrinus Epist. ad Clem. 8. *Ubi DEUM Altissimum rogamus, ut Ecclesia sit unica Cathol. Apostol. sinè divisione & separatione, precibus Sanctissimæ Dominæ nostræ semper Virginis, & Optimorum Patrum nostrorum Apostolorum.* In Græca Liturgia ex Cretensi Codice hæc leguntur: *Matrem tuam Christe &c. tibi adducimus in intercessionem, Domine misericordissime, &c. Matrem tuam adducit tibi in supplicationem populus tuus Christe, intercessionibus ipsius miserationes tuas nobis tribue.* Liturgia S. Apost. Jacobi hæc habet: *Commemorationem agamus Sanctissimæ Dominæ nostræ &c. & semper Virginis MARIÆ, ac Omnium Sanctorum & Justorum, ut precibus atq; intercessionibus eorum, omnes misericordiam assequamur.* Idem titulus invenitur in Liturgia S. Marci. S. Chrysostomus in Liturgia ait: *Domina nostra Sanctissima &c.* Liturgia Æthiopica hæc habet: *Lætare Domina, quia Salutem Sanctam deprecamur. &c. Offer sursùm & in altum orationem nostram, &c. ut remittantur peccata nostra.* S. Ephrem in laudibus Virg. ait: *Regina ac Domina cunctis sublimior, Regina Supernorum Civium, & Domina Angelorum.* S. Bernard. in Salve Regina vocat *Dominam rerum, Reginam Cælorum.* Concludimus cum S. Augustino, qui Serm. 35. ait de SS. *Sufficere debet notitia humana, hanc verè fateri Reginam Cælorum, pro eo, quòd peperit Regem Angelorum.* Et Chrysost. apud Metaphrast. *Quidnam illâ sanctius? non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, &c. &c.* Et inferiùs: *Per hanc & peccatorum veniam consequimur: Ave igitur Mater, Cælum, Puella, Virgo, Thronus, Ecclesiæ nostræ decus, gloria, & firmamentum, assiduè pro nobis precare JESUM Filium tuum, ut per te misericordiam invenire &c. possimus.* Undè advertant Diffidentes, si justè contra modernos Catholicos conquærantur, in honorificis SSmæ Deiparæ tribuendis titulis, cùm illos à Primitiva habeant Ecclesia, ut clarè patet ex Concilio Ephesino Generali III. & SS. Patribus, ut deductum superiùs, pluribus quingentorum annorum, quam ipsi pro vera agnoscunt, ut S. Basilius Orat. de Nativ. Deip. ait: *De Virgine qui omnia illustria dixerit, nunquam à veritatis scopo aberraverit.* Dat rationem S. Bernardus Homil. super Missus: *Quidquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere.*

Vixit An. 380 [margin, beside "tantur peccata nostra. S. Ephrem"]

Vixit An. 380 [margin, beside "eo, quòd peperit Regem Angelorum"]



major honor Christi, quando per Deiparam & Sanctos recurrimus ad illum.



Inter

Inter alias Objectiones contra Invocationem Sanctorum, est una Objectio brevis & valdè debilis, licèt sit quasi præcipua. Isaiæ 63. dicitur: *Abraham nescivit nos, Israël ignoravit nos.* Ergo Sancti non vident nostras orationes, nec sunt invocandi. ℟. Sanctis Veteris Testam. in Limbo Patribus non fuisse ordinariè revelatum, quid hîc agebatur, quia non erant beati, nam ad perfectam beatitudinem (quæ ex visione & fruitione DEI procedit) pertinet scire ea, quæ ad se pertinent, præcipuè, quæ concernunt honorem & gloriam, neq; Sancti in limbo gerebant curam nostri, cùm erant solliciti de seipsis, nec erant Præpositi Ecclesiæ, ut Sancti, dum jam sunt in Cœlo. Imò magis firmatur Catholica sententia, scire Sanctos in DEO nostras necessitates ex eo, quòd Sancti viventes sciebant multa occulta & remota, ex revelatione Divina, ut de Samúele 1. Reg. 9. legimus, item de Elisæo lib. 4. Reg. cap. 5. item Act. 5. de S. Petro; item de S. Benedicto scribit B. Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 29. Idem legimus de S. Francisco & S. Bernardo, quos Dissidentes habent pro Sanctis. Vidit Abraham Divitem in inferno, audivit clamantem ad se, *Pater Abraham!* & responsum dedit, *habent Legem & Prophetas*; quantò magis credendum, Sanctos in Cœlo hoc dono pollere, hæc est aperta responsio S. Augustini lib. de Cura pro mortuis, c. 15. *Luc. 16*

Alia Objectio Centuriatorum & Calvini, quæ fuit olim Juliani Apostatæ, apud Cyrill. lib. 6. in eundem, Manichæi, apud S. Augustin. lib. 3. contra Faustum cap. 4. Vigilantij, apud Hieron. lib. in Vigilantium. Isti omnes accusabant Catholicos, quòd verterent idola in Martyres, & eos similibus votis colerent. Hoc argumentum manifestè ostendit, Majores Catholicorum fuisse Cyrillum, Augustinum, Hieronymum, & reliquos antiquæ Ecclesiæ Patres; Majores autem Calvini & Magdeburgensium fuisse Julianum Apostatam, Manichæum, Vigilantium, cùm illorum argumentis utantur contra invocationem & venerationem Sanctorum. Qui autem ex veneratione Sanctorum scandalizantur, quæro ex ipsis, quâ authoritate Festa aliquorum Sanctorum, ut Apostolorum, S. Joannis Baptistæ, S. Stephani celebrant Protestantes, aliorum verò similium Sanctorum non ita, nec ubiq; æqualiter, sicut superiùs innui, pag. ad marg. 246. Vel, si Festa aliquorum celebrant, quare non invocant? cùm major res sit, præstare honorem Sanctis per celebrationem Festorũ, quàm invocare illos. Ultimatè, ad tollendum scrupulum de veneratione & invocatione Sanctorum, si aliquem Dissidentes habent ex parti-

culari populi devotione erga Sanctos, appono Univerſalis Eccleſiæ doctrinam ex Profeſſione Fidei Catholica, quæ ſic habet, *Similiter & Sanctos unà cum Chriſto regnantes, venerandos atq; invocandos eſſe, eosq; orationes pro nobis DEO offerre.* His verbis Eccleſia Catholica inſinuat omnibus Diſſidentibus, non debere illos attendere ad particulares defectus populi, ſi quos ſibi imaginantur, in veneratione Sanctorum, cùm illa ultimatè referant in DEUM, ſed debere attendere ad doctrinam Conciliorum, SS. Patrum, & antiquæ Eccleſiæ authoritatem, ſic nullam haberent difficultatem in invocatione Sanctorum, ſicut non habent Theologi Academiæ Regiomontanæ, cùm veteres approbant Liturgias, in quibus eſt Invocatio Sanctorum, ut fatetur Author Tubæ Pacis pag. 73.

Teſtimonia Centuriatorum de controverſis ſuprà dictis materiys inter Cathol. Eccleſiam Romanam & Diſſidentes; de implenda Lege Divina, de libero Arbitrio, de invocatione & veneratione Sanctorum.

An Lex impleri poſſit? ait Author Tubæ pag. 68.

Supponitur ſemper; auxiliante gratiâ Divinâ.

CEnturiatores Cent. 3. col. 240. lin. 17. de Tertulliano dicunt, *Non poneretur Lex ei, qui non habet obſequium debitum Legi in ſua poteſtate,* dicit Tertull. Et col. 365. lin. 48. de Origene dicunt, *Legis poßibilitatem aſſerit, &c.* Et Homil. 8. in Exod. *Baptizatos* (ait) *per omnia Legem poſſe implere.* Idem docent omnes SS. Patres, imò Scriptura Divina in multis locis. Ipſemet Chriſtus invitat ad Legem, ſuaviter dicens: *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Et: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis.* Et iterum: *Non auditores Legis, ſed factores Legis iuſtificabuntur.* Sed cùm Diſſidentes Legem fecerint ſervatu impoſſibilem, convolant ad illos viliſſimi transfugi, ut non ampliùs de ſervanda Lege tanquam in capitibus illorum impoſſibili cogitent, ſed ut expleant ea, quæ Eraſmus ad Unibaldum expreſſit, dicens: *Tantùm quærunt cenſum & uxorem, cætera præſtat illis Evangelium, hoc eſt, poteſtatem vivendi, ut illi volunt.* Vide etiam ex hac doctrina fructum ſuprà p. 99. & 100.

Vide reliqua ſuprà pag. 323. & ſeq.

☞

An homo habeat liberum arbitrium ad bonum ſupernaturale? ait Author Tubæ pag. 69.

Agnoscunt Centuriatores liberum Arbitrium asertum à Patribus. Cent. 2. col. 88. lin. 30. citant Auctorem apud Justinum ad q. 103. Irenæum lib. 4. cap. 92. sed more suo taxando SS. Patres dicunt. Hæc certè satis & crasè & apertè dicuntur, eodem „ modo Clemens liberum arbitrium ubiq; aserit, ut appareat, in „ ejusmodi tenebris non tantùm fuisse omnes ejus Sæculi Doctores, „ verùm etiam in posterioribus eas subindè crevisse, & auctas esse. „ Et Cent. 4. col. 29. lin. 7. dicunt: *Patres omnes ferè huius ætatis de libero Arbitrio confusè loquuntur*; & quædam dicta Lactantij, Athanasij, Basilij, Nazianzeni, Epiphanij, Hieronymi reijciunt. Hîc notanda est magna temeritas Centuriatorum. *Primò*, quòd SS. Patres & Doctores Primitivæ Ecclesiæ ausi sint reprehendere. *Secundò* ostendũt, se defendere hæresim Simonis Magi, Manichæorũ, Basilidis, Anomeorũ, Wiclephi, qui liberum arbitriũ negabant. *Tertiò* loquuntur contra ipsam experientiam, nam omnia judicia, omnes pœnæ, contra varios homicidas, raptores, fures, denotant liberum arbitrium in hominibus: deniq; hominem faciunt non tam rationis compotem, quàm potiùs truncum quasi, & stipitem, vel brutum, qui non ratione regitur, sed passione & appetitu ducitur. *Ultimò* sunt injurij Luthero, cùm sint ipsi rigidi Lutherani. Nam licèt Lutherus liberum arbitrium negando dixerit primarium Articulum & fundamentum totius suæ doctrinæ, dicebat, liberum arbitrium esse rem de solo titulo, & juxta doctrinam Wiclephi, omnia absolutâ potestate evenire. Tamen idem Lutherus aliquos ex ijsdem Articulis revocavit, quos sub pœna æternæ damnationis aserendos pronunciabat, lib. contra Bullam Leonis X. An. 20. nominatim verò Artic. 36. de libero Arbitrio revocavit in Visitatione Saxonica, ubi docet, hominem esse liberi Arbitrij in operibus Civilibus, nec omnia necessariò evenire.

Hîc patet apertus dolus. cùm dicant, se Generari antiquam Ecclesiam, & Doctores illius reprehendunt, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, ad Eph. 4.

An invocandi sint Sancti? an honorandi? quis honor tribuendus Reliquijs illorum & Imaginibus?

Fideles & Catholicos omnes antiquitùs invocâsse Sanctos, testantur Adversarij. Fulco in suo duplicato ad Bristoum pag. 5. ait: *Confiteor, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Sanctos invocare licitum esse existimâsse.* Idem contra Testam. Rhemense & in 2. Pet. 1. Sect. 3. fol. 44. ait: *In Nazianzeno, Basilio, & Chrysostomo invocatio-nis*

nis Sanctorum mentio fit. Ibidem ait: *Theodoretus orationes ad Martyres fusas commemorat.* Ibidem ait: *Leo multùm fidit precibus S. Petri pro se fusis.* Idem agnoscit Chemnicius, sed extenuat, P. 3. pag. à fine, circa An. 370. publicè in Ecclesiam introductam invocationem Sanctorum. Sed Centuriatores longè antiquiores Patres producunt: nam Cent. 3. col. 83. lin. 44. citant Origenem, dicentem, *ô Beate Job, ora pro nobis miseris.* Et col. 75. lin. 29. dicunt, *Angelos etiam Origenes invocandos putavit, hom. p. in Ezech.* Col. 84. lin. 22. ajunt: *Certè in fine prioris Epistolæ lib. 1. non obscurè sentit Cyprianus, Martyres, & Sanctos defunctos pro viventibus orare.* Et col. 83. lin. 47. dicunt: *Videas in Doctorum huius Sæculi Scriptis non obscura vestigia invocationis Sanctorum.* Cent. 4. col. 295. citant pro eadem re Athanasium de Incarnatione Verbi. Citant quoq; Basilium Orat. in 40. Martyres, Nazianzenum in fine Orat. in laudem Basilij, & in S. Cyprian. Col. 297. afferunt Prudentium in Hymnis, S. Laurent. & de 18. Martyribus, Cesaraug. & de S. Cassiano, Ephrem de Compunct. Cordis 1. cap. 13. & eundem col. 1009. & sequ. citant, qui in Orat. de laudibus MARIÆ eam peccantium, & auxilio destitutorum adjutricem vocat. Et posteà: *Sub alis tuis custodi me, & protege me, & miserere mei.* Cent. 5. col. 510. citant Augustin. & Chrysost. Col. 412. citant Leonem Serm. 1. de Jejunio 7. Mensis, Theodoretum lib. 8. de Martyr. & col. 674. citant iterũ S. August.

Ecclesia antiqua nempè 370 est inVocatio Sanctorũ, quã pro Vera agnoscunt Dissid.
Origenes floruit An. 240
floruit An. 340
An. 380

Quantùm ad Festa Domini Nostri JESU Christi, Beatæ Virg. & Sanctorum, Cent. 2. col. 118. ex Historia Rom. Eccles. probant, celebrata esse Festa Epiphaniæ, Dominicæ in Albis, Natalitia Apostolorum. Cent. 3. col. 136. meminit Vigiliarum Paschæ, Euseb. & Tertull. indicat, totam noctem, diem Paschæ præcedentem, fuisse solemnem. Idem Pentecostes meminit, & diei Dominicæ, & Annuæ diei pro defunctis oblationum, pro Natalitijs celebriores festivitates Christianis fuisse, indicat Origenes, diem Dominicam, Parasceven, Paschæ, & Pentecosten. Meminit etiam Festivitatis in memorijs Sanctorum, sicut & Cyprianus. Cent. 4. col. 451. citant
" Athanasiũ pro Festo Annunciationis. Festum hoc (inquit) unum
" est ex Dominicis Festis, adeò primarium, ac prorsùs venerandũ,
" Martyrum Festivitates in omnibus penè hoc Sæculo Ecclesijs so-
" lemnes fuisse videntur. Sic Juventio & Maximiniano pro certa-
" mine de veritate pretiosa monumenta Antiochena statuit, eo-
" rumq; memoriam annuis Festis revolvit, ut Theodoretus indicat.
" Basili-

Baſilius reprehendit quosdam, qui in Martyrum Feſtivitatibus „ negociationes exercebant. Pro Encænijs citant Nazianz. dicente, „ Nazianzenus inquit, ut Encænia honorentur, vetuſta lex eſt. Pro „ Martyribus 2. Cent. col. 119. ſcribunt ex Euſeb. Reliquias Po- „ lycarpi conditas, & cum exultatione & gaudio Natalem Martyris „ celebratum monſtrant. „

Pro hæretico habent Vigilantium adverſarij, quòd invocationem Sanctorum, Reliquiarum cultum, & alias Ceremonias Scriptis impugnavit. Cent. 4. col. 1250. lin. 45. Oſiander in Epit. Cent. 4. l. 4. pag. 506. item Cent. 4. col. 419. ex Ruffino lib. 2. cap. 33. referunt, Theodoſium ante Martyrum & Apoſtolorum thecas fu- „ iſſe proſtratum; earumq; Reliquiarum Translationes recenſent „ Cent. 4. col. 457. & Cent. 5. col. 698. Chemnitius in Exam. P. 4. pag. 10. ait: Ex Translationibus mox ſecutæ fuerunt circumge- „ ſtationes Reliquiarum, ut apud Hieron. & Auguſtin. &c. Bullin- „ gerus miracula in Reliquijs facta, agnoſcit ex Hieronymo, dicente, *Ad Sanctas Andreæ Reliquias rugiunt dæmones.* Wittakerus contra Duræum lib. 10. pag. 866. ait: *Non ea miracula vana iudico, quæ ad Sanctorum monumenta facta referuntur.* Foxius in Act. impreſſis A. 1576. p. 61. B. *Ceßavit idolum Oracula fundere, dicens, ſe ob Babylæ Martyris Corpus præſens reſponſa dare nolle.* Lutherus in purgat. quorund. Artic. ait: *Quis contradicere valet ijs, quæ DEUS usq; hodiè ad Divorum Sepulchra viſibiliter & miraculosè operatur.* Undè fateri debent adverſarij, quòd tempore Lutheri fuerunt miracula in Eccleſia Cathol. Romana, ſi volunt, Lutherum non eſſe ſuſpectum de veritate, & alios ſuprà citatos, Bulling. Wittak. & Chemnic. quibus magnam contumeliam inferunt, ſi miracula negabunt, quæ illi ſuo tempore affirmant, pro quibus Centuriat. Cent. 4. col. 457. l. 37. ſic dicunt: *Si Ambroſio credimus, ægri, qui veſtes Sanctorum manu contigiſſent, obſeſſi liberabantur.* Et Chemnicius Auguſtinum citat. P. 4. pag. 10. Altaria cum Martyrum Reliquijs conſecrari ſcribunt, Cent. 5. col. 829. Patres Concilij V. Carthaginenſis, (ajunt) cui „ præfuit Auguſtinus, Canonem hunc recitârunt: Baſilicæ, quæ ſi- „ ne Martyrum Reliquijs dedicatæ ſunt, evertantur. Centuriato- „ res Cent. 4. col. 457. l. 57. idem de Antiquitate affirmant. Et Oſiander Cent. 4. pag. 393. poſt medium. Cent. 4. col. 458. Helenam dicunt profectam Hieroſolymam adorandi causâ, & repertâ Cruce, duo Templa extruxiſſe, unum propè antrum Dominicæ Nativi-

NB.

communiter dicunt Dißidentes, miracula pridem ceſsâſſe in Eccleſ. ſed non adverterunt, qualem injuriam faciant Luthero, Wittaker. Bulling. Chemnic. cùm illos mendacij arguant, nam illi ſuo tempore miracula agnoverũt

civitatis, alterum in monte Oliveti, & Constantinum in loco Cranij Templum extruxisse. Vide Authorem Tubæ pag. 71. & 72. ubi multis documentis, tum S. Scripturæ, tum SS. Patrum, probat invocationem Sanctorum, pro qua adducit Lutherum de Præpar. ad Mortem, & Epist. ad Erphord. & in Festo S. Joan. Bapt. Oecolampad. ad Orat. Chrysost. de Juven. & Maxim. Mart. Bucerum, & alios Protestantes ibidem. Et pag. 73. sic concludit: *Theologi nostri in academ. Regiomontana Liturgias veteres approbant, in quibus est invocatio Sanctorum* Nota Lector, Liturgias veteres vocant, in quibus est invocatio Sanctorum. Si approbant Theologi Academiæ Regiomont. Liturgias veteres, in quibus est invocatio Sanctorum, quare illam publicè non exercent? Dicam sinè omni respectu, prout se res habet, pro illuminatione & fructu multorum. Ideò non invocant Sanctos publicè, licèt invocationem Sanctorum approbant, quia Lutherus & Calvinus illam cum antiquis hæreticis negârunt, ut superiùs patuit, quod si adverterent seducti iniquè factum, plures redirent ad Ecclesiam Cathol. Romanam, si, inquam, adverterent, quòd per invocationem Sanctorum finxerint, contumeliam fieri Christo, ubi est summus honor illius, quando cum Sanctis peccatores, & per Sanctos, accedimus ad Christum, & adhibemus nostros comprecatores ad illum, quod benè adverterunt Theologi Regiomontani, ut Dreierus, Ministerium Tripolit. Bernardus à Sanden (ait Author Tubæ pag. 73.) nullam fieri injuriam Christo. Mirabile est, quòd nec Concilia antiquæ Ecclesiæ, ut Ephesinum & Chalcedonense, & alia, nec Sancti Patres ferè omnes, 200. 300. 400. 500. annorum, hanc adverterent contumeliam fieri Christo; sed Manichæus, Julianus Apostata, Vigilantius, Wiclephus, Lutherus, Calvinus, perspicaciores nacti sunt oculos, ad videndam hanc fictam contumeliam.

Vel si hæc non placet ratio, dicant aliam, ut intellectus prudentium etiam Dissidentium acquiescăt, qui de hac re quærent, quare approbatam invocationem SS. publicè non exercent.

De Imaginibus jam suprà dictum est pag. 393. modò de S. Cruce, quæ est Imago Crucifixi, quid dicant Centuriatores & Dissidentes, audiamus.

Signum Crucis, tanquam triumphale Signum habitum, eoquè Signo communiri Fideles, ostendunt Centuriatores. Cent. 3. col. 141. Origenem citant & Tertull. lib. de Corona Militis. Cent. 4. col. 302. citant S. Ambros. de obitu Theod. Prudentium in Hymn.

ante

ante ſomnum. Pruritani virtutes aliquas tribuunt Cruci in certo Tractatu de Signo Crucis, edito Amſtelodami per J. H. 1604. p. 21. his verbis: *Patres nobis Crucem tradiderunt, tanquam virtutem habentem non modò nos benedicendi, ut cùm de facto nos eâdem ſignamus, ſed & dæmones pellendi, & ſ per benedicta conſecrandi*, ad quod roborandum referunt dicta Tertulliani, Hieron. Lactant. Cypriani, Auguſt. Utinam & cætera, admiſſo jam hoc uno principio Traditionis Patrum de S. Cruce, alia ſuſcipiant Diſſidentes, de quibus ſimiliter ijdem Patres, idq; ultra hos plures teſtantur de alijs controverſis materijs inter Eccleſiam Cathol. Romanam & Diſſidentes. Prout optimum medium indagandi veritatem, & cognoſcendi Orthodoxam ſententiam inter tot hæreſes, Chriſtian. Dreierus, Summas (ut ipſum vocat Author Tubæ) Theologorum in Pruſſia, porrexit Orat. de Orthodoxia, vide ſuprà pag. 211. & ſeq. & pag. 239. & ſeq.

Diſcurſus Authoris Cap. XIV.

Pag. 73.

Quæritur: An ſint duo vel ſeptem Sacramenta?

AN non talis Conciliatio valeret? Eſſe duo Sacramenta, Baptiſmum & Euchariſtiam; quorum videlicet uno prima inchoativè, altero cœpta principaliter datur vita gratiæ. Nam in Baptiſmo certum eſt, primam dari homini gratiam: ab illo enim incipit juſtitia noſtra. In Euchariſtia verò datur vita jam per Baptiſmum cœpta principaliter & per excellentiam, quia in ipſo fonte Chriſto Domino. Dari tamen & cætera quinq; Sacramenta, quibus vita gratiæ ſecunda, & quoad melius perfectiusvè eſſe conceditur. Nam Pœnitentia à SS. Patribus vocatur *ſecunda poſt naufragium tabula, quia amiſſa per illam gratia reparatur*. Reliqua etiam ſpectant ad perfectius hominis in gratia DEI conſtituti, eſſe, illis namq; cœpta gratia augetur. Ad Marg. ait Author: SS. Patres, inprimis Auguſtinus, Baptiſmum & Euchariſtiam pro Sacramento agnoſcit, Confirmationem lib. 2. contra Liter. Petilian. c. 104. & Pœnitentiam l. 5. de Baptiſm. cap. 20. Confirmat Ambroſ. lib. 1. de Pœnit. cap. 7. Ordinem lib. 2. contra Epiſt. Parmen. cap. 13. Matrimonium lib. de bono Conjug. cap. 18. Extremam Unctionem agnoſcit Innocentius I, in Epiſt. 1. ad Decenn. & Bernard. in Vita S. Malachiæ. Con-

cilium Trident. Sess. 7. ait: *Per septem Sacramenta omnia, vera iustitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.* Adducit Author Calixtum in Respons. ad Moguntin. num. 129. dicentem: *Si explicitè vobis credere lubet, diversam Baptismo Joannis & Baptismo Christi vim fuisse, aut septem Sacramenta, nemo vos propterea damnabit.* Pergit Author: Præter duo Sacramenta, Baptismum & Cænam Domini, adhuc alia esse, & dici posse Sacramenta, patet ex Apolog. Confess. August. p. m. 200. item ex Exam. Chemnic. P. 2. de Sacram. p. m. 12. & in LL. de Sacramentis p. m. 156.

Discursus Theolog.

De Septem Sacramentis.

DIssidentes mirâ inter se pugnant discordiâ de numero Sacramentorum, quibus dedit occasionem Lutherus, nam libro de Captiv. Babil in libello An. 20. edito dicit, tantùm unum esse Sacramentum; sed nullum habuit sectatorem: Omnes enim alij plura ponunt Sacramenta, vel pauciora, diversa tamen. Ibidem dicit, neganda esse septem Sacramenta, & tria pro tempore ponenda, Baptismus, Cæna, & Pœnitentia. In fine libri dicit: *Si rigidè loqui velimus, duo esse Sacramenta, Baptismum & Panem.* In medio libri cap. de Confirmat. dicit, se non damnare septem Sacramenta. Tom. 6. Wittemb. An. 1562. lib. de Capt. Babil. fol. 84. obijcit sibi de numero Sacramentorum, & ait: *At dices, quid ad Dionysium dices, qui sex enumerat Sacramenta?* ℟. *Scio, hunc solum haberi ex antiquis pro septenario numero Sacramentorum.* Chemnic. in 2. Parte Examinis fatetur, S. Augustinum de numero quinq; Sacramentorū fecisse mentionem; at S. Augustinus septem enumerat Sacramenta, ut inferiùs patebit. Eandem septem Sacramentorum confessionem haberi, clarè ostendit Pamelius in Notis ad Tertull. de Præscr. Zwinglius in libro de vera & falsa Religione, cap. de Sacramentis, duo esse docet Sacramenta, Baptismum & Cænam: tamen cap. de Matrim. addit etiam Matrimonium. Calvinus tria agnoscit Sacramenta, sed non eadem cum Luthero & Zwinglio, nam vult Baptismum, Cænam, & Ordinationem. Et lib. 4. Instit. cap. 14. §. 20. Ordinationem inter vera Sacramenta numerat, quam Lutherus pro Sacramento non agnoscit. Alia sententia composita ex Lutheranismo

Vixit An. 80

niſmo & Calviniſmo, & alijs, qui quatuor Sacramenta recipiunt, Baptiſmum, Cœnam, Pœnitentiam, & Ordinationem. Hæc eſt Philippi Melancht. ſententia, qui licèt cum Luthero primò poſuerat duo tantùm Sacramenta, & poſteà tria, tamen in Locis editis A. 36. & 52. & 58. quæ fuit ultima editio illius, hæc verba habet in Cap. de Num. Sacramentorum: *Mihi maximè placet, etiam addi Ordinationem*; ac in toto Capite fusè probat, Ordinationem eſſe Sacramentum, quam Lutherus nunquam agnovit pro Sacramento. Alia opinio compoſita ex Lutheraniſmo, Calviniſmo, & Zwinglianiſmo, non apertè, ſed obſcurè fuit Melanchtonis: nam in Locis ultimò editis An. 58. licèt quatuor tantùm agnoſcat Sacramenta, tamen propendebat maximè ad quintum, id eſt ad Matrimonium; cum Zwinglio fatetur enim, Matrimonium eſſe ſignum rei Sacræ, & habere mandatum Divinum annexam promiſſionem. Alia, & ultima opinio, ſeptem eſſe Sacramenta, eſt aliquorum Lutheranorum, quibus placuit, quòd Lutherus initiò dixerit, ſe non damnare ſeptẽ Sacramenta, licèt ibidem dixerit, ſe negare ſeptem Sacramenta. Neque de iſta diſcordia inter Lutheranos ullum eſt dubiũ. Nam Chemnicius Parte 2. Exam. de Sacrament. natura & poteſtate diſputans, ſummam inter ſuos, id eſt Lutheri poſteros ac diſcipulos, diſcordiam fatetur, ſicut è contrà Calvinus veritatem de Sacramentis Eccleſiæ confitetur, dum lib 4. Inſtit. cap. 14. §. 14. ait: *Magno conſenſu Sophiſticæ Scholæ* (Catholicos appellat) *tradiderunt, Sacramenta Novæ Legis iuſtificare & conferre gratiam, modò non ponamus obicem peccati mortalis.* Sleidanus lib. 20. Hiſt. ait, biennio poſt mortem Lutheri, An. 48. in quodam Lipſienſi Conventu determinatum fuiſſe, Confirmationem & Extremam Unctionem eſſe ritus conferentes gratiam, adeò ſeptem Sacramenta recipienda eſſe. In hoc Conventu interfuiſſe multos Theologos Wittemberg. & Lipſienſes, & cum illis Melanchtonem, ac tum primùm cœpiſſe hos molles Lutheranos appellari, ſcribit Surius in ſua Hiſtoria An. 1548. pag. 442. & ſequ. ubi advertendum, quibus odijs adinvicem ſeipſos perſecuti ſunt. Et pag. 444. Illyricus Melanchtoni impingit, quòd Confeſſionem Auguſtan. non ſemel mutaverit, & libros Lutheri adulteraverit. Item in Præfat. Cent. 7. non dubitat, vocare Hæreticos Principes mollium Lutheranorum. Ex his colligendum, miram fuiſſe inconſtantiam in re graviſſima Lutheri & Melanchtonis, Primorum Capitum, nec poſſe habere veram Eccleſiam, cùm Notam illius aſſignant Admini-

Vidiſtis, & fortè jam intellexiſtis hæc Sophiſmata, nempè cùm Veritas Catholica oſtenditur per unitatem, & fraudes hæreticæ magis apparent per diſcordiam.

ministrationem Sacramentorum, de quorum numero hucusque ignorant, nec inter se conveniunt, nec diù durare potuisse illorum doctrinam, sed in minutissima scindi debuisse Schismata & Sectas, prout experimur, de quibus prædixit sibi & suis Sequacibus Lutherus, ad aliorum cautellam & informationem, qui perire nolunt, vide suprà pag. 90. versum 2. & vers. 6. quomodo mirè depinxit modernum statum suorum, & Calvini Sequacium.

Sententia Catholica docet constanter cum Concilijs & SS. Patribus, dari Septem Sacramenta Novæ Legis, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ordinem, Extremam Unctionem, Matrimonium. Hic septenarius numerus Sacramentorum fundatur in perpetua Traditione Ecclesiæ, suadente Apostolo: *Tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Hîc maximè habet locum auctoritas Vincentij Lirin. qui in suo Commun. advers. Hæres. in Præfat. Cap. 1. ait: *Quòd si quis vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosq; vitare, & in fide sana sanus atq; integer permanere, duplici modo munire fidem suam Domino adiuvante debet.* Hæc verò Ecclesiastica Traditio de Sacramentis fundatur in S. Scriptura, Concilijs, & antiquorum Patrum Ecclesiæ testimonijs comprobatur. Quòd si Diffidentes clarum textum requirant à Catholicis S. Scripturæ de 7. Sacramentis, ultra illũ quem adferunt Cathol. Doctores, adferant illi clariorem Scripturam de duobus, vel tribus, vel quinque. quæ asserunt, undè illa habeant, si non admittant ultra Scripturam Traditiones, Concilia, & Sanctos Patres. Hunc septenarium numerum agnoscit Ecclesia Græca, ut patet ex Censura Confessionis Augustanæ à Jerem. Patriar. Constantinop. cap. 7. dum ait: *In ea item Cathol. Ecclesia septem Divina Sacramenta esse, Baptismum, Sacri unguenti Unctionem, Sacram Communionem, Ordinem, Matrimonium, Pœnitentiam, Extremam Unctionẽ.* Videamus SS. PP. quid ipsi dicant de Sacram. S. Augustinus de Baptismo & Eucharistia lib. 3. de doctr. Christ. cap. 9. ait: *Pauca pro multis, eademq; factu facillima, & intellectu augustissima, & conservatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio Corporis & Sanguinis Domini.* Idem Conc. 1. in Psal. 103. *Respice ad munera ipsius Ecclesiæ. Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris Sacramentis, quale munus est?*

2 ad Thessal. 2

Vide suprà pag. 40 post mediũ.

☞ *plura enumerat quam duo.*

Discur-

Discursus Theol.

De Sacramento Confirmationis.

SAcramentum Confirmationis negavit primò Novatianus Hæreticus, teste Theodoreto lib. 3. de Fab. Hæret. dum ait: *Novatiani Pœnitentiam à suo conventu arcent penitùs & ijs, qui ab ipsis tinguntur, Sacrum Chrisma non præbent, quocirca eos, qui ex hac hæresi Corpori Ecclesiæ coniunguntur, Benedicti Patres ungi iusserunt.* Cur autem Novatianus rejecerit hoc Sacramentum, causa non fuit nec ratio convincens, aut Scripturæ testimonium evidens, sed quia ipse Novatianus, ut scribit ex Cornelio Papa Eusebius lib. 6. Hist. cap. 33. in lecto decumbens baptizatus fuit, sinè consuetis Ecclesiæ ceremonijs, nec posteà adimpleri curavit quæ omissa fuerant, nec signaculo Spiritûs Sancti confirmatus fuit, ob quæ cùm male audiret apud omnes, hoc remedium excogitavit, ut negaret, Chrismate inungi oportere homines post Baptismum. Donatistas etiam contumeliosos fuisse in Sanctum Chrisma, scribit Optatus lib. 2. contra Parmen. & probabile, eos hoc Sacramentum contempsisse, cùm ejecerint Chrisma cum ampula per fenestram, ut etiam & Ariani, & alij multi Hæretici reijciebant Sanctum Chrisma, cùm ad Ecclesiam venientes jubebantur Sacro Chrismate inungi. Wiclefus etiam in 4. lib. Trialog. cap. 14. etsi non omninò videatur hoc Sacramentum respuisse, in alio verò libro unctionem Chrismatis apertè reijcit, ut communiter faciunt Hæretici, & concedunt, & negant. Alij videndi sunt recentiores hæretici apud Catholicos Authores, quomodo miras fraudes excogitant circa hoc Sacramentum.

Probatur Catholica Sententia authoritate SS. Romanorum Pontificum & Inclytorum Martyrum. Primus sit S. Clemens Romanus. vide lib. 3. Constit. cap. 10. 16. 17. & lib. 7. cap. 44. Secundus, S. Urbanus in Epist. Decret. ait: *Omnes fideles per manuum* Vixit An. 204
impositionem Episcoporum Spiritum S. post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur. Tertius, S. Fabianus in Epist. ad Episc. Vixit A. 237
Orientales ait: *Sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de Anno in Annum renovanda, & fidelibus tradenda, quia* ☞
novum Sacramentum est, &c. ista à SS. Apostolis & eorum Successoribus accepimus, vobisq; tenenda mandamus. Quartus, S. Cornelius in E- Vixit A. 258
pist. ad Fab. Antioch. apud Euseb. lib. 6. Hist. cap. 33. ait: *Non*

 fuit

fuit signaculo Chrismatis consummatus, unde nec Spiritum S. potuit promereri. Quintus, S. Melchiades in Epist. ad Episc. Hispan. interrogatus, utrum majus Sacramentum esset Baptismus an Confirmatio? respondit: *De his verò, super quibus rogitastis vos informari, id est, utrum majus esset Sacramentum, manûs impositio Episcoporum, aut Baptismus? Scitote, utrumq; magnum esse Sacramentum.* Ibidem post pauca ait: *Spiritus Sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte tribuit plenitudinem, tribuit ad innocentiam in Confirmatione, augmentum præstat ad gratiam, & quia in hoc mundo totâ ætate victuris inter invisibiles hostes & pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam, in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. At si continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia*; & addit, Confirmationem in eo præstare Baptismo, quòd solùm ab Episcopis confertur, ubi apertè docet, Confirmationem esse verè & propriè dictum Sacramentum. Sextus, S. Eusebius Papa in Epist. 3. ait: *Manus impositionis Sacramentum magnâ veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à Summis Sacerdotibus*; & probat ex Actis Apost. Septimus, S. Innocentius I. in Epist. ad Decenn. cap. 3. ait: *Presbyteros Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, qui tradunt Spiritum S. Paracletum*; & adducit exemplum Act. 8. ubi apertè distinguit Episcopalem Confirmationem, quâ tradi dicit Spiritum S. ac proinde Sacramentum esse ab Unctione, quæ fit in Baptismo, quæ non est Sacramentum, sed quid Sacramentale, ac prætereà ab Apostolorum doctrina hoc descendere. Octavus, S. Damasus, vide Epist. ejus 4. Nonus, S. Leo Epist. 86. aliàs 88. Decimus, Joannes III. Epist. ad Episcopos German. Undecimus, S. Gregorius, qui lib. 3. Epist. 9. monet, ne Presbyteri signare audeant Chrismate baptizatos in fronte, cùm ad Episcopi munus id pertineat. Et in Caput 1. Cant. in illud, *In vineis Engaddi* ait: *Balsamum nascitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione Chrisma efficitur, quo dona Spiritûs Sancti exprimuntur.*

Vixit A. 310 · Vixit A. 309 · Vixit A. 402

Probatur magis veritas Catholica authoritate Conciliorum Primitivæ Ecclesiæ. Primum, Concilium Elibertinum sub S. Marcello Papa & Mart. Can. 38. postquam dixerat, posse Laicum in necessitate baptizare, ait: *Si supervixerit, ad Episcopum eum perducat,*

celebratum Ann. 304

ut

ut per manûs impositionem perfici possit. Idem infrà Can. 77. jubet Diacono, ut si aliquos baptizaverit Episcopus, eos per benedictionem perficere debebit. Secundum, Arelatense I. tempore S. Sylvestri Can. 8. jubet, hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus, si baptizati fuerint in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, non iterum tradi Baptismum, sed manus ab Episcopo imponi, ut accipiant Spiritū S. quia nimirùm hæretici Baptismum dare solebant, non autem Confirmationem. Tertium, Laodicenum. ubi Can. 7. jubentur Novatiani Sacrosancto ungi Chrismate, his verbis: *Nostra doceantur Fidei Symbolum, & uncti Sancto Chrismate sic mysterijs communicent Sacrosanctis.* Et Can. 48. ait: *Oportet baptizatos Sacratissimum Chrisma percipere, & Cœlestis Regni participes fieri.* In Concilio Carthaginensi III. cap. 36. cavetur, ne Presbyteri, sed soli Episcopi Sacrū Chrisma conficiant. Item in Concilio Carthag. IV. cap. 36. moneantur Presbyteri, qui per Diœceses Ecclesias regunt, ut non ab „ alijs, sed à suis Episcopis, nec per juniorem, sed per se ipsum, vel „ qui Sacrarium tenet, ante Paschæ solennitatem Sacrum Chrisma „ petant. Hîc considerandа ab antiquo reverentia Sacri Chrismatis. „ In Concilio Toletano I. idem cavetur cap. 20. ut soli Episcopi Sacrum Chrisma conficiant. Idem statuitur in Concilio Antisiodorensi Canone 6. & reverentia portantibus præcipitur, sicut Reliquiis Sanctorum. Idem constitutum fuit & in Bracarensi, ne quis præter Episcopum Sacrum Chrisma consecrare auderet. His accedant Concilia Generalia, Constantinopolitanum Generale II. Can. 7. ait: *Signatos sive unctos primùm Sancto Chrismate, &c. & eos signantes dicimus signaculum doni Spiritûs Sancti.* Florentinum Generale in Instruct. Armænorum, Tridentinum Sess. 7. Can. 1. de Confirmat.

celebratum An. 314.

celebr. A. 320

celebr. A. 397

celebr. A. 398

celebr. A. 400

celebr. A. 590

Reverentia S. Chrismatis.

quod Generari se dicunt Lutherani & Calvinistæ.

Discursus Theolog.

In quo Sacramentum Confirmationis magis probatur ex SS. Patribus Latinis & Græcis.

TErtullianus lib. de Resurrect. carnis ait: *Caro ungitur, ut anima consecretur; Caro signatur, ut anima uniatur; Caro manûs impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur. &c. Caro abluitur, ut anima emaculetur. &c. Caro Corpore Christi vescitur, ut anima de DEO saginetur.* Idem in lib. contra Marcion. iterum conjungit Olei uncti-

Signum S. Crucis.

unctionem cum aqua Baptismi & pane Eucharistiæ. Deniq; in lib. de Bapt. ait: *Exindè egressi de lavacro, perungimur benedictâ unctione.* Et paulò pòst: *In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit.* Et iterum: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum.* S. Cyprianus lib. 1. Epist. ult. *Ungi quoq; necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate esse unctus DEI, & habere in se gratiam possit.* Et lib. 2. Epist. 1. *Tunc demùm plenè sanctificari & esse filij DEI possunt, si Sacramento utroq; nascantur, id est, Baptismo & Confirmatione.* Idem Epist. ad Julianũ: *Nunc quoq; apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, per Præpositos Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem & manûs impositionem Spiritum S. consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Eusebius Emisenus Serm. de Pentec. ait: *Ergo Spiritus S. qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam.* Prudentius cùm pugnam Luxuriæ & Sobrietatis describit, ait: *Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ unguentum Regale datum est, & Chrisma perenne.* Et in Hymno ante somnum: *Te Fontis & Lavacri rorem sulijsse Sanctum, Te Chrismate innotatum.* Pacianus lib. de Baptismo: *Lavacro peccata purgantur, Chrismate S. Spiritus superinfunditur, utraq; verò ista manu & ore Antistitis impetramus.* Idem in Epist. ad Sympron. Novat. *Si ergo & Lavacri & Chrismatis potestas maiorum longè charismatum ad Episcopos indè* (ex Apostolorum forma) *descendit, & ligandi quoq; ius adfuit atq; solvendi.* Idem in Epist. 2. *Vestræ plebi undè Spiritus, quam non consignat unctus Sacerdos.* S. Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. ait: *In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Ex quo patet, S. Augustinum Confirmationem ita velle propriè esse Sacramentum, sicut est Baptismus. Idem Tract. 3. in Epist. Joan. *Unctio Spiritualis ipse Spiritus S. est, cuius Sacramentum est in unctione visibili.* S. Ambrosius lib. 7. de ijs, qui initiantur mysterijs, & lib. 2. de Sacram. cap. 2. Confirmationem vocat *Spirituale Signaculum.*

☞ *Confirmationem æquiparat Baptismo S. Aug.*

Probatur magis ex Græcis SS. Patribus Sacramentum Confirmationis.

S. Dionysius Areopag. de Eccles. Hierar. cap. 2. p. 2 ait: *Baptizatum indutum albâ veste, ad Pontificem ducunt, ille Divino ac Deifico*

fico prorsùs unguento virum signat. Et par. 3. *Perficiens illa unctio facit perfectum.* Et cap. 4. p. 3. *Sed & ipsi, qui Sacratissimo regenerationis mysterio consecrantur, adventum Spiritûs S. consummans, unguenti inunctio elargitur.* Hîc vides effectum Sacramenti propriè dicti. Justinus q. 137. *Orthodoxorum scribit peractis mysteriis Baptismi consignari fideles sacro unguento.* Origenes Homil. 8. in Levit. ait: *Sic ergo conversis à peccato purificatio quidem per illa omnia datur, quæ superiùs diximus, donum autem gratiæ Spiritûs per Olei imaginem designatur, ut non solùm purgationem consequi possit is, qui convertitur à peccato, sed & Spiritu S. repleri.* Et Hom. 9. *Omnes quicunq; unguento Sacri Chrismatis delibuti sunt, Sacerdotes effecti sunt, sicut & Petrus ad omnem Ecclesiam dicit: Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium.* Cyrillus Hierosolymit. ex quinq; Catechef. Mista. 1. & 2. scripsit de Bapt. & Sacramento Confirmationis 4. & 5. de Eucharistia, undè apparet, habuisse Confirmationem pro Sacramento, quando illam in numero ponit cum Baptismo & Eucharistia. Et Catechef. 3. sic ait: *Quemadmodum Panis Eucharistiæ post S. Spiritûs invocationem non ampliùs est panis communis, sed est Corpus Christi: sic & Sanctum hoc unguentum non ampliùs est unguentum nudum, postquam iam consecratum sit, sed est Chrisma Christi, quod adventu Spiritûs S. per ipsius Divinitatem energiam habet, quo frons & alii sensus tui symbolicè inunguntur, & corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima verò Sancto ac vivifico Spiritu sanctificatur.* Nota, conferri hîc Chrisma cum Eucharistia, quod argumentum est, utrumq; esse propriè Sacramentum. Gregor. Nazianz. Orat. in S. Lavacrũ ait: *At si tu per Baptismum teipsum obfirmaveris, ac præclarissimo & firmissimo auxilio tibi in futurum caveris, animum scilicet & corpus unctione & Spiritu consignans.* Quare autem Lutherani & Calvinistæ reijciunt Sanctum Chrismatis Sacramentum, dicam ut se res habet: Quia non habent legitimos Episcopos, qui nec conficere, nec conferre ritè hoc Sacramentum possunt. Contendunt enim, unum esse Episcopum & Presbyterum. Sed hæc dicere, est pugnare contra Solem, ut doctissimè probat doctissimus & versatissimus in materia dogmatica Christianus Helwich, in suo Libro Vratislaviæ 1697. impresso, in quo ad oculũ ostendit, testimonio Primitivæ Ecclesiæ Latinæ & Græcæ, hunc gravem esse errorem, de quo pag. 290 sic ait: *Si verò ex mandato DEI Presbyteri ab Episcopis ordinantur, ut ipsi scil. Lutherani in Formula citata pag. 532. apud Seckendorf confitentur:*

tur: Quicunq; alijs quàm Episcopis ius hoc tribuunt, DEI mandatum transgrediuntur, & ij qui præter Episcopos hoc sibi ius arrogant, non tantùm graviter peccant, ut prævaricatores Divini mandati, sed & actus eorum planè irritus est, nec consequitur debitus Ordinationis effectus, ad speciem Ordinationis peragi in cœtibus Protestantium solita. Et nescio, an non malæ causæ indicium sit, quòd Lutherani apud Imperij Ordines egerint, ut ab Episcopis Misnensi & Naumburgensi ordinarentur Ministri, & Bohemi obrepserint ad Ordinationes Episcoporum Catholicorum. Hucusq; verba doctissimi Christiani Helwich, qui in Libro suo evidentissimè demonstrat, ut suprà, quòd Presbyteri destituantur facultate ordinandi alios Presbyteros, undè videant, quare Sacramentum Confirmationis rejecerint, cùm illud nec habeant, nec conferre possunt. Et si non credunt Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, quærant ex Ecclesia Græca, si aliquando per tot Sæcula ordinavit Presbyter Presbyterum.

Discursus Theolog.

De Sacramento Pœnitentiæ.

S. Augustinus lib. 1. de adulterinis Conjugijs cap. 26. & 28. *Eadem est causa Baptismi & reconciliationis, sinè quibus Sacramentis homines credunt, se non debere exire de corpore.* Idem Epist. 108. ad "Honoratum: Quantus in Ecclesia fieri solet ab utroq; sexu, atq; "ab omni ætate concursus, alijs Baptismum flagitantibus, alijs re-"conciliationem. Idem inferiùs: Si ministri adsint, alij baptizan-"tur, alij reconciliantur, nulli Dominici Corporis communione "fraudantur. Idem in illa verba Psalm. 146. *Qui alligat contritio-"nem illorum,* ait: Quæ sunt ista alligamenta? Temporalia Sacra-"menta alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ. S. Chry-"sostomus lib. 3. de Sacerd. ait: Nostris Sacerdotibus non corporis "lepram, sed animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purga-"re, prorsùs concessum est. Et passim Pœnitentia à SS. Patribus vocatur secunda post naufragium tabula, quia amissa per illam gratia reparatur. Hoc etiam refert Author Tubæ pag. 73. Hoc Sacramentum Pœnitentiæ instituit Christus, præcipuè cùm post Resurrectionem insufflavit in Discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueri-"tis, retenta sunt.* Quo tam insigni facto (ait Concil. Trid. Sess. 14. "cap.

Ioan. 20 Insufflatio cæremonia Christi & plures alia

cap. I.) & verbis tam perspicuis potestatem remittendi, & reti- ,,
nendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, ,,
Apostolis, & eorū legitimis Successoribus fuisse communicatam, ,,
universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos ,,
remittendi potestatem olim pertinaciter negantes magnâ ratione ,,
EcclesiaCatholica tanquam hæreticos explosit atq; condemnavit. ,,
Hucusq; Concilium Trident. Hæc Pœnitentia in multis locis suade-
tur in S. Scriptura: ut Jóel. 8. Convertimini ad me in toto corde ,,
vestro, in jejunio, in fletu, in planctu, & scindite corda vestra. ,,
Ezech. 18. Numquid voluntatis meæ est mors impij, & non ut ,,
convertatur à vijs suis, & vivat. Ac paulò pòst: Convertimini, & ,,
agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit ,, NB.
vobis in ruinam iniquitas. Projicite à vobis omnes prævaricatio- ,,
nes vestras, in quibus prævaricati estis, &c. quia nolo mortem ,,
morientis, dicit Dominus DEUS, revertimini, & vivite. Ninivi- ,,
tis etiam DEUS pepercit propter Pœnitentiam, Jonæ 3. Et ipse
Christus Luc. 3. Facite ergo dignos fructus Pœnitentiæ. Et ibid. ,,
15. ait Christus: Dico autem vobis, quòd ita gaudium erit in Cœ- ,,
lis super uno peccatore Pœnitentiam agente, quàm super nona- ,,
ginta novem justis, qui non indigent Pœnitentiâ. Matth. 4. Cæ- ,,
pit JESUS prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropin- ,,
quavit enim Regnum Cœlorum. Idem de Joan. Bapt. Matth. 3. ,,
legimus: Venit Joannes Bapt. prædicans, &c. Pœnitentiam agi- ,,
te, appropinquavit enim Regnum Cœlorum. Et ipse Christus de ,,
S. Joanne Matth. 11. ait: A diebus Joannis Baptistæ usque nunc ,,
Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Et in- ,,
feriùs: Væ tibi Corozain! væ tibi Bethsaida! quia si in Tyro & ,,
Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cili- ,,
cio & cinere Pœnitentiam egissent, verùm tamen dico vobis, Tyro ,,
& Sydoni remissiùs erit in die Judicij, quàm vobis. Et tu Caphar- ,,
naum, &c. quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ ,,
sunt in te, fortè mansissent usq; in diem hanc; acsi diceret Chri- ,,
stus, si Pœnitentiam egissent, Pœnitentia illos conservâsset, ne perirent. Et Marci 1. *Pœnitemini, & credite Evangelio.*

alibi, quas hæretici rident, & tamē nostri ipsi substituerunt.



Cùm autem hujus Sacramenti Pœnitentiæ sint tres partes essentiales, nempe Contritio, Confessio, Satisfactio, quatenùs in pœnitentibus ad integritatem Sacramenti, ad plenam perfectamq; peccatorum remissionem requiruntur, quid de his Actibus, nempè Contritione, Confessione, Satisfactione, SS.PP. senserint, audiamus.

Et primò quidem de Contritione, seu dolore de peccatis.

" S. Augustinus Conc. 1. in Psal. 30. ait: Est quædam confusio
" temporalis utilis perturbatio animi respicientis peccata sua, re-
" spectione perhorrescentis, horrore erubescentis, erubescentiâ cor-
" rigentis, ergo erubescere eos dicit jam fideles, non de præsentibus
" donis, sed de præteritis peccatis. Hanc confusionem non formi-
" det Christianus, immo si hanc non habuerit, æternam habebit.
Idem in Psal. 146. illa verba explicans, *Qui sanat contritos corde*,
" ait: Sanat contritos corde, sanat confitentes, sanat seipsos puni-
" entes. S. Cyprianus, S. Augustino antiquior, Serm. 5. de lapsis
" ait: Agite pœnitentiam plenam doloris, ac lamentis animi proba-
" te mœstitiam, neq; vos quorundam moveat aut error improvi-
" dus, aut stupor vanus, qui cùm teneantur in tam grandi crimine,
" percussi sunt animi cæcitate, ut neq; intelligant delicta, neque
" plangant. Idem paulò pòst: *Qui pœnitentiam criminis tollunt, Sa-
tisfactioni viam præcludunt, ita fit, ut dum temeritate quorundam pro-
mittitur salus falsa, vel creditur, spes veræ salutis adimitur.* Hæc scri-
psit S. Cyprianus contra Novatum hæreticum, qui tunc Pœniteнти-
am tollebat. ut patet ex Sermone illius Sancti de Cæna Domini, ubi
" ait: In eodem articulo temporis, cùm jam anima festinet ad exi-
" tum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, Pœnitentiam Cle-
" mentissimi DEI benignitas non aspernatur, nec serum est, quod
" verum, nec irremissibile, quod voluntarium, &c. nec quantitas
" criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ e-
" normitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio, ex-
" cludit à venia, sed in amplitudine sinûs sui mater charitas, pro-
" digos suscipit revertentes, ut velit nolit Novatus hæreticus, omni
" tempore DEI gratia recipit pœnitentes. Tertullianus librum scri-
psit de Pœnitentia, in quo conditiones Pœnitentiæ enumerat, ubi
" inter alia ait: Sacco & cinere incubare, animum mœroribus de-
" ijcere, illa quæ peccavit, tristi tractatione mutare, jejunijs preces
" alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesq; ad Domi-
" num DEUM, Presbyteris advolvi, & aris DEI adgeniculari. S.
Chrysostomus plures Homilias, de compunctione cordis libros duos
" scripsit. Isidorus de Pœnit. cap. 16. ubi ait: In actione pœniten-
" tis

☞ *moderno Sæculo hic error excitatus ab hæreticis.*

NB. *Hæreticum vocat Novatum S. Cyprianus, quia negabat Pœnitentiam.*

tis non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris, si quis circa finem suum per Pœnitentiam desinat esse malus, non ideò debet desperare, &c. ex fine enim suo unumquemq; aut justificat, aut condemnat, sicut scriptum est, *universorum finem ipse considerat*, Job 28. Et Luc. 7. mulieri peccatrici dimissa sunt peccata eò, quòd lacrymis pedes ejus rigabat. S. Augustinus ad lapsam Virginem cap. 8. Si magnus est lapsus tuus, major sit lacrymarum tuarum torrens. S. Ambros. in cap. 11. ad Rom. Quæ graviter peccantur, non nisi fletu & gemitu ad veniam pertingūt. S. August. in lib. 50. Hom. ultimâ ait: Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi de ijs etiam, quæ facta sunt, satisfacias DEO per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. Vide S. Gregor. lib. 4. in lib. Reg. cap. 4. Euseb. Hom. 5. ad Monach. Cæsarium Hom. 10. qui ait: *Jejunia, ac vigiliæ, ac sanctæ afflictiones humiliata corda macerant, & maculata corda purificāt.*

Discursus Theol.

De Confessione Sacramentali, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ.

VEteres Hæretici, qui potestatem absolvendi negârunt, Montanistæ scilicet & Novatiani, Confessionem etiam Sacramentalem sustulerunt. Nulla enim necessitas Confessionis, si nulla sequitur Absolutio. Fuit alia hæresis Audianorum, teste Theodoreto lib. 4. de Fabulis Hæreticorum, quò ad modum illius, Lutherani, & quotquot exortæ sunt ab illis Sectæ, mirè variantur de Auriculari Confessione inter se, videndi in alijs Authoribus. Lutherus lib. de Captiv. Babil. cap. 6. de Pœnitentia ait, Confessionem secretam, quæ modò celebratur, sibi valdè placere, & esse utilem, vel potiùs necessariam, ut etiam fassus est ad Anabaptistas Tom. 1. Jenensi pag. 320. *Nos fatemur, sub Papatu multum, imò omne bonum Christianum esse, &c. veras claves in remissionem peccatorum*; tamen damnat omninò eos, qui docent, circumstantias peccatorū in Confessione esse detegendas, & tamen ipsemet Lutherus Tomo eodem Jen. de Confess. & Sacram. Eucharistiæ fol. 327. ait: *Hic morbum suum aperit, alter medicas affert manus.* Privatam absolutionem,

morem Ecclesiæ valdè utilem esse, fatetur Melancht. Epist. 524. ad Joach. Mollerum pag. 432. Edit. Londin. 1642. Part. 1. Operum " fol. 250. scribit: Cæterum, propter absolutionem privatam, quæ " in Ecclesijs retinenda est, & sunt aliæ utilitates multæ, retinendi " illius Colloquij privati. Quarta, (scil. utilitas) Etsi cogere Pastor " non debet, quisq; dicat arcana facta, tamen pro ætate & vitæ ge- " nere, quædam de moribus interrogare, & utiliter monere potest, " ut si quis audiat mercatores, interrogare potest, quales contractus " exerceant. Edit. Wittemb. 1580. ibid. 6. Utile est, rudiores ad " aliquam generalem enumerationem, juxta ordinem Decalogi in- " stitutam assuefacere, hæc diligentia prodest, quia cogit homines, " seipsos considerare, & agnoscere suos morbos & lapsus, de quibus " multi petentes absolutionem, ne cogitant quidem. Melanchton " in Confessione Augustana Art. de Confess. ait: De Confessione " peccatorum docent nostri, quòd absolutio privata in Ecclesijs re- " tinenda sit, quanquam non sit necessaria delictorum enumeratio, " est enim impossibilis enumeratio omnium delictorum, juxta il- " lud: *Delicta quis intelligit.* ℟. Hunc locum SS. Patres de levibus peccatis semper intellexerunt, vide in hæc verba Commentaria illorum. Undè videat Philippus, quòd Catholica Ecclesia non impossibilem enumerationem peccatorũ exigit, sed unicuiq; possibilem. Appono doctrinam Concilij Tridentini Sess. 14. de Confessione c. 5. " circa medium: Constat enim, nihil aliud à pœnitentibus in Ec- " clesia exigi, quàm ut postquam quisq; diligentiùs se excusserit, & " conscientiæ suæ sinus & latebras exploraverit, ea peccata confite- " atur, quibus se Dominum & DEUM suum mortaliter offendisse " meminerit, reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non " occurrunt, in universum eâdem Confessione inclusa esse intelli- " guntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: *Ab occultis* " *meis munda me Domine.* Ipsa verò hujusmodi Confessionis diffi- " cultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri " posset, nisi tot tantisq; commodis & consolationibus levaretur, " quæ omnibus ad hoc dignè Sacramentum accedentibus, per abso- " lutionem certissimè conferuntur. &c. Undè videat Melanchton, quòd tali modo est possibilis Confessio in Eccles Rom. Cath. non autem impossibilis, ut ipse fingit & imputat. Sed videamus, utrum verum sit, ut dicit Lutherus & Melanchton, quasi non deberent enumerari peccata in Confessione. *Accipite Spiritum S. quorum remi-*

Contradictio, cum editio Wittemb. exigat enumerationem peccatorũ, Melanchton dicit impossibilem.

Ioan. 20

seritis

ſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Cùm verò Sacerdotes judicium incognitâ causâ ferre non poſſint, quæ remittenda, & quæ retinenda peccata, nec æquitatem ſervare poſſe in Pœnitentijs injungendis, ſi in genere tantùm, & non in ſpecie, Pœnitentes peccata ſua declararent, opus eſt, Pœnitentes omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſere, etiamſi occultiſſima ſint. Quid SS. Patres dicant, audiamus. S. Cyprian. Serm. 5. de Lapſis ait: Quoniam autem de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud ,, Sacerdotes DEI dolenter & ſimpliciter confitentes, Exomologe- ,, ſim conſcientiæ faciunt, &c. ſalutarem medelam parvis licèt & ,, modicis vulneribus exquirunt. S. Auguſt. Tom. 4. Oper. lib. de ,, vera vel falſa Pœnit. ait: Conſideret qualitatem criminis in loco, ,, in perſeverantia, in varietate perſonæ, & quali hoc fecerit tenta- ,, tione, & ipſius vitij multiplici executione. &c. Omnis iſta varie- ,, tas confitenda eſt. Videat ergo Lutherus, utrũ juſtè circumſtantias ,, & qualitates peccatorũ negaverit confitendas. S. Baſilius qu. 26. & 46. diffusè explicat, qu. 288. Occulta cordis explananda eſſe, his ,, qui fide & authoritate præditi ſunt fratribus. Pacianus in Exhort. ,, ad Pœnit. t. 3. p. 72. D. Rogo vos, Fratres, etiam pro periculo ,, meo, per illum Dominum, quem occulta non fallunt, deſinite ,, vulneratam tegere conſcientiam, prudentes ægri Medicos non ,, verentur, ne in occultis quidem corporis partibus etiam ſecatu- ,, ros. S. Auguſt. T. 8. p. 790. Triſtis eſto, antequam confitearis, ,, confeſſus exulta, jam ſanaberis, non confitentis conſcientia ſani- ,, em collegerat, apoſtema tumuerat, cruciabat te, requieſcere non ,, ſinebat, adhibet Medicus fomenta verborum, & aliquando ſecat, ,, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis, tu agno- ,, ſce Medici manum, confitere, exeat in Confeſſione, & defluat o- ,, mnis ſanies, jam exulta, jam lætare, quod reliquum eſt, facilè ſa- ,, nabitur. S. Greg. Hom. 40. ſuper Evang. Quid ergo peccatorũ ,, Confeſſio, niſi quædam vulnerum ruptio, quia peccati virus ſalu- ,, briter aperitur in Confeſſione, quod peſtiferè latebat in mente. ,, Vulnera enim cutis in ſuperficiem trahunt humorem putredinis, ,, & confitendo peccata, quid aliud agimus, niſi malum, quod in ,, nobis latebat, aperimus. Gregor. Niſſen. in Orat. in mulierem ,, peccatricem ait: Audacter oſtende Sacerdoti, quæ ſunt recondi- ,, ta: animi arcana tanquam occulta vulnera Medico retege. La- ,,

Cogitationes perverſæ confitendæ.

NB.

" Ɛtantius lib. 4. Divin. Instit. de vera Sap. ait: Singuli quiq; cœtus
" hæreticorum se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam
" Ecclesiam putant, sed sciendum est, illam esse veram, in qua est
NB. " Confessio & Pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus subjecta
" est imbecillitas carnis, salubriter curat.

Discursus Theol.

Ex aliis principiis probans magis veritatem Catholicam de Confessione Sacramentali.

IN Formula Concordiæ in parvo Catechismo Lutheri de Confessione hæc leguntur: *Herus aut hera sic dicant: Inprimis confiteor coram te, me non diligentem fuisse in fideli educatione & institutione liberorum, & familiæ ad gloriam DEI, blasphemavi, nomine DEI abusus sum, malum exemplum prava loquens & faciens præbui, vicinos læsi, multos obtrectavi, pondera & mensuras violavi, decepi proximũ vendendo merces, &c. & si quid aliud contra præcepta DEI in cuiusq; vocatione occurrit.* Antequam aliquid dicam de hac Formula Lutheranæ Confessionis, præmitto aliqua ex Libro doctissimi, & in materia dogmatica versatissimi Christiani Helwich, non pridem ad Fidem Catholicam conversi, qui in eodem Libro evidentissimè probat, quòd Presbyteri destituantur facultate ordinandi alios Presbyteros, dum ad Concionatores Evangelicos in Præfatione Libri sic ait: Magnam Sacerdotum dignitatem arguunt tituli, quibus à Spiritu S. in Sacris con decorantur, *adiutores DEI* vocantur, 1. ad Cor. cap. 3. & *Legatione pro Christo fungentes*, 2. Cor. 5. &c. Præterea *Dispensatores mysteriorum DEI*, 1. ad Cor. cap. 4. S. Hieron. Epist. ad Nepot, de illis sic: *Christi Corpus sacro ore conficiunt, per eos Christiani sumus, Claves Regni Cœlorum habentes, ante diem Judicii iudicant.* Hinc S. Chrysost. Hom. 5. in illud Isaiæ, *In anno quo mortuus est Ozias*, sic ait: *Sacerdotium ipso Regno venerabilius ac maius, ne mihi narres purpuram, neq; diademata, neq; vestes aureas, umbræ sunt ista omnia, vernisq; flosculis leviora.* Imò Angelicam celsitudinem excellit munus
Ioan. 20 hoc, nulli enim Ordini & Choro SS. Angelorum est dictum, *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Quod iterum egregiè confirmat aurei oris Doctor lib. 3. de Sacerdot. cap. 3. Et S. Prosper lib. 2. de Vita Act, cap. 2. *Sacerdotes*, ait, *Januæ sunt Civitatis*

vitatis æternæ, per quos omnes qui credunt in Chriſtum, ipſi Janitores, quibus datæ ſunt Claves Regni Cælorum, &c. Hæc ſinè dubio vobis, Viri Doctiſſimi, cognita, nec vos, ut ſpero, latet, functiones illas à nemine exerceri validè poſſe, niſi qui ritè ſit ordinatus, cùm vero & vos (nempè Concionatores Evangelici) Confeſſiones excipere, & à peccatis abſolvere, ac Sanctam Cænam celebrare minimè dubitetis pro æquitate veſtra, ſuccenſere minimè poteritis, ſi vobis occaſio detur examinandi veſtram Ordinationem, & ijs, qui de illa dubitant reſpondendi, in hoc Opuſculo majoris prodromo legetis aliqua, quibus Ordinatio Presbyteralis funditùs everti videtur. &c. Et poſt pauca ait: Non mirabuntur ergo, quod de conſecratione Euchariſtiæ, & abſolutione eorum. ſecùs quàm ipſi ſentiamus. Per vulnera ergo Chriſti obteſtamur eos, ut tandem perpendant, in quam certo damnationis diſcrimine verſentur ipſi, & eorum Auditores, licèt quæ nullis lacrymis deploranda eorum miſeria eſt. neſcio quâ fiduciâ cœlitum ſibi conſortium ſpondeant. Quòdſi aliquando diligentiùs de ſalute ſua fuerint ſolliciti, certò certiùs cœleſte lumen ipſorum illabetur pectoribus, eademq; illuminabit, ut intellecturi ſint, quàm in præcipiti ſtatu verſentur, eosq; per alios me eruditiores, ad Montem Sanctum & Tabernacula DEI deducet, quod à Deo ardentiſſimis precibus ſemper contendam. JESUM omnium hominum Judicem & Scrutatorem cordium teſtor, me à nullo mortalium impulſum hæc ſcripſiſſe, aliaq, in poſterum ſcripturum, ſi DEUS annuat, ut in quibusdam locis odia quorundam adversùs ipſos accendam, horum enim cauſas procul habeo, ex ferventi deſiderio revocandi homines ab errore viæ ſuæ, Jac. 5. & commiſeratione intimâ hominum innumerabilium fame ſpirituali, ex defectu Sanctiſſimæ Euchariſtiæ & remiſſionis peccatorum, in via hac tabeſcentium ductus. &c. Optimè tempus me collocâſſe arbitrabor, ſi vel unus hinc occaſionem & anſam arripiat, ſeriò cogitandi de via ſalutis, una enim anima in conſpectu DEI toto mundo potior. Hucusque doctiſſimus, & zelo ſalutis animarum flagrantiſſimus Chriſtianus Helwich, à quo ultra allegata quæro ex omnibus Diſſidentibus, dicant mihi, quomodo ex hac Formula Confeſſionis Lutheranæ judicium ferre poteſt Judex Spiritualis, quomodo dignoſcet, quæ remittenda, quæ retinenda peccata ex mandato Chriſti, cùm omnia in hac Formula ſint generaliſſima, quæ hîc erubeſcentia in enumerandis gravibus occultis peccatis, quam SS. Patres ut ſuprà tantoperè requirunt,

NB.

Ioan. 20.

quirunt, nihil hic de fornicationibus, nihil de stupris, nihil de adulterijs, nihil de perversis cogitationibus, nihil de pravo in malum consensu, nihil de gravissimis occultis peccatis, nihil de mollitie, incestu, sacrilegio, furtis, rapinis, restitutionibus, quæ eò magis patrantur, cùm in Confessionibus privatis nullus rubor, nulla pro illis confusio, nulla pœnitentia, nulla satisfactio, quas tam sollicitè Canones Antiquæ Ecclesiæ requirunt, & tamen hæc omnia secundùm Apostolum à Regno DEI excludunt, sicq; videtur hæc Formula Confessionis Lutheranæ, illum tacitè antiquum includere errorem, nempè soli DEO peccata confitenda, non autem Sacerdoti, cùm dicat Melanchton in Conf. August. Art. de Confess. peccat. non esse necessariam enumerationem peccatorum, tanquam impossibilem, hic error fuit Novatiani hæretici, & Montanistæ, aliorumque, qui nullas pœnitentias & satisfactiones admittebant, sed in aliquot Concilijs est condemnatus. Dicit quidem Melanchton privatam Absolutionem morem Ecclesiæ valdè utilem; at parcite, cùm ex charitate Christiana, sicut doctissimus Helwich, aperiam vobis mysterium, non Ecclesiæ, sed Luthero & Melanchtoni utilitatem hanc fuisse, scitis quam? scilicet, ne adverterent seducti, quòd ab ipsis vera Sacramentalis Ecclesiæ Catholicæ ablata sit Confessio, consequenter & remissio peccatorum, reliquerunt umbram solùm Confessionis, sicut reliquit Melanchton umbram Missæ Sacrificij, ne terrerentur avulsi, dicens: *Apud nos cum summa reverentia celebratur Missa.* Videte, vos ipsos testes appello, si habetis Missæ Sacrificium, consequenter & Sacramentalem Confessionem. Quid ergo decipere vos, blandiri vobis, ubi de vestra perditione & tot animarum salute agitur: non est Christiani hominis, non compati vobis. Consulite itaq; vestræ saluti, examinate, scrutamini profunda Scripturarum, perpendite morem antiquæ Ecclesiæ, quam vos pro vera agnoscitis, non aliter invenietis, nisi hæc, quæ ex charitate Christiana manifestamus vobis. Quantùm verò ad calumniam evidentissimam, quasi in Ecclesia Cathol. Romana Confessio auricularis novum inventum esset hominum, appono doctrinam Concilij Trident. ultra allegata superius ex SS. Patribus testimonia, de Confess. Auricul. Sess. 14. cap. 5. quam sic tradit: Undè cùm à Sanctissimis & antiquissimis Patribus magno unanimiq; consensu secreta Confessio Sacramentalis, quâ ab initio Ecclesia Sancta usa est, & modò etiam utitur, fuerit *semper* commendata, manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui

In August. Conf. Cap. de Missa.

qui eam à Divino mandato alienam, & inventum humanum es- „
se, atq; à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium „
habuisse docere non verentur, neq; enim per Lateranense Con- „
cilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod Jure „
Divino necessarium & institutum esse intellexerat, sed ut præce- „
ptum Confessionis saltim semel in anno ab omnibus & singulis, „
cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur; unde jam in „
Universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu obser- „
vatur mos ille salutaris, confitendi Sacro illo & maximè accepta- „
bili tempore Quadragesimæ, quem morem hæc Sancta Synodus „
maximè probat & amplectitur, tanquam pium, & meritò reti- „
nendum. Et quid mali in hoc advertunt Dissidentes, cùm Ecclesia Catholica habito Jure Divino de Confessione Sacramentali, tanquã pia Mater, sollicita de salute Filiorum suorum, ex plenitudine potestatis sibi relictæ Jure Ecclesiastico, eo tempore instituit Confessionem Sacramentalem, quo Redemptionis nostræ mysteria attentiùs, & Sacratissima illius recolitur Passio profundiùs: & si hæc non placent Dissidentibus, dicant, quare tam exactè, tam prolixè, omnes SS. quatuor Evangelistæ Sacratissimam Passionem descripserunt, quod in alijs mysterijs non fecerunt, numquid, ut tantùm in Biblijs scripta maneret? nonnè ipsemet DEUS in figura inculcat illam nobis Hierem. Thren. 1. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus?* nonnè & apud Zachariam eam insinuat nobis, dicens: *Et aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu, quasi super unigenitum, & dolebunt super eum.* Vide cap. 53. Isaiæ. Numquid & Apostolus obscurè loquitur de ea: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est.* Et ad Rom. 8. ait: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Sed hæc intra Parenthesim. Quid mali in hoc advertunt Dissidentes, cùm Ecclesia Catholica habito inquam Jure Divino de Confessione Sacramentali Joan. 20. nempè toties confitendi peccata, quoties opus fuerit, cùm non sit determinatum tempus Confessionis Sacramentalis à Christo, & homo Catholicus quoties advertit se reum peccati mortalis, tenetur se constituere in gratia DEI, ut sit amicus Illius, cùm nesciat diem neq; horam, debetq; semper esse paratus pro morte, cùm Christus vigilare omni tempore jusserit, multosq; decepit procrastinatio pœnitentiæ. Quid, inquam, mali, cùm Ecclesia tanquam sollicita Mater de salute Filio-

cap. 12

quàm clarè & exactè descripsit S. Propheta Passionē Christi cap. 53 Isaiæ.

Matth. 24

Filiorum suorum, ut illos magis constituat in gratia DEI, per Sacramenta Ecclesiæ, eo tempore DEO acceptissimo, ut suprà, pro omnibus instituerit Sacramentalem Confessionem, cùm hoc ipsum sæpiùs bonâ voluntate faciunt plurimi devoti Catholici, confitendo aliqui per singulos menses, vel etiam sæpiùs, pro majori augmento in se gratiæ Divinæ, per Sacramenta Ecclesiæ, scilicet Sacramentalem Confessionem, & Sacratissimam Communionem, in qua ipsum Authorem gratiarum recipiunt. Adde, quòd in Primitiva Ecclesia, ob fervorem Fidei, & ut se Catholici magis firmarent ad subeunda frequentia martyria, quotidiè communicabant, sinè dubio frequenti Confessione uti debuerunt, cùm Apostolus 1. ad Corint. 11. dicat: *Probet autem seipsum homo, &c. qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, &c.* undè non aliter seipsos probare poterant, nisi per Sacramentalem frequentem Confessionem, cùm quotidianus usus fuerit Eucharistiæ. Quid ergo mirum? quòd Ecclesia videns multorum refrigescere charitatem, instituit semel in anno pro remissis Confessionem, quæ frequentissima fuerat in Primitiva Ecclesia. Undè miror Samuelem Wernerum, quòd ipse in Orat. de Fragment. in ipsa Cœna, Coroll. 5. ausus sit dicere, quòd Confessio Sacramentalis non habeat firmum fundamentum in Scriptura, sed in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. sit stabilita. Apparet, quod non legerit Caput 20. Joan. Cap. 18. Matth. & tot SS. Patrum suprà testimonia. Et tamen idem Wernerus in Coroll. sequ. 6. defendit Lutherum, & dicit, calumniam esse, quisquis Luthero objiciat, quòd omnem Confessionem Auricularem rejecerit. At quomodo Lutherus retinuit Confessionem, si est in Concilio Lateranensi stabilita? nonnè ipse potiùs fassus est, *in Papatu esse veras Claves in remissionem peccatorum*: si remissionem peccatorum agnoscit, agnoscit veram Sacramentalem Confessionem per veras Claves, quam Werner dicit non pridem stabilitam; multum profectò sibi arrogat, cùm id quod Magister approbat, discipulus arguit, cùm Christus ipse dicat Matth. 10. *Non est discipulus super Magistrum.* Undè & mirum videtur, quòd Dissidentes volunt coarctare Ecclesiam, quæ omnem potestatem accepit à Christo, & illi volunt exequi omnia, quæ illis placent, cùm teneantur ex præcepto Christi audire Ecclesiam, ne sint Ethnici & Publicani. Non sinè causa Author Tubæ Pacis pag. 4. ait: *Nam extra unitatem Ecclesiæ Cathol. constituti, non habent DEI Verbum, nec Sacramenta ad salutem; sed ad damnationem;*

Matth. 18

undè

undè videant, ne illis illud Joan. 8. competat, *In peccato vestro moriemini.*

Videamus, quid SS. Patres de Confessione Auriculari sentiant, & quomodo peccata cum erubescentia exponi debent. Tertullian. lib. de Pœnit. cap. 10. ait: Plerosq; hoc opus, ut publicationem „ sui aut suffugere, aut de die in diem differre &c. pudoris magis „ memores, quàm salutis. Origenes Hom. 2. in Psal. 37. ait: Opor- „ NB. tet nos morbum nostrum coram eo, quo ministro DEUS in cu- „ rando eo utitur, non celare. Et Hom. 17. in Luc. Si revelaveri- „ mus peccata, non solùm DEO, sed & his, qui possunt mederi „ vulneribus nostris atq; peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, „ qui ait: *Ecce delebo ut nubem iniquitates tuas, & sicut caliginem* „ *peccata tua.* Idem Hom. 2. in Levit. Cùm lavat peccator in la- „ crymis stratum suum, cùm non erubescet Sacerdoti Domini in- „ dicare peccatum suum, & quærere medicinam. Idem Hom. 10. „ in Num. Laicus ipse suum peccatum auferre non potest, sed re- „ quirit Levitam, indiget Sacerdote. S. Cyprian. Serm. 5. de La- „ psis: Confiteantur singuli, quæso, Fratres delictum suum, dum „ adhuc, qui deliquit, in sæculo est, dum admitti ejus Confessio po- „ test, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotem, apud Do- „ minum grata est. Item cap. 21. & 28. Necessarium est, confite- „ ri peccata his, quibus administratio mysteriorum DEI concredita „ est. S. Chrysost. lib. 3. de Sacerd. Nostris Sacerdotibus non cor- „ poris lepram, sed animæ sordes, non dico purgatas probare, sed „ purgare prorsùs concessum est. S. Hieronym. Epist. ad Simp. in „ cap. 10. Eccl. ait: Si quem serpens Diabolus occultè momorde- „ rit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit qui „ percussus est, & non egerit pœnitentiam, neq; vulnus suum Fra- „ tri & Magistro voluerit confiteri, Magister, qui linguam habet ad „ curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescit ægro- „ tus vulnus Medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. „

Notent, qui Auricularem Confessionem negant.

S. Ambrosius in duobus libris contra Novatianos hæreticos, satis clarè antiquam Ecclesiæ de Sacramento Pœnitentiæ Fidem & doctrinam propugnat, atq; ex SS. Scripturis ostendit, penes Sacerdotes esse authoritatem Jure Divino remittendi & ligandi peccata. NB. Inter alia lib. 1. de Pœnit. cap. 2. hæc habet: Dominus par jus & „ ligandi esse voluit & solvendi, qui utrumq; pari conditione permi- „ sit, ergo qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet. Et cap. 7. „

“ Jus hoc folis permiffum eft Sacerdotibus. Et lib. de Pœnit. cap. 6.
“ Vult Dominus plurimum poffe Difcipulos fuos, vult à fervis fu-
“ is ea fieri in nomine fuo &c. Si vis juftificari, fatere delictum tu-
“ um. Solvit enim criminum nexus verecunda Confeffio. Idem
“ Exh. ad Pœnit. Hom. 41. Non folùm poft pœnitentiam ab iftis
“ intùs homo obfervare fe debet: fed & ante pœnitentiam, dum
“ fanus eft, quia nefcit, fi ipfam pœnitentiam poffit accipere, & con-
“ fiteri DEO & Sacerdoti peccata fua. Paulinus, Presbyter S. Am-
“ brofij, fic de illo in Vita illius teftatur: Quotiescunq; illi aliquis
“ ad percipiendam pœnitentiam lapfus fuos confeffus effet, ita fle-
“ bat, ut & illum flere compelleret. S. Auguft. Hom. 49. Nemo
“ fibi dicat, occultè ago pœnitentiam apud DEUM, novit DE-
“ US, qui mihi ignofcet, quia in corde ago. Ergo fine caufa dictum
NB. “ eft: *Quæ folveritis in terra, foluta erunt in Cœlo?* ergo fine caufa

“ datæ funt Claves in Ecclefia DEI? fruftramus Evangelium DEI,
“ fruftramus verba Chrifti, promittimus vobis, quod ille negat. S.
“ Gregorius M. Hom. 40. Quid eft ergo peccatorum Confeffio, nifi
“ quædam vulnerum ruptio, quia peccati virus falubriter aperitur
Vixit An. 350 “ in Confeffione, quod peftiferè latebat in mente. S. Hilarius Ho-
“ mil. 5. ad S. Petrum: O in nuncupatione novi nominis felix Ec-
“ clefiæ fundamentum, dignâq; ædificatione illius petra, quæ infer-
“ nas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauftra diffolveret.
“ O Beatus Cœli Janitor, cujus arbitrio Claves æterni aditûs tra-
“ duntur, cujus terreftre judicium, præjudicata authoritas fit in Cœ-
“ lo, ut quæ in terris aut ligata funt, aut foluta, ftatuti ejusdem
“ conditionem obtineant in Cœlo. S. Cyprian. lib. 1. Epift. 2. ad
“ Cornelium: Cùm permiferit ipfe, qui legem dedit, ut ligata in
“ terris etiam in Cœlis ligata effent, folvi autem poffent illis, quæ
Vixit An. 450 “ hîc priùs in Ecclefia folverentur. S. Leo Epift. 19. Chriftus JE-
“ SUS hanc Præpofitis Ecclefiæ tradidit poteftatem, ut & confiten-
“ tibus actionem pœnitentiæ darent, & falubri fatisfactione purga-
“ tos ad Communionem Sanctorum per januam reconciliationis
“ admitterent. S. Bernardus Serm. 1. in die SS. Petri & Pauli: Quas
“ Claves Regni Cœlorum tam fingulariter accepit, ut præcedat fen-
“ tentia Petri fententiam Cœli, ac ipfe quidem hoc auctoritate fuâ
“ DEUS efficit, fed in ea tamen re minifterio Sacerdotis utitur, ita-

“ que quidquid eis Sacerdos facit, non fuâ propriâ, fed à DEO fibi
“ concefsâ poteftate facit. Ex his colligere licet, quanta fit Con-
feffio-

feſſionis antiquitas, quam à Domino conſtitutam teſtatur Tertullianus lib. de Trinitate. Neq; verum eſt, quod obijcitur, quaſi Concilium Lateranenſe IV. inſtituerit Confeſſionem Auricularem, quam à primordijs ſemper uſitatam habent, ſed ſaltim ſemel in anno inſtituit faciendam, cùm ipſa Confeſſio fuerit in uſu ab ipſo exordio Eccleſiæ, ut oſtenſum eſt ſuperiùs ex SS. Patribus. Undè facilè colligere, Divinâ Lege præceptam, & ab Apoſtolis traditam eſſe, ut patet ex ipſo textu Scripturæ Joan. 20. *Quorum retinueritis peccata, retenta erunt: quorum remiſeritis, remiſſa erunt* Et quomodo remittent, vel retinebunt, ſi neſcient de illis, ex defectu Confeſſionis Auricularis. Hæc clara nimis. Hieremias Patriarcha Conſtantinop. in Cenſura Confeſſionis Auguſtanæ cap. 11. reprehendit Lutheranos, quòd aſſerant, non eſſe neceſſarium, omnia peccata per ſingulas ſpecies in Confeſſione enumerare. Immo etiam & Lutherus Confeſſionem Auricularem fateri debuit in Epiſt. ad Anabapt. Tom. 1. Jen. p. 320. quem etiam citat Author Tubæ pag 22. ſic loquentem: *Nos fatemur, in Papatu &c. verum Sacramentum Altaris, veras Claves in remiſſionem peccatorum*; non dicit, tecta peccata, ſed remiſſionem peccatorum. Sed tempore Lutheri fuit Confeſſio Auricularis, ſicut & modò eſt, in qua poteſtate Clavium remittebantur peccata. Ergo patet ex Luthero, quòd volens nolens admittat Confeſſionem Auricularem, & remiſſionem peccatorum Quod & Centuriatores agnoſcunt ex antiquis Patribus, Tertull. Cypriani temporibus in uſu fuiſſe Confeſſionem etiam cogitationum. Cent. 3. cap. 6. col. 127. lin. 28. Abſolutionem deindè à peccatis ita conferebant, (ſi qui pœnitentiam agebant, peccatum priùs confeſſi eſſent,) & mox Tertullianum & Cyprianum citant in multis locis. Satisfactionem etiam imponi ſolitam, juxta modum offenſæ & delicti, agnoſcunt ex Patribus, ijdem Centuriatores, Cent. 3. cap. 6. col. 29 lin. 40. Jacobitæ inter alios errores hunc habuerunt, non eſſe confitendum Sacerdoti, ſed ſoli DEO: ſed condemnati ſunt in Concilio Chalcedonenſi Generali IV. Neq; etiam Confeſſio eſt impoſſibilis, aut carnificina conſcientiarum, prout multi illam imaginantur. Conſtat enim, nihil aliud à pœnitentibus exigi in Eccleſia, quàm ut cùm diligentius conſcientias excuſſerint, & omnes ſinus latebraſq; illius exploraverint, ea peccata confiteantur, quibus ſe Dominum DEUM mortaliter offendiſſe meminerint; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitantibus non occurrunt, in univerſum

mendacium de Auriculari Confeſſione.

eâdem Confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter
Psalm. 18 cum Propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me Domine.* Modò videamus, si dictum Calvini verificatur apud Calvinistas, quem etiam adducit Author Tubæ pag. 8. sic scribentem ad Sadelot. Cardinalem, ad quem sic ait Calvinus: *Omnes suos conatus esse, ut restituat illam Ecclesiæ faciem, quæ fuit apud Græcos tempore Chrysostomi & Basilij M. & apud Latinos tempore Cypriani, Ambrosii, Augustini, ita ut Scripta illorum testantur.* Nos ultra commemoratos à Calvino plures SS. Patres superiùs adduximus pro Confessione Auriculari, videndum itaque, si restituit Calvinus antiquam faciem Ecclesiæ, ita ut Scripta illorum testantur de multis controversis dogmatibus inter Catholicos & Protestantes, quæ superiùs adduximus, & inferiùs adducemus, etiam de Confessione; si Confessionem Auricularem reliquit Calvinus posteris suis, de qua tam clarè SS. Patres plures prædicti, non solùm hi quinque, quos Calvinus adducit, loquuntur; si non reliquit, considerate, in quo ille restituerit faciem Ecclesiæ, quæ fuit tempore S. Chrysostomi, Basilij, Cypriani, Ambrosij, Augustini. At misera ista restitutio, quam non tantùm Catholici, sed nec Lutherus recepit, nec Lutherani illam hucusq; receperunt. Quæ est ista restitutio? cùm Calvinus lib. 3. cap. 15. §. 1 dixerit: *Evangelium eo à Lege differt, quòd operibus non alligat iustitiam, sed in sola misericordia DEI collocatur.* Lutherus etiam Tom. 1. Wittemb. lib. de Libertate Christiana ait: *Christiano neq; opera, neq; lex necessaria est, quia per fidem liber est ab omni lege* S. August. Epist. 3. contra 2. Epist. Pelag. cap 4. apposité respondet utrique: *Quis ita impius est, ut dicat, se propterea præcepta non servare, quia Christianus sit, non sub lege, sed sub gratia.* Misera, inquam, ista restitutio Ecclesiæ, ubi destitutio omnis virtutis introducitur. Vide hanc restitutionem Ecclesiæ, quomodo illam restituerunt, pag. 142. & sequ. Vide fructum illius restitutionis pag. 98. in fine & seq.

Actus hic fuit pro avulsis ab Ecclesia Cath.

Discursus Theol.

De tertia parte Sacramenti Pœnitentiæ Satisfactione, quid de illa SS. Patres dicant, audiamus.

ORigenes in Cap. 6. ad Rom in illa verba S. Pauli: *Sicut exhibuistis membra vestra immunditiæ, ita nunc exhibete membra vestra iusti-*

juſtitiæ in ſanctificationem; hic oſtendens Satisfactionem ex Apoſtolo, ita ſcribit: *Dudum currebant pedes veſtri ad dæmoniorum templa, nunc autem currant ad Eccleſiam DEI: currebant priùs ad effundendũ, nunc ad liberandum ſanguinem currant: protendebantur manus priùs, ut aliena diriperent, nunc protendantur, ut propria largiantur*; quod etiam Apoſtolus ad Epheſ. 4. expreſſit: *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis, &c. quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti.* S. Chryſoſt. Tom. 5 Homil. de Pœnit. ait: *Vult DEUS Confeſſione vivere eum, qui præcepta contempſerat periturus, ut cui peccatum attulit mortem, ei Confeſſio adferat ſanitatem. Confeſſio enim pœnitentiam monſtrat, Satisfactio veniam tibi conciliat, nec enim poterit indulgentia tribui, niſi ita DEI poſſit Confeſſione placari; fit autem Satisfactio per Jejunia, Eleëmoſynas, & Orationes.* S. Gregor. M. Hom. 33. de Maria Magdal. ait: *Liquet Fratres, quòd illicitis actibus priùs mulier intenta, unguentum ſibi pro odore ſuæ carnis adhibuit: quod ergo ſibi turpiter exhibuerat, hoc jam DEO laudabiliter offerebat: oculis terrena concupierat, ſed hos jam per pœnitentiam conterens flebat: ad compoſitionem vultûs exhibuerat, ſed jam capillis lacrymas tergebat, &c. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta, &c. ut totum ſerviret DEO in pœnitentia, quidquid ex ſe DEUM contempſerat in culpa.* Idem S. Gregor. Hom. 29. *Nemo ergo indulta pœnitentiæ tempora parvipendat, nemo curam ſui, dum valet agere, negligat, quia Redemptor noſter tantò ad Judicium diſtrictior veniet, quantò nobis ante Judicium magnam patientiam prorogavit.* S. Ambroſ. Serm. 15. ait: *Nos quoque, ſi tam grave peccatum fuerit, ut minimè ſolis fletibus abluatur, addamus miſericordiæ oleum, acrimoniamq; Jejunij. Nullum enim tam grave delictum eſt, quod non purgetur abſtinentiâ, eleëmoſynis extinguatur, ait enim S. Propheta: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleëmoſyna extinguit peccata.* Sed ipſum Sanctum Sanctorum audiamus, quomodo laudat Satisfactionem. Legimus Lucæ cap. 19. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*; Hæc vox Zachæi tam grata fuit Chriſto Domino, ut mox reſponderet: *Hodiè huic domui ſalus facta eſt.* Non enim vult Chriſtus Paſſionem & Mortem ſuam operculum eſſe turpitudinis, & aſylum iniquitatis noſtræ, ut quoniam ille ſatisfecit pro nobis abundè, jam nobis licere omnia exiſtimemus, ut deinceps iniquitatibus inſerviamus, ut in peccatis volutemur, atq; omnia, quæ

Satisfactio in Evang. Luc. 19

NB.

caro

caro nostra corrupta, quod dæmon suadet, faciamus. Non ideò passus est Christus, non ideò satisfecit, non ideò mortuus, ut nos coronemus rosis, sed ideò, ut 1. Petri 2. legimus, *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiæ vivamus, ut simus gens sancta, populus acquisitionis, ideò passus pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius: ut sicut exhibuimus membra nostra* (ait Apostolus ad Rom. 6.) *servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita deinceps exhibeamus membra nostra servire iustitiæ in sanctificationem* Clarè apparet Satisfactio in his verbis Apostoli, qui ad Rom. 12. ait: *Obsecro vos per misericordiam DEI, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem sanctam, DEO placentem, & nolite conformari huic seculo, sed reformamini in novitate sensús vestri, ut probetis, quæ sit voluntas DEI, bona, & benè placens DEO, & perfecta, &c. odientes malum, & adhærentes bono.* Et cap. 13. *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. sicut in die honestè ambulemus, non in comeßationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, &c. & carnis curam ne feceritis.* Et cap. 8. *Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Quæ sunt autem opera carnis, ad Gal. 5. ostendit, cùm ait: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. iræ, rixæ, dißensiones, Sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeßationes, & his similia, &c. qui talia agunt, Regnum DEI non possidebunt. &c.*

horum si non est secreta Confeßio cum rubore, excludunt à Regno DEI.

In Concilijs, etiam ante Nicænum Primum, lapsis variæ assignabantur Pœnitentiæ & Satisfactiones. Vide Concilij Laodiceni Can. 2. & Concil. Nicæni I. Can. 13. Ante Nicænum in Ancyrano Concilio variæ pœnitentiæ pro varijs criminibus assignantur, decem, vel septem, vel octo annorum pœnitentia.

Sed hoc magis mirandum, quòd Lutherus & Calvinus Satisfactionem agnoverint, & tam clare de illa loquuntur. Lutherus contra Indulgentias Assert. 41. ait: *Ecclesia Mater pio affectu, præventura manum DEI, castigat filios suos Satisfactionibus quibusdam, ne incurrant flagella DEI, sicut Ninivitæ, &c. hæc pœna arbitraria est, sed necessaria, nam aut nos, aut homines, aut DEUS punit peccata, &c. cùm si essent pij Pastores, potiùs imponerent pœnas, & Ecclesiæ exemplo prævenirent DEUM, sicut Moyses eum prævenit, occidendo filios Israël propter vitulum; optimum autem fuerit, si nos ipsos puniremus.* Hîc jam variavit Lutherus suum placitum, nempè solâ fide salvandos.

☞ *Notent hæc omnes Protestãtes.*

Calvi-

Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 3. §. 15. ait: *Poſtrema eſt vindicta, quò enim ſeveriores in nos ſumus, & acriore cenſurâ quæſtionem habemus de peccatis noſtris, eò ſperare debemus magis propitium ac miſericordem DEUM, & certè fieri non poteſt, quin anima Divini iudicij horrore perculſa, partes ultionis in exigenda pœna occupet* Quid melius Catholicus dicere potuit? ſicut dixit Lutherus & Calvinus de Satisfactione, ut videant avulſi, quàm fuerunt conſtantes in ſuis placitis Authores illorum: nam Calvinus cap. 4. §. 38. reprehendit Veteres Patres de Satisfactione loquentes. Sed dum illos reprehendit, reprehendit Chriſtum Luc. 7. & 10. Melanchton etiam in Locis Commun. An. 1522. Tit. de humanis Legibus reprehendit Patres Concilij Nicæni I, de conſtitutis Pœnitentijs, dum ait: *Non pronuncio, quo Spiritu decreverint Patres pœnitentias, quibus obſcuratum eſt Evangelium.* Mirare Lector audaciam Melanchtonis, cùm ipſe ſibi uſurpaverit Cenſuram Concilij, quod totus veneratur Orbis, & Evangelium ſatis clarè loquitur de Pœnitentia. NB.

Diſcurſus Theolog.

De Sacramento Ordinis.

Concilium Chalcedonenſe Generale IV. Canone 2. Ordinationi Sacerdotum gratiam Spiritûs S. annexam docet. S. Auguſtinus lib. 2. contra Epiſt. Parmen. cap. 23. Baptiſmum ex æquo cum Ordinatione ponit, dum ait: *Vtrumq; Sacramentum eſt ex quadam conſecratione, utrumq; homini datur, illud cùm baptizatur, illud cùm ordinatur, itaq; in Catholica Eccleſia utrumq; non licet reiterare.* Nota, tam in Baptiſmo, quàm in Ordinatione Characterem imprimi indelebilem, & propterea hæc Sacramenta non licet reiterare, ſicut etiam ſuperius docuerat de Sacramento Chriſmatis. Idem poſt pauca ſubdit: *Explicent, quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum ordinati poſſit amitti?* Et paulò pòſt ait: *Cùm enim utrumq; Sacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud amittitur, illud non amittitur? neutri Sacramento iniuria facienda eſt.* Idem Serm. 19. de Sanctis ait: *Sacerdotes & Levitæ per hoc Crucis Signum ad Sacros Ordines promoventur.* Idem qu. 93. Novi Teſtam. in illa verba, *Inſufflavit in eos dicens, accipite Spiritum S.* ſic ait: *Inſpiratio hæc gratia quædam eſt, quæ per traditionem infunditur Ordinatis.* S. Leo Epiſt. 81. ad Dioſcor. cap. 1. vocat Ordinem, *Sacramentum magnæ benedictionis.* Tertull. de Præſcript. Hæret. cap. 41. ait: *Nuſquam facilius*

Arguit hæreſim, qua ex Miniſtris faciebat iterum Laicos, de quo inferius meminit Tertullianus.

faciliùs proficiscitur, quàm in castris rebellium, ubi ipsum esse, illic promereri est, itaq; alius hodiè Episcopus, cras alius; hodiè Diaconus, qui cras Lector; hodiè Presbyter, qui cras Laicus: nam & Laicis Sacerdotalia munera iniungunt. His verbis apertè indicat, in Ordine, quem Sacrum vocat S. Augustinus, retentam constantiam, & agnitum characterem Sacrum indelebilem, cùm exprobrat hæreticis, qui ex Presbyteris faciant Laicos, ex Diaconis Lectores. Concilium Carthagin. IV. Can. 2. ait: *Episcopus cùm ordinatur, &c. uno super eum fundente benedictionem.* S. Ignatius Epist. 7. ad Smirnen. *Nec Episcopo quidquam maius est in Ecclesia, qui DEO consecratus est.* Idem Epist. 2. ad Trallianos: *Quid verò Sacerdotium aliud est, quàm Sacer Cœtus.* Immo Canon 1mus Apostolorum talis est: *Episcopus à duobus aut tribus Episcopis ordinetur.* Canon 2dus: *Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.* Undè S. Anicetus, Papa & Martyr, proximus post S. Petrum, Epist. 1. ad Episcopos Galliarum hæc scribit: *Scimus, Beatissimum Jacobum, qui dicebatur Justus, &c. à Petro, Jacobo, Joanne Apostolis, Hierosolymitanum Episcopum ordinatum.* Centuriatores ex Veteribus testantur col. 873. & 874. Sacris ritibus initiari ex Theodoreto. ex quo hæc habent: *In frequenti populi conventu manus imponere, qui ritus ab Apostolis ipsis in omnium locorum Ecclesiis hæsit.* Et S. Paulus dicit: *Nemini citò manus imponas*, ac pro ijs apud eum Episcopum, penes quem esset Jus ordinandi, precabantur, ut ex Epist. 4. SS. Basilij & Gregorij ad Cæsariens. 30. apparet. Et Cent. 4. col. 489. lin. 60. Ordinatio Ministrorum propria erat Episcopi.

☞ *Idem & modò fit apud aliquos Dissidentes.*

Doctissimus Christianus Helwich in libro suprà citato cap. 2. pag. 27. usq; ad pag. 96. probat, à temporibus Concilij Nicæni in Ecclesia Cathol. Rom. nullum à Presbytero fuisse ordinatum, ubi pag. 73. egregiè refutat errorem Melchioris Zeidleri, Theologi Regiomont. qui Ordinationem à Presbytero voluit defendere in gratiam Lutheranorum, dicens: *Nunquam sanè id scripturus fuerat Zeidlerus, si Canonem Concilij Antiocheni inspexisset.* Et cap. 3. pag. 96. eandem Ordinationem Presbyteralem à Concilijs vetitam probat, pag. 101. dicens: *Verùm frustrà his immoror, cùm Zeidlerus, alijq; Protestantes confiteantur, ab universa Ecclesia Ordinationem Presbyterorum Episcopis esse tributam utiq; in Concilio Oecumenico.* Et §. 3. ait: *Hospes sit, qui ignorat, in quanta veneratione apud omnes pios fuerint Decreta Concilij Nicæni.* Constantinus Imper. in Epist. ad Eccles. apud

Euseb.

Euseb. lib. 3. de Vita Constant. vocat Decreta ejus *Cælestia manda-*
ta. Cyrillus Alexandr. lib. de Trin. appellat *Divina & S. Oracula,*
qualia manare conveniebat à Patribus & Episcopis, à Spiritu S. congre-
gatis. Vide ibidem plures SS. Patres de Concil. Nicæno, quàm ho-
norificentissimè tenent, ut v. g. S. Gregorius lib. 1. Epist. 14. ait, *se*
venerari quatuor prima Concilia, tanquam quatuor Evangelia. Undè
meritò arguitur magna temeritas Melanchtonis, qui Concil. Nicænũ
reprehendit, dicens: *Non pronuncio, quo Spiritu Patres Pœnitentias*
statuerunt. Idem Helwich c. 4. p. 116. demonstrat, Sæculo Tertio, Se-
cundo, & exeunte Primo, Episcopos fuisse distinctos à Presbyteris,
& hos ab illis ordinatos. Cap. 5. pag. 207. ostendit ex Scripturis,
distinctum esse Episcopatûs & Presbyteratûs Ordinem, & Episcopa-
tui Ordinationes competere. Et pag. 264. de Dreiero sic ait: *Verùm*
non uno modo errat Dreierus, &c. Et pag. 265. ait: *Id si perpendatur,*
manifestum est iterum, non uno modo lapsum esse Dreierum. Vix meis
oculis credidi, dum legerem, Dreierum, Virum aliàs doctissimum, assere-
re, quòd Petrus loquatur de Presbyteris, quorum plures erant in uno
grege, *ignorarenè potuit Dreierus, Petri Epistolas esse inter Catholicas?*
quæ non fidelibus unius Vrbis, aut uni gregi, sed Christianis per varias
Ecclesias scriptæ sunt? &c. Cap. 6. pag. 277. usq; ad finem, probat
ex Christi institutione factum discrimen inter Episcopos & Presby-
teros. Deindè Montanistæ ex Hieron. Epist. 54. Ariani ex Epiphan.
hær. 75. docuerunt, nullam esse distinctionem inter Episcopum &
Presbyterum. Lutherus quid de Ordinationibus senserit, audiamus.
Libro de abroganda Missa, edito An 21. hanc tradit doctrinam:
Invictis Scripturis firmabimus, legitimum illud, & unicum verbi mini-
sterium esse commune omnibus Christianis, sicut & Sacerdotium, & Sa-
crificium. Idem lib. ad Pragens. de instituend. Ministris, edito An.
1523. ait: *Sacerdos in Novo præsertim Testam. non fit, sed nascitur;*
non ordinatur, sed creatur: nascitur autem in Baptismo, suntq; pror-
sùs omnes Christiani Sacerdotes. Ibidem prolixè probat, omnes Chri-
stianos ex Baptismo habere, ut possint concionari, baptizare, conse-
crare, & absolvere ac ligare. De Clavibus hæc habet: *Cessent omni-*
um mendacia, Claves sunt totius Ecclesiæ, & cuiuslibet membri eius,
tam iure, quàm usu, & omnibus modis. Quid ad hæc Calvinus in
Antidot. ad Can. 10. Sess. 7. ait, audiamus: *Nemo sanus Christianos*
omnes in verbi Sacramentorumq; administratione pares facit, non solùm,
quia decenter & ordine geri omnia in Ecclesia decet, sed etiam, quòd

 singu-

Licèt in Ecclesi-æ Dissid. nulla sit Ordinatio.

singulari Christi mandato ad eam rem ordinantur Ministri. Et meritò dixerit insaniam Calvinus, nam similem errorem in ullo hæretico nullibi quòd sciamus legimus: agitur enim de validitate Sacramentorum, consequenter de perditione multarum animarum, cùm Sacramentis frustrentur.

Discursus Theol.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

S. Augustin. Serm. 215. de Tempore ait: *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, Corpus & Sanguinem Christi ille qui ægrotat accipiat, deindè corpusculum suum ungat, & illud quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur aliquis, inducat Presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo.* Hic notandum, adduxisse verba S. Jacobi Apostoli S. Augustinum pro Extrema Unctione. Similia habet lib. 2. de Visitat. Infirm. cap. 4. Innocentius I. Epist. 1. ad Decen. Eugubinū cap. 8. explicans illa verba S. Jacobi Apost. *Infirmatur aliquis ex vobis, &c.* ait: *Cæterùm, si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum, & benedicere, & tangere Chrismate sinè cunctatione potest, cuius est ipsum Chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi.* S. Chrysost. Hom. 33. in cap. 9. Matth. ait: *Nam hæc mensa longè pretiosior est, atq; iucundior, & lucerna hæc, quàm illa, ut nôrunt, qui cum fide oleo peruncti, & morbis liberati sunt.* Vide etiam Epist. 2. S. Fabiani Papæ & Mart. in qua docet, accepisse per Traditionem ab Apostolis confectionem Sancti Chrismatis singulis annis, & Fidelibus tradendam, *quia (ait) novum Sacramentum est.* Concilium Constantinop. Generale II. celebratum An. 381. hæc habet Canone 1. *Omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit, ut Sancta DEI, Cathol. & Apostol. Ecclesia, & signatos, sive unctos primo Sancto Chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & eos signantes dicimus Signaculum doni Spiritûs S.* & tamen Lutherani & Calvinistæ dicunt, se venerari hoc Concilium Generale II. quomodo venerantur? si non suscipiunt Extremam Unctionem, de qua tam clarè loquitur Concilium, & vocat illam Signaculum doni Spiritûs S. sub anathemate suscipiendam. Centuriatores Extremam Unctionem agnitam fatentur à Veteribus 5. cap. 6. probant, eo Sæculo fuisse consuetudinem ungendi infirmos.

quàm antiquus usus Sacram. Extremæ Unctionis, quam rejcere hæresim esse dicit Concilium.

Diſcurſus Theol.

De Sacramento Matrimonij.

S. Auguſtinus lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. 10. ait: *Hujus Sacramenti res eſt, ut mas & fœmina connubio copulati, quamdiù vivunt, inſeparabiliter perſeverent.* Et lib. 5. contra Julianum ait: *Sacramentum, quia nullum divortium.* Et in lib. de bono Conjug. cap. 22. ait: *Bonum igitur Nuptiarum per omnes gentes &c. etiam in ſanctitate Sacramenti.* Et lib. de Fide & Operibus cap. 7. ait: *In Eccleſia DEI nuptiarum non ſolùm vinculum, ſed etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro, uxorem ſuam alteri tradere.* S. Paulus ad Epheſ. 5. *Adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Sacramentum hoc magnum eſt.

in quodam cætu Miniſtri mutant ſibi uxores, de hoc nullum dubiũ, ut inferiùs oſtendemus.

HÆc Septem Sacramenta Eccleſia Catholica ſemper agnovit, quæ ex Sacris literis, & ex Patrum doctrina per continuam Traditionem accepit, ut Concilium Florentinum in Armenorum inſtructione docet Seſs. 7. Can. 1. Hunc ſeptenarium numerum ſic explicant Catholici Authores. *Baptiſmo* generamur filij DEI, unde dicitur Lavacrum Regenerationis. *Confirmatione* acquirimus robur, efficimurq; perfecti Chriſtiani, ut dicitur Luc. 24. *Sedete in Civitate, quoadusq; induamini virtute ex alto, & accipietis virtutem ſupervenientis Spiritûs Sancti in vos. Euchariſtiâ* Corporis & Sanguinis Chriſti nutrimur, ut dicitur Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, &c. non habebitis vitam in vobis. Pœnitentiæ Sacramento* curamur lapſi in mortale peccatum, ut dicitur Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta ſunt. Extremâ Unctione* infirmorum roboratur animus, partim pro ſanitate corporis, ſi ad animæ ſalutem expediat; partim adversùs morbi moleſtias, & dæmonum inſultus, qui ad vitæ finem magis ſæviunt, ut dicitur Marci 6. *Et ungebant oleo multos ægros, & ſanabant.* Et Jacobi 5. *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei. Per Ordinem* Eccleſia gubernatur, & multiplicatur ſpiritualiter, cùm Miniſtri Eccleſiæ inſtituuntur, reguntur, promoventur, ordinantur, & conſecrantur in miniſterium Dei, ut dicitur 1. ad Tim. 5. *Manus citò nemini impoſueris.* Et 2. ad Tim. 1. *Reſuſcites*

gratiam DEI, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. *Matrimonio* augetur Respublica Christiana. Et dicitur ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum.* Consentit Author Tubæ pag. 73. cùm enumeravit, Baptismum & Euchariſtiam esse Sacramenta, ait: *Dari tamen & cætera quinq; Sacramenta, quibus vita gratiæ secunda, & quò ad melius perfectiusvè esse conceditur*; pro quibus adducit SS. Patres, & alios, ut patet ex illius superiori Discursu.

Hæc Sacramenta Novæ Legis multùm differunt à Sacram. Antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiã, sed eam solùm per Passionem Christi dandam figurabãt: hæc verò nostra & continẽt gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt. Horum quinq; prima ad spiritualem uniuscujusq; hominis in seipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen, multiplicationẽq; ordinata sunt.

Notandum ultimatè de Sacramentis. Etsi duo Sacramenta principalia, principalitate ordinis & dignitatis, dari dicimus, Baptismum & Euchariſtiam, in quantum Baptismus est janua cæterorum Sacramentorum, Euchariſtia verò continens Authorem Sacramentorum, omnia tamen Septem Sacramenta Novæ Legis vera esse Sacramenta, docent Ecclesiæ Concilia Generalia, & SS. Patres, ut superiùs clarè patuit.

Sunt aliquæ Objectiones contra Septem Sacramenta. Nos tantùm duas adducimus, ut de cæteris ferat Lector judicium.

Prima est Chemnicij, 2. Part. Exam. pag. 25. objicit ex Patribus. *Si propriè* (ait) *loquamur de Sacramentis, vetustissimos Patres non agnovisse nisi duo, Baptismum & Eucharistiam.* Respondetur facili modo. Nullum ex Patribus scripsisse unquam, Sacramenta non esse Septem, aut esse tantùm duo, vel tria, sed ad suum propositum mentionem fecisse, prout occasio exigebat contra hæreticos, cùm aliquod Sacramentum negabant. Alij Patres in multis locis unius tantùm, alij nullius Sacramenti mentionem fecerunt. Undè secundùm Dialecticam Chemnicij oporteret dicere, unum esse Sacramentum, aut etiam nullum. Adde, quòd S. Augustinus enumeravit omnia Septem Sacramenta, ad quem Calvinus tanquam ad fidelissimum & optimũ testem Antiquitatis remittit, vide suprà p. 148. circa finem. S. Dionysius, qui vidit tempora Apostolorum, teste Luthero, enumeravit Septem Sacramenta, vide pag. 424. Protestantes in Conventu quodam Lipsiensi Septem Sacramenta recipienda, vide pag. 425. quid amplius desideravit Chemnicius?

Secun-

Secunda Objectio. Quia Scripturæ non ſolùm non ponunt ſeptem, & ponunt tantùm duo; ſed etiam negant eſſe ſeptem: nam Apoc. 17. vocat Sacramentum beſtiam, quæ ſeptem capita habebat, ex quo ſignificari videtur, ſeptenarium numerum Sacramentorum ad Antichriſtum pertinere, qui per eam beſtiam deſignatur. Ad quod argumentum Bellarminus lib. 2. de effectu Sacram. cap. 27. pag. 185. ſic reſpondet, Blaſphemum eſſe Chemnicium, cùm Sacramenta Chriſti capita beſtiæ eſſe dicit, nam cogitur, velit nolit, ea etiam Sacramenta numerari inter capita beſtiæ, quæ ipſe habet pro veris Sacramentis, nimirùm Baptiſmum & Euchariſtiam: hæc enim ſunt ex numero illorum ſeptem. Adde, quòd Joannes non dicit, ſeptem illa capita eſſe ſeptem Sacramenta, ſed unum Sacramentum: proindè (ſi nugari licet) id magis quadraret Luthero, qui unum Sacramentum eſſe dixit, & plura Signa Sacramentalia. Deniq; ipſemet Joannes ſeptem illa capita, ſeptem Reges interpretatur, ex quo totum ruit ædificium blaſphemiæ Chemnicianæ, Quid tibi placet, Benevole Lector, hæc Objectio & Reſponſio? Ego dicam, quod in Domino ſentio. Compatior ex charitate Chriſtiana Chemnicio, quòd nō potuit plus dicere Chemn. quā aliquis Gentilis dixiſſet in cōtemptū SS. Sacramentorum, etiam illorum, quæ pro veris Sacramentis agnoſcit, ut optimè Bellarminus ipſi deduxit, qui ait: *De alijs Sacramentis nugatur, dicit enim, quòd Ordinis Sacramentum antecellit alijs, quia ſecū adfert pingues præbendas.* Hic eſt jocus contumelioſus in vilipendiū Sacram. Ordinis: at hoc eſt veriſſimū, quòd defectu Ordinis, qui ſeſe putant ordinatos, & de facto non ſunt, ſibi & alijs æternam parant damnationem, ut optimè probavit ipſis doctiſſimus Helwich. Undè optarem, quòd ſæpiùs relegant ipſius monitum ex charitate Chriſtiana ſuperiùs pag. 439. ut in tam gravi materia non decipiant ſeipſos, & multis non ſint occaſio æternæ damnationis, ex defectu Sacramenti Pœnitentiæ & Sacræ Euchariſtiæ. Vide ſuprà Diſcurſum de Nota Eccleſiæ Apoſtolica, quàm ſtrictè obſervavit Eccleſia Primitiva Ordinationem Presbyterorum. Hæc ſunt, & ſimilia argumenta, quibus Eccleſiam Cathol. Rom. tam antiqui, quàm moderni expugnant Hæretici, contra quam portæ inferi non prævalebunt, nec ſtultus Diabolus cum ſuis aſſeclis contra Incarnatam Sapientiam, Chriſtum Dominum, qui eſt Caput Sponſæ ſuæ Eccleſiæ, prævalebit.

Diſcur-

Discursus Authoris Cap. XIV.

Pag. 74.

An in Eucharistia sit Transmutatio Substantialis, seu Transubstantiatio?

...ivum est, imò nimis periculosum, non esse unitatem in medio tam necessario ad salutem inter Dissidentes, cùm Christus dixerit: Nisi manducaveritis Carnem Filij hominis, &c. non habebitis vitam in vobis. Ioan. 6

IN hac quæstione conveniũt cum Romanis plurimi nostri Theologi cordatiores ac modestiores, qui Catholicam prioris ævi Antiquitatem amant. Dissentiũt nonnulli Evangelici & Reformati (prætensi) plerique, qui tamen, si condescenderent in illam puritatem, quæ fuit in Ecclesia Veteri prioribus Sæculis, utiq; absq; dubio concederent hanc Transmutationem, & præsentiam Christi, non quidem ordinariam, materialem, & communem, tamen veram extraordinariam, Sacramentalem, atq; supernaturalem, vi verborum Christi, quia in tota Catholica Ecclesia semper & ubiq; creditam. Nota hæc, & diligenter expende Lector.

Idem Author inferiùs ait: Vix quidquam clarius & S. Scriptura, & SS. Patres loquuntur, Luc. 22. 19. Matth. 26. 20. Marc. 14. 15. 1. Corint. 11. SS. Patres plurimi à Bellarmino & alijs citantur. Sigillatim etiam à D. Christ. Dreiero in Concionibus de Cæna Dñi ait: Ipsi hi, qui negant hanc Transmutationem, citant po Transmutione SS. Patres, ut Hospinianus P. 1. Histor. Sacram. lib. 4. cap. 2. Chrysost. Hom. 50. ad Popul. & Hom. 83. in Matth. & Hom. 24. in 1. Corint. Leo P. Serm. 6. de Jejun. Sept. Men. Euseb. Emiss. " Serm. de Corp. Dñi. Invisibilis Sacerdos visibiles Creaturas in sub- " stantiã Corporis & Sanguinis verbo suo secretâ potestate commu- " tat, &c. quid mirũ autem, si ea, quæ verbo creare potuit, possit creata convertere. Item Magdeburg. Centuriatores Cent. 4. & 5. plurima testimonia ex SS. Patribus adducunt. Calvinista Beza ait ☞ apertè lib. de Cæna contra Westph. p. 115. Si hæc verba: *Hoc est Corpus meum*, accipiantur sinè figura, & sinè sensu literali, non poterit impediri, quin stabiliatur Transubstantiatio. Quòd in Cæna Domini fiat Transubstantiatio, præter Dreierũ, Zeidlerus in Colloq. Controv. Sect. 3. Thes. 3. Panis in Eucharistia fit propriè Corpus Christi, non per unionem, sed per mutationem.

Discursus Theolog.

De Reali præsentia Christi Domini in SSmo Eucharistiæ Sacramento.

ANtequam de hoc profundissimo mysterio latentis Christi sub speciebus Panis & Vini aliquid dicamus, videndæ sunt aliquæ hæreses, quæ impugnârunt hoc Divinissimum mysterium, & negârunt, Corpus Christi esse in Eucharistia. Et quidem videntur primi fuisse Simoniani, à Simone Mago, tempore Apostolorum hæretico, procedentes: deindè Menandriani, & similes alij, de quibus S. Ignatius Martyr in Epist. ad Smyrn. sic ait: *Eucharistias & Oblationes non admittunt, eò quòd non confiteantur, Eucharistiam esse Carnem Salvatoris nostri JESV Christi*; quæ sententia citatur à Theodoreto in 3. Dialog. in Epist. ad Smyrn. Ne autem glorientur Hæretici, suam sententiam esse antiquam, illud observandum, antiquos illos hæreticos non tam Sacramentum Eucharistiæ, quàm mysterium Incarnationis oppugnâsse, idcircò enim (ut S. Ignatius ibidem indicat) negabant, Dominum habere carnem, quare nullus Veterum Patrũ, qui de Hæresibus scripserunt, hunc errorem in Catalogo posuit, ut patet ex S. Irenæo, Tertulliano, Epiphanio, Augustino, Theodoreto, neq; ullus ex Veteribus disputavit contra hunc errorem primis sexcentis annis. Alij fuerunt Iconomachi, qui veritatem Corporis Domini in Eucharistia in quæstionem vocabant. Item fuit Bertramus, tempore Caroli Crassi: item Berengarius circa Annum 1050. qui author habetur hujus erroris, non quòd primus eum invenerit, sed quòd primus apertè defenderit, ac propagare studuerit. Porrò quatuor errores Berengarius docuit, per quos Parens fuisse videtur omnium Sectarum, quæ hoc Sæculo vigent; *primò* docuit, parvulos non esse baptizandos, atq; hinc Pater dici potest Anabaptistarum; *2dò* docuit, non esse in Euch. Corpus Chr. nisi ut res significata est in suo signo, & hinc potest dici Pater Sacramentariorũ, quod agnoscit Calvinus in ultima admonit. ad Joach. Vest.; *tertiò* docuit post alteram palinodiam, (nam ter revocavit errores suos) Corpus Domini esse quidem verè in Eucharistia, sed simul cum pane & vino, & hinc potest dici Parens Confessionistarum: hoc patet ex Concil. Rom. sub Gregorio VII. in quo coactus est Berengarius confiteri

non solum præsentiam realem Corporis Domini in Eucharistia, ut antè coactus fuerat in Concilio Rom. sub Nicolao II. sed etiam Transmutationem panis in Corpus Domini: hujus Concilij Rom. sub Gregor. meminit Valdensis Tom. 2. de Sacram. cap. 43. *quartò* docuit, teste Guidmundo, matrimonia legitima posse dissolvi. De hoc Berengario Guilelm. Malbesb. Senn. in Cœna Dñi & Parte 4. Alphab. 69. lit. Q. ait: Tandem ipso die Epiphaniæ Dominicæ (ut refert Joannes Gerson) seriò de errore dolens, hæc verba protulit: *Hodiè apparebit mihi Dominus ad meam salutem, ut spero, propter pœnitentiam; aut ad damnationem, ut timeo, propter eos, quos meâ pravâ doctrinâ decepi.* Item excitavit hunc errorem Carolstadius, primarius Lutheri discipulus: Lutherus enim nunquam apertè hanc hæresim docuit, quin potius acerrimè illi restitit: aliquando tamen sinè dubio semina jecit hujus erroris, ut etiam Anabaptismi, licèt posteà tum Sacramentarios, tum Anabaptistas confutare conatus sit, siquidem multa docuit, ex quibus ansam præbuit Sacramentarijs hujus hæresis renovandæ, nam in Epist. ad Argentin. asserit, se valdè propensum fuisse in eam sententiam, quæ in Eucharistia nihil præter panem agnoscit, & conatum totis viribus hoc asserere, sed non potuisse Scripturis satisfacere, quæ contra objiciebantur Ibidem ait: *Si Carolstadius mihi persuadere potuisset, in Sacramento præter panem & vinum esse nihil magno beneficio, me sibi devinxisset, hâc enim re valdè Papatui incommodâssem, verùm ego me captum video, nullâ elabendi viâ relictâ: textus enim Evangelij nimis apertus est & potens, qui facilè convelli non posset.* Quid igitur mirum? si discipuli ejus id tentare ausi sint, quod Magistro suo gratum fore putabant. Deindè lib. de Captiv. Babil. cap. de Baptismo asseruit, Sacramenta non justificare, sed esse nuda signa: ex quo rectè sequi videtur, in Eucharistia non esse Christum, quorsùm enim ibi esset, si nihil nobis conferre debebat. Et in eodem lib. cap. de Euchar. negavit, Caput 6. Joannis ad Eucharistiam pertinere. Et hæc fuit præcipua causa, cur Sacramentarij negaverint realem præsentiam Christi in Eucharistia. Erasmus tamen Roterod. oppositum tenet Luthero, & omnibus Sacramentarijs, scilicet realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam, in Epist. ad Conradū Pelicanū ait: " Si tibi persuasum est, " in Synaxi nihil esse præter panem & vinum, ego membratim di" scerpi malim, quàm profiteri idem quod tu profiteris, & omnia " perpeti malim, quàm tali flagitio contra meam conscientiam ad-
" misso,

miſſo, ex hac vita demigrare; ad id (inquit) negavi ſemper, me ,, poſſe animum inducere, præſertim cùm Evangelicæ atq; Apoſto- ,, licæ litteræ tam evidenter nominent Corpus, quod datur, & San- ,, guinem, qui effunditur. ,,

Diſcurſus Theolog.

De Tranſubſtantiatione.

CUm in præcedenti Diſcurſu Author Tubæ dicat, plurimos ſuos Theologos cordatiores & modeſtiores, qui prioris ævi amant antiquitatem, convenire in Transmutatione cum Romanis, cùmquè dicat, non omnes, niſi cordatiores & modeſtiores convenire, oſtendit, alios disconvenire, qui non amant Antiquitatem Catholicam. Multò magis, cùm ab his iterum diſsentiant nonnulli Evangelici, & prætenſi Reformati (aliàs Calviniſtæ) plerique, undè nec inter Evangelicos, nec inter Calviniſtas eſt etiam unitas de Transmutatione, cùm dicat Author, nonnullos Evangelicos, & plerosq; prætenſos Reformatos, vel potiùs Calviniſtas, oſtendit, hos omnes diſsentire inter ſe, qui omnes ſi condeſcenderent in illam puritatem, quæ fuit in Veteri Eccleſia, concederent omnes hanc Transmutationem & præſentiam Chriſti, non quidem ordinariam, ſed veram & ſupernaturalem, ex vi verborum Chriſti, præſertim in tota Eccleſia Cathol. (ait Author Tubæ) ſemper & ubiq; ita creditam. Quare autem non omnes? ſed tantùm cordatiores & modeſtiores: quare non omnes? ſed nonnulli Evangelici & plerique Calviniſtæ concedunt hanc Transmutationem? alij verò ex his omnibus tam ſuis, quàm Evangelicis & prætenſis Reformatis, conveniunt cum Romanis, & ſequuntur puritatem (quæ fuit in Eccleſia Veteri) ſemper & ubique creditam, alij verò non ſequuntur cauſas diſsenſionis inter hos omnes inferiùs oſtendemus. Modò verò, cùm Author dicat, quòd vix quidquam clariùs & S. Scriptura, & SS. Patres de Tranſubſtantiatione loquantur, ideò & nobis de veritate Catholica breviter diſserendum.

Dicimus ergo, & conſtanter aſserimus cum tota Antiquitate & SS. Patribus, in Euchariſtiæ Sacramento per Tranſubſtantionem ſeu per Converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus Chriſti, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem Chriſti, ſalvis Accidentibus panis & vini, adeóq; verè, & propriè, & realiter ſub ijsdem Accidentibus, mox poſt prolata verba Conſecrationis, adeſſe Corpus & San-

guinem Christi. Pro hac veritate Catholica videantur loca S. Scripturæ ab Authore Tubæ superiùs citata pag. 74. quibus apponimus Joan. 6. *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* S. Hilarius lib. 8. de Trin. sic ait: *De veritate Carnis & Sanguinis non est ambiendi locus.* S. Dionysius, Discipulus Apostolorum, lib. de Hierar. Eccles. cap. 3. par. 3. præter alia multa hæc habet: *ô Divinissimum & Sacrosanctum Sacramentum! obducta tibi sanctificantium signorum operimenta dignanter aperi, & perspicuè nobis fac appareas, nostrosq; spirituales oculos singulari & aperto tuæ lucis fulgore imple.* S. Justinus Martyr in Apolog. 2. ad Anton. Imperat. sic ait: *Non enim ut communem panem neq; communem potum hæc sumimus, sed quemadmodum per verbum DEI Incarnatus JESVS Christus Salvator noster, & Carnem & Sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam per preces Verbi DEI, ab ipso Eucharistiam factum cibum, ex quo sanguis & carnes nostræ per mutationem aluntur, illius Incarnati JESV & Carnem & Sanguinem esse edocti sumus.* S. Irenæus lib. 5. cap. 2. ait: *Percipientia verbum DEI, fiunt Eucharistia, quod est Corpus & Sanguis Christi.* Et lib. 4. cap. 32. *Gratias egit dicens: Hoc est Corpus meum, & Calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos, suum Sanguinem confessus est.* Et lib. eodem cap. 57. *Accipiens panem, suum Corpus confitebatur.* Tertullianus, vicinus temporum Apostolorum, lib. de Resurrect. carnis: *Caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, ut anima de DEO saginetur.* Idem lib. de Idololatria ait: *Proh scelus! semel Judæi Christo manus intulerant, isti quotidiè Corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ!* Origenes Hom. 13. in Exodũ, exponens Caput 25. *Volo,* ait, *vos admonere Religionis vestræ exemplis: Nostis, qui Divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cùm suscipitis Corpus Domini, cum omni cautela & veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur, reos enim vos creditis, & rectè creditis, si quid indè per negligentiam decidat.* Idem Hom. 5. in diversa loca Evang. *Quando Sanctum Cibum, illudq; incorruptum accipis epulum, quando vita pane & poculo frueris, manducas & bibis Corpus & Sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur, &c. ubi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.* Et Hom. 7. in lib. Numeri: *Tunc in ænigmate erat Manna cibus, nunc autem in specie Caro Verbi DEI est verus cibus, sicut ipse dicit: quia Caro mea verè est cibus.* S. Cyprianus Serm. de Cœna Domini: *Panis iste, quem Dominus Discipulis porrigebat,*

Invocatio SS. Eucharistiæ.

Vixit An. 150

Veneratio SS. Eucharistiæ.

gebat, non effigie, sed naturâ mutatus, Omnipotentiâ Verbi factus est Caro, & sicut in Persona Christi Humanitas apparebat, & latebat Divinitas, ita Sacramento visibili, infallibiliter Divina se infundit essentia. S. Hilarius lib. 8. de Trinit. *Si enim verè Verbum Caro factum est, & nos verè Verbum Carnem in Cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est.* Et infrà: *De veritate Carnis & Sanguinis non est relictus ambiendi locus, &c.* Et mox: *An hoc veritas non est, contingat planè his verum non esse, qui Christum JESUM verum esse DEUM negant.* Greg. Nissenus Catech. cap. 37. ait: *Panem in Corpus statim commutari non per esum, sed per verbū DEI.* S. Ambrosius lib. de ijs, qui mysterijs initiantur, cap. 9. ait: *Ante benedictionem verborum cœlestium species nominatur, post consecrationem Corpus Christi significatur, &c. ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem Sanguis nuncupatur.* S. Cyrillus Hierosol. Catech. 3. Myst. *Panis Eucharistiæ post S. Spiritûs invocationem non ampliùs est panis communis, sed est Corpus Christi.* S. August. Serm. 28. de Verbis Domini ait: *Quod offertur in Altari, panis dicitur, ubi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed Corpus appellatur.* Idem Serm. ad Theoph. *Hoc accipite in Calice, quod est effusum de latere.* Idem dist. 2. Consecr. cap. 72. *Corpus Christi & Sanguis virtute Spiritûs S. ex panis & vini substantia efficitur.* S. Cyrill. Hierosol. Catech. 4. Myst. ait: *Hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse Corpus Domini: & vinum, quod à nobis conspicitur, etiamsi sensui gustûs vinum esse videatur, non tamen vinum, sed Sanguinem esse Christi.* S. Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 4. *Ante verba Christi quod offertur, panis dicitur: ubi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed Corpus appellatur.* Et lib. de Init. cap. 9. *Quantis utimur exemplis, ut probemus, hoc non esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, maioremq; vim esse benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.* Eusebius Emiss. aut quicunq; fuerit Author Sermonis de Corpore & Sanguine Christi, ait: *Antequam invocatione Sui Nominis consecreatur, substantia illic est panis & vini; post verba autem Sanguis & Corpus Christi.* Beda de Myst. Missæ: *Ibi forma panis videtur, ubi substantia panis non est.* Paschasius Corb. lib. de Corp. & Sang. Dñi cap. 1. *Licèt figura panis & vini hîc sit, omninò tamen nihil aliud, quàm Caro Christi & Sanguis post consecrationem credenda sunt.* Theophy-

antiquus error per esum.

Oblatio Corporis Christi.

phylactus in Matth. 26. *Non dixit, hoc est figura, sed, hoc est Corpus meum, &c. ineffabili enim operatione trasmutatur, quamvis nobis panis videatur. Panis quidem apparet, sed re vera Caro est.* Remigius Antisiodor. de Celebrat. Missæ: *Post consecrationem aliud est, aliud videtur. Videtur siquidem panis & vinum, sed in rei veritate est Corpus Christi & Sanguis.* S. Bernard. Serm. de Cæna Domini: *Hostia quam vides, iam non est panis, sed Caro mea; similiter liquor iste quem vides, iam non est vinum, sed Sanguis, &c. Videtur enim species panis & vini, creditur autem substantia Corporis & Sanguinis Christi.* Cyrillus Hierosol. Catech. 4. Myst. *Aquam aliquando mutavit in vinū, quod est sanguini propinquum, &c. & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in Sanguinem transmutásset.* S. Chrysost. Hom. 83. in Matth. *Non sunt humanæ virtutis opera proposita, nos ministrorum locum tenemus, qui verò sanctificat ea, & immutat, ipse est.* S. Ambros. lib. de Initian. cap. 9. *Quòd si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignē de Cælo deponeret; non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant.* Eusebius Emiss. Dom. in Ram. Palm. *Panem & vinum virtute ineffabili in Sui Corporis & Sanguinis substantiam convertit: nisi enim panis & vinum in eius Carnem & Sanguinem verterentur, nunquam ipse corporaliter manducaretur & biberetur. Mutantur enim ista in illa, &c. quod qualiter fiat, ipse solus novit, qui omnia potest, & omnia novit.* Eucherius Lugdun. Hom. 5. de Pasch. *Et quid mirum est, si ea quæ Verbo creare potuit, posset creata convertere.* Hugo Lingon. in Epist. ad Berengarium: *Sicut non capis, quomodo Verbum Caro factum sit: sic non potes iterum capere, quomodo panis iste mutetur in Carnem, & vinum in Sanguinem transformetur, nisi te docuerit Omnipotentiæ fides.* Anselmus Laudun. in Cap. 2. prioris ad Corinth. *Profitemur scilicet, substantiam panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Domini converti, modum verò conversionis nos ignorare non erubescimus fateri.* Nicolaus Metolen. Orat. de Euchar. *Quid requiris causam & ordinem naturæ? panis transmutationis in Corpus Christi, & aquæ viniq; in Sanguinem, cùm super naturam, rationem, mentem, & cogitationem ex Virgine natus sit Christus. Non credis itaq; nec Resurrectionem mortuorum, nec eius in Cælos assumptionem, & alia Christi miracula, supra naturam, mentem, & cogitationem eminentia.* S. August. Tract. 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Idem in

Psalm.

Psalm. 33. Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum, ait: *Hoc est Corpus meum*; ferebat enim illud in manibus suis. S. Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. 4. ait: Panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit Caro Christi. Et inferiùs ibidem: Sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia. Jussit Dominus, & factum est Cœlum: jussit Dominus, & facta est terra: jussit Dominus, & facta sunt maria: jussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo, quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis in sermone Domini JESU, ut inciperent esse quæ non erat, quàm magis operatorius est, ut quæ erant, in alia commutentur. Idem post pauca: Ergo tibi ut respondeam, non erat Corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem: dico tibi, quòd jam Corpus est Christi, ipse dixit, & factum est. Quid clariùs de Transmutatione? S. Cyrillus Hierosol. Catech. 4. Mystag. ait: Cùm ipse dixerit, *Hoc est Corpus meum*, quis audebit deinceps ambigere? Et cùm idem ipse tam asseveranter dixerit, *Hic est Sanguis meus*, quis unquam dubitaverit, ut dicat, non esse ejus Sanguinem? Idem paulò post: Quare cum omni certitudine Corpus & Sanguinem Christi sumamus: nam sub specie panis non est panis, etiamsi gustu ita appareat, sed Corpus Christi; & quod videtur vinum, non est vinum, etiamsi gustus velit, sed Sanguis Christi. S. Chrysost. Hom. 60. ad popul. Antioch. ait: Neq; enim satis illi fuit Hominem fieri, colaphis cædi, & crucifigi, verùm & semetipsum nobis commiscet, & non fide tantùm, verùm & ipsâ re nos suum efficit Corpus. Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem Sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, Carnem hanc dividentem? os, quod igne Spirituali repletur? linguam, quæ tremendo nimis Sanguine rubescit? cogita, quasi insignitus es honore. Quod Angeli videntes horrent, neq; liberè audent intueri, propter emicantem indè splendorem. Hoc nos pascimur, huic nos unimur. Idem Homil. 61. ad Popul. Christum palpamus, Christum comedimus, eundemq; præsentem habemus in Altari, quem Magi venerati sunt in præsepio. S. Hieronym. Quæst. 2. ad He. ait: Ipse est comedens, & qui comeditur. Optatus Milevit. lib. 6. contra Parmen. Quid est Altare, nisi sedes Corporis & Sanguinis Christi. Et infrà: Hoc tam immane

saci-



" facinus geminatum est, dum fregistis etiam Calices, Christi San-
" guinis portatores. S. Damascenus lib. 4. cap. 14. ait: Panem &
" vinum transmutari in Corpus & Sanguinem Christi. Eusebius
" Emiss. Hom. 3. de Pass. Visibiles creaturas in substantiam Cor-
" poris & Sanguinis Christi converti, transire, & commutari. 1. Co-
rint. 11. *Itaq; quicunq; manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. &c. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans Corpus Domini.* Hic reos facit Apostolus Corporis & Sanguinis Domini, sibiq; judicium affirmat manducare & bibere, qui indignè sumunt Eucharistiæ Sacramentum, multosq; indignâ Communione infirmari, & imbecilles esse, quod non contingeret ex solius figuræ esu, sicut non contigit Judæis in esu Agni Paschalis, quorũ neminem ex eo vel mortuum, vel peccatum novum commisisse constat, quia indignè cum peccato mortali de Manna vel de Agno sumpsissent, qui fuit typus Agni Immaculati, ut dicitur Joan. 1. *Ecce Agnus DEI.* Et Concil. Nicænum I. cap. de Divina Mensa ait:
" Fide intelligamus situm in Sacra illa mensa Agnum illum DEI,
" tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum,
" & pretiosum ipsius Corpus & Sanguinem nos verè sumentes,
" credere esse hæc nostræ redemptionis symbola. Concilium Con-
" stantinop. Generale VI. Act. 8. ait: Accedimus ad benedictio-
" nes arcanas, & sanctificamur, participes effecti tam Sanctæ Car-
" nis, quàm pretiosi Sanguinis Christi. Vide alia Concilia, ut Arelatense II. Can. 15. Turonense II. Can. 3. Toletanum XII. S. Am-
" brosius Orat. præparante ad Missam Feriæ 2dæ ait: Quantâ enim
" cordis contritione & lacrymarum fonte, quantâ reverentiâ &
" tremore, quantâ corporis castitate, & animæ puritate istud Divi-
" num Cœleste Sacrificium est celebrandum, ubi Caro tua in veri-
" tate sumitur, ubi Sanguis tuus in veritate bibitur. S. Anacletus Papa & Martyr, proximus post S. Petrum, in Epist. 2. cap 2. ait:
" Dominus Sacri sui Corporis tractatores, à vilibus & reprobis, ac
" non idoneis personis infamari noluit. S Alexander Papa & Mar-
" tyr, tertius post S. Anacletum, Epist. 1. cap. 4. ait: In Sacramen-
" torum quoq; oblationibus, quæ inter Missarum Solemnia Domi-
" no offeruntur, Passio Domini miscenda est, ut ejus, cujus Corpus
" & Sanguis conficitur, Passio celebretur. &c. Talibus hostijs de-
" lectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia.

Agnus incruentè immolatus.

Divinum & Cæleste Sacrificium Caro Christi, NB.

inter Missarum Solemnia oblatio Corporis Christi & Passio miscenda.

Nihil enim in Sacrificijs majus esse potest, quàm Corpus & San- „ guis Christi, nec ulla oblatio hâc potior est, sed hæc omnes præ- „ cellit. Quæ purâ conscientiâ Domino offerenda est, & purâ men- „ te sumenda, atq; ab omnibus veneranda. Vide alios SS. Patres, „ qui de hac reali præsentia in Eucharistiæ Sacramento clarè loquuntur, ut S. Ignat. Epist. ad Rom. S. Irenæus lib. 4. cap. 34. Justinus Apolog. 2. ad Anton. Pium, S. Basil. Exhort. de Baptism. S. Chrysost. Hom. 83. in cap. 26. Matth. Gregor. Nazianz. Orat. 2. in Pascha, S. Cyrillus Hierosol. Catech. 3. Tertull. lib. 4. cont. Marcion. cap. 40. Origen. Homil. 7. in Num.

Discursus Theol.

De reali præsentia Christi in Eucharistia ex confessione Dissidentium.

LUtherus in Epist. ad Anabapt. Tom. 1. Jen. pag. 320. quem etiam citat Author Tubæ pag. 22. ait: *Nos fatemur, sub Papatu &c. immo omne bonum Christianum esse. &c. Fatemur, esse in Papatu &c. verum Sacramentum Altaris.* Sed tempore Lutheri, sicut & à principio, in Papatu, hoc est, in tota Ecclesia Rom. Catholica, semper & ubiq; credita est hæc realis & vera præsentia Christi in Eucharistiæ Sacramento. Ergo cùm dicit Lutherus, verum Sacramentum Altaris sub Papatu, agnoscit hanc realem Christi præsentiam sic semper creditam. Melanchton ad Fridericum Mycon. sic ait: *Si pro Corpore figuram accipias, quod non poterit eludi hâc arte? sic licebit totam Religionis formam transformare.* Idem lib. de verit. Corporis & Sanguinis Dñi: *Si ob rationes humanas Christum neges esse in Eucharistia, quid dicet in tentatione conscientia? quam afferet causam discedendi à recepta sententia,* (nota Lector!) *scilicet in Ecclesia? Tunc ista verba, Hoc est Corpus meum, fulmina erunt. Quid hìc opponet mens perterrefacta? quibus Scripturis, quâ voce DEI se muniet, ac sibi persuadebit, necessariò hìc fuisse interpretandam metaphoram, cùm Verbum DEI præferri debeat iudicio rationis.* Calvinus in Cap. 11. prioris ad Corint. ait: *Christus visibile illud signum nobis porrigendo, unà dat etiam nobis suum Corpus. Neq; enim fallax est, qui vacuis figuris nos ludat. Proindè illud mihi est extra controversiam, veritatem hìc cum suo signo coniunctam, scilicet Corpus Christi verum cum Symbolo panis coniunctum.* Idem lib. 4. Instit. cap. 17. §. 32. *In Sacra Cœna iubet me sub Symbolis panis & vini Corpus ac Sanguinem suum sumere, manducare.* NB. *Calvini Sententia.*

ducare, ac bibere. Nihil dubito, quin & ipse verè porrigat, & ego recipiam. Idem in libello de Cæna Dñi: *Necesse est, nos in Cæna verè Corpus & Sanguinem Christi recipere.* Et ibidem ait: *Intelligimus Christum nobis in Cæna veram propriamq; Corporis & Sanguinis sui substantiam donare.* Alibi quid dixerint superiùs citati Lutherus & Calvinus, audiamus. Lutherus lib. de Capt. Babil. de Eucharistia ait: " Audacior factus sum, & stabilivi tandem sententiâ priore, esse vi" delicet verum panem & verum vinum. Prior verò sententia illius fuit, *in Papatu verũ esse Sacramentũ Altaris*; alia, ad quam audacior factus est, fuit illa privata, de qua superiùs dixerat, nempè, *Si Carol*-

NB. *stadius mihi persuadere potuisset, in Sacramento præter panem & vinũ esse nihil, magno beneficio me sibi devinxisset, hâc enim re valdè Papatui incommodâssem. &c.* Calvin⁹ A. D. 1540. edidit librũ de Cæna Dñi Gallicè, quem post 5 annos Gallasius reddidit Latinũ, in quo libro nominatim reprehendit tum Lutherum, tum Zwinglium, & se judicem illorum facit. Idem Lutherus in libello brevis Confessionis de Eu" charistia ait: Ad hunc itaq; modum Decretis & Traditionibus

aperta blasphemia contra Spiritum S.

" Ecclesiæ repugnare, & ob hoc ipsum eas aspernari, quia sic visum " fuit Ecclesiæ & Spiritui Sancto. Tamen horum dictorum & similium, gravem remorsum conscientiæ sæpiùs habuit Lutherus. Sic enim Tom. 2. Jenens. fol. 9. in Præfat. libr. de abusu Missæ ait: " Quàm sæpè cor mihi palpitavit, meq; coarguit, atq; objecit: Tu-

Vide pag. 69

" nè solus sapiens, cæteri omnes errent? &c. Idem ibidem: Quod " Christiana Ecclesia decrevit, totq; annis credidit, tu impugnas, ac " tanquam falsum evertis. &c. Calvinus etiam, cùm superiùs concessisset verum Corpus & Sanguinem sub Symbolis panis & vini, in

Calvini Antilogia.

" consensione de re Sacramentaria in fine ait: Cùm signa hîc in " mundo sint, oculis cernantur, palpentur manibus, Christus qua" tenus Homo est, non alibi quàm in Cœlo quærendus est. Sed & ille non potuit effugere dubitationem & incertitudinem. Ait enim " lib. 3. cap. 2. §. 17. Nos certè, dum fidem docemus esse debere " certam & securam, non certitudinem aliquam imaginamur, quæ " nullâ tangatur dubitatione, nec securitatem, quæ nullâ sollicitu" dine impetatur. Et §. 18. adjungit: In fideli mente certitudi" nem permixtam esse dubitatione. Sed ampliùs dixit, ubi suprà: " In cunctis semper mixtam esse fidei incredulitatem. Hæc adducere placuit, ut clarè omnibus pateat, quare Theologi cordatiores & modestiores, qui Catholicam prioris ævi Antiquitatem (ut ait

Author

Author Tubæ) amant, conveniant cum Romanis, alij verò non; quare dissentiunt nonnulli Evangelici & prætensi Reformati plerique, alij verò ultra nonnullos & plerosq; consentiunt cum Romanis? quia hi condescenderunt in illam puritatem, quæ fuit in Veteri Ecclesia, ut testatur Author Tubæ. Illi verò, qui dissentiunt à Romanis, qui non amant Antiquitatem, nec condescendunt in illam puritatem, quæ fuit in Veteri Ecclesia, quid mirum? si dissentiant etiam inter se, cùm prima Capita illorum tam variè sinè firmo de rebus Fidei assensu, sed cum formidine fallibilitatis scripserunt & docuerunt. Apud quos quid certum esse potuit? qui vela ventis sinè gubernaculo dederunt, tutissimo Ecclesiæ portu relicto, prout ipsi fassi sunt. Quod Ecclesia Christiana decrevit, totq; annos credidit, tu impugnas, & tanquam falsum evertis; tunc solus sapiens, cæteri omnes errent. Si verò Cathol. Rom. Ecclesiæ fidem habuissent, nunquam in has angustias conscientiæ venissent, quàm tuti & tranquilli fuissent, cùm Apostolus 1.Tim. 3. illam *Columnam & firmamentum veritatis* dicat. Et S. Cyprian. de Unit. Eccles. ait: Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est. & pudica, unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Et licèt Lutherus relictâ primâ Ecclesiæ sententiâ dixerit, *Stabilivi sententiam meam sententiâ priore, esse videlicet verum panem & verum vinum*; tamen contra eos, qui negabant præsentiam Christi in Eucharistiæ Sacramento, alibi ait: Ego tanquam alterum pedem in sepulchro habens, &c. hostes Sacramenti, Carolstadium, Zwinglium, Oecolampadium, toto pectore vitârim & damnârim, juxta mandatũ ad Titum, hæreticum hominem &c. devita. Et Calvinus in libello de Cæna Dñi in fine, contra Zwingl. & Oecolampad. sic ait: Dum nimis studiosè ac diligenter in hoc sibi incumbebant, ut asseverent, panem & vinum Corpus & Sanguinem Christi vocari, quòd ipsorum signa sint non cogitârunt, sibi hoc intereà simul agendum, ut adjungerent, ita signa esse, ut nihilominùs veritas cum eis conjuncta sit. Idem in Cap. 11. prioris ad Corint. ait: Concludo realiter, ut vulgò loquuntur, nobis in Cæna dari Corpus Christi. Et Plessæus lib. 4. de Eucharist. cap. 2. ait: Dum Sacra Cæna ex præscripto Christi celebratur, Christum realiter & substantialiter recipimus. Calvinus lib. 4. Instit. cap. 17. § 10. ait: Etsi autem incredibile videtur, in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi Carnem, ut nobis sit in

" in cibum ; meminerimus, quantùm ſupra ſenſus omnes noſtros
" emineat arcana Spiritûs S. virtus, & quàm ſtultum ſit, ejus im-
" menſitatem noſtro modo velle metiri: quod ergo mens noſtra
" non comprehendit, concipiat Fides. Beza in Tract. de re Sacra-
" mentaria, qu. 9. ait: Fatemur, incomprehenſibile eſſe myſterium
" DEI, quò fit, ut quod eſt & manet in Cœlis, & non alibi, verè
" communicatur nobis, qui in terra ſumus, & non alibi.

Diſcurſus Theol.

In quo probatur eadem materia evidentibus Rationibus.

PRobatur ulteriùs Rationibus. Si in Sacramento Euchariſtiæ non eſſet verum Corpus Chriſti, indignè ageret Chriſtus cum Eccleſia ſua, quam per univerſum Orbem totis annis mille quingentis in tali errore occaſione verborum ſuorum relinqueret. Sic inter alios ſcri-
" bit Eraſmus Roterod. ad Ludovicum Berum: Nunquam mihi
" perſuaderi potuit, neq; poterit, Chriſtum, qui eſt Veritas & Cha-
" ritas, tam diù paſſurum fuiſſe, dilectam Sponſam ſuam, id eſt Ec-
" cleſiam, hærere in tam abominando errore, ut cruſtulum farina-
" ceum adoraret pro ipſo.

Secundò. Non permitteret etiam DEUS, Paſtores Eccleſiæ, quibus commiſit regendam Eccleſiam, & Sanctos Patres univerſim tam graviter errare, qui paſſim vix quidquam clariùs loquuntur, ut ait Author Tubæ, quàm de præſentia Chriſti in Euchar. Sacram.

Tertiò. Totis 1050. annis poſt Chriſtum natum, conſtans fuit Eccleſiæ & omnium Veterum doctrina per Orbem usq; ad Berengarium, qui primus hunc errorem excitavit, ſed fuit vir indoctus, ut teſtatur Guitmundus, & is ſtatim in Concilijs Romano Primo ſub Nicolao II. & altero Romano ſub Gregorio VII. damnatus, tertiò relapſus, & reſipuit tandem ſub vitæ finem, ut ait Gulhelmus Malmesber. ſerióq; de ſuo errore dolens, ut teſtatur Joan. Gerſon, vide ſuprà pag. 458. Quis tam cæcus erit? qui huic errori Berengarij, & aliorum recentiorum acquieſcet, & conſtantem Eccleſiæ & SS. Patrum reijciet doctrinam.

Serm. de Cœna Dom. & par. 4 Alphab. 69

Quartò. Doctrina hæc, quam tot Sæculis à ſuis primordijs retinuit Eccleſia, nec Omnipotentiæ DEI adverſatur, apud quem *non eſt impoſſibile omne verbum,* quo ſi potuit, ut probat S. Ambroſius, *ut inciperent eſſe, quæ non erant, multò magis, ut ea quæ erant,*

Luc. 1

in

in alia commutentur. Et S. Cyrillus: *Potuit aquam in vinum convertere, & non erit dignus cui credatur, quòd vinum in Sanguinem converterit.* Nec repugnat Charitati: quia propter nimiam Charitatem, quâ dilexit nos, ad Ephes. 2. semetipsum tradidit pro nobis, Gal. 2.

Quintò. Quia, qui Ecclesiæ Cathol. Rom. doctrinam reijciunt, corrumpunt apertè S. Scripturam, cùm pro his verbis, *Hoc est Corpus meum,* ponunt, vel significat, vel assidet mensæ, vel est Signum Corporis, vel hic panis est Corpus meum, & alij alia absurda excogitârunt.

Sextò. Ex Conditionibus hæresum probatur, falsam esse doctrinam, negantem præsentiam Christi in Eucharistia. Conditio primaria hæresis, est Novitas doctrinæ; Novitas verò his Conjecturis convincitur: Si notari possint, Author, locus, tempus; si incipiat cum paucis Sectatoribus; si cum admiratione & perturbatione fidelium appareat; si ei contradicatur, ad judicium & examen adducatur, & tandem in Concilio Episcoporum, & à populis fidelibus condemnetur. Id enim in omnibus hæresibus gravioribus invenitur, ut Ariana, Nestoriana, Eutychiana, Pelagiana, & alijs similibus. Hæc hæresis habet certum Authorem primum, Berengarium, hoc testantur multi Historici, inter quos Paschasius, lib. de Verb. Instit. Sacram. Tempus etiam notum est, nam ab Historicis & Chronol. alijsq; Scriptoribus annotatum est. Scribit Sigibertus in Chron. An. 1051. cæpisse Berengarium & hâc novâ hæresi Gallias perturbare. Idem habent Lantfrancus, & Guitmundus, & Guilelmus Bibliothec. Locus etiam notissimus, nam in Gallia cæpit suam hæresim, ut testantur Scriptores. Paucitas etiam Sectatorum initiò patet ex Guitmundo, lib. 1. ubi ait, Berengarium cæpisse audiri à „ pauperibus Scholaribus quibusdam, quos ille datâ stipe alliciebat. „ Admiratio & perturbatio Ecclesiæ, quæ est evidens, Judicium Novitatis describitur ab ijsdem Auctoribus, præsertim ab Adelmanno Epist. ad Berengar. & à Lantfranco in init. lib. contra Berengar. ubi dicit, lectam fuisse epistolam Berengarij in Concil. Rom. sub „ Leone IX. & omnes Episcopos miratos esse, quòd illa Novitas ad- „ versaretur usitatissimæ Fidei Catholicæ. „ Deniq; Contradictio, Examen, Judicium, Condemnatio, habentur ibidem. Sic enim scribit Lantfrancus: Tempore S. Leonis Papæ delata est hæresis tua „ fol. 19 ad Apostolicam Sedem, &c. Et infrà ait: Intellecto, quòd com- „ muni „

" muni de Eucharistia fidei adversa sentires, promulgata est in te
" damnationis sententia, privans te Communione Sanctæ Ecclesiæ,
" quam tu privare Sanctâ ejus Communione satagebas. Videmus ergo omnia signa hæresis Berengarij, quorum ne unum quidem aliquis hæreticorum ostendere potuit in sententia Cathol. Rom. Ecclesiæ, quis auctor illius fuit, neq; locum, neq; tempus, neq; judicium poterant unquam adversarij ostendere. Quod etiam indè magis confirmatur. Nam Græci à Rom. Pontificibus longissimo ante tempore recesserunt, proindè eorum dogmata, si nova essent, non facilè recepissent, & tamen in hac re ab Ecclesia Romana nunquam dissenserunt, nec modò dissentiunt, ut etiam patet ex Censura Orientalium Confess. Augustanæ Lutheranorum. De hac publica fide Ecclesiæ Lantfrancus suo tempore sic scripsit in extremo libello con-
fol. 591 tra Bereng. *Interroga universos, qui Latinæ linguæ, nostrarumvè literarum notitiam perceperunt: interroga Græcos, Armenios, seu cujuslibet Nationis quoscunq; Christianos, uno ore hanc se fidem testabuntur habere.* Paschasius in lib. de Instit. Sacram. explicans verba Domini, *Hoc est Corpus meum*, ait: *Nullum fuisse, qui se Christianum diceret, qui negaret, Carnem Domini verè esse in Eucharistia.* Deindè Berengarius, postquam abjuraverit hæresim suam in ipsa morte, paucissimi fuerunt illius discipuli, & vix alibi, quàm in Gallia, & brevi tempore extincti.

Ultimò Plurima miracula testantur præsentiam Christi in Eucharistiæ Sacramento, tam veterum, quàm posteriori ætate, quæ passim inveniuntur apud veteres Authores, & apud SS. Patres, ut apud S. Cyprian. Serm. 5. de lapsis, apud S. August. lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. apud Optatum Milevet. lib. 2. cont. Donat. qui refert, aliquos ex Donatistis à suis canibus laceratos, eò quod canibus projicerent Corpus Christi: & passim apud alios. Samuel Werner in Disput. de Reliquijs, citat varia miracula pro præsentia Christi in Eucharist. à Sæculo XI. ad Sæc. XIV. vide suprà pag. 156. Cùm ergo miracula non possunt esse, nisi à DEO, cùm sint res præter naturam insolitæ, & fiunt in confirmationem veritatis, quis tam alienus erit à ratione, ut magis credat proprio sensui, & erroneis doctrinis, quàm tot testimonijs suprà allatis, etiam adversariorum, & non captivet intellectum suum in obsequium fidei, cùm multa DEUS fecerit, quæ excedunt captum humanum, ut Creatio mundi, Creaturarum conservatio, & gubernatio earum, resurrectio corporum. Undè S.
Leo

Leo Serm. 7. de Nativit. Dñi dixerit: *Abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminatæ fidei oculo mundanæ sapientiæ fumus abscedat.* De hoc captivando intellectu fassus est Calvinus in 2. Cor. cap. 8. dum ait: *Quamdiu ergo acquiescimus in proprio sensu, & nobis ipsis sapimus, procul absumus ab omni accessu doctrinæ Christi.* Idem subdit: *Continenda & frænanda humani ingenij libertas, nec coërceri potest eius audacia, nisi veluti captiva teneatur, &c. & maneat in captivitate voluntaria.* Utinam re ipsâ præstitisset, quod verbis expressit.

Cùm verò nostra sententia explicata sit contra Berengarium ab Anno Dñi 1051. habuit plurimos Patronos, tam claros vitæ sanctitate & miraculis, ut etiam ab adversarijs nostri temporis Sancti habeantur. Lutherus lib. de Captiv. Babil. cap. de Eucharistia, Thomam Aquinatem vocat Sanctum, & cap. de Baptismo, Bernardum, Dominicum, Franciscum, etiam vocat Sanctos. Melanchton in Apolog. Confess. August. Art. 4. & 5. & 27. Sanctos vocat Antonium, Bernardum, Dominicum, Franciscum. Petrus Martyr in Comment. 3. Cap. 1. ad Corint. in illud *Dies enim Domini declarabit salvatos*, affirmat eosdem Sanctos. Calvinus Institut. cap. 1. & 17. Bernardum pium Scriptorem vocat. Hos autem omnes constat firmiter credidisse præsentiam Christi in Eucharistia ex libris illorum, tum quia semper Ecclesiæ Cathol. Rom. & Romanis Pontificibus adhæserunt, post condemnatam hanc hæresim. At extra Controversiam: Si Sancti, & Amici DEI fuerunt, etiam testimonio adversæ partis, & isti omnes cum Universali Ecclesia præsentiam Christi crediderunt in Eucharistiæ Sacramento, sequitur, veram esse sententiam Catholicam, quòd Christus maneat præsens in Eucharistiæ Sacramento, sub speciebus panis & vini.

Discursus Theol.

In quo probatur eadem materia ex modo loquendi Patrum de hoc Divinissimo mysterio.

PRobatur ulterius præsentia Christi in Eucharistia, ex modo loquendi Patrum de hoc Sacramento. Patres præcipiunt præparationem ad hoc Sacramentum, ad dignam ejus sumptionem. S. Paulus 1. ad Corint. 11. *Itaq; quicunq; manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.*

mini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Sanguine bibat: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. S. August. Epist. 118. cap. 6. ait: Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Dominicum Corpus intraret, quàm cæteri cibi: nam ideò per universum Orbem mos iste servatur, &c. ideò non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. S. Augustinus his verbis ultimis ostendit Traditionem Apostolicam, ut à jejunis Sacramentum sumatur. S. Chrysost. Hom. 27. in 1. ad Corint. ait: Tu priusquam accipias, ieiunas, ut aliquomodo dignus Communicatione videaris. Similia habet S. Cyprianus lib. 2. Epist. 3. Tertull. in lib. 2. ad uxorem. S. Ambrosius Orat. præpar. ad Missam ait: Doce me servum tuum indignũ &c. tantum tractare mysterium, eâ reverentiâ & honore, eâ devotione & timore, quibus oportet & decet, &c. Concede mihi Missarum Solemnia mundo corde, & purâ mente celebrare. Idem S. Ambros. lib. 6. in Luc. cap. 37. exponens Caput 9. ait: Ubiq; mysterij ordo servatur, ut priùs per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, posteà alimonia mensæ cœlestis exuberet. S. Hieron. in Comment. Cap. 1. ad Tit. Ex figura panis propositionis probat summam puritatem requiri, qui ad Eucharistiam accedunt. S. August. Tract. 26. in Joan. ait: Innocentiam ad Altare portate. S. Chrysostomus sæpiùs repetit, illos debere puros à peccatis, qui Eucharistiam sumunt, ut Hom. 30. in Genes. Hom. 83. in Matth. Hom. 45. in Joan. Hom. 24. in 1. ad Corint. Hom. 3. in Epist. ad Ephes. in quo ultimo loco ait: Cum tali puritate accede semper, sinè hac ne præsumas unquam. Regem utique non audeas osculari, siquidem os tuum olet graviter, & Regem Cœlorum impudens oscularis, animâ tuâ vitijs olente. S. Basilius de hac re ex professo ait lib. 2. de Baptis. cap. 3. cujus Capitis Titulus est: An tutum sit, si quis non purgatus ab omni inquinamento carnis & spiritûs, edat Corpus Domini? S. Cyprian. lib. 3. Epist. 14. reprehendit peccatores non absolutos, accedentes ad Eucharistiam, dum ait: Nondum pœnitentiâ actâ, nondum exomologesi, nondum manu eis ab Episcopo & Clero impositâ, Eucharistia eis datur, cùm scriptum sit: Qui ederit panem, aut biberit Calicem Dñi indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Idem habet Justinus Martyr Apolog. 2. propè finem. Hoc etiam patet ex Concilijs antiquis, Ancirano I. sub S. Sylvestro, Can. 4. 5. 6. & 7. Elibertino singulis ferè Canonibus, Nicæ-

NB.

no

no I. Generali, Can. 11. & 12. *Ne pœnitentes, id eſt, qui pœnitentiam agunt, ſed nondum abſoluti & reconciliati ſunt, admittantur ad Communionem.* S. Soter Papa & Martyr (ut in Vita ejus legitur) hæc inſtituit, *ut Chriſti Corpus in Cœna Domini ſumeretur ab omnibus, exceptis illis, qui propter grave peccatum id facere prohiberentur.* 1mò, Patres adorabant Euchariſtiam, vide Cyrill. Hieron. Ambroſ. Nazianz. Chryſoſt. Auguſt. Theodor. 2dò. Patres appellabant Euchariſtiam Corpus & Sanguinem Domini, vocant præterea pretioſum Corpus, tremenda myſteria, pignus ſalutis, pretium noſtrum, vide Optatum Milevet. Chryſoſt. Ephrem, Auguſtin.; Sacramentarij verò abhorrent ab his nominibus, & vix aliter, quàm Symbola Corporis & Sanguinis vocant. 3tiò. Patres verò palàm affirmant, differre hoc Sacramentum à Manna, Agno Paſchali, pane propoſit. & ſimilibus, ut veritatem à figuris, & corpus ab umbra, & rem Cœleſtem, Divinam, & inconſumptibilem, à terrena & conſumptibili diſcernant, vide Origenem. Cyprian. Hieron. Chryſoſt. Auguſtin. Cyrill. Alex. Comparant etiam cum myſterio Incarnationis, ut Juſtinus, Ambroſ. Chryſoſt. Theodor. Gelaſius, Remig. Alij, ut Tertullianus, Baſilius, Cyprianus, & alij, indignè tractantes Euchariſtiam cum illis comparant, qui Chriſtum occiderunt. 4tò. Realem mutationem aſſerunt multis modis. *Primò* dicunt, non remanere panem poſt conſecrationem, ut Cyrill. Hieron. Ambroſ. Gaudent. Chryſoſt. Gregor. Niſſen. Emiſſenus. *Secundò* iidem Patres dicunt, ſenſus falli in hac re, & præter hos Hilarius & Epiphanius. *Tertiò* comparant cum realibus mutationibus aquæ in vinum, virgarum in ſerpentes, vide Ambroſ. Cyrill. utrumque, Auguſtin. Emiſſenum. *Quartò* dicunt, ad iſtam mutationem requiri Omnipotentiam DEI, vide Juſtinum, Irenæum, Cyprian. Hilar. Ambroſ. Niſſen. Gaudent. Proclum. *Quintò* dicebant, Euchariſtiam myſterium altiſſimum, nec poſſe intelligi ſinè Fide, & hortabantur ad hanc Fidem, & ad non dubitandum de veritate hujus myſterij, ut Hilarius, Cyrillus Hieroſol. Ambroſ. Nazianz. Epiphan. Ephrem, Gaudent. Chryſoſt. Dicebant etiam miraculum ſuperans humanum captum: non loquebantur de Euchariſtia coram Paganis & Catechumenis, niſi illis verbis, *nôrunt fideles, nôrunt initiati*; & quando quis quærebat, quomodo poteſt fieri? remittebant ad Omnipotentiam Divinam. Cavebant diligentiſſimè, ne aliquid caderet in terram, vide Patres, Tertull. Origen. Cyrill. Auguſtin. Non permittebant, videri eam

ab Infidelibus, vide Basil. August. Asserebant Angelos propè adstare Altari, dum peragitur Sacrificium, Ambros. Chrysost. Greg. Papa. Et Chrysost. expressè dicit, Angelos capite inclinato adstare coram Eucharistia. Dicebant, per Eucharistiam nobis uniri Christum corporaliter, Hilar. Nissen. Chrysost. Cyrillus uterque. Dicebant, corpora nostra resurrectura, quia uniuntur cum Christo Corpore, Concil. Nicæn. Hilar. Iren. Ambros. Optat. Nissen. Gaudent. Chrysost. Dicebant, donare se nobis Christum ut eum vere habeamus intra nos, non solum per Fidem & Charitatem, sed etiam re ipsâ, cùm eum in Eucharistia sumimus. Sunt & alia multa documenta præsentiæ Christi in SS. Patribus, ita ut verum dixerit Author Tubæ pag. 74. his verbis: *Vix quidquam clarius & S. Scriptura, & SS. Patres loquuntur de hac præsentia Sacramentali & supernaturali, vi verborum Christi.*

Confirmatur ex inconstantia adversæ partis. Nam Lutherus & Calvinus partim affirmabant, partim negabant, & sæpiùs mutabant sua placita, ut patet ex superiùs allegatis. Zwinglius, qui renovavit hunc errorem Berengarij, quàm timidè & dubitanter suam sententiam de Cæna Domini protulerit, testis est Chemnicius libell. de Cæna Domini, fol. 215. De Oecolampadio scribit Selneccerus parte 1. Comment. in Psalm. p. 215. hâc precatione in morbo usum: *JESV Christe, patefac mihi veritatem tuam, an etiam hactenus de Sacra tua Cæna rectè docuerim & scripserim.*

pag. 466

Discursus Theolog.

In quo testimonia Centuriatorum adducuntur, de reali præsentia Christi in Eucharistia per Transubstantiationem.

EUcharistiam continere verum Corpus & Sanguinem Christi, transubstantiatis pane in Corpus, & vino in Sanguinem, Centuriatores Cent. 3. col. 58. S. Cyprianum citant, dicentes, Serm. 5. de lapsis *sentit, in Cæna Corpus & Sanguinem Christi esse, & ut vocat* Serm. de Cæna Dni, *Panis iste, quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus*; Et subdunt ibidem, *Christianos usq; hodiè Sanctissimum & verac issimum suum Corpus sanctificare* Plura pro Transubstant. ijdem Cent. 3. 7. col. 184. lin. 33. Chrysostomus

mus (ajunt) videtur Transubstantiationem confirmare, nam ita scribit: *Num vides panem? num vinum? num sicut reliqui tibi in secessum vadunt? absit! ne sic cogites. Quemadmodum enim, si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit, ita & hîc puta mysteria consumi Corporis substantiâ.* Eusebiũ Emiss. de Transubstant. locutũ dicũt Cent. 4. c. 10. col. 985. lin. 30. sunt verba Eusebij: *Ecce Sacerdos in æternũ, &c. mox in eius Sanguinẽ vinũ convertitur.* S. Ambrosium eandem profitentem agnoscunt lib. de Sacram. & col. 244. *Panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit Caro Christi, &c.* Lutherani in confirmationem realis præsentiæ adducunt S. Ignatij authoritatem in Epist. ad Smyrn. contra hæreticos sui temporis sic loquentem: *Eucharistias & oblationes non admittunt, quia non confitentur, Euchar stiam esse Carnem Salvatoris nostri JESV Christi, qui pro peccatis nostris passus est.* Sic habetur in lib. Concordiæ impress. Lipsiæ 1581. 9. recitat. p. 177. Cent. 4. col. 294. ajunt, Athanasius expressè negat, *ex Carne & Sanguine Christi aliquid in mundo inveniri, nisi illud, quod in Ara Crucis per manus Sacerdotum quotidiè spiritualiter efficitur.* Est & phrasis nova apud Nazianz. in 1. invectiva in Julianũ: *Mox in incruenti Sacrificij oblatione manus commaculat.* Citant & Greg. Niss. Orat. Catech. *Rectè nunc etiam DEI verbo sanctificatum panem in DEI Verbi Corpus credimus immutari.* Col. 662. Canonem PP. Concil. Nicæni referunt his verbis: *Pervenit ad S. Concilium, quòd in locis quibusdam Presbyteris Sacramenta Dia oni porrigunt, hæc namq; neq; regula, neq; consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi Sacrificij non habent potestatẽ, his qui offerunt Corpus Christi, porrigant.* Cent. 5. col. 516. dicunt, Theodoretus scribit, *Symbolica Corporis & Sanguinis Domini alia quidem sunt ante invocationem Sacerdotis, sed post invocationem immutantur, & alia fiunt.* Col. 518. Eucherium citant, *Christianis præceptum est, ut oblationem panis & vini Corporis & Sanguinis Christi Sacramentum in Sacrificium offeramus.*

Antiquitas Missæ Sacrificij.

Discursus Theol.

In quo probatur adoratio & veneratio SSmæ Eucharistiæ.

CIrca adorationem Sanctissimæ Eucharistiæ, variæ sunt sententiæ inter Dissidentes & Protestantes, de ipsa adoratione, de tempore, & modo adorationis, videndæ in varijs Catholicis Authoribus, sed præcipuè in Bellarm. lib. 4. cap. 28. pag. 699. ponitur Catholica Conclusio, Christum in Eucharistia esse adorandum. Probatur. DEO vero debetur adoratio Latriæ. Matth. 4. *Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies.* Christus autem, ut est in Eucharistia, sive in usu, sive extra, est DEUS verus, ut omnes fatentur, igitur adorandus est cultu Latriæ.

℟. Lutherus, Calvinus, & Illyricus, negando consequentiam, quia Christus adorandus quidem est, sed ubi ipse jubet se adorari, ubi est ut adoretur, nimirum in Cœlo: in Eucharistia autem non est ut adoretur, sed ut manducetur. Non enim ait, Accipite & adorate, sed, Accipite & manducate. Sed facilè respondetur: Adoratio DEI non est alligata certo loco, ut patet Joan. 4. sed ubiq; Christus adorari potest & debet. Non enim convenit illi adoratio, quia in Cœlo est, vel in alio loco, sed quia est DEUS. Non erat Christus quondam in præsepio, ut adoraretur, sed ut membra ejus requiescerent, & tamen Magi illum in præsepio adorârunt. Matth. 2. Sic etiam cùm ambularet in terris, non ambulabat ut adoraretur, sed ut doceret, & tamen passim adorabatur, ut Joan. 9. *Procidens adoravit eum.* Matth. 8. *Ecce leprosus veniens adorabat eum.* Et 14. cap. *Adoraverunt eum dicentes, verè Filius DEI est.* Hîc patet cultus Latriæ. Et ipse Christus dæmoni ait: *Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies,* Matth. 4. Si ergo Sacramentalis existentia non tollit identitatem Christi, non tollit ejus excellentiam, neq; venerabilitatem, consequenter est adorandus. Probatur veritas Catholica ex usu SS. Patrum. S. Ambrosius in Psalm. 98. ad illud, *Adorate Sca-*
" *bellum pedum ejus,* ait: Per scabellum terra intelligitur, per ter-
" ram autem caro Christi, quam hodiè quoq; in mysterijs adora-
" mus, & quam Apostoli in Domino JESU, ut suprà diximus, ado-
" raverunt: neq; enim divisus est Christus, sed unus. In eundem
" Psalm. S. August. similiter ait: Scabellum &c. quia in ipsa carne
" hîc ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem
" dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adorave-
" rit. Inventum est, quemadmodum adoretur, &c. non solùm pec-
" cemus nos adorando, sed peccemus non adorando. Idem Epist. 118. cap. 3. Epist. 120. cap. 7. docet. S. Hieron. in eundem versiculum

ſiculum ait: Quòd autem adorari debeat, eo aſcendente, Apo- „ ſtoli docuerunt, cùm adorantes regreſſi ſunt in Jeruſalem. Eu- „ cherius Lugd. Hom. 5. de Paſcha: Cùm ad reverendum Altare „ ſalutari cibo potuq; reficiendus accedis, Sacrum DEI tui Corpus „ & Sanguinem fide reſpice, honora, mirare, mente continge, cor- „ dis manu ſuſcipe, & hauſtu maximè interiori aſsume. S. Bernar. „ de Cæna Domini ad Petrum Presb. Quid facis homo indigne? „ quid facis DEO ingrate? adora devotiùs, & recole frequentiùs, „ in Sacramento Altaris, Salutem mundi pro te paſſam. Cyrillus „ Hieroſol. Catech. 5. Myſtag. Accede, & ad Calicem Sanguinis il- „ lius non extendens manum, ſed pronus, adorationis in modum „ & venerationis. Joan. Chryſoſt. fusè Homil. 7. in Matth. Hom. „ 24. in 1. ad Corint. Hom. 3. ad Epheſ. ubi ait: At pura ſunt, „ igitur adora, & communica. S. Gregor. Nazianz. Orat. 11. de „ Gorgon. Sorore: Cùm morbus non niſi remiſiſſet, ad Altare cum „ fide procumbit, eumq; qui ſuper ipſum honoratur, cum ingenti „ clamore invocat. Joan. Climac. grad. 23. Donum Cœleſte ſuſci- „ piens adoro. Plura videnda ſunt in Theſauro Coccij, pronunc „ ſufficiant, S. Baſilium hanc venerationem Euchariſtiæ inter Apoſto-licas Traditiones numerare, quod conſtat ex Liturgijs Apoſtolorum & Diſcipulorum eorum, in quibus plura ſunt ſigna adorationis, uſus-què antiquiſſimus maximè apud Græcos demonſtrat. Clebicius in libro de victoria veritatis, & ruina Papatùs Saxonici 3. par. arg. 9. docet ex Lutheranorum ſententia, qui agnoſcunt in Euchariſtia verum Chriſti Corpus, neceſſariò ſequitur, adorationem eſſe concedendam. Miniſtri Tigur. in Apol. edita A. 1545. contra ultimam Lutheri Confeſſionem, apertè fatentur, ſe cum Catholicis fideliter adoraturos, ſi crederent, ibi eſſe verum Corpus Domini. Euchariſtiæ adorationem agnitam à priſcis Patribus, patet ex Chemnicio, qui in 2. Part. Exam. pag. 92. multa ex Ambroſio, Nazian. Auguſt. citat, quibus Euchariſtiæ adorationem apertè docent, & Calviniſtas perſtringit, quòd eam negent, quas ob cauſas Sacramentarios appellat. Lutherus in formula Miſſæ, & in lib. de verbis, *Hoc eſt Corpus meum*, & alibi, Buccerus in Actis Colloq. Ratisbon. Brentius in Apolog. pro Confeſs. Wittemb. Centuriatores Cent. 4. col. 430. lin. 25. ſic cenſent: *Continent verba iſta adorationem panis in Sacramento.* Probatur à ſimili. Quando Principes aliquò proficiſcuntur, non eo fine vadunt, ut ab occurrentibus ſalutentur, & tamen

nemo illis occurrens prætereundo non se prosternit, ac reverenter salutat, imò ipsi Dissidentes amicos suos prætereuntes venerantur, & honorem exhibent, licèt non intentione honoris occurrunt sibi adinvicem.

Sunt aliquæ Objectiones.

Prima. Ut cultus non sit superstitiosus, requiritur certitudo, quòd non deferatur creaturæ, sed DEO. Sed nulla habetur certitudo, quòd in Hostia sit præsens Christus, nam dependet consecratio ab intentione & verbis Sacerdotis, qui potuit non consecrâsse, ut aliquando evenire potest. Ergo panem & vinum adorabit populus, & huic periculo expositus erit cultus. Respondetur: Ad evitandam superstitionem, sufficit, quòd adorator dirigat mentem ad Christum, quem humano modo operando putat esse sub speciebus, si posteà casualiter non esset, adhuc non sequitur idololatria, quia non intendit panem colere, sed DEUM-Hominem, quem bonâ fide credit præsentem, licèt erret invincibiliter, sicut peccaret v. g. vero Sacrilegio, qui Hostiam, quam putaret consecratam, conculcaret, licet re verâ non esset consecrata. Involuntarius enim error impedit idololatriam. Sic etiam & Protestantes, dato, non concesso, quòd haberent præsentem Christum in Eucharistia, etiam cum pane (ut ipsi dicunt) adorando Sacramentum, non committerent idololatriam, quia adoratio dirigeretur ad Christum, non ad panem. Sicut v. g. honor & reverentia dirigitur ad Principem, non autem ad vestes ejus, tamen apud Protestantes periculosa est adoratio Sacramenti, cùm ex defectu Ordinis consecrare non possunt.

Alia Objectio. Si liceret adoratio Eucharistiæ, liceret & processionalis ejusdem circumgestatio. Sed hæc non licet. Ergo minor probatur. Displicuit DEO circumgestatio Arcæ fœderis, quam quia in castra adduxerunt in signum protectionis Hebræi, dissipatus est populus, & mortui sunt Sacerdotes, 1. Reg. 4. Ita Chemnicius. Retorquetur argumentum. Arca Fœderis, quæ erat figura Eucharistiæ, fuit honorificis congestationibus excepta, & placuit hoc DEO, Ergo à fortiori possunt honores deferri Eucharistiæ, quæ est veritas. Aliud habetur 2. Reg. 6. ubi describitur solennitas translationis Arcæ à domo Aminadab in domum Obededom Gethæi; *David autem, & omnis Israël, ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis & Cytharis, &c. & Sistris, & Cymbalis.* 3. Reg. 8. defertur Arca

Arca de Civitate David in Templum Salomonis, *& omnis multitudo Iſraël, quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante Arcam, & immolabant oves & boves abſq; æſtimatione & numero.* Joſüè 6. En honorem Arcæ Fœderis, qui DEO placuit, licèt DEUS non mandavit illum. Cauſa verò, cur populus cæſus fuerit, erant peccata ejusdem, & præcipuè filiorum Sacerdotis Heli, Ophni & Phinées, peccatum enim eorum erat grande coram Domino, ait Scriptura.

Alia Objectio. Veneratio humana & nova in Eccleſia DEO exhibita, neceſſariò debet eſſe ſuperſtitioſa. Sed hæc eſt ejusmodi. Ergo Major probatur. Quia cultus DEO debitus naſcitur cum Religione vera; Minor explicatur, Quia antiquitùs non erant iſtæ Proceſſiones, hi dies Feſti, Honorius enim III. cap. *Sanè* de Celebr. Miſs. præcepit adorationem, Urbanus IV. ſolennem diem & circumgeſtationem. ℟. Honorius non præcepit adorationem, quæ jam antiquitùs erat, ſed monuit, ne debito honore fraudaretur Euchar. Sacramentum; cum Eccleſia verò natam eſſe Euchariſtiæ venerationem, ſicut jam ex SS. Patrum teſtimonijs patuit, quædam quidem genera cultus non fuerunt à principio naſcentis Eccleſiæ, tum quia aliquæ cæremoniæ non poterant convenienter exerceri, ſtante continuâ perſecutione Chriſtianorum, & Gentilibus nondum pluribus converſis ad Fidem Sanctam: tum quia nondum obnubilata fuit veritas Fidei ab hæreticorum opinionibus in myſterio Sacratiſſimæ Euchariſtiæ, non erant neceſſaria tot ſigna publica, ad proteſtandam ſinceram veritatem tanti myſterij. Cùm ergo his poſtremis Sæculis videntur eliminare realem præſentiam Chriſti, ex Sanctiſſima Euchariſtia hæretici, pro reſtauranda veneratione Romani Pontifices & firmandis Fidelibus Solennia Feſta induxerunt, & Proceſſiones, ſicut fecit Urbanus IV. in Concilio Vienen. ac proindè à Spiritu S. proceſſerunt hæc & alia Decreta, cùm Concilia Ipſe dirigat modo ſpeciali. Poteſt enim Eccleſia diſponere de ritibus accidentalibus Sacramentorum, prout expediens videbitur, ad majorem reverentiam & utilitatem promovendam, exemplo Apoſtoli 1. Corint. 11. *Cætera cùm venero diſponam.* Confirmatur. Potuit Synagoga Feſtum Sortium (Eſther 9.) inducere ſinè præcepto Domini: Feſtum Victoriæ, Judith 16. Feſtum Encæniorum, 1. Machab. 4. & non poterit Eccleſia Chriſti aliquod Feſtum inſtituere in gratiarum actionem pro tanto beneficio? Et quid mali vident Proteſtantes, cùm Eccleſia Rom. Catholica illas contumelioſas Proceſſiones, quas Filius

lius DEI ex amore nostri sustinuit in sua Passione, compensat illi honorificis Processionibus, & omnem exhibet honorem, quantùm potest secundùm vires suas, qui decet tantùm Dominum: tum in gratiarum actionem pro beneficio Redemptionis, unde post omnia Festa Paschalia celebratur hæc Processio, nisi quis neget, quòd non debemus esse grati pro beneficio Redemptionis, quam requirit à nobis DEUS. Et ipsi Protestantes faciunt gratiarum actionem post prandium & cænam pro pane materiali, & Ecclesia non debet facere pro Redemptione, & Mystico Pane SS. Eucharistiæ. In hoc vel maximè errant Dissidentes, quòd volunt coarctare Ecclesiam ad illa tempora, quibus fuit in continua persecutione, nec volunt, ut crescat in cultu & honore Divino, tamen falluntur in hoc, quod manifestè patet, v. g. ante Concilium Nicænum Generale I. non fuerunt Concilia Generalia, Ergo post illud Concilium alia non debuerunt fuisse. Nulla est Consequentia. Ecclesia enim ut adolescens cum ætate, in doctrina Fidei, morum, & rituum, tam ex S. Scriptura, quàm ex Doctoribus Catholicis proficere debuit in Fide Apostolica, modò Ecclesia moderna nihil habeat contrarium Antiquitati Orthodoxæ, nihil proficiunt illi, qui eam oppugnant, sed perdunt vocem cum contentione.

Discursus Theolog.

In quo magis probatur conversio substantialis panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi testimonijs Dissidentium.

BEllarminus lib. 3. cap. 17. de Sacram. Eucharist. pag. 554. ait: *Dogma est ab omnibus Lutheranis receptum, Corpus Domini non esse in Eucharistia extra usum, id est, non esse nisi dum sumitur, & ea de causa non servant species consecratas, neq; deferunt ad ægrotos.* Ultra hoc, quòd in hac parte danda sit fides Bellarmino, nam illum Witakerus & Franciscus Junius, primarij, & quasi multorum Chrysippi Dissidentium, summis laudibus celebrârunt, ut inferiùs patebit; nam primus judicavit illum *Virum doctum, ingenio felicem, iudicio & lectione multiplici præditum:* alter *verè & sanctè illum scripsisse adversùs hereses* pronunciavit. Huic tamen errori, non esse Corpus Christi in Eucharistia extra usum, videtur dedisse occasionem ipse

ipſe Lutherus, dum lib. de Capt. Babil. cap. de Euchariſt. ait: *Audacior factus ſum, & ſtabilivi tandem ſententiâ priore, eſſe videlicet verum panem & verum vinum*; prior autem ſententia Lutheri fuit, verum Corpus & Sanguinem eſſe in Euchariſtiæ Sacramento, ut in Epiſt. ad Anabapt. Tom. 1. Jen. pag. 320. ait: *Nos fatemur, ſub Papatu &c. verum Sacramentum Altaris* cùm tempore illius, ſicut & à principio credebatur, & modò creditur realis præſentia Chriſti per converſionem ſubſtantialem panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti in SS. Sacramento. Et Epiſt. ad Argentin. ait: Si Carol- „ ſtadius mihi perſuadere potuiſſet, in Sacramento præter panem „ & vinum eſſe nihil magno beneficio, me ſibi devinxiſſet, hâc enim „ re valdè Papatui incommodâſſem; verùm ego me captum video, „ nullâ elabendi viâ relictâ. Textus enim Evangelij nimis apertus „ eſt & patens, qui facilè convelli non poteſt, multò minus verbis „ aut gloſſis è capite vertiginoſo confictis ſubverti. Tamen in e- „ odem errore videntur permanere aliqui Lutherani, qui nullam reverentiam faciunt Euchariſtiæ, ſolùm ad diſtributionem genu flectunt, quaſi illa manducatio, & non conſecratio, efficeret Corpus Chriſti. De hoc dogmate Lutheranorum ut ſuprà, habemus teſtem Smidelinum, qui libro adversùs Albertum Sperlingum ſic reſpondet pro Lutheranis: *Quòd aiunt Lutherani, Corpus Domini non eſſe in Euchariſtia extra uſum, non intelligi de præſentia, ſed de diſtributione, quia non diſtribuitur extra uſum.* Confirmatur, hoc dogma fuiſſe Lutheranorum, & modò eſſe aliquorum, ex præcedenti Diſcurſu Authoris Tubæ, qui ait: *Diſſentiunt nonnulli Evangelici, &c. qui tamen, ſi condeſcenderent in illam puritatem, quæ fuit in Eccleſia Veteri prioribus Sæculis, utiq; absq; dubio concederent hanc Transmutationem & præſentiam Chriſti, non quidem ordinariam, materialem, & communem, tamen veram, extraordinariam, Sacramentalem, atq; ſupernaturalem, vi verborum Chriſti, præſertim, quia in tota Catholica Eccleſia ſemper & ubiq; ita creditam*; de qua & ad marg. ait: *Vix quidquam clariùs & S. Scriptura, & SS. Patres loquuntur.* Confirmatur 2dò. Samuel Werner, Profeſſor Acad. Regiom. edidit Diſputationem Theologicam de Reliquijs poſt Euchariſtiæ adminiſtrationem remanentibus, ut & Fragmentis in ipſa Cænæ adminiſtratione in terram cadentibus, Reſpondente Joanne Somerino, ad diem 29. Maij 1682. habitam Regiomonti, & Prælo Reuſneriano luci exhibitam. In hac Diſputatione prædictus Werner hanc ſententiam (eſſe ſolùm

Corpus Christi in usu) ut erroneam expungit, & asserit pag. 16. §. 5. *In Ecclesia veteri statutum, panis & vini substantiam usq; adeo mutari in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, ut post consecrationem & nomina sua amittant, & non panis ampliùs ac vinum, sed Corpus ac Sanguis Christi dicantur*, & omnes ferè SS. Patres pro hac veritate adducit, quos nos etiam superiùs citavimus, præcipuè S. Cyrillū Hierosol. Catech. 4. Mystag. qui ait: Pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse Corpus Domini: & vinum, quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustûs vinum esse videatur, non tamen vinum, sed Sanguinem esse Christi. S. Ambrosium lib. 5. de Sacram. cap. 4. Ante verba Christi, quod offertur panis dicitur: ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed Corpus appellatur. Vide alios SS. Patres superiùs citatos, quos adducit à pag. 1. ad pag. 12. num. circiter 58. Deindè pag. 21. & seq. probat realem præsentiam Christi in Eucharistia ex locutione Patrum, qui suadent, non esse curiosè de hoc profundissimo mysterio inquirendum, cùm excedat captum nostrum, & adducit SS. Patres, ut S. Chrysostomum, qui vocat *verè tremenda & arcana mysteria*, Cyrillum Alexandr. qui ait *sapientissimum mysterium*, S. Gregorium, qui ait *magnum & pavendum mysterium*, S. Bernardū, qui vocat *Sacramentum Sacramentorum, & Sanctum Sanctorum*. Miracula varia pro præsentia & permanentia Christi in Eucharistia adducit pag. 62. & seq. servariq; debere Eucharistiam pro infirmis, adducit Concilij Nicæni Canonem 14. & 18. pro conservatione Eucharistiæ, tamen licèt pag. 38. dicat, pyxidibus nullum patrocinium posse inveniri, & pag. 44. licèt conservationem Eucharistiæ rejiciat, quam ex Concilio Nicæno I. jam probaverat pag. 33. & alibi sæpiùs, conservandam etiam per longum tempus, pag. 48. tamen dicit, mutandam de septimo die in septimum, de Sabbato in Sabbatum, ex Brucardo mutabantur (ait) oblationes, quæ in Altari offeruntur, ne mus aut aliud animal Sacrificium comedat; hæc omnia longam supponunt conservationem, quam iterum pag. 47. ex Brucardo probat, & pyxidem debere habere Presbyterum, vel vas condignum pro Sacramento, ostendit. Pag. 66. *Sacrosanctum & tremendum mysterium* vocat, ipsis quoq; Virtutibus Cœlorum adorandum. Si Wernerus concedit adorandum Virtutibus, quare non etiam hominibus? cùm idem sit Dominus Angelorum & hominum;

Sacrificium.

Vide illa suprà in Nota Miraculorum.

portat

portant enim (ait ille) *ministri in manibus suis ipsius Corpus & Sanguinem, quo salvati sumus.* Undè summam reverentiam ibidem exhibendam astruit etiam particulis remanentibus post Cænam, quas ad aliam Communionem reservandas asserit pag. 45. & cum omni cautella & reverentia tractandas & custodiendas, ex Veteribus, Tertulliano & Origene ostendit. Idem Werner pag. 12. §. 7. ait: *Pontificij statuunt Transubstantiationem, novo vocabulo novam rem denotantes, docentq; panis & vini substantiam factâ consecratione prorsùs transire in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, remanentibus tantùm & in sensus incurrentibus accidentibus, figurâ scilicet, quantitate, colore, & sapore, quod dogma sub initium demùm Sæculi XIII. publicè promulgatum & confirmatum fuit sub Innocentio III. in Concilio Lateranen. &c. Idem repetitum fuit in Concilio Tridentino, quod opinionem hanc de Transubstantiatione omnibus ut necessarium dogma & Fidei articulum obtrusit, atq; illam non amplexuris anathema dixit. &c.* Verùm haud immeritò sententia hæc reijcitur: est enim contra rationem, & involvit contradictionem, accidens esse, & non inhærere suo subjecto, adesse panis & vini accidentia, figuram scilicet, quantitatem, colorem, & saporem, & tamen abesse substantiam eorum, cùm tamen accidentis esse sit in esse, sive ut Arist. lib. 1. post. cap. 4. §. 5. &c.

Antequam respondeam Wernero, prænoto, quòd Werner in hoc erraverit, cùm Transubstantiationem, quæ est res antiqua, novam vocaverit. Nihil enim aliud est Transubstantiatio, nisi expressio sensûs Catholici contra exsurgentem hæresim, quod sic probo. Ariani in Concilio Nicæno I. objecerunt Catholicis, quòd novum nomen *Homousion* apposuerint, & tamen illud non erat novum, cùm illud non solùm Catholici, sed etiam & Lutherani, puto & Werner, illud suscipiunt ut antiquum, quia non est novum, sed est explicatio Symboli, & dicti Christi, *Ego & Pater unum sumus*; nec est additio novi Articuli, sed explicatio & expressio veri sensûs Catholici, quem cogitur Ecclesia in Concilijs Generalibus explicare, ad retundendas novitates hæreticorum, qui Sanctam Antiquitatem depravare volunt. Hîc habet locum authoritas Vincent. Lirin. adversùs Prof. Novit. cap. 32. vide pag. 41. vers. penult. & 9. & 21. Hoc idem contigit in Concilio Ephesino Gener. III. contra Nestorium, eadem expressio & explicatio sensûs Catholici in verbo *Theotocon*, cùm negaret Nestorius, Sanctissimam MARIAM esse Matrem DEI. Idem

ferè evenit in nostro casu cum Berengario & modernis adversarijs de Transsubstantiatione. Cùm enim negaret Berengarius, verum esse Corpus & Sanguinem post consecrationem, sed solummodò Sacramentum esse, contra communem sensum Catholicæ Ecclesiæ, & consensum SS. Patrum, quos superiùs citavimus, tenentes, panem substantialiter converti in Corpus Christi, & vinum in Sanguinem, manentibus accidentibus panis & vini, quam conversionem substantialem alij vocârunt Transmutationem, alij Transformationem, alij Transelementationem, alij transitum seu migrationem de pane in Carnem, quod etiam & Græca Ecclesia tenuit semper, & modò tenet, ut patet ex Censura Augustanæ Confessionis cap. 10. à Patriarcha Constantinop. qui ait ad Lutheranos Confessionistas: *Multa in hac parte de vobis referuntur, quæ nobis nullo pacto probari possunt. Ecclesiæ igitur Sanctæ illud iudicium est, in Sacra Cæna post consecrationem & benedictionem, panem in illud ipsum Corpus JESV Christi, vinum autem in illum Sanguinem virtute Spiritûs S. transire ac immutari.* Et paulò pòst: *Corpus Christi &c. fieri præsens per transmutationem, & transitionem panis in Corpus.* Et iterum: *Sub speciebus panis verũ Corpus Domini contineri.* Undè refellitur illud mendacium, acsi Græci in Concil. Florent. noluissent suscipere conversionem istam panis in Corpus Christi, quod asseruit Chemnicius, & Calvinistas reprehendunt, quòd solùm signum Corporis Domini in Eucharistia agnoscant; & Lutheranos Confessionistas arguunt, quod verum Corpus Domini, sed sinè panis mutatione, in eodem Sacramento confitentur. Adduximus superiùs S. Augustinum pro conversione substantiali panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, cùm sciamus, magnæ authoritatis esse eundem Sanctum apud Lutheranos & Calvinistas, vide suprà pag. 148. circa finem. Adduximus etiam & S. Bernardum, quem Lutherus, Calvinus, & Augustana Confessio pro Sancto habent. Contra ergo tam manifestum errorem explicârunt se Concilia, & conversionem substantialem panis & vini in Corpus Christi & Sanguinem, per Transsubstantiationem sensum Catholicum magis expresserunt, rem veterem, non novam, ut ait Werner, uno nomine exposuerunt. Neq; hoc verum est, ut ait Werner, quod Concil. Trident. primò determinaverit sub anathemate, tenendam Transsubstantiationem, quamvis hoc legitime facere potuisset, cùm sit Concilium Cathol. Rom. Ecclesiæ, sicut fuit, & est Nicænum I. cùm sit celebratum cum omnibus solennitatibus requisitis, ad verũ

& le-

& legitimum Concilium Cathol. Rom. Eccleſiæ pertinentibus, illiusq; Decreta univerſus, tam Orientalis, quàm Occidentalis ſuſcepit Orbis, exceptis ſolis Proteſtantibus, ob frivolas rationes, vel potiùs effugia, ne illorum errores in Concilio deprehenderentur, prout ſuperiùs clarè ad oculū oſtendimus. Prædictus verè error condemnatus eſt in ſex Concilijs, imò in Romano ſub Nicolao II. circa An. 1060 in quo Berengarius coactus abjurare hæreſim, quâ aſtruebat, panem & vinum in Altari poſt conſecrationem, ſolummodo Sacramentum eſſe, & non verum Corpus & Sanguinem Chriſti; hæc abjuratio apertè ſignificat, rem à Concilio ſub anathemate fuiſſe definitam, non enim coguntur hæretici abjurare, niſi hæreſes exploratas & manifeſtas. De hac re teſtantur tres graves Authores, qui illo tempore vixerunt, Lantfrancus, Guidmundus, Anſelmus. Vide Bellarminum lib. 3. cap. 21. de Sacram. Euchar. pag. 567. Guidmundus de eodem Concilio lib. 3. de Corp. Dom. ſic ait: *Panem & vinum Altaris Domini in Corpus & Sanguinem ſubſtantialiter converti, non ſicut delirat Berengarius, Corporis & Sanguinis Domini figuras tantùm eſſe & umbras, aut intra ſe latentem Chriſtum tegere, Univerſalis Eccleſiæ conſenſu roboratum eſt.* En Tranſubſtantiationem, quam Werner negat. Anſelmus, qui eodem tempore vixit, in Epiſt. de Corpore Domini ſic ait: *Panis ſubſtantiam, poſt Domini Corporis conſecrationem, in Altari ſupereſſe, ſemper abhorruit pietas Chriſtiana, nuperq; damnavit in Berengario.* En ante quingentos annos definitam Tranſubſtantiationem, & condemnatam ſententiam, manere cum pane Chriſtum in Euchariſtia poſt conſecrationem! Aliud fuit Romanum Concilium ſub Gregorio VII. celebratum An. D. 1079. ut refert Waldenſis Tom. 2. de Sacram. cap. 43. in quo iterum Berengarius propter relapſum & varias fraudes coactus abjurare hæreſim, in hac forma: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in Altari, per myſterium Sacræ Orationis & verba noſtri Redemptoris, ſubſtantialiter converti in veram, ac propriam, & vivificatricem Carnem & Sanguinem Domini noſtri JESV Chriſti.* Undè non eſt verum, ut ait Werner, quòd in Concilio Lateranen. promulgata & confirmata primò fuit Tranſubſtantiatio. De Lateranenſi Concilio nihil dicimus, cùm ipſi Diſſidentes veritatem fateantur, quod ſine dubio potuit magis ſenſum Catholicum explicare, ut ſupra, cùm fuerit Concil. legitimum Cathol. Rom. Eccleſiæ, & in eo fuerunt Epiſcopi DC. & Patres in univerſum plus



Vixerunt circa Annum 1060

Ppp 3 quam

quàm mille. Ante hoc Concilium extabant multa nomina æquivalentia nomini Transsubstantiationis, nam illam Patres passim vocãt Conversionem & Transmutationem; & Theophylactus in Cap. 14 Marci vocat Transelementationem, quæ vox nihil aliud significat, quàm Transsubstantiationem: nam Transelementatio significat mutationem totius rei, cum primis elementis, & cum ipsa materia prima, forma substantiali, quæ ab Arist. elementa vocantur. Adduximus etiam superiùs Patres, qui sub speciebus panis & vini, non autem cum pane manere dicunt, ut v. g. S. Bernardum, qui Serm. de Cæna Dñi ait: *Posteà quam vides, iam non est panis, sed Caro mea, &c. videtur enim species panis & vini, creditur autem substantia Corporis & Sanguinis Christi.*

Ad hoc autem, quod dicit Werner de Transsubstantiatione, hæc sententia reijcitur. Est enim contra rationem, & involvit contradictionem, accidens esse, & non inhærere suo subjecto, &c. cùm tamen accidentis esse sit in esse, probat ex Arist. ℞. Non verum esse, ad accidentis essentiam pertinere inhærentiam in subjecto actualem, id enim non solùm Patres, Theologi, Philosophi, sed etiam & Ethnici negant ex SS. Patribus. S. Basilius accidens sinè subjecto esse posse, re ipsâ ostendit in initio creationis, cùm Hom. 2. de opere sex dierum, & clariùs Hom. 6. docet, lucem Solis creatam fuisse primo die, & mansisse absq; sede tribus diebus, & tandem quartâ die creatum fuisse corpus solare, & in eo, ut in subjecto, positam fuisse lucem, quæ primâ die creata fuit. Hoc clarè patet in mysterio Incarnationis, ubi Natura Humana est substantia, & tamen non subsistit, id est, non per se existit, sed à Verbo sustentatur: ita accidenti convenit quidem naturaliter inhærere, & tamen fieri potest divinitùs, ut non inhæreat. Sic in Sacramento, licèt non sint accidentia in subjecto, tamen non per se subsistunt more substantiæ, sed à DEO sustentantur modo supernaturali. Miror, Wernerum hæc non advertisse, qui ideò negat, non posse existere Christum supernaturaliter sinè pane sub accidentibus, quia naturaliter accidentia à suo subjecto separari non possunt, acsi idem esset, supernaturaliter existere Christum sub accidentibus, & inesse accidentibus naturaliter suo subjecto. Non enim involvit contradictionem, ut ille dicit, cùm modus existendi supernaturalis sub accidentibus, & modus naturalis inessendi suo subjecto sit distinctissimus. Ut ergo sciat Wernerus, quæ involvunt apud Catholicos contradictionem,

nem, illa ſunt, quando de una & eadem re procedit formaliſſima affirmatio & negatio, & ſecundùm eundem modum, ut v. g. eſſe DEUM Sanctum & Omnipotentem, & eſſe eundem Authorem peccati, & non eſſe Omnipotentem, ut aliqui hæretici utrumq; affirmāt: eſſe Wernerum Profeſſorem Academiæ Regiomontanæ, & non eſſe Profeſſorem ejusdem, quòd eodem tempore ſit & non ſit Profeſſor: hæc involvunt contradictionem, non autem modus ſupernaturalis exiſtendi ſub accidentibus, & naturalis ineſsendi accidentibus ſuo ſubjecto, à quo naturaliter ſeparari non poſſunt, hoc etiam falſum ſuperiùs oſtendimus. Et hic eſt Achilles, hæc tota baſis & fundamentum Werneri, quibus oppugnat converſionem ſubſtantialem panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, cùm ſupernaturalem & mirabilem modum exiſtendi Chriſtum comparat naturali, & adducit Ariſtotelem. Ad illud autem Dubium, quomodo Chriſtus maneat ſub ſpeciebus panis, non autem cum pane? ℞. Producit Deus in accidentibus realem modum exiſtendi per ſe miraculosè & ſupernaturaliter, qui formaliter repugnat actuali inhærentiæ, & conſervat accidentia independenter, ut alicui ſubjecto non inhæreant, non enim vult DEUS habere coëxiſtentiam cum pane, ſicut noluit Arcam DEI cum Dagon, nec vult, ut maneat cum pane, adinſtar illius, qui conducit manſionem apud Patremfamilias, nec vult, ut forma conſecrationis mutetur, *Hoc eſt Corpus meum*, in eam, hic eſt panis triticeus, & Corpus Chriſti. Hæc implicant contradictionem, & ſunt contra rationem. Nam cùm Lutherus lib. cap. de Euchariſtia, verba Evangeliſtæ, *Hoc eſt Corpus meum*, dixit hunc facere ſenſum, Hic panis eſt Corpus meum, quæ ſententia aut tropicè accipi debet, ut panis ſit Corpus Chriſti ſignificativè, aut eſt planè abſurda & impoſſibilis; nec enim fieri poteſt, ut panis ſit Corpus Chriſti. Diſcipuli Lutheri maluerunt recurrere ad tropum, quàm admittere manifeſtam abſurditatem, & indè Sacramentarij proceſſerunt: licèt Calvinus aliquando tenuit verum Corpus Chriſti ſub ſymbolo panis, non cum pane, vide ſuprà p. 467. & ſeq: Et ſi his non eſt contentus Wernerus, remitto ipſum ad Omnipotentiam Divinam, quòd & ſupernaturalis ſit & miraculoſa exiſtentia ſub accidentibus panis, undè miraculum omnium miraculorum dicitur; remitto ad Veterem Eccleſiam, in qua faſſus eſt hanc Tranſubſtantiationem Wernerus, licèt illam oppugnat. Ex ipſiſmet verbis Werneri illam probo. Sic ait ille pag. 10. §. 5. *Ita verò mutationem ſtatuit Eccleſia vetus, ut per-*

Veteris Ecclesiæ testimonio id probat Wernerus, quod oppugnat.

persuasum habuerit, panis & vini substantiam usque adeò mutari in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, ut post consecrationem & nomina sua amittant, ut non panis ampliùs ac vinum, sed Corpus & Sanguis Christi dicantur. En conversionem substantialem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi ex ore Samuelis Werneri! Auditis in Primitiva Ecclesia, qui superiùs illam negavit, quam Ecclesia Cathol. Rom. magis declaravit & expressit per Transubstantiationem. Et si non est contentus de hoc modo supernaturali & miraculoso conversionis, remitto ipsum ad SS. Patres. Primo ad S. Athanasium, qui in Epist. ad Serap. ait: *Pro consuetudine sua dicunt, quomodo hoc poterit esse? quasi esse non poterit, quod ipsi nequeunt intelligere.* Et Orat. 3. contra Arianos ait: *Qui de DEO quærit quomodo? insanit, quoniam rem ineffabilem, & soli DEO cognitam, verbis interpretari conatur.* S. Gregor. Nazianz. Orat. 5. de Theologia, de Procefs. Spiritûs S. ait: *Quæris, quomodo hæc est processio? quin tu mihi rationem ingeniti Patris explica, & ego vicissim tibi & Filij generationem, veluti naturæ eius interpres, & Spiritûs S. processionem expediam, ut insaniamus ambo secreta DEI rimando.* S. Chrysost. Hom. 2. in Psalm. 50. *Cùm DEUS operatur, rationes ne exposcas, ne dicas quomodo? sed mirare, & obstupesce.* Et Hom. 10. in Joan. *Quomodo hoc sit, noli disquirere; factum est, ut ipse novit.* Et Hom. 23. in eundem Evang. *Ea particula quomodo? non multum credentium, sed adhuc terrena sapientium est, &c. & alij multi hoc verbo usi fide exciderunt.* Cyrillus Alexandr. de rect. Fide ad Theodos. *Quamobrem multam illam quæstionem, quomodo possunt hæc fieri? Nicodemo eiusque similibus relinquentes, citra ullam hæsitationem Spiritûs S. oracula suscipiamus, ipsique Christo de se loquenti fidem habeamus.* Chrysolog. Serm. 62. *Qui interrogas, fidem denegas: si enim credis, undè venit quomodo? sermo est dubitantis, non credentis.* Isidorus lib. 4. Epist. 183. *Quando Divina potentia aliquid operatur, quæstio quomodo? ne habeat locum.* S. Cyrill. Alexandr. lib. 4. Comment. in Joan. 6. *Rursùm illud quomodo? stultè de DEO proferunt, quasi nescirent, hoc loquendi genus scatere blasphemiâ.* Anselmus Laud. in Cap. 11. prioris ad Corint. *Profitemur scilicet, substantiam panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Domini converti, modum verò conversionis nos ignorare non erubescimus fateri.* Undè vel maximè hîc habet locum de hoc inscrutabili & mirabili Sacramento Eucharistiæ, illud S. Augustini, Epist. 95. qui ait: *Non intelligendi vivacitas, sed creden-*

credendi simplicitas tutissimos facit. Unde rectè cum S. Chrysost. concludimus ut suprà: *Ea particula quomodo? &c. Alij multi hoc verbo usi, Fide exciderunt.*

Discursus Theolog.

In quo ex occasione Augustanæ Confessionis magis conversio substantialis panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi probatur.

IDem Samuel Werner pag. 9. citat Confessionis Augustanæ Articulum 10. de Cæna Dni, qui talis est: Confitemur, nos sentire, „ quòd in Cæna Domini verè & substantialiter adsint Corpus & Sanguis Christi, & verè exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur „ pane & vino, his qui Sacramentum accipiunt. Hanc sententiam „ constanter defendimus, re diligenter inquisitâ & agitatâ; Cùm „ enim Paulus dicat, panem esse participationem Corporis Dni, &c. „ & comperimus, non tantùm Romanam Ecclesiam affirmare corporalem præsentiam Christi, sed idem & nunc sentire, & olim „ sensisse Græcam Ecclesiam. Id enim testatur Canon Missæ apud „ illos, in quo apertè orat Sacerdos, ut mutato pane ipsum Corpus „ Christi fiat. Et Vulgarius Scriptor, ut nobis videtur non stultus, „ disertè inquit, Panem non tantùm figuram esse, sed verè in Carnem mutari. Et in alia editione idem Articulus 10. hæc habet: „ De Cæna Domini docent, quòd Corpus & Sanguis Christi verè „ asint & distribuantur vescentibus in Cæna Domini, & improbant „ secùs docentes; Daillæus de hac doctrina superiori Apologiæ cap. „ 7. pag. 35. sic ait: *Fateor, non esse nobis possibile credere, quòd Lutherani ponunt, Corpus Domini esse realiter præsens in pane Eucharistiæ.* Notandum *primò*, nullum esse dubium, quòd Melanchton hanc Confessionem Augustanam composuerit, nam ex probatis Authoribus, etiam Dissidentibus, manifestè id constat; ratio fuit fabricandi eandem, quòd in aliquibus non poterat convenire cum Luthero, ut in libero arbitrio, & alijs, ut inferiùs patebit: item, voluit etiam nomen suum celebrare, sicut Lutherus, Calvinus, Zwinglius, & multi alij. De hac Confessione fusiùs DEO dante inferiùs dicemus, nunc sufficiat, quod de illa Osiander apud Hosium lib. 1. de Hæres. nostri temporis fol. 444. & fol. 445. sic dicat: *Confessionem hanc Philippus ipse*

nec Romana, nec Græca sic sensit unquam cum pane corp⁹ Christi.

NB. Cōtradict.

hic Articulus est diversus à priore, cùm hic nulla mentio sit panis, & sic patet, quod mutata sit Confess. August. ut passim habent Authores.

ipse scripsit, penes quem etiam est interpretandi potestas, ex quo consequitur, quòd omnes, qui iurant in eam Confessionem, necesse habeant illam eo sensu accipere, quem Philippus attulerit, ut sic relictâ Scripturâ, ad tria Symbola tantùm, & ad Philippi doctrinam sint alligati. Hæc de Melanchtone Osiander, qui etiam Parentes monet, ut diligenter cogitent, num filios suos Wittembergam mittere debeant, *coguntur enim,* (ait Osiander) *abiurare verba DEI, & in Philippi verba iurare.* Joannes Alasco simile habet de hac Confessione; vide Hosij suprà citatum locum. Missa fuit hæc Confessio, ut omnibus notum est, ad Patriarcham Constantinop. ut ferret judicium, quid sentiret de illa. Ultra ea, quæ jam superiùs attulimus de hac Confessione, idem Patriarcha Colophonis loco hæc scribit Responso 3. pag. 350. *Vos nunquam nobiscum, vel potiùs cum veritate sentire posse.* Ibidem in fine Responsi 3. pag. 370. ait: *Rogamus itaq; vos, ne posthàc labores nobis exhibeatis, neq; de ijsdem scribatis, & scripta mittatis, nam Theologos, qui Ecclesiæ lumina fuerunt, aliàs aliter tractatis, & verbis quidem honoratis eos, extollitisquè, factis verò reijcitis, excutere scilicet de manibus nostris volentes verba illorum Sancta & Divina, quibus nos ad scribendum & contradicendum vobis uti potuissemus, quamobrem quantùm ad nos attinet, liberâstis nos curis, vestram erga viam euntes, ne ampliùs de dogmatibus, sed amicitiæ tantùm causâ, si volueritis, scribite.* Et superiùs Responso 3. pag. 350. sic ait: *Omninò tacere nobis propositum fuit, ad ista vestra nec respondere vobis quidquam, qui adeò apertè tum Scripturam, tum Doctorum Sanctorum interpretationes ad vestram voluntatem transferatis, cùm Paulum habeamus, nos sic hortantem: Hæreticum hominem post unam atq; alteram admonitionem reijce.* Tale judicium Confess. August. à prædicto Patriarcha habuit.

Iudicium Osiandri de Conf. Augustana.

Et cùm de Græca Ecclesia mentio facta sit superiùs, notandum obiter, quòd Diœcesis Premisliensis & Leopoliensis, quæ accesserunt ad Ecclesiam Cathol. Romanam, prima habeat Parochias duo millia, altera mille, & hæc etiam habuit duo millia, sed injuriâ temporum & bellorum devastatæ sunt. Quid putant Dissidentes de hac Nobilissima Ruthenorum Gente? nonnè etiam inter illos non sunt tot Viri pij, tot conscientiosi, tot salutis æternæ cupidi, tot amantes salutem animarum suarum? nonnè tot magni Viri & eruditi inter illos inveniuntur? & tamen hi omnes ad Ecclesiam Cathol. Romanam accesserunt: undè non potest verificari, quòd Christian. Dreierus, Theol, Regiomont. in suo Scripto ultimo, quod ante mortem reli-

reliquit, & Titulum eidem *Delineatio Operis de una Catholica Ecclesia*, præfixit, dixerit, ubi circa finem hæc ait: *Nos propinqui sumus Græcis, cum quibus facilè consensum inire possemus.* Sed contrarium patuit ex Censura Augustanæ Confessionis à Patriarcha Constantinopol. Nam etiam, teste Crusio & Chytræo, qui Orat. Francofurti editâ de Statu Eccles. Græciæ ait: Multa tenent cum Ecclesia Romana, quæ aliqui Protestantes abhorrent, qui dogmata Lutheri & Calvini sequuntur, ut v. g. Liberum Arbitrium, Justificationem per Fidem, Spem, & Charitatem, Septem Sacramenta, Sanctos honorandos & invocandos, Imagines illorum venerandas, Monasticam vitam, Probationes ex Patribus & Synodis. Ultimatè ait Chytræus in prædictaOrat. Hortatur nos humaniter ad assensionem, nempè Patriarcha Constantinop. Sed maximè non conveniunt in re gravissima, in concedendo libero arbitrio homini in spiritualibus, quod Lutherus usq; ad mortem fortissimè negavit, nec unquam suam sententiam revocavit, quod manifestè inferiùs ex ipsis Dissidentibus, & testimonijs authenticis illorum ostendemus, quòd & Authorem peccati fecerit DEUM, & quòd Melanchton in his ab illo recesserit. Notandum *secundò*, quòd Philippus in Apolog Art. 6. pag. 222. agnoscit, quòd *Schisma fecerit, & se cum suis divulserit ab ijs, qui existimantur Ordinarij Episcopi.* Quid autem de Schismate dicat Lutherus, & contra Philippum, & contra seipsum, vide suprà pag. 97. post medium, vers. ult. & seq. Notandum *tertiò*, scribens de Carolstadio & Luthero idem Philippus, ait: *Meo certè judicio, magna est temeritas, dogmata facere, non consultâ Ecclesiâ veteri.* At vetus Ecclesia non fuit alia, nisi pro tunc Romana, quâ non consultâ, ore proprio judicavit suam temeritatem in conscribenda Confessione August. etiam in hoc Articulo de Cæna Dñi contrarium veteri Ecclesiæ & Luthero, qui ait ad Anabaptistas Epistolâ Tom. 1. Jen. pag. 320. *Nos fatemur, sub Papatu &c. verum Sacramentum Altaris.* Sed tunc credebatur conversio substantialis panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi; ipse autem scribit, cum pane Corpus Christi exhiberi, Ergo contrarium Articulum condidit contra Veterem Ecclesiam, & contra doctrinam Lutheri: undè non rectè ipse dixerit in prædicto Articulo, confitemur, defendimus, sed debuit pronunciare, confiteor, defendo, cùm solus Author fuerit Confessionis Augustanæ, teste Osiandro, ut suprà. Deindè Philippus

obscurum locum assumpsit S. Scripturæ pro confirmatione sui dogmatis ex S. Paulo, scilicet, *panem esse participationem Corporis Domini*, cui loco S. Scripturæ ad intentum Melanchtonis nec vetus Ecclesia, nec SS. Patres suffragantur: nullus enim unquam dixit, cum pane esse Corpus Christi; non potest ergo Philippus suam sententiam probare, esse orthodoxam, sicut de pane, sic de tota sua Confessione, secundùm doctrinam Dreieri, vide illam suprà pag. 211. & pag. 239. neq; secundùm principia Protestantium in Disputatione in Alba Julia, vide illam suprà pag. 209. maximè cùm sit Confessio Augustana privatus cœtus, vide illam suprà p. 230. ante medium, & pag. 231. vers. 1. nec sunt hi Articuli in aliquo Concilio Generali Catholicæ Ecclesiæ declarati, proindè subsunt errori, & sunt non Divinâ, sed humanâ fide suscipiendi, vide suprà pag. 232. ante med. Locus autem S. Scripturæ, quem adducit Melanchton, potest explicari per alium locum, ut v. g. *Caro mea verè est cibus*; quis dicet, cibum hunc esse terrenum? desiperet ille. Sic cùm Christus dixerit, *Ego sum panis vivus, qui de Cœlo descendi*; quis dicet, quòd de materiali pane dixerit Christus? de quo explicat Philippus, SS. Patres verò intelligunt de cœlesti, secundùm illud: *Panem Angelorum manducavit homo*. Psal. 78. repugnat enim honori Christi, ut simul & semel sit & panis cœlestis, qui de Cœlo descendit, & panis terrenus, cibus mentis, & cibus ventris in Eucharistia. Undè quadrat illi ille locus Vincentij Lirin. cap. 11. vide illum suprà pag. 48. circa finem; & illud S. Augustini lib. de Unit. Eccles. cap. 16. vide suprà pag. 343. circa medium. Confirmatur sententia Catholica contra Philippum ad oculum, ex usu antiquæ Ecclesiæ à tempore Apostolorum, teste S. Augustino Epist. 118. cap. 6. *Jejuni sumunt Corpus Christi*. Item antiqua Ecclesia celebrabat tres Missas in Natali Domini, sicut & modò celebrat, teste S. Gregorio, qui Hom. 8. in Evang. ait: *Quia largiente Domino, Missarum Solemnia ter hodiè celebraturi sumus. &c.* Si ergo Ecclesia antiqua crederet cum pane Christum in Eucharistia, absoluto primo Sacro, Sacerdos non potuisset celebrare secundum & tertium, quia non esset jejunus propter panem in Eucharistia, & tamen semper celebravit, & modò celebrat, prout notum est omnibus. Hoc argumentum deberet convincere Protestantes, antiquam Ecclesiam nunquam credidisse cum pane Eucharistiam, cùm hæc celebratio trium Missarum incepit tempore S. Telesphori Papæ & Martyris, circa Annum 122. Ex quo

aliam

aliam evidentiam deducimus, Prælatos Eccleſiæ ex plenitudine poteſtatis aliquos ritus in Eccleſia in melius ſtatuere poſſe, quæ majorem gloriam DEI concernunt: ut v. g. habito ab Apoſtolis per Traditionem Miſſæ Sacrificio, potuit S. Teleſphorus ordinare, ut tria Sacra quisq; Sacerdos celebret in Natali Domini: & quis illum de hoc reprehendet? cùm fuerit Martyr, pro Fide Chriſti occumbens. Sic & de alijs, v. g. fuit conſuetudo, ut acciperent Euchariſtiam in manus, & portarent in domos, propter ſecretam Communionem, ordinârunt Apoſtoli, ut jejuni ſumerent: alij ordinârunt, ut non tangerent manibus Euchariſtiam, & tamen utrumq; Decretum nobiſcum ſervant Lutherani, ut ſuppono & Calviniſtæ. Confirmatur ſententia Catholica, eſſe veriſſimam, quia DEUS multis miraculis confirmavit illam, etiam teſte ipſo Wernero, qui à pag. 62. ad pag. 65. adducit varia miracula de SSma Euchariſtia, etiam recentioribus Sæculis, ut Sæculo XI. XIII. XIV. vide ſuprà pag 156. neq; etiam Proteſtantes tam abjectè de Catholicis tenere debent, acſi miracula ficta proponerent, cùm quodlibet miraculum ſit notiſſimũ multis hominibus, ut v. g. quando reſurgit mortuus, vel illuminatur cæcus, vel claudus ſanatur. De his miraculis ſciunt multi, qui pro teſtimonijs adhibentur, ipſisq; teſtantibus, & multis alijs ſcientibus, miraculum notatur cum ſubſcriptionibus illorum; quis dicet, quòd hi omnes falſitatem finxerint multis miraculum ſciētibus? Et ſunt tam veritatis amantes Catholici, quòd ſi deprehenderent aliquem fingentem miracula, pro infami haberetur, & condignâ pœnâ tanquam falſarius in gravi re mulctaretur, ſi in examine miraculi aliqua fraus pateret. Miracula autem plenam fidem faciunt, cùm à ſolo DEO procedant, ut in Nota Miraculorum ſuperiùs clarè deduximus. Undè S. Gregorius Hom. 2. in Evang. ait: *Ante eorum oculos cæcus lumen recepit, ut qui cœleſtis myſterij verba non caperent, eos ad fidem cœleſtia facta ſolidarent.* Et Lutherus veritatem doctrinæ à quodam Miniſtro per miracula exigebat, ex quorum defectu ſuſpectam habuit, vide ſuprà pag. 164. circa medium, & pag. 165. 166. 167. Tandem vide anguſtias Melanchtonis, teſte Chytræo, ſuprà pag. 33.

An. 127

Geſtatio Euchariſt.

pro una & altera Concione.

Idem Samuel Werner in ſua Diſputatione ut ſuprà pag. 27. adducit M. Antonium lib. 7. de Repub. Eccleſiaſt. cap. 11. num. 8. ſic loquentem: *Omnes enim, & Pontificij, & Lutheri, & Calvini diſcreti Sectatores, in eo convenimus circa Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sa-*

cramentum, nobis in eo verum ac reale Christi Corpus, verè & realiter exhiberi. Cur ergo in hoc non sistimus omnes? cur hic terminum dissensionum non collocamus? cur ad modum ineffabilem, mirabilem & occultum, nobisq; penitùs ignotum, & quem Christus ipse nos latere voluit, tam audacter defendimus? ℞. Quòd Lutherani & Calvinistæ circa SSmum Eucharistiæ Sacramentum inter se convenerint, non facilè credo, cùm tot penè infinitas explicationes verborum Christi, *Hoc est Corpus meum*, tot dissidia & contentiones, tot confessiones planè sibi contrarias inter illos, in varijs illorum libris legerim, & sæpè lego: dubito, utrùm hoc verum sit, quod Werner ex M. Antonio allegat; hoc tamen pro certo scio, quòd Lutherus & Calvinus, occasione hujus dogmatis de Sanctissima Eucharistia, perpetuas inter se conceperunt, & posteris suis reliquerunt inimicitias, se verò dum viverent, adinvicem condemnârunt hæreseon, vide suprà pag. 142 circa finé. Non ignoro etiam varia Colloquia interDissidétes, in quibus volebant toties convenire in dogmate circaCænam Domini, tamen semper vano conatu. Scio benè de Colloquio Sendomiriæ in Polonia, An. 1570. ad quod Augustanæ, Helweticæ, Bohemicæ Confessionis convenerunt Professores: de quo Colloquio Christophorus Hartknochius, ad Ædem Matris DEI Collegij Thorunensis Professor, Dissert. 14. num. 30. sic ait: *Quoniam autem Caput illud Fidei Christianæ de Cæna Domini, maximam dissidij inter dictarum Confessionum Theologos præbere materiam videbatur, &c. quantùm infelix illud dissidium de Cæna Domini attinet, convenimus, &c. neq; elementa signaq; nuda & vacua illa esse asserimus, sed simul re ipsa credentibus exhibere, & præstare fide, quod significant &c. & deindè doceantur etiam homines, Sacramenta esse actiones Divinitùs institutas, & extra usum institutum, res ipsas non habere rationem Sacramenti, sed in usu instituto, in hac Communione verè & substanti liter adesse Christũ.* Hucusq; Hartknochius. Hæc confessio videtur exprimere, quòd Fides & usus faciant Sacramentum, & qui non habet fidem, non sumit Christum. Scio de alio Colloquio Charentonij An. 1631. in quo voluerunt Calvinistæ Lutheranos admittere ad unionem, his verbis: *Statuit Synodus, fideles dicta Confessionis, scilicet Augustanæ, posse nullâ prætermissâ abiuratione opinionum, quas tenent contrariarum Fidei dictarum Ecclesiarum nostrarum, admitti ad Cænam.* Nullum citant locum præsentiæ realis Christi, quam tenent aliqui Lutherani, vel absentiæ, quam tenent Calvinistæ. Scio de tertio Colloquio

De Origine Christianæ Rel. in Prussia





Calse-

Caſſelis, inter Bezam & Jacobum Andreæ Mompelgarti, inter Marpurgenſes & Theologos Rinteli, quod octo diebus duravit, & nihil eſt concluſum. Scio, quòd Wittembergenſes ijsdem Theologis Rinteli objecerint hæreſim Neſtorianam, eò quòd Calvini dogmata in toto ſequerentur; undè prædicti Theologi per Epiſtolam, ſcriptam Rinteli An. 1663. emundant ſe, & condemnant impias Calvini propoſitiones, & pejores hæreſi declarant fol. 27. Sed & Lutheri & Melanchtonis ſententias, qui æquè cum Calvino DEUM Auctorem peccati fecerunt, & hominem omni libertate exuerunt, ſimili modo fol. 30. condemnârunt Theologi Rinteli. Non ergo facilè credendum, quòd hi omnes, ut dicit Werner, convenerint in Cæna Domini. Alterum pro certo ſcio, quòd Catholici nec cum Lutheranis, nec cum Calviniſtis conveniant, cùm antiquam antiquæ Eccleſiæ, ut ſuperiùs oſtendimus, teneant ſententiam, quam etiam agnovit Lutherus, nempè, *in Papatu verum Sacramentum Altaris*. Agnovit aliquando & Calvinus, vide illum ſuprà pag. 467. circa finem. Hoc idem dicunt cum dolore & Catholici, cur terminum diſſenſionum non collocamus circa Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum? cur in Germania, Anglia, Dania, Suecia, Hollandia, Proteſtantes & Calviniſtæ non teneant antiquam ſententiam, quam tenuerunt Majores illorum à primordijs? cur non ſumus unius moris in domo Domini, ſicut ante Annum 1517. omnes fuimus? cur Lutherus, Religioſus Eccleſiæ Cathol. Rom. Profeſſus, & tribus Votis DEO obſtrictus? quod ipſe pag. ſuprà 98. verſ. 10. de ſe fatetur, cur Calvinus, antè Catholicus Romanus, & Sacerdos Sæcularis? cur Melanchton? cur Carolſtadius, Oecolampadius, Chemnicius, M. Antonius? qui omnes vel Sæculares, vel Sacerdotes Catholici Romani fuerunt; cur iſti omnes circa Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum & alia dogmata, interminabiles contra Cathol. Rom. Eccleſiam, & contra ſeipſos excitârunt quæſtiones? nec illas inter ſe determinârunt, & poſteris ſuis nunquam terminandas ad diem Judicij reliquerunt, niſi iterum ad Matrem ſuam redeant, quos per miras fraudes avulſos, Eccleſia tanquam pia Mater, expanſo ſinu expectat filios. Dolet illa avulſos, & cum dolore ingemiſcit, in tot horrenda Schiſmata diſperſos, quos Salvator noſter pretioſo Sanguine ſuo redemit, & per Charitatem ac per inſtituta à ſe Sacramenta coadunavit. Sed quid pia Mater debuit facere? debuit ſe in Concilijs explicare contra novitates hæreticorum, cùm de ſalute illius & filiorum

agere-

ageretur. Sic explicavit se contra impietatem Arij, Nestorij, Eutichetis, Berengarij, & Sequacium illius, qui & modò illius hæresi infecti, negant realem præsentiam Christi in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. Huc spectat doctrina saluberrima Vincentij Lirinensis, vide illum suprà pag. 43. & seq. Idem Werner circa Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum quomodo discordiæ sopiendæ, eâdem pag. ait: *Hic est tam atrocis & periculosæ dissensionis facillimus modus sopiendæ, ut omnes veritatem Corporis Christi in sumenda Eucharistia exhiberi uno ore fateamur, & circa modum, quo fiat hæc exhibitio, quippè ineffabilem & inexplicabilem nobis omnibus silentium perpetuum indicamus, & ex hac dissensione Schismata coalita extinguamus.* Utinam hunc modum observâsset Lutherus & Calvinus, & multi alij suprà nominati, nec scrutati fuissent arcana DEI, quæ excedebant capacitatem ingeniorum illorum, nunquam pervenissent, & alios non induxissent in tam horrenda Schismata & Hæreses, & tam scandalosas, & DEO ipsi injuriosas blasphemasq; propositiones, ipsis fatentibus Protestantibus & Calvinistis, quæ horrent utrique, ut patebit inferiùs ex ipsis Dissidentibus: ingemiscimus & nos super hæc omnes Catholici, & ingemiscentes cum dolore dicimus cum S. Augustino lib. contra partem Donati: *Venite Fratres, si vultis, ut inseramini in vite; dolor est, cùm vos videamus præcisos ita iacere, &c. videte, ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Venite, inquam, & nolite in Schismatibus pugnare contra Matrem vestram, & pugnando miserè perire, sed potiùs per unionem sanctam, obtineatis benedictionem Divinam, honorando Matrem vestram, habeatis vitam æternam.

Discursus Authoris Cap. XIV.

Pag. 74:

An sub una vel utraq; specie, Eucharistia Laicis danda?

AN non satiùs esset, ut concederetur omnibus utraq; propter bonum pacis & concordiæ, quia in antiqua Ecclesia sub utraque plerumq; data Eucharistia, etiam Laicis, præcipuè verò, cùm Con- " cilium Trident. Sess. 22. cap. 11. Decreto super petitione con- " cessionis Calicis, ad Pont. Romanum, integrum negotium remit- " tendum

tendum decrevit, an ſcilicet honeſtis, & charitati Chriſtianæ con- „ ſentaneis rationibus concedendus alicui vel Nationi, vel Regno, „ Calicis uſus videatur? Quæ autem honeſtior, & charitati Chriſti- „ anæ magis conſentanea dari poteſt ratio, quàm unio tot in Occidente Eccleſiarum præcipuè Proteſtantium cum Eccleſia Romana, quâ conceſſione Calicis ſperanda foret. Quia verò & Romani pro uſu unius ſolùm ſpeciei in Cœna Laicorum non levis momenti adferunt rationes, quid ſi Proteſtantes condeſcenderent etiam pro bono pacis, ad admittendum unius ſpeciei uſum, ita ut ſit liberum, uti æquè ſub una atq; ſub altera ſpecie, præſertim quia Lutherus in Epiſt. ad Bohemos ait: *Quamvis pulchrum quidem eſſet, utraq; ſpecie in Eucharistia uti, & Christus hac in re nihil unquam neceſſarium præcepit, præſtaret, pacem & unitatem, quam Chriſtus ubiq; præcepit, ſectari, quàm de ſpeciebus contendere.* Et Philipp. Melanchton in Apolog. Confeſs. Auguſt. in Artic. de utraq; ſpecie fatetur, *Chriſtum in Emaus ſub una ſpecie Diſcipulis præbuiſſe.* Calvinus quoq; agnoſcit, primos ſub Apoſtolis Chriſtianos ſolùm ſub una ſpecie uſos, ex illo Actor. 2. *Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & Communione fractionis panis.* Et licèt uterq; in utroq; loco, per figuram intellectionis, etiam Calicem fuiſſe ſignificatum exiſtimet, ea tamen eſt propria utriusq; conjectura, nullo SS. Patrum teſtimonio firmata.



Non eſt præceptum Chriſti de utraq; ſpecie, teſte Luthero.

Idem Author Tubæ pag. 76. hanc materiam ſic proſequitur: Deindè conſtat ex Hiſtorijs, in priori Eccleſia prioribus Sæculis Euchariſtiæ uſum fuiſſe, æquè ſub utraq; atq; ſub una ſpecie. Et Eccleſia Græca etiamnum, etſi aliàs uſum utriusq; ſpeciei in Templis habeat, infirmos tamen, & in domibus privatis, ſub una ſpecie panis, particulam vini ſimplicis, non conſecrati, in cochleari, ſolùm pro vehiculo adhibens, communicat. Deniq; ſi verum eſt, quòd tota ſubſtantia hujus Sacramenti etiam ſub una ſpecie ſumatur, id quod Proteſtantes agnoſcere videntur, eo ipſo, quia caſu,quo homo ſumptâ ſpecie panis, morte præventus non ſumat Calicem, totum tamen Chriſtum JESUM, adeòq; totam Sacramenti ſubſtantiam accepiſſe, non dubitetur. Cur igitur propter bonum pacis & concordiæ non poſſet à nobis concedi libertas tam ſub una, quàm ſub utraq; ſpecie, præſertim cùm Calixtus & alij, Articulum de Communione ſub una vel utraq; ſpecie, non eſſe ſimpliciter neceſſarium doceant. Idem Author pag. 75. ad marginem adducit, uſum licitum fuiſſe unius ſpeciei à primordijs Eccleſiæ, de quo ſic ibidem loquitur:



NB.

Omninò probabile est, jam prioribus Sæculis Communionem sub una panis specie licitam, & in usu fuisse. Nam illum de Emaus dictum locum Luc. 24. v. 30. maximæ auctoritatis Patres de Communione sub sola panis specie interpretantur, Chrysost. in Homil. 16. Oper. imperf. Augustin. de Consens. Evang. lib. 3. c. 25. Isychius Hierosol. lib. 3. in Levit. cap. 9. Beda ad cap. 24. Luc. Theophylact. ad h. l. itidem loca Actor. 2. & Actor. 20. ubi Syriacus textus habet, *in fractione Eucharistiæ.* Chrysost. Homil. 17. Oper. imperf. in Matth. Beda ad cap. 20. Actor. Joan. Aurelian. lib. 3. de Imaginibus. Consentit Calvin. ad Hom. l. & lib. 4. Instit. cap. 17. §. 35. & Luther. in Serm. de Euchar. In his autem locis nihil habetur de Calice, *sic SS. Patres de Eucharistia loquentes, sæpissimè solius panis faciunt mentionem.* Ignatius in Epist. ad Ephesios, Irenæus in Epist. ad Victorem, Origenes Hom. 13. in Exod. Basilius M. in Epist. ad Cæsariam Patritiam, Amphilochius in Vita Basilij, Joannes Moschus in Prato Spirituali cap. 79. Tertull. lib. 2. ad Uxorem c. 5. Cyprian. de Spectaculis. Memorabile est apud Leonem, Serm. 4. de Quadrag. de Manichæis, qui ut hæresim suam tegerent, solebant Eucharistiam sumere cum Catholicis, non tamen bibere Calicem. Quòd si Romæ non fuisset libera Communio, sub utraq; vel etiam sub una specie, sed omnes simul sumere debuissent sub utraque, non potuissent latere Manichæi, qui Sanguinem bibere recusârunt: ideò Leo jussit observare istos, qui nunquam sumebant Sanguinem. Deindè certum est, *in veteri Ecclesia Eucharistiam servari solitam fuisse, prout & Græci hodiè, dum asservant per integrum Annum ferè.* Conf. Sophron. in Prato Spirit. cap. 79. vinum autem, quod facilè corrumpitur, non ita conservari potest. Cyprian. in Serm. de lapsis, Ambros. in Orat. de Obitu Satyri. Porrò *mos erat in universa Ecclesia, Eucharistiam domum deferre, & ibi tempore opportuno sumere in domibus privatis.* Quòd autem ab istis sub una specie Eucharistia sumpta fuerit, fatetur Chemnic. in Exam. Concil. Trident. de Sacramentis. *Antiqui etiam infantes communicabant, at sub una specie, præsertim vini,* Cyprian. c. 1. Sic & *Communicatio ægrotorum,* ut plurimùm fiebat sub una specie, Euseb. lib. 6. Histor. Eccles. cap. 36. Sic Serapion sub una specie Eucharistiam accipiebat, & secum deportabat, S. Ambrosius ab Honorato Episc. Vercell. attestante Paulino in Vita ejus. item Basilius M. in morte Eucharistiam accepit in sola specie panis, Amphilochius in Vita Basilij. Fuit quoq; *Communicatio,*

nicatio *Præsanctificatorum*, cujus usus in Latina Ecclesia fuit, & adhuc est feriâ 5. Hebdomadæ Sanctæ: in Græcia in tota Quadragesima, excepto die Dominico & Sabbato. Hujus consuetudinis apud Græcos meminit Laodicen. Concil. cap. 49. & Concil. Trull. cap. 52. Latinos quod attinet, mentio hujus rei fit apud Innocent. I. in Epist. 1. cap. 4. in Ordine Romano antiquo, qui ante annos nongentos editus est, in Officio ejusdem diei, Rabanus lib. 2. de Institut. Clericorum cap. 37. *Meminerunt quoq; Veteres Communionis Laicæ*, ubi Laici tangere, ac domum ferre Eucharisticum panem poterant; ex Calice autem bibebant, qui volebant in Ecclesia, non autem debebant Calicem tangere, nedum domum ferre, Cyrill. Hierosl. Catech. 5. Mystag. extremâ. Hæc Communio dicebatur *Peregrina*, in Concilio Agatensi Can. 2. & 5. Et hæc Communio dabatur Clericis in pœnam gravis alicujus delicti, quibus nisi in morte dabatur nonnunquam, Felix Epist. 1. cap. 11. Concil. Sardicense cap. 2. ubi habentur hæc in fine hujus cap. 2. *Osius Episc. dixit &c. Has fraudes damnandas esse arbitror, ita, ut nec Laicam in fine Communionem talis accipiat. Si verò omnibus placet, statuite. Synodus resp. Placet.* Hoc Concilium Generale fuit appendix Concilij Nicæni I. circa An. 347. & in primo Cap. simile habetur de hac Laica Communione.

Prosequitur Author sic: Quippè *non negamus, quin totus Christus, tam pane, quàm vino Eucharistia dispensetur.* Confes. Wittemb. ad Art. 10. & Chemnic. in fine Disputat. de utraq; specie, indè antiqua Ecclesia Constantinop. testantibus id Niceph. lib. 17. cap. 25. & Gregor. Turon. lib. 1. de Gloria Martyr. *Pueris, quandò communicabant, solas panis Eucharistici particulas dabant.* Proindè cum Philippo Melancht. concedendum: Quòd illi non peccent, qui ex libertate Christiana in una communicant. Abstemijsq; licita sit Communio sub una sola specie panis, Calixtus Resp. cont. Mogunt. N. 27. item Brentius in Apol. Confess. Wittemb. Conferatur Disciplina Ecclesiastica Ref. Galliæ, cap. 1. Art. 7. verba illorum sunt: *Panis Cœnæ administrandus est non bibentibus vinum, præmissâ protestatione, quòd non fiat ex contemptu, &c.* Sub una specie demùm, quâ nobis datur Corpus Christi, contineri totum Sacramentum Cœnæ Domini, deducitur exindè, quia communissima Theol. Luther. est, quando dicit Christus, Hoc est Corpus meum, nobis non mysticè aut significatiuè, *sed verè & exhibitivè dari Corpus.* Ita Renecc. c. l. Tom. 4. cap. 19. p. m. 323. & seq. Calixtus in Respon. cont. Mogunt. N. 26. Philip. Melancht. c. l.

Discursus Theolog.

De utraq; specie.

NOtandum in præsenti Discursu: aliud esse institutionem Divinam, aliud præceptum Divinum. Multa enim instituit DEUS, non tamen ea omnibus præcepit, ut Matrimonium, Ordinem Ecclesiasticum, Perfectionem Evangelicam; undè dicitur, *Si vis perfectus esse*, non dicit, Sis perfectus, sed, *Si vis:* sic non dicit, Serva Virginitatem, de qua ait Apostolus 1. ad Corint. 7. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Undè non valet hæc consequentia: Matrimonium DEUS instituit, ergo præcepit illud omnibus. Sicut nec ista: Instituit Christus utramq; speciem, ergo illam præcepit. Immo contrarium patet ex continua praxi Ecclesiæ, ut patuit ex Discursu superiori Authoris Tubæ, in qua semper liberum fuit, uti vel unâ, vel utrâque, nisi Ecclesia præciperet ob justas causas, uti unâ vel utrâque, ut propter Manichæos latitantes, & alias justas causas inferiùs ponendas. Ratio evidentissima, & omnem rationis compotem intellectum convincens. Quia sub una specie non minùs continetur totus Christus, sicut sub utraque, nec minor fructus percipitur ex una, quàm ex utraque, ut benè advertit Author Tubæ, dicens: *Casu quo moreretur homo, sumptâ panis specie, morte præventus non sumeret Calicem, totum tamen Christum JESUM, adeòq; totam Sacramenti substantiam accepisse non dubitetur.* Probatur hoc Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis quem ego dabo, Caro mea est, pro mundi vita.* Et, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ex his concludimus cum Concil. Trid. manducationem Carnis Christi sub una specie prodesse ad salutem; at non prodesset, si utraq; species esset necessaria, & tamen ibidem dicitur: *Qui manducat me, vivet propter me.* Illum locum Luc. 24. *Aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis,* intelligunt SS. Patres de pane Eucharistico, ut S. Chrysost. Hom. 17. Oper. imperf. S. Augustin. lib. 3. de Consens. Evang. Theophylact. cap. 23. Epist. 59. ad Paulin. ubi ait: *Oculi eorum &c. aperiuntur, ut agnoscant illum. Magnam enim & indicibilem vim habet* Caro Domini. S. Hieron. in Epitaph. Paulæ ad Eusto. Hesych. Hierosl. lib. 2. in Levit. cap. 9. Beda, Eutimius, Strabus in cap. 24. Luc. S. Basilius in Epist. ad Cæsariam Patrici-

am ait: *Supervacaneum eſt, demonſtrare propterea, quod longâ conſuetudine hoc ipſo verum uſu confirmatum eſt, omnes enim in Eremis ſolitariam vitam agentes, ubi non eſt Sacerdos, Communionem domi ſervantes, à ſeipſis communicant. In Alexandria verò & in Ægypto unusquisq; eorum, qui ſunt de populo, ut plurimùm habet Communionem in domo ſua.* Clemens Alexandr. lib. 1. Strom. ait: *Etiam Eucharistiam cùm quidam, ut mos eſt, diviſerint, permittunt unicuiq; ex populo, eius partem ſumere.* S. Cyprian. Serm. de lapſis ait: *Cùm quædam Arcam ſuam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentâſſet aperire, igne indè ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere; & alius, qui & ipſe maculatus de Sacrificio à Sacerdote celebrato, partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere, Sanctum Domini edere & contrectare non potuit: & cinerem ferre ſe apertis manibus invenit.* S. Auguſt. Serm. 252. de Tempore: *Omnes viri, quando communicare deſiderant, lavant manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent linteola, ubi Corpus Christi accipiant.* Ex his teſtimonijs SS. Patrum clarè patet, unam tantùm ſpeciem deferre & conſervare, quia de una ſolùm loquuntur. Quis enim credat Sanguinem Christi ſub ſpecie vini à Fidelibus portari in manibus. Arcâ vel linteolo Corpus Christi portari potuit, non autem Sanguis; & benè advertit Author Tubæ in ſuperiori Diſcurſu pag. 76. ad marg. ubi ait: *Non debebant Calicem tangere, nedum domum ferre.* Quod patet ex S. Athanaſio, qui Apolog. 2. contra Arianos ait, *nullum Calicem aut poculum myſticum niſi in Eccleſia reperiri potuiſſe.* Quod etiam patet ex Eremitis, qui quomodo potuiſſent Calicem ſumere, qui toto Anno communicabant in Eremis, & rariſsimè veniebant ad Eccleſiam, quod expreſſit S. Baſilius his verbis: *Ubi Sacerdos non eſt, Communionem domi ſervantes, à ſeipſis communicabant* Et hæc vocabatur *Communio Laica.* Vide Concil. Sardicen. Generale, quod fuit appendix Nicæni I. Can. 2. ubi ait ita, *ut nec Laicam Communionem talis accipiat* Probatur ulteriùs ex teſtimonijs Adverſariorum. Lutherus, ultra illud teſtimonium in Diſcurſu ab Authore Tubæ pag. 75. adductum, ubi ait: *Ut Christus in hac re nihil tanquam neceſſarium præcepit, præſtaret, pacem & unitatem, quam ubiq; Christus præcepit, ſectari, quàm de ſpeciebus contendere.* Idem Lutherus in libello, quem vocat Euchariſtiæ Declarat. ait: *Non dixi, neq; conſului, neq; eſt intentio mea, ut unus vel aliquot Epiſcopi propriâ auctoritate alicui incipiant utramq; ſpeciem porrigere, niſi ita conſtitueretur & man-*

Vixit An. 190

& mandaretur in Concilio Generali. Et in libro de Capt. Babyl. ait: *Cùm ego non damnarem unius speciei usum, & Ecclesiæ iudicio reliquerim utriusq; usum statuendum,* licèt alibi contrarium dixerit. Idem ait: *Si quo casu Concilium statueret, minimè omnium nos vellemus, utraq; specie potiri, immo tunc primùm in despectum Concilij vellemus, aut unâ, aut neutrâ, & nequaquam utraq; potiri, & eos planè anathema habere, quicunq; talis Concilij auctoritate potirentur;* utraq; est Lutheri. Ex qua patet, non esse præceptam à Christo utramq; speciem, cùm Cōcilio statuendum relinquit, unam vel utramq; sumendam. Brentius in Apolog. pro Confess. Wittemberg. fatetur, Abstemios posse sub una specie communicare; ut etiam de illo notavit Author Tubæ pag. 77. Melanchton in libro de usu integri Sacramenti affirmat, Ruthenos ob vini inopiam rectè facturos, si pro vino uterentur medone vel aquâ mellitâ. Chemnicium etiam & Calixtum idem sentientem Auctor Tubæ adduxit superiùs & Reneccium. qui dicit, *communissimam esse sententiam Lutheranorum, cùm dicit Christus, Hoc est Corpus meum, nobis non mysticè aut significativè, sed verè & exhibitivè dari Corpus Christi.* Ex his hoc colligitur: Omnes tam Catholici, quàm adversarij, permittunt Abstemijs Communionem sub una specie, nec unquam auditum est, à temporibus Apostolorum usq; ad nos, Abstemios fuisse exclusos à Communione. Alterum est: Nulli, neq; Catholici, neq; adversarij, possunt dispensare in præcepto Divino, sed omninò servandum est. Hinc unum inconveniens sequitur. Secundum inconveniens, semper erunt repellendi à Communione Abstemij, quia non integrum sument Sacramentum. Probatur ulteriùs, à tempore Christi & Apostolorum usq; ad Annum 1412. semper liberum fuit in Ecclesia, vel sub una, vel sub utraq; specie communicare, nec unquam docuerunt Patres, utramq; speciem Divino Jure necessariam esse. Primus fuit, qui hoc excogitavit, quidam Dresdensis Ludimagister Pragensis & Jacobellus, in odium Ecclesiæ Cathol. Romanæ, ob damnatum Joannem Hus, propter suas hæreses. Ergo signum est, hanc esse novam doctrinam, nunquam anteà in Ecclesia Cathol. Rom. auditam.

Secundùm determinationem Ecclesiæ.

Ex determinatione Ecclesiæ.

Si spectemus Jus Divinum, semper in Ecclesia fuit liberum Laicis, vel sub una, vel sub utraq; specie communicare, ut suprà ostensum est. Si autem spectemus Jus Ecclesiasticum, aliter se res habet. Nam diversis temporibus, propter diversas causas, fuerunt diversa præcepta Ecclesiæ, maximè propter errores Nestorianorum, Mani-

chæorum,

chæorum, Hußitarum. Videantur Authores Catholici de utraq; ſpecie, ut Hoſius, Bellarminus, Becanus. Tandem, cùm ex errore Dresdenſis Ludimagiſtri Pragenſis & Jabelli, pertinaciter urgerent utramq; ſpeciem, tanquam ad ſalutem neceſſariam, cùm Catholici paſſim ſub una communicarent, Eccleſia ſub una ſpecie Laicis omnibus communicare ſtatuit, ut errorem anteà nunquam auditum corrigeret & damnaret, qui putabant, non integrum Chriſtum ſub ſpeciebus panis ſumere, partim, ut conſuetudinem communicandi ſub una ſpecie quæ tam multis locis recepta erat, ſuo Decreto approbaret, ut ſic in tota Eccleſia major conformitas & concordia ſervaretur. Accedebant & aliæ graviſſimæ cauſæ, quas antequam proponemus, ſciendum eſt, quòd Chriſtus Dominus proceſſit cum Eccleſia & Prælatis illius taliter, ſicut procedit Rex cum Vicario Regni ſui, ſolet illi quædam majoris momenti negotia certis legibus præſcribere, & alia in ipſius arbitrio relinquere, ſecundùm exigentiam temporis & circumſtantiarum incidentium, & hoc regimen eſt prudentiſſimum, nec poteſt reprobari, niſi ab homine carente omni ratione: ſic & Chriſtus egit cum Eccleſia & Prælatis illius, quos Vicarios ſuos reliquit, ut ipſe dixerit: *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.* Luc. 10. Quæ enim ad Sacramentorum ſubſtantiam, numerum, & effectum pertinent, certis legibus ab ipſo definita ſunt; reliqua verò, quæ cæremonias & circumſtantias attingunt, Paſtorum arbitrio & prudentiæ reliquit. Hujus generis ſunt: Baptiſmum conferre per trinam vel unam merſionem, quam Eccleſia propter varios errores mutabat; Euchariſtiam ſub una vel utraq; ſpecie ſumere; die Dominico vel alio, idq; lotis vel non lotis manibus & pedibus communicare; & his ſimilia, de quibus Apoſtolus 1. ad Corint. 11. ait: *Cætera, cùm venero, diſponam*; & S. Auguſt. Epiſt. 86. ait: *In his quippè rebus nihil certi ſtatuit Scriptura Divina; mos populi DEI, vel inſtitutæ Maiorum pro lege tenenda ſunt.* Idem habet Epiſt. 118. ad Januarium.

Cauſæ. Cur Laici non minùs ſub una, quàm ſub utraq; ſpecie communicare poſſunt. *Prior* eſt, quia totus Chriſtus non minùs ſub una, quàm ſub utraq; continetur, concedentibus etiam adverſarijs, ſuperiùs citatis ab Authore Tubæ, qui idem de ijsdem affirmant, maximè quia occurrebat Eccleſia errori illorum, qui requirendo Calicem, putabant non eſſe integrum Chriſtum ſub ſpecie panis. *Poſterior*, quia non minor fructus ex una ſpecie, quàm ex utraq; procedit,

dit. Sunt aliæ Causæ graves satis. *Prima*, quia multi sunt abstemij à vino, qui nullo modo possunt gustare vinum, qui nunquam sumerent integrum, sed mutilatum Sacramentum, à quo deberent repelli: & fieret illis magna injuria, à qua Christus illos liberos pronunciat, dicens: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Undè respectu illorum non erit generale mandatum. *Altera*, quia in multis locis vinum haberi non potest, præsertim in tanta copia, ubi multa millia hominum possint communicare, & tamen Ecclesia ad frequentem Communionem omnes passim hortatur, & exindè maximè probatur usus unius speciei in Primitiva Ecclesia, quia Fideles quotidiè communicabant. *Tertia*, quia durum esset pro illis mandatum, qui horrent ex eodem poculo cum alijs bibere, vel quòd timeant alterius oris infectionem, vel quòd videant salivas alio rum influxisse in Calicem. *Quarta*, non carebit periculo effusionis in tanta multitudine ex exigua devotione accedentium, præsertim simplicium. *Quinta*, quia infirmi & infantes olim sub una specie communicabant, ut etiam testatur Author Tubæ. Et nunc etiam apud Græcos infirmi sub una specie communicant, qui in Florent. Concilio cum disputâssent de Processione Spiritûs S. & alijs, de Calice ne verbum quidem dixerunt. Certè non siluissent exprobrare mutatam in Communione Christi institutionem, violatum præceptum, præsertim Marcus Ephesinus, Vir in dicendo facundus: tum præsens in Concilio Imperator & Patriarcha Constantinop. cum plurimis Orientis Episcopis, nonnè hi omnes exprobrâssent ereptum Calicem Laicis? & tamen hi omnes nihil viderunt mutationis, quod modò vident Hussitæ, & alij post illos. *Sexta*, quia quod tribuitur utriq; speciei, hoc tribuitur & uni; ut Joan. 7. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam.* Et paulò pòst de una: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Et Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et ibidem: *Qui manducat me, vivet propter me.* Undè ℟. Hussitis in illis verbis malè intellectis (*nisi manducaveritis Carnem Filij hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*) suum fundabant errorem, & novam hanc doctrinam, nunquam in Ecclesia DEI auditam, contineri præceptum de sumenda utraq; specie. Duo enim in his verbis spectari debent: Substantia sumptionis, & modus sumptionis. Substantia sumptionis est in præcepto, non autem modus. Vult enim Christus, ut manducemus Carnem, & bibamus ejus Sanguinem,

Ioan. 6 (margin, beside "nunciat, dicens: Qui manducat hunc panem…")

NB. (margin, beside "verbum quidem dixerunt…")

guinem,

guinem, secundùm substantiam, vel sub specie panis vel vini, quia sub utraq; continetur Christus cum Sanguine: non tamen vult, nec præcepit quò ad modum sub utraq; specie. Hoc evidenter apparet, quia nec in verbis citatis, nec in toto illo Capite probari potest præceptum de utraq; specie, neq; ex voce Carnis & Sanguinis, quia Caro & Sanguis Christi non minùs sub una specie, quæ necessitas utriusque? si possum habere vitam ex una, ut dicitur Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et: *Qui manducat me, vivet propter me.* Et Joan. 7. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ad quid debeo expetere eandem Carnem & Sanguinem sub specie vini, cùm totus sumatur Christus sub specie panis, & ex sumptione illius vivam in æternum, vivam propter manducationem illius. Neq; etiam ex illo loco, *Bibite ex hoc omnes,* Calix urgeri potest, cùm ad Discipulos dictum sit, ut patet ex sequenti textu, *Omnes vos scandalum patiemini.* Et Marci 14. *Et biberunt ex eo omnes,* id est Discipuli. Numquid omnes credentes illo tempore biberunt Calicem, res satis clara, Discipulis omnibus dictum esse, non omnibus credentibus. Nec fuit præceptum Divinum, communicare sub utraq; specie, ut constat ex continua praxi Ecclesiæ, propter tamen varios errores aliter provisum est, & 1mò Nestorij, qui asserebat, sub specie panis solum Corpus Christi, sub specie vini solum Sanguinem; ad abolendum igitur hunc errorem, visum est utile, sub una specie hoc Sacramentum ministrare, ut ostenderetur, totum esse Christum sub qualibet specie. 2dò Manichæorum, qui vinum execrabantur, & communicabant olim inter Catholicos (occultatâ suâ hæresi) sub una specie panis, aliàs nunquam latuissent Manichæi, si non fuisset licita una species, qui nullo modo sub specie vini volebant communicare, ut testatur S. Leo Serm. 4. de Quadrag. & tamen nunquam ab Ecclesia ob hanc causam, quòd sub una specie communicâssent, damnati sunt, sed tantùm, cùm jam constaret, quòd suam hæresim occultarent, communicando sub una specie cum Catholicis, S. Leo jussit notare illos, qui nunquam sumunt Calicem, ut sic detegeretur illorum hæresis. Si ergo non fuisset libera Communio sub una, vel sub utraq; specie, nunquam Manichæi ausi fuissent abstinere à Calice publicè; licitè ergo abstinebant, quia licita erat una species, & non habebantur pro hæreticis, qui quandoq; non sumebant Calicem, sed qui nunquam sumebant illum. Et tamen S. Augustinus, S. Epiphanius, & alij, cùm satis accuratè scripserint

NB.

qui & modò requirunt Calicem, videant, ne sint in eodē errore.

ſcripſerint de erroribus Manichæorum, nullus ſcripſit eorum, eos errâſſe, quòd communicarent ſub una ſpecie; Ergo tunc non erat erroneum, communicare ſub una ſpecie. Quis enim dicet, SS. Patres tam vigilantiſſimos Eccleſiæ Doctores & Paſtores, qui in notandis & confutandis hæreticorum dogmatibus, fuerunt diligentiſſimi, non noſcituros, fuiſſe hoc dogma ſub una ſpecie, ſi putâſſent eſſe hæreticum. Lutherus Tom. 7. Wittemb. fol. 7. p. 2. ait: *Charitatis & unitatis neceſſe eſt ut recordemur, & omni ex parte neceſſarium, ut ob vilem cauſam unitas ſpiritualis non dividatur, & à Romana Eccleſia non ſeparetur, ſed & ab Eccleſia Romana ordinem in omnibus punctis omninò ſequamini.* Et Tom. 1. Jen. fol. 21. ait: *Ideò Bohemis injuſtè diſpenſavi Sacramentum, quia meæ auctoritati & poteſtati fuerunt inobedientes, nam & ſub una ſpecie diſpenſari poteſt Sacramentum.* Et Tom. 7. Wittemb. fol. 23. p. 1. ait: *Chriſtus totaliter & immutabiliter in Corpore & Sanguine, ſub qualibet ſpecie, tam panis quàm vini invenitur, & tam plenum Sacramentum ab illis ſumitur, qui ſub una ſpecie tantùm communicant.* Sed ſi quis cauſam requirat, quare tantopere exigebatur Calix, tanquam neceſſarius ad ſalutem, ab Huſsitis, & alijs ſuccedentibus poſt illos, qui nunquam exigebatur usq; ad Annum 1412. ſed ſemper liberum fuit in Eccleſia Cathol. Rom. ſub una vel utraq; ſpecie communicare. Ratio eſt, aſtutia diaboli, in decipiendis hominibus, non propoſuit ille apertam hæreſim, ut tam multos homines ſepararet ab Eccleſia, quia vel nihil, vel parùm lucratus fuiſſet: quilibet enim caveret apertam hæreſim. Sed ipſe ſuum negotium perditionis incepit ſub ſpecie pietatis, ut qualicunq; modo ſepararet ab Eccleſia, incepit à Sacramento, quod fuit vinculum charitatis, fecit ex eo cauſam diſsidij, & materiam diviſionis, ut tot ſepararet populos ab Eccleſia. Non enim hoc offendit diabolum, ut quis ſumat ſub una vel ſub utraq; ſpecie Sacramentum, ſed quòd fiat contra ordinationem Eccleſiæ, ad hoc movet omnem lapidem. Eſt ordinatio Chriſti Eccleſiæ, ut ſub utraque communicetur, vult ille contrarium: eſt ordinatio, ut ſub una communicetur, vult ille vel ſub utraque, vel ſub neutra. Sic illius ſuaſu reperitur ſcriptum, ſi quo caſu Concilium ſtatueret, minimè omnium nos vellemus, aut unâ, aut neutrâ, & nequaquam neutrâ potiri, & planè eos anathema habere, quicunq; auctoritate talis Concilij potirentur utrâque. Videtis, quia ipſe non tam uſum Calicis pro Laicis deſiderat, quàm ut ab Eccleſia ſeparet, quæ ſi ſtatueret

NB. Non panem, ſed ſpeciem panis agnoſcit Lutherus in Sacramento.

ex ordinatione Eccleſiæ.

utramq; sumendam, ille vel unam, vel nullam speciē sumere vellet, & nequaquam utramque: & hoc, ut fiat in despectum Concilij, quod repræsentat Ecclesiam. Occinit illam antiquam cantilenam membris Christi, quam ipse Christo occinebat, *Si Filius DEI es, mitte te deorsùm. Scriptum est enim &c.* Quæ verba præclarus ille Vincentius Lirinen. interpretatur: *Mitte te deorsùm, hoc est, è sublimis Ecclesiæ, quæ Templum DEI putatur, quæ Civitas est super montem posita, à doctrina & traditione te dimitte, non quod Ecclesia, sed quod nobis visum est, sequere privati alicuius, qui cum spiritu meo sit afflatus.* Non ergo vult Calicem, sed divisionem & separationem ab Ecclesia, quamvis sub specie Calicis, ut magis suam fraudem occultaret. Non enim (ut ait S. Augustinus contra Donatistas) *in Sacramentis, verùm in præcisione vitium est.* Sive enim quis sub una, vel sub utraq; specie communicat, proficit illi ad salutem, modò secundùm ordinationem Ecclesiæ fiat, non autem in præcisione ab Ecclesia, quia vitium est, sive unam, sive utramq; sumpseris, quia nullam sumpsisti. Quid fuit vitij in Sacrificio Core, Dathan, & Abiron? nonnè in adolendo incenso fuit cultus DEI veri? & tamen, quia seorsim sacrificabant, contra Moysen & Aaron insurgentes, ab illis se præciderunt, disrupta est terra sub pedibus eorum, & devoravit eos cum tabernaculis suis.

Matth. 4



NB.

Schisma, quantum malum,

Notandum singulariter, quot Regna, quot Provinciæ, quot Civitates, sub hoc specioso prætextu, requirendo Calicem, recesserint ab Ecclesia Cathol. Romana: constat enim ex Historijs, quòd aliqui Scioli commoverent populos in Civitatibus, & plebem in Regnis, ut tum exigerent Calicem, cùm Ecclesia declararet, unam speciem sufficere ad salutem, propter errorem illorū, qui dicebant, sub specie panis mortuum esse Christum sinè Sanguine, ideò Calicem necessarium de necessitate salutis; Tunc Sathanas nactus opportunam occasionem, sic commovit per membra sua indoctas turbas, & furiosos populos, ut sub specie Calicis, non tam Calicem, quàm separationem ab Ecclesia faceret. Hoc evidenter constat ex Concil. Trident. Cùm enim Ecclesia, tanquam pia Mater, sollicita de salute filiorum suorum, videret plures recedere ob non permissum usum Calicis, volens consulere saluti illorum. In Concil. Trident. Sess. 22. cap. 11. totum negotium remisit ad Pontif. Romanum, *an scilicet honestis, & charitati Christianæ consentaneis rationibus concedendus alicui vel Nationi, vel Regno, Calicis usus videatur?*

 Modò

Modò quærimus: Cùm Ecclesia se tam facilem præbuerit in concedendo usu Calicis, petijtne aliqua Natio, vel Regnum, vel Civitas? nequaquam! Quare hoc? quia diabolus sub prætextu Calicis, non tam usum Calicis, quàm separationem ab Ecclesia volebat. Undè non potest verificari, unionem sperandam tot Ecclesiarum, præcipuè Protestantium cum Ecclesia Cathol. Rom. concessione Calicis, cùm nec Ecclesia sit tam difficilis in concedendo illo, nec illi petant hoc ab Ecclesia, licèt sciant ex Luthero in Epist. ad Bohemos, ex Melanchtone, ex Brentio, ex Calixto, & alijs Lutheranis, quorum communissimam sententiam esse dicit Author, sub specie panis totum contineri Sacramentum Cœnæ Domini, cùm & Lutherus in libello, quem vocat Euchar. Declarat. ait: *Non dixi, neq; consului, neq; est intentio mea, ut unus, vel aliquot Episcopi, propriâ auctoritate alicui incipiant utramq; speciem porrigere, nisi ita constitueretur, & mandaretur in Concilio Generali.* Et in lib. de Capt. Babil. ait: *Cùm ego non damnarem unius speciei usum, & Ecclesiæ judicio reliquerim, utriusq; usum statuendum.* Et licèt posteà contrarium senserit, indicat causam in eodem libro, dicens, non ex animi sui sententia, sed provocatum, & per vim raptum, in hanc arenam se descendere. Quis hoc approbet, quòd Lutherus non ex animi sui sententia, sed provocatus, ac per vim raptus dixerit, utramq; speciem de necessitate salutis esse, cùm antea contrarium senserit cum Melanchtone, Buccero in Colloq. Ratisbon. & alijs. Si verò propter solum usum Calicis non accedunt Protestantes ad Ecclesiam Rom. Cathol. ipsi videant, si habent justam causam separandi se ab Ecclesia, & inter seipsos dissentire, & tot inter se manifestos fovere errores, quod fatetur Author Tubæ pag. 74. *Cùm aliter,* ait, *Theologi cordatiores & modestiores, aliter nonnulli Evangelici, aliter plerіq; prætensi Reformati teneant, alij sub specie panis, alij simul cum pane Christum, alij præsentem Christum, alij figuram illius, qui si condescenderent in illam puritatem,* (ait Author) *quæ fuit in Veteri Ecclesia, absq; dubio concederent hanc Transmutationem & præsentiam Christi, non quidem ordinariam, materialem, & communem, tamen veram & extraordinariam, Sacramentalem atq; supernaturalem, ex vi verborum Christi, præsertim, quia in tota Catholica Ecclesia semper & ubiq; ita creditam.* Hucusq; verba Authoris Tubæ. Sed etiam modò ita Ecclesia Rom. Cathol. constanter credit, adversarij verò, postquam recesserint ab Ecclesia, inter se etiam continuò ut suprà pugnant; consideret, quæ pax sequi debeat etiam inter illos;

Argu-

Argumenta omnia ſolvuntur per continuam praxim Eccleſiæ, & per continuum liberum uſum unius vel utriusq; ſpeciei SS. Patrum teſtimonijs, & ipſorum adverſariorum confeſſione.

Doctrina verò de neceſſitate utriusq, ſpeciei, eſt nova cujusdam Dresdenſis Ludimagiſtri Pragenſis, qui perſuaſit hanc doctrinam Jacobello. Hoc fatentur & Picardi in Apolog. ſuæ Confeſſionis his verbis: *At hic eſt Jacobellus ille, qui primus utriusq; ſpeciei Communionem in Bohemia exorſus eſt.* Quis credet, quòd DEUS hanc novam doctrinam de neceſſitate utriusq; ſpeciei his ultimis temporibus revelaret Ludimagiſtro & Jacobello, quam non revelavit à tanto tempore Eccleſiæ à primordijs illius, ſuppoſitâ ſemper praxi liberæ Communionis, tam ſub una, quàm ſub utraq, ſpecie, quia tam ſub una, quàm ſub utraq; totus continetur Chriſtus. Quod autem non ſolus uſus Calicis ſepararet Proteſtantes ab Eccleſia Cathol. Rom. ſed potiùs multæ diſsenſiones, Schiſmata, & errores inter Proteſtantes, ut patet ex ipſo Authore Tubæ, qui pag. 59. ait: *Scimus enim, adhuc tempore Lutheri, cùm in vivis eſſet, iam fuiſſe plurimas diſſenſiones in doctrina, quæ in Schiſmata horrenda degenerárunt.* Lutherus Tom. 2. Germ. Jen. 101. Epiſt. ad Antorp. *Tot ſunt inter nos Religiones, quot homines.* Conferatur Phil. Melanchton, vide ſuprà pag. 223. Cùm ergo adhuc tempore Lutheri fuerint plurimæ diſſenſiones in doctrina, quæ degenerârunt in horrenda Schiſmata, quæ à morte Lutheri jam tot erant illo tempore, quid per ducentos propè annos factum ſit, conſcientias omnium appellamus, nonnè per id tempus multò plura fieri debuerunt? nonnè per ducentos ferè annos inveterata in varias hæreſes degenerârunt? quomodo ergo hi omnes, ſolâ conceſſione Calicis, redibunt ad Eccleſiam Cathol. Romanam? nonnè jam pridem redijſſent, ſi non alij errores impedirent? cùm Lutherus & multi fatentur, non eſſe de neceſſitate ſalutis utramq; ſpeciem, nec etiam Eccleſia ſit difficilis adeò in concedendo, ut patet ex Concilio Tridentino.

Eſt Objectio Diſſidentium præcipua, quâ invehuntur in Catholicos, quòd vel Sacramentum Dni mutilatum & imperfectum porrigant Laicis, vel quòd panis & Calix ſint duo Sacraméta. ℟. Sicut eſt totus Chriſtus ſub ſpecie panis, ſic totum Laici accipiunt Sacramentum, neq; duæ ſpecies ſimul ſumptæ à Sacerdote faciunt duo Sacramenta: ſicut duæ particulæ conſecratæ ſimul junctæ, vel duo Calices Sanguinis in eodem Altari exiſtentes, non ſunt duo Sacramenta: ſicut

sicut non sunt tres mersiones; tria Baptismata; neq; obstat, quòd à Sacerdotibus in ipso Sacrificio distinctè sumatur Eucharistia per modum cibi & per modum potûs, id enim fit potissimùm ob Sacrificij, non ob Sacramenti integritatem; neq; inde aliquid populus perdit, nam id ipsum, quod sumit Sacerdos sub duplici symbolo, sumit populus sub uno, quia sub specie panis sumit totum Christum.

Samuel Werner in sua Disputatione pag. 59. mirè invehit contra Ecclesiam, quòd statuerit sub una specie dandam Eucharistiam Laicis, & versu 9. ait: *Graviter huic errori renitentibus Waldensibus, Wiclepho, Joanne Husso, Hieronymo Pragensi, & aliis viris cordatis, coactum Sæculo XV. Concilium Constantiense est, quòd errorem hunc tantâ audaciâ dedit stabilitum, &c.* Et in fine pag. ait ex Hunnio: *Si Communioni sub utraq; uti vocant specie tale subest periculum, cur Christus id non prævidit? cur Patres Concilij Constantiensis prudentiores Christo? Nugæ hæ sunt, &c.* Et paulò pòst: *Proh DEI & hominum fidem! quid audio? Sicciné ineptire totum Concilium, Cardinales, Episcopos, Doctores, Romanæ Ecclesiæ Columnas, &c. an non satiùs erat omnium rusticorum abradi barbas, quàm falsari, mutari, truncari, & mutilari Testamentum æterni Filij DEI; doceant insuper nos, cur Christus non eandem ob causam negârit Calicem Apostolis barbatis*; & alias ineptias miscuit, quas & referre piget. ℟. Miror Wernerum, cùm aliàs posuerit se in ista Disputatione Doctorem S. Theologiæ, & ignoraverit rem notissimam in Ecclesia Cathol. Rom. & nescierit hanc distinctionem inter præceptum & institutionem Christi, quod passim omnes Dissidentes, etiam mediocris ingenij homines sciant, si veritatem fateri vellent, instituisse Christum utramq; speciem, sed non præcepisse, quod superiùs clarè ostendimus. Miror, inquam, istum Doctorem, quòd ipse, nullo habito fundamento, objecerit errorem Concilio, Cardinalibus & Episcopis, & non advertit, quòd iste error refunditur etiam in Lutherum, ex quo patuit superiùs, non esse præceptum Divinum, ut utramq; speciem sumant Laici. Profanavit ergo Lutherus, mutilavit, truncavit Testamentum æterni Filij DEI, secundùm sententiam Werneri, cùm dixerit lib. de Capt. Babil. *Cùm ego non damnarem unius speciei usum, & Ecclesiæ iudicio reliquerim.* Et Epist. ad Bohemos ait: *Quamvis pulchrum quidem esset, utraq; specie in Eucharistia uti, & Christus hac in re nihil* (notet Wernerus!) *tanquam necessarium præcepit, præstaret, pacem & unitatem, quam Christus ubiq; præcepit, sectari, quàm de speciebus contendere.*

dere Videat ergo Werner, cùm arguit Ecclesiam erroris, condemnat Lutherum de profanatione Testamenti æterni Filij DEI, contenditq; de speciebus contra doctrinam Magistri. Retorqueo ergò Argumentum ad illa verba, quæ dixit, cur Patres Concilij prudentiores Christo? & dico, cur Werner prudentior Luthero? Videant Dissidentes, quàm ipsos splendidè decipiant isti Magistri, cùm primarias rationes occultant, ut v. g. instituit Ecclesia unicam speciem dandam Laicis, quia invalescebat hæresis, quæ putabat, sub specie panis non esse integrum Christum, sed Corpus Christi, & sub specie vini Sanguinem. & alias rationes superius adductas satis notas, ipse asseruit propter barbas subtractum Calicem. Adde, quòd vocaverit Wiclephum, & alios Viros cordatos: jam benè notum omnibus, quòd Wiclephus fuerit hæreticus, idq; ille, qui cum Simone Mago negavit liberum arbitrium, & exuens homines liberâ voluntate, quo errore ex rationali creatura fecit jumentum. Cùm ergo dixerit Werner, doceant nos, cur Christus non ob eandem causam negârit Calicem Apostolis barbatis; puto, quòd sufficientem habeat doctrinam ex hac responsione.

obijcere errorem Ecclesiæ Cathol. Rom. de utraq; specie, est obijcere, Wernerū nunquam fuisse Regiomonti, nec ibi fuisse Professorem vel Doctorem in Acad. Regiomontana.

Discursus Authoris Cap. XIV.

Pag 77.

An detur Sacrificium Novi Testamenti in Eucharistia?

AN non sic loqui liceret? *Non dari cruentum*, prout fuerunt Sacrificia Veteris Testam. *dari incruentum*, secundùm ordinem Melchisedech, in commemorationem Sacrificij cruenti JESU Christi in Cruce, quod in Eucharistia exprimitur, prout Liturgiæ Petri, Marci, Jacobi, & cæterorum Apostolorum, Chrysostomi, Basilij, & aliorum SS. Patrum Doctorumq; Ecclesiæ, variè id demonstrant, imò à pluribus Doctoribus Lutheranis, præsertim in Prussia Ducali, in Eucharistia verum repræsentari Sacrificium conceditur. Ad marginem citat Author Dreierum in Concione de Cæna Domini, Melchiorem Zeidlerum, Samuelem Wernerum, Joan. Philip. Pfeifferum, Zeidler cit. loc. lect. 3. th. 3. Sanctam Eucharistiam, seu, ut vocabulo Ecclesiastico utamur, Missam Sacrificium suo modo esse, negari non potest.

Discur-

Discursus Theolog.
De Missæ Sacrificio.

Ex quo tempore Mundus conditus est, semper DEUM oblatis Sacrificijs coluisse, compertum est, ita ut hæc naturæ lex hominibus insita videatur, ut soli DEO, & nulli creaturæ Sacrificium offeratur, & ut dicit S. Augustin. lib. 1. contra advers. Leg. & Proph. cap. 8. de Civit. DEI cap. 4. *Hoc solo externo Sacrificio Divina Servitus ab humanis obsequijs discernitur.* Ubi verò nullum est Sacerdotium, nullum Sacrificium, ibi certum est, nullum agnosci DEUM, ibi enim populus more illius captivi sedet, absq; lege, absq; Sacerdotio, absq; Ephod. Cùmq; DEO sacrificare cessaverit, & ipse DEI esse cesset, ut incipiat esse temporibus gratiæ, quod nunquam fuit, etiam tempore iræ, ut Christianis DEO sacrificare cessantibus, cultus, qui semper in mundo fuerat Sacrificij, omninò de mundo pereat, & quo DEO subditus esse probabatur, cultum ejus abijciens, absq; aliquo DEO esse videatur, & ad quendam Atheismum inclinet. Triplex enim Status hominum à condito mundo reperitur: Status Legis Naturæ, Status Legis Mosaicæ, & Status Legis Evangelicæ. In Statu Legis Naturæ offerebant Sacrificia, Abel, Noë, Abraham, Melchisedech, Isaac, Job: in Statu Legis Mosaicæ, plurima & varia oblata sunt Sacrificia, ut lib. 2. Paralipom. cap. 7. in Statu Legis Evangelicæ, obtulit Christus DEO Patri in Ara Crucis cruentum Sacrificium, in cujus commemorationem offertur incruentum Sacrificium in Altari quotidiè. sub speciebus panis & vini. Et hoc incruentum Sacrificium convenit cum cruento in re oblata, quia in utroq; offertur Christus per modum victimæ, convenit in principali offerente: nam in utroq; est Principalis Sacerdos & Pontifex Christus, licèt in hoc incruento in Altari utatur ministerio Sacerdotum, ipse autem sit principalis offerens. Est ergo Sacrificium Altaris repræsentatio Sacrificij Crucis, in commemorationem cruenti Sacrificij, quam præcepit Christus 1. Corint. 11. *Hoc facite in meam commemorationem, quotiescunq; manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* De hoc Sacrificio vaticinatus est Malachias Propheta cap. 1. & prædixit, veteribus Sacrificijs successurum in Nova Lege aliud DEO gratissimum, his verbis: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non suscipiam*

Am de manu vestra. Ab ortu enim Solis, usq; ad occasum, magnum est
nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur no-
mini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus,
dicit Dominus exercituum. Hunc locum SS. Patres unanimiter intel-
ligunt de Missæ Sacrificio. S. Irenæus lib. 4. cap. 32. ait: *Eum, qui* *Vixit An. 160*
creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est Corpus me-
um; & Calicem similiter &c. suum Sanguinem confessus est, & Novi *ab Apostolis acceptum Missæ Sacrificium.*
Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis acci-
piens, in universo mundo offert DEO, & de quo in duodecim Prophe-
tis Malachias sic præsignificavit: Non est mihi voluntas &c. Vetustior
illo S. Martialis, Discipulus Apostolorum, Epist. ad Burdegal. cap. 3
ait: *Quod Corpus Christi per invidiam Judæi in Ara Crucis immolave-*
runt, &c. nos causâ salutis nostræ in Ara sanctificata proponimus. S.
Clemens lib. 8. Apost. Constit. cap. ult. ait: *Primus igitur naturâ*
Pontifex & unigenitus Christus &c. spirituale Sacrificium offerens DEO
& Patri suo, ante Passionem nobis solis præcepit hoc facere. &c. Sed non
omninò omnis continuò, qui credit in illum, Sacerdos est, & Pontifici-
um consequitur honorem, post autem assumptionem ipsius, nos oblato se-
cundùm ejus ordinationem Sacrificio puro & incruento, constituimus
Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, numero 7. è quorum numero erat
Stephanus. S. Cyprian. lib. 2. Epist. 3. *Si JESUS Christus, Dominus*
& DEUS noster, ipse est Summus Sacerdos DEI Patris, & Sacrificium
DEO Patri ipse primum obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem
præcepit, utiq; ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id, quod Chri- NB.
stus fecit, imitatur, & Sacrificium verum & plenum tunc offert in Ec-
clesia DEO Patri, si sic incipiat offerre, secundùm quod ipsum Christum
videat obtulisse. Idem ad Cæcilium fratrem sic scribit: *Admonitos au-*
tem nos scias, ut in Calice offerendo Dominica Traditio servetur, neq;
aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit; ut Ca- 
lix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. S.
Ignatius, Apostolorum Discipulus, qui Christum in Carne vidit, E-
pist. ad Smirnenses ait: *Non licet sinè Episcopo offerre, neq; Sacrificiũ*
immolare, neq; Dochen celebrare. S. Justinus Martyr in Dialog. cum *Vixit An. 150*
Tryphone ait: *De nostris gentium, quæ in omni loco offeruntur Sacri-*
ficiis, hoc est, pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ, tan-
tum locutus Malachias. S. Irenæus lib. 4. cap. 23. in fine: *Manifestè*
significans Malachias per hæc, quoniam prior quidem populus cessabit of-
ferre DEO, in omni autem loco Sacrificium offertur ei, & hoc purum,

nomen autem eius glorificatur in Gentibus. Et cap. 34. *Et genus Oblationum reprobatum est; Oblationes enim & illic, oblationes autem & hîc Sacrificia in populo, Sacrificia in Ecclesia;* ubi S. Irenæus apertè docet, Sacrificium Ecclesiæ successisse Sacrificio Judæorum. Deniq; illa verba, *Novi Testamenti novam docuit oblationem,* clarè ostendunt Sacrificium: non enim Eleëmosynæ & Orationes res sunt novæ, quæ semper fuerunt, etiam apud Judæos. S. Cyprian. lib. 1. contra Judæos cap. 16. in titulo Cap. ait: *Quod Sacrificium vetus evacuetur, & novum celebretur. Non enim potest esse novum, nisi Sacrificium Eucharistiæ;* pro quo etiam citat locum Malachiæ. Illa enim, quæ adducunt adversarij spiritualia, non possunt esse nova, quia semper fuerunt, ut Eleëmosynæ & Orationes. Eusebius Cæsariensis lib. 1. Demonstr. Evang. cap. ult. citato loco Malach. ait: *Sacrificamus DEO plenum, & odorem adferent, & Sacrosanctum Sacrificium, sacrificamus novo more, secundùm Novum Testamentum, hostiam mundam.* Joan. Chrysost. in Comment. Psalm. 59. cùm verba Malachiæ citaverit, ait: *Vide quàm luculenter atq; dilucidè mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia.* Hieronym. in Comment. Malach. per Sacrificium intelligit Eucharistiæ oblationem, dicit enim, *offerri DEO hostiam mundam in cæremonijs Christianorum,* S. August. lib. 1. contra advers. Legis & Prophet. cap. 20. tractans illum locũ Malach. ait: *Ecclesia per Successiones Apostolorum immolat in Corpore Christi Sacrificium laudis.* Idem S. August. de Sacrificio Corporis Domini in Eucharistia loquens, lib. 18. Civ. cap. 35. ait: *Hoc Sacrificium per Sacerdotes secundùm ordinem Melchisedech, cùm in omni loco, à Solis ortu usq; ad occasum, DEO iam videant offerri, Sacrificium Judæorum, de quibus dictum est, Non est mihi voluntas in vobis, iam cessare negare non possunt.* Theodoretus in Comment. Malach. apertè dicit, *Secundùm Malachiæ prædictionem, nunc immolari Agnum immaculatum, loco victimarum irrationalium, quæ erant in lege Judæorum.* Damascenus lib. 4. de Fide cap. 14. ait: *Hoc illud est purum & incruentum Sacrificium, quod à Solis ortu usq; ad occasum, Dominus oblatum iri per Prophetam prædixit.* Per hoc purum & incruentum Sacrificium non possunt intelligi bona opera, quia secundùm adversarios sunt sordes, maculæ, & inquinamenta. Deindè clarè patet, quòd ante hanc Prophetiam loquatur Propheta Malachias de his rebus, quæ offerebantur in veris Sacrificijs Judæorum, cùm ait: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonnè malum est? & si offe-*

vatis claudum & languidum, nonne malum eſt? offer illud Duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam, &c. de manu enim veſtra factum eſt hoc, ſcilicet quòd offerebatis claudum, cæcum, & languidū; tale munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis uſq; ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur oblatio munda. Et ſicut ibi erant vera Sacrificia, in quibus offerebatur claudum, cæcum, ad immolandum; ſic in Gentibus hæc oblatio munda, quæ ſacrificatur & offertur in omni loco, debet eſſe Sacrificium verum, in oppoſitum Sacrificiorum, in quibus claudum & cæcum ad immolandum offerebatur, cùm in locum illius novum ſucceſſit. Et poſt hanc Prophetiam iterum dicit: *Intuliſtis de rapinis, claudum & languidum intuliſtis munus, numquid ſuſcipiam illud de manu veſtra? &c. Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino.* Hæc clara ſunt, nec poſſunt ad alium ſenſum detorqueri, præſertim cùm SS. Patres intelligant de Sacrificio Euchariſtiæ.

Diſcurſus Theolog.

De nominibus Sacrificij.

PRobatur ulteriùs, Euchariſtiam eſſe Sacrificium ex nominibus Sacrificij, victimæ, oblationis. & ex verbis offerre, immolare, ſacrificare. quibus paſſim Patres tam Græci quàm Latini utuntur. & non ſolum dicunt, Euchariſtiam eſſe Sacrificium ſeu oblationem, ſed dicunt, offerri DEO, immolari, ſacrificari, & hoc tam clarum eſt, ut etiam Chemnicius hanc veritatem fateri cogatur pag. 782. his verbis: *Negari non poteſt, veteres, quando loquuntur de celebratione Cænæ Dominicæ, uſurpare vocabula Sacrificij, Immolationis, Oblationis, Hoſtiæ, Victimæ; item uti verbis, offerre, ſacrificare, immolare.* Hæc ille. Hic modus loquendi ſatis indicat, quid SS. Patres ſenſerint. Si enim exiſtimarent, Euchariſtiam ſolùm eſſe Sacramentum, non etiam Sacrificium, nulla eſſet cauſa, cur aliter loquerentur de Euchariſtia, quàm de Baptiſmo; nullibi autem vocant Baptiſmum Sacrificium, hoſtiam vel victimam, nec dicunt, baptizare eſſe ſacrificare, vel immolare. S. Andreas Apoſtolus. ut ſcribunt Presbyteri & Diaconi Achaiæ in ſua paſſione, dixit Ægeæ Proconſuli: *Ego immaculatum Agnum in Altari offero, cuius carnes poſteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui immolatus eſt, integer perſeverat & vivus.*

Vixit An. 121 *vivus.* S. Alexander Papa & Martyr Epist. 1. cap. 4. ait: *Ipsa verò veritas nos instruit, Calicem & panem in Sacramento offerre, quando ait: Accepit JESUS panem, & benedixit, deditq; Discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate, Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter &c. Hic est Calix Sanguinis mei, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Crimina enim atq; peccata, oblatis his Domino Sacrificijs, delentur. &c. Talibus hostijs delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in Sacrificijs maius esse potest, quàm Corpus & Sanguis Christi, nec ulla oblatio hâc potior est, sed hæc omnes præcellit, quæ purâ conscientiâ offerenda est, & purâ mente sumenda, atq; ab omnibus veneranda.* S. Laurentius S. Xistum ad martyrium euntem sic alloquitur: *Quò progrederis sinè Filio Pater? quò Sacerdos Sancte sinè Diacono properas? tu nunquam Sacrificium sinè Ministro offerre consueveras.* S. Clemens Papa & Martyr, Discipulus S. Petri, Epist. 3. ait: *In alijs locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, nisi in his, in quibus proprius Episcopus iusserit.* S. Telesphorus Papa & Martyr, in Epist. ad omnes Christi Fideles ait: *Nocte verò Sanctâ Nativitatis Domini Salvatoris Missas celebrent. &c. Reliquis verò temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè sunt celebrandæ. &c. Angelicus Hymnus, pro tempore & loco Missarum Solemnijs celebrandus est:* Quem morem ad hodiernum diem servat Ecclesia. S. Fabianus statuit cap. 9. in Codice Decretorum hæc: *Sacrificium non est accipiendum de manu Sacerdotis, qui Orationes, vel oblationes, & reliquas observationes in Missa, secundùm ritum implere non potest.* Ante hos omnes Canon Apostolorum tertius hæc habet: *Si quis Episcopus aut Presbyter, præter Ordinationem Domini, alia quædam in Sacrificio offerat super Altare, &c. contra consuetudinem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Canones verò Apostolorum, quantæ sint auctoritatis in Ecclesia Cathol. Romana, vide Notas Binij supra illos, Tom. 1. pag. 16. & 17. ubi
" ait: Juxta vulgatam SS. Patrum regulam, quoniam illorum Au-
" thor ignoratur, Apostolicâ Traditione ad nos dimanare creduntur.
Tum quod vel Romanorum Pontificum, vel Conciliorum Decretis, vel quorundam Patrum sententijs confirmati, præcipuè S. Telesphorus Epist. 1. ad Episc. Sicilienses: tum Gelasij, qui ultra quinquaginta alios censuit inter Apocrypha, priores vero 50. ab antiquis Pontificibus, Concilijs & Patribus, velut Authentici recipiuntur, cap. 3. distin. 16. Concilium Nicænum I. Generale hæc habet Can. 18. *Pervenit*

NB. Veneratio Sacramenti.

Vixit An. 127

venit

venit ad Sanctum magnumq; Concilium, quòd in quibusdam locis & Civitatibus, Presbyteris gratiam Sacræ Communionis Diaconi porrigant, quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi Corpus accipiant. Idem habet secunda Editio Canonum. Can. 14. Editio Græca ejusdem Concilij Nicæni lib. 3. de Decretis, cap. de Divina mensa hæc ait: *Iterum etiam hic in Divina mensa, ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum, sed attollentes mentem fide intelligamus, situm in Sacra illa mensa Agnum illum DEI, tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretiosum illius Corpus & Sanguinem nos verè sumentes credere.* Hoc testimonium Concilij Nicæni agnoscit Calvinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 36. Oecolamp. in Dialog. cum Nathan. Ex Ephesino Concilio Patres Concilij hæc scribunt ad Nestorium: *Sicut secundùm carnem, mortem Unigeniti Filij DEI, id est JESU Christi, & resurrectionem eius, & in Cælos ascensionem pariter confitentes, incruentum celebramus in Ecclesiis Sacrificij servitutem: sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes Sancti Corporis, & pretiosi Sanguinis Christi, omnium nostrûm Redemptoris effecti.* In tertia Sessione Concilij Chalcedonensis Generalis IV. lectus est secundus libellus Ischyrionis contra Dioscorum, quòd frumentum, ad conficiendam Eucharistiam ab „ Imperatore Ecclesijs Libyæ dari solitum, surripuisset, ut ob eam „ causam incruentum Sacrificium Missæ diù oblatum non fuerit. „ Adjecit, quòd ea bona, quæ Peristeria, nobilissima fœmina, per te- „ stamentum Monasterijs & pauperibus contulisset eo fine, ut pro „ salute animæ suæ Sacrificium DEO offerreretur, ille scortis & tur- „ pibus personis in eleemosynam cõtulisset. Quomodo ergo omnes „ Lutherani & Calvinistæ dicunt, se venerari & recipere quatuor Generalia Concilia, cùm reijciant Missæ Sacrificium, de quo tam disertè Concilia, Nicænum I. Can. 18. editionis verò Græcæ Can. 14. & Chalcedonense, tam de Missæ Sacrificio, quàm pro defunctis Ephesinum ad Nestorium, tam clarè loquuntur.

Missæ Sacrificium & Purgatorium.

Discursus Theol.

Alijs testimonijs SS. Patrum Missæ Sacrificium probatur.

Modò SS. Patrum testimonia sequuntur. S. Ambrosius in
NB. Psalm. 38. *Etsi nunc Christus non videatur offerre, ipse tamen offertur in terris, cùm Corpus eius offertur.* Idem in Cap. 1. Luc. *Cùm sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur.* Idem 1. Offic. cap. 48. *In nostro Sacrificio Christus ipse se offert, quasi Homo, quasi recipiens passionem nostram, velut Sacerdos noster, ut peccata nostra dimittat.* Idem in Orat. præparante ad Missam ait: *Concede mihi Missarum Solemnia mundo corde & pura mente celebrare. &c. Quantâ enim cor-*
NB. *dis contritione, & lacrymarum fonte, quantâ reverentiâ & tremore, quantâ corporis castitate, & animæ puritate, istud Divinum & Cæleste Sacrificium est celebrandum, ubi Caro tua in veritate sumitur, ubi Sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena Divinis iunguntur, ubi adest SS. Angelorum præsentia, ubi tu es Sacrificium & Sacerdos, mirabiliter & ineffabiliter constitutus. Quis dignè hoc celebrare poterit, nisi tu DEUS Omnipotens offerentem feceris dignum. &c. Domine, memor venerandæ Passionis tuæ, accedo ad Altare tuum, licèt peccator, ut offeram tibi Sacrificium, quod tu instituisti, in commemorationem tui, pro salute nostra. &c. Peto clementiam tuam Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuæ benedictionis, & sanctificatio tuæ Divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa S. Spiritûs tui invisibilis incomprehensibilisq; Maiestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat, qui & oblationes nostras, Corpus & Sanguinem tuum efficiat, & me indignum Sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate, &c. cum reverentia & tremore, ita, ut placidè ac benignè suscipias Sacrificium de manibus meis, ad salutem omnium, tam*
NB. *vivorum, quàm mortuorum.* Nota Orationem pro defunctis. Nota verba S. Ambrosij, *Sicut quondam in Patrum hostias.* Ergo quondam Patres offerebant hostias, id est longè ante S. Ambrosium. S. Ambrosij Sacrificij ritus, usq; ad hodiernum diem perseverat Mediolani, & vocatur ritus Ambrosianus. S. Augustinus Tom. 6. lib. 20. contra Faustum cap. 18. pag. 136. ait: *Christiani iam peracti Sacrificij in Cruce memoriam celebrant, Sacrosanctâ oblatione & participatione Corporis & Sanguinis Christi.* Idem in Psalm. 75. Serm. 4. de Innocent. *Nonnè quotidiè nobis Christus immolatur, & semel pro nobis immolatus est? Rectè sub Altari iustorum animæ requiescunt, quia super*
NB. *Altare Corpus Domini offertur.* Idem lib. 2. Quæst. Evang. Quæst. 3. *Quia nondum institutum erat hoc Sacrificium Sanctum Sanctorum, quod Corpus eius est.* Idem lib. 4. de Trin. cap. 14. *Quid gratiùs offerri,*

aut

aut suscipi posset, quam Caro Sacrificij nostri, Corpus effectum Sacerdotis nostri. Gregor. Nissen. in Orat. de Resurrect. *Dominus praeoccupans impetum Judaeorum, seipsum victimam offert, idem simul Sacerdos & Agnus. Sed dices mihi, quando hoc accidit? tum, cùm suum Corpus ad comedendum, & Sanguinem suum ad bibendum familiaribus dedit.* S. Chrysost. Homil. 24. in 1. ad Corint. *Pro victimarum & pecorum caede seipsum offerendum praecepit.* Et Hom. 2. in poster. ad Timoth. *Sacra ipsa oblatio, sive illam Petrus, sive Paulus, sive alius cuiusvis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis, quamque modò Sacerdotes conficiunt, nihil habet ista, quàm illa minùs. Cur id? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam antè sacraverat.* ☞ S. Ambrosius in Psalm. 38. in illa verba, *In imagine pertransit homo,* ait: *Vidimus Principem Sacerdotum ad nos venientem, vidimus & audivimus, offerentem pro nobis Sanguinem suum, sequamur, ut possumus Sacerdotes, ut offeramus pro populo Sacrificium. Nam etsi infirmi, meritò tamen honorabiles Sacrificio, quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi Corpus offertur, immo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat Sacrificium, quod offertur.* NB. S. August. in Psalm. 39. *Pro illis omnibus Sacrificijs & oblationibus Corpus eius offertur, & participantibus ministratur.* Idem in Psal. 33. Conc. 2. *Ipse de Corpore & Sanguine suo Sacrificium instituit, secundùm ordinem Melchisedech.* S. Cyprian. lib. 2. Epist. 3. ad Caecilium, in illa verba: *Tu es Sacerdos in aeternum,* ait: *Quis magis Sacerdos DEI summi, quàm Dominus noster JESUS Christus, qui Sacrificium DEO Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet Corpus & Sanguinem.* S. Hieron. in Epist. ad Marcell. *Melchisedech &c. iam tunc in typo Christi, panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Salvatoris Sanguine & Corpore dedicavit.* Clemens Alexandr. lib. 4. Strom. cap. 8. ait: *Melchisedech &c. dedit panem & vinum in typum Eucharistiae.* Vide alios SS. Patres apud Catholicos Authores, qui ostendunt, Melchisedech fuisse typum & figuram Christi, in oblatione panis & vini. Undè illa pars Canonis post consecrationem, de Abel, Abraham, & Melchisedech, est antiquissima, quia illius mentionem facit S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, cap. 6.

Vixit An. 390

Discur-

Discursus Theol.

In quo probatur Missæ Sacrificium ex varijs vaticinijs Prophetarum.

" DE his sic loquitur S. Augustinus Epist. 92. Q. 3. Nostrum " Sacrificium non solùm Evangelicis, sed etiam Propheticis li- " bris demonstratum est. S. Cyprian. lib. 2. Epist. 3. ait: Per Sa- " lomonem Spiritus S. typum Dominici Sacrificij præmonstrat, im- " molatæ hostiæ, & panis, & vini, sed & Altaris, & Apostolorum fa- " ciens mentionem. S. Hieronymus illum locum Isaiæ Cap. 66. *Et assumam ex eis Sacerdotes*; & Theodoretus illud Jerem. 33. *De Sacerdotibus & de Levitis non interibit*, exponunt de Sacerdotibus Christi, qui perpetuò permanebunt, usq; ad consummationem Sæculi. Nec aliter possunt exponi: apertè enim uterq; Propheta loquitur de Conversione Gentium & ædificatione Ecclesiæ. Hæc, & multa alia, cùm non poterat negare Chemnicius, fassus est veritatem " pag. 788. & seq. dum ait: Sed excipiunt, non illa tantùm pieta- " tis exercitia, sed ipsam actionem Cænæ Dominicæ, & quidem " ipsum Corpus & Sanguinem in Cæna à Veteribus vocari Sacrifi- " cium, oblationem, hostiam, victimam; ego verò non nego hoc. Quid clarius ex Chemnicio? Cænam Dominicam, ut ipse loquitur, esse Sacrificium, oblationem, &c. Et licèt varia inferiùs quærat effugia, tamen evadere non potest, cùm SS. Patres apertè ipsum Corpus Christi, quod offertur, vocant Sacrificium, & determinatè dicunt, in Sacra Cæna offerri DEO Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi. Centuriatores lib. 1. cap. 2. pag. 168. 269. 270. cùm de " Sacerdotio Christi tractâssent, ajunt: Alios quoq; ad ministerium " docendi, è reliquo cœtu adscivit, nempè duodenos Apostolos, & " septuaginta, quos ante se binos allegat instituere ministros Eccle- " siæ, *novum Sacrificium celebrare* ac tradere, administrare Claves " Regni Cœlorum, cœlestem doctrinam docere.

Cùm autem Author Tubæ mentionem fecerit de varijs Litur- " gijs, pag. 77. his verbis: Dari incruentum Sacrificiũ, secundùm " ordinem Melchisedech, in commemorationem Sacrificij cruenti " JESU Christi in Cruce, quod in Eucharistia exprimitur, prout " Liturgiæ, Petri, Marci, Jacobi, & cæterorum Apostolorum, Chry- " sostomi,

ſoſtomi, Baſilij, & aliorum SS. Patrum & Doctorum Eccleſiæ, va- ,,
riè id demonſtrant. His etiam addit Author Tubæ in Capite Li- ,,
bri, in Catalogo Authorum, in ſuo Opuſculo citatorum, ad literam
L. Liturgiam Æthiopicam & Mediolanenſem: undè non congruum
erit, aliquid breviter de his Liturgijs dicere. Liturgia S. Petri cre-
ditur illa, quæ habetur apud S. Clementem lib. 8. cap. 17. Conſtit.
Apoſtol. qui fuit Diſcipulus S. Petri, & Succeſſor illius in Pontifi-
catum. De hac Liturgia Iſidorus lib. 1. de Officijs cap. 15. ſic ait: *Vixit An. 400*
Ordo Miſſæ vel Orationum, quibus DEO oblata Sacrificia conſe- ,,
crantur, primò à S. Petro eſt inſtitutus. In hac ergo Liturgia S. ,,
Clementis hæc leguntur, poſt recitata illa verba, *Hoc facite in me-*
am commemorationem, ait: Memores igitur Paſſionis ejus & Mor- ,,
tis, &c. offerimus tibi Regi & DEO, ſecundùm ejus ordinationē, ,,
panem hunc, & Calicem hunc. &c. Et aliquantò ſuperiùs ait: ,,
Placuit tibi laudabiliter, offerendo mundam & incruentam ho- ,,
ſtiam, quam per Chriſtum inſtituiſti, myſterijū Novi Teſtam. &c. ,,
In Liturgia S. Jacobi hæc leguntur. Poſt illa verba, *Hoc facite &c.*
mox ſubjungit: Memores igitur nos peccatores Paſſionum ejus ,,
vivificarum Crucis ſalutaris & Mortis, offerimus tibi Domine, ,,
hoc Sacrificium verendum & incruentum. S. Baſilius in ſua Li- ,,
turgia imitatus eſt S. Jacobum; Poſt illa verba, *Hoc facite*, ſubjun-
git: Memorantes igitur & nos ſalutarium ejus Paſſionum. &c. ,,
Ex tuis tibi offerimus. Ac aliquantò ſuperiùs ait: Tu Domine o- ,,
ſtendiſti nobis magnum ſalutis myſterium, tu idoneos nos feciſti, ,,
fieri miniſtros S. Altaris tui. S. Ambroſius in ſua Miſſa hæc habet: ,,
Qui formam ſalutis perennis inſtituens, hoſtiam ſe priùs obtulit, ,,
& primus docuit offerri. Et lib. de Sacramentis ait: Quantum ,,
ſit Sacramentum, cognoſce. Quotieſcunq; hæc feceritis, toties ,,
commemorationem mei facietis, donec iterum veniam. Ergo ,,
memores glorioſiſſimæ ejus Paſſionis, & ab inferis Reſurrectiò- ,,
nis, & in Cœlum Aſcenſionis, offerimus tibi hanc immaculatam ,,
hoſtiam, rationabilem hoſtiam, incruentam hoſtiam, hunc panē ,,
Sanctum, & Calicem vitæ æternæ, & petimus, & precamur, ut ,, *hac omnia usq;*
hanc oblationem ſuſcipias in ſublimi Altari tuo, per manus Ange- ,, *ad hodiernum*
lorum tuorum, ſicut ſuſcipere dignatus es munera pueri tui juſti ,, *diem ſunt in*
Abel, & Sacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtu- ,, *Canone.*
lit ſummus Sacerdos Melchiſedech. S. Chryſoſt. in ſua Liturgia, ,,
recitatis his verbis, *Hoc facite &c.* ſubjungit: Memores igitur ſa- ,,

lutaris ,,

" lutaris hujus mandati, & omnium eorum, quæ pro nobis facta
" sunt, Crucis, Sepulchri, &c. tua ex tuis tibi offerentes. Ac paulò
" superiùs ait idem S. Chrysost. Fac nos dignos, ut offeramus tibi
" Sacrificia immaculata pro populo tuo, & idoneos nos redde, quos
" in hoc ministerio tuo posuisti. Et post pauca ait: Summus Pon-
" tifex noster, Sacrificiorum ritum instituisti, ac solemnis hujus &
" immaculati Sacrificij celebrationem nobis mandâsti. Idem S.
" Chrysost. Hom. 3. in Epist. ad Ephes. ait: Multò mirabilius &
" magnificentius Sacrificium præparavit, cùm Sacrificium ipsum
" commutaret pro brutorum cæde seipsum offerendum præciperet.
Extat etiam Liturgia Æthiopica, in qua post verba, *Quoties hoc*
" *feceritis*, subjungit Sacerdos: Nunc autem recordamur Mortis
" tuæ, atq; Resurrectionis tuæ, atq; offerimus tibi hunc panem, &
" hunc Calicem, tibiq; gratias agimus, quòd per hoc Sacrificium
" dignos nos fecisti standi in conspectu tuo; & Sacerdotale coram te
" officium exercendi. Ex his clarè patet, quòd non solùm Latini, sed etiam Hebræi, ex quibus fuit S. Jacobus, Hierosol. Episcopus, & Græci, & ipsi extremi Æthiopes, & universa per Orbem Ecclesia, à suis primordijs non aliter intellexit verba hæc, *Hoc facite in meam commemorationem*, quàm quòd his verbis Christus Sacrificium fieri instituit in Ecclesia. Sic unanimiter testantur omnes Ecclesiæ Doctores, tam Græci, quàm Latini, ut superius ostensum est. Immo ipsum verbum, quo Christus usus est, *Hoc facite*, satis exprimit. Nam non solùm Latina magis, quàm Hebræa & Græca lingua, Facere, idem significat quod offerre, cùm frequenter in S. Scriptura legimus, ut Exod. 20. facere agnos, agniculos; Levit. 23. facere hircum pro peccato; Num. 6. facere turtures; Judic. 6. facere hædum; 3. Reg. 8. facere holocaustum; Ezech. 45. & 43. facere septem arietes, & septem vitulos; & in alijs multis locis, facere pro offerre invenimus. S. Hieronymus ex Levit. 9. lib. 1. contra Pelag. citat juxta interpretes septuaginta, *Accede ad Altare, & fac pro peccato tuo*. Ac paulò pòst: *Descenditq; cùm fecit pro peccato*; quæ posteà idem vertit ex Hebræo, *Accede ad Altare, & immola pro peccato tuo*; & rursus: *Completis hostijs pro peccato descendit*. Ex his constat omnibus antiquis Liturgijs, Jacobi, Clementis, & ut ait Author Tubæ, Marci. & aliorum Apostolorum, sine dubio S. Andreæ, qui coram Ægea Proconsule fassus est, *DEO Omnipotenti immolare quotidiè Immaculatum Agnum in Altari, cujus Carnem postquam omnis populus creden-*

credentium manducaverit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseverat, & vivit; & S. Matthæi Apostoli, de quo Historia Ecclesiastica ait, *Hirtacus Matthæum ad Altare mysterium celebrantem jussit occidi*; tum SS. Patrum, Ambrosij, Basilij, qui S. Jacobi Liturgiam imitatus, Chrysostomi, Cyrilli: omnes hos SS. Patres, eo ritu celebrâsse mysterium Eucharistiæ, ut nihil dubitaverint, eam esse verissimum Sacrificium, plena enim sunt nominum oblationis, Sacrificij, victimæ, signorum, benedictionum, elevationum, aliorumq; rituum. Quare adversa pars totum Canonem abstulit? quia eo incolumi existente advertit, non posse defendi, Missam non esse Sacrificium; Canon verò verbis non multùm mutatis, totus fermè invenitur in Liturgijs, & in libris S. Ambrosij & Cyrilli jam citatis, illa certè inveniuntur omnia, quæ adversam partem offendebant, nimirùm nomina Oblationis & Sacrificij.

Discursus Theolog.

Magis eadem materia probatur ex existentia Altarium.

PRobatur, Eucharistiam esse Sacrificium, quia SS. Patres ad celebrandam eam requirunt Altaria. Altaria autem non eriguntur, nisi ratione Sacrificij. In Canonibus Apostolorum 3. & 4. aperta est mentio Altaris ad offerendam Eucharistiam. S. Dionysius cap. 3. Hierarch. Eccles. meminit Altaris. Tertull. lib. de Pœnit. & in lib. de Oratione in ultimis verbis. S. Cyprianus lib. 1. Epist. 9. jubet, ut non offeratur Sacrificium pro quodam Christiano defuncto, „ qui reliquerat Presbyterum rerum temporalium procuratorem; „ & causam reddit, quia non est dignus, ut pro illo sacrificetur, qui „ Sacerdotem DEI ab Altari abstraxit. Optatus Milevit. lib. 6. con- „ tra Parmen. ait: Quid est tam sacrilegum, quàm Altaria DEI, in „ quibus aliquando & vos obtulistis, frangere. S. Chrysost. Hom. „ 53. ad popul. ait: Si quis vellet hoc Altare subvertere, nonnè il- „ lum lapidibus obrueretis? Et Hom. 20. in 2. ad Corint. Altare „ honoras, quod accipit Corpus Christi. S. Gregor. Nazian. Orat. „ in Gorgon. scribit, ad Altare procubuisse, & invocâsse illum, „ qui super Altare coli solet. Gregor. Nissen. lib. de Baptism. dicit, „ Altare esse lapidem naturâ suâ, sed consecratione fieri sanctum. „

NB.

consecratio Altaris.

S. Hieron. contra Vigilant. S. August. lib 8. de Civit. DEI cap. ult. & lib. 22. cap. 8. & alij SS. Patres, & antiqua Concilia, frequenter Altarium meminerunt. Sed & Lutherus in Epistola ad Anabaptistas Tom. 1. Jen. pag. 320. (quem etiam citat Author Tubæ pag. 22.) ait: *Fatemur, esse in Papatu &c. verum Sacramentū Altaris* Et quamvis volunt negare Altaria, tamen res ipsa clarè ostendit, plurima Altaria in Ecclesijs, tam Catholicorum, quàm in illis, quæ receperunt Catholicis, plurima apparent Altaria, ita ut sine magno pudore & temeritate hoc negari non possit.

Idem probatur ex nomine Sacerdotis. Veteres Patres adeò frequenter hoc nomine utuntur, ut Chemnicius coactus sit fateri in 2. Part. Exam. pag. 1140. ubi de Sacramento Ordinis disputat, invaluisse apud Veteres usum vocandi Ministros Ecclesiæ, Sacerdotes; & eorum Ministerium, Sacerdotium. Sic S. August. lib. 20. de Civit. DEI cap. 10. ait: *Episcopi & Presbyteri propriè dicuntur Sacerdotes.* S. Chrysost. Hom. 79. ad popul. Antioch. ait: *Altari assistens Sacerdos, pro terrarum Orbe, pro Episcopis, pro Ecclesia, pro gubernatoribus, &c. iubetur DEO offerre.* Et Homil. 72. in Matth. *addit offerri pro infirmis, pro sanis, pro terræ fructibus.* Et Hom. 21. in Act. & lib. 6. de Sacerdotio, & alibi, *addit etiam pro mortuis.* S. Augustin. lib. 22. de Civit. DEI cap. 8. scribit, *à suis Presbyteris oblatum Sacrificium Eucharistiæ, pro domo liberanda à dæmonum vexatione.* S. Hieron. in Dial. contra Lucifer. S. Ambros. in Psalm. 33. S. Cyprianus in singulis fermè Epistolis, Tertull. de Præscript S. Dionysius cap. 1. 3. & 5. Eccles. Hierar. Gaudentius Tract. 2. in Exod. ait: *Dominus Discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiæ suæ constituit Sacerdotes, ut indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est, à cunctis Sacerdotibus per singulas totius Orbis Ecclesias celebrare.* Concilium Nicænum Generale I. Canone 8. 9. 15. 18. & alia Concilia ante Nicænum, ut Elibertinum, An. 300. Canone 18. & 32. & 75. Arelatense, tempore S. Sylvestri, Can. 19. & 22. Anciranum Can. 12. Neocæsariense Can 1. & 9. & 11. Laodicenum Can. 20. Roman. II. Can. 5. passim de Presbyteris & Sacerdotibus loquutur.

Probatur, Missæ Sacrificium esse propitiatorium, ex verbis illis institutionis, *Hic est Sanguis, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum.* Non dicit Christus, vobis funditur, sed, pro vobis. Hæc verba apertè docent, Christum obtulisse in Cæna Sacrificium pro peccatis Apostolorum & credentium, & idem posteà Apostolos jussit

ſit facere, *Hoc facite &c.* Secundo probatur. Hebr. 5. *Omnis Pontifex, ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur, in his, quæ ſunt ad DEUM, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis &c. & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.* Ubi videmus, præcipuum munus Sacerdotis, offerre pro peccato. Si ergo, ut ſuperius oſtenſum eſt, habemus in Eccleſia Sacerdotium, & Sacrificium, neceſſe eſt, ut ad tollenda peccata illud habeamus.

Probatur id teſtimonijs antiquorum Patrum. S. Jacobus Apoſtolus in Liturgia ait: Offerimus tibi incruentum Sacrificium ,, pro peccatis noſtris, & ignorantijs populi. S. Alexander Papa & ,, Martyr, Epiſt. 1. ad omnes Orthodoxos cap. 4. ait: Ipſa verò ve- ,, ritas nos inſtruit, Calicem & panem in Sacramento offerre, &c. ,, crimina enim atq; peccata, oblatis his Domino Sacrificijs, delen- ,, tur. &c. Talibus hoſtijs delectabitur, & placabitur Dominus, & ,, peccata dimittet ingentia. Nihil enim in Sacrificijs majus eſſe po- ,, NB. teſt, quàm Corpus & Sanguis Chriſti, nec ulla oblatio hâc potior ,, eſt, ſed hæc omnes præcellit, quæ purâ conſcientiâ Domino offe- ,, renda eſt, & purâ mente ſumenda, atq; ab omnibus veneranda. ,, Juſtinus in Dial. cum Tripho. dicit, Vetus Sacrificiũ fuiſſe figuram ,, Euchariſtiæ, quæ offertur pro expiatione peccatorum. S. Baſili- ,, us in Liturgia non procul ab initio ait: Dignos efficito nos, qui ,, puro corde ſtemus coram te, tibiq; miniſtremus, & offeramus Sa- ,, crificium hoc reverendum, ad abolenda delicta noſtra, & pro pia- ,, culo populi tui. &c. S. Chryſoſt. in Liturgia ſua: Idoneos nos ,, redde, ad offerenda tibi dona, & Sacrificia, pro peccatis noſtris, & ,, populi ignorantijs. Idem lib. 6. de Sacerdotio ait: Sacerdos pro ,, univerſo Orbe terrarum legatus intercedit, deprecatorq; eſt apud ,, DEUM, ut hominum omnium, non viventium modò, ſed etiam ,, defunctorum peccatis propitius fiat. S. Cyrillus Catech. 5. My- ,, ſtag. vocat Euchariſtiam *hoſtiam propitiationis.* S. Cyprian. Serm. de Cœna Dñi dicit Euchariſtiam *holocauſtum ad purgandas iniquitates.* S. Ambroſius lib. 1 de Officijs, cap 48. de Euchariſtia loquens ait: Offert Chriſtus ſeipſum, quaſi Sacerdos, ut peccata noſtra dimit- ,, tat. Idem in exhort ad Virgines, vocat Sacrificium, quod offertur in Altari, *hoſtiam ſalutarem, per quam peccatum mundi huius aboletur.* S. Hieronym. in Comment. Cap. 1. Epiſt. ad Titum ait: Si ,, Laicis imperatur, ut propter Orationem abſtineant ab uxorum ,,

 coitu, ,,

" coitu, quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidiè pro ſuis,po-
" puliq; peccatis, illibatas DEO oblaturus eſt victimas. S. Auguſt. lib. 1. contra Creſcon. cap. 25. vocat Sacrificium Euchariſtiæ, *unicũ Sacrificium pro ſalute noſtra.* Idem Serm. 11. de Sanctis, qui eſt 4tus de Innocent. de Altari loquens ait: *Ibi pro peccatoribus Sanguis Chriſti funditur.* S. Gregor. Dial. cap. 58. *Hæc victima ſingulariter ab interitu æterno animam ſalvat.* S. Ambroſius Orat. præpar. ad Miſ-
" ſam ait: Domine, memor venerandæ Paſſionis tuæ, accedo ad
NB. " Altare tuum, licèt peccator, ut offeram tibi Sacrificium, quod tu
" inſtituiſti, & offerri præcepiſti in commemorationem tui, pro ſa-
" lute noſtra; ſuſcipe illud, quæſo, Summe DEUS, pro Eccleſia
" Sancta tua, & pro populo tuo. &c. Et quoniam me peccatorem
" inter te & eundem populum tuum, medium eſſe voluiſti, &c.
" peto clementiam tuam Domine, ut deſcendat ſuper panem tibi
" ſanctificandum, plenitudo tuæ benedictionis.

Diſcurſus Theol.

Sacrificium Miſſæ pro viventibus offertur.

SAcrificium Miſſæ offerebatur pro omnibus viventibus in Primitiva Eccleſia. Ratio hujus eſt: Quia Sacrificium Crucis pro omnibus oblatum fuit, quod fuit cruentum. Quare etiam incruentum offerri non debet? Quòd autem in Primitiva Eccleſia offeratur pro omnibus, patet, quia offerebatur pro Regibus & Principibus, qui tamen erant omnes infideles. Quòd enim Apoſtolus ait 1. Tim. 2. *Obſecro, fieri Orationes pro omnibus hominibus, pro Regibus,* communiter SS. Patres exponunt de Orationibus, quæ fiunt in Sacrificio. S. Chryſoſt. Homil. 6. in hanc Epiſt. ait, *pro Rege gentili eſſe offerendam.* Tertull. lib. ad Scapul. ait: *Sacrificamus pro ſalute Imperatoris.* Clemens lib. 8. Conſt. cap. 18. docet, Apoſtoſos obtuliſſe Sacrificium Euchariſtiæ pro Regibus ſui temporis, & pro reductione eorum, qui verſabantur in errore. In Liturgia S. Jacobi fit expreſſa Oratio pro extirpatione hæreſum. SS. Chryſoſt. & Baſilius in ſuis Liturgijs orant pro toto Orbe terrarum, & nominatim pro errantibus, ut reducantur ab erroribus. Idem S. Chryſoſt. lib. 6. de Sacerdotio ait, Sacerdotem ſacrificantem orare pro peccatis omnium hominum. Et Homil. de Adam & Eva ait, Sacerdotes publicè orare pro infidelibus, hæreticis, Judæis. Neq; repugnat, quod ait S. Auguſt.

August. lib. 1. de Orig. Animæ cap. 9. Quis offerat Sacrificium ,, Corporis Christi, nisi pro ijs, qui sunt membra Christi; nam S. ,, August. loquitur de defunctis. Prohibuit tamen Ecclesia C. A. nobis de sententia excommunicationis, publicè orare pro excommunicatis, consequenter pro hæreticis, qui sunt omnes excommunicati, Sacrificium pro eis directè & expresse offerre, nam Sacrificium semper est publicum, & patet hoc ex Liturgia Latinæ Ecclesiæ, quæ refertur ad suos Fideles, ut patet ex precibus tum extra, tum intra Canonem. Indirecte tamen orare potest per solam intentionem, nihil addendo ad Missam, sed applicando Sacrificium conversioni infidelium & hæreticorum. Neq; extat expressa prohibitio Ecclesiæ talis Orationis; tutissimum tamen est, intentionem Sacerdotis ita moderari, ut directè intendat offerre pro augmento, unitate, & pace illius Ecclesiæ, quæ inter hæreticos & Ethnicos degit: non enim potest augeri, uniri, & purificari Ecclesia inter illos, nisi convertantur hæretici & infideles.

Offertur etiam *Missæ Sacrificium* pro defunctis. Probatur hoc antiquâ consuetudine universæ Cathol. Rom. Ecclesiæ, quæ in Sacrificio Missæ orat pro defunctis: id patet ex omnibus Liturgijs, Jacobi, Clementis, Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, & alijs. Patet etiam ex Concilijs Provinciarum, in quibus fit mentio Sacrificij pro defunctis in Africa, Carthaginense III. Can. 29. & Carthag. IV. Can. 79. in Hispania, Bracaren. I. Can. 16. & 17. in Gallia, Cabilonen. in Germania, Wormatiense Can. 10. in Italia Concilium VI. sub Symmacho. Patet ex SS. Patribus. Nam primò Rabanus lib. 2. de Instit. Cleric. cap. 44. ante ipsum Isidorus lib. 1. de Offic. Divinis cap. 18. ante illum S. August. lib. de Cura pro mortuis, cap. 1. & ult. & Serm. 34. de Verbis Apostoli, & Serm. 32. de Verbis Domini ait: *Orationibus S. Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & Eleëmosynis, non est dubium mortuos adiuvari.* Epiphanius in Doctrina Compendiaria. S. Chrysost. Hom. 69. ad popul. Antioch. ait: Non temerè ab Apostolis sancita fuerunt, ut in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Idem Hom. 41. in 1. ad Corint. ait: Juvetur mortuus, non lacrymis, sed precibus, supplicationibus, eleëmosynis. Idem habet Homil. 3. in Epist. ad Philippens. Idem docent Gregor. Nissen. & alij, quos citat Damascenus in Orat. pro defunctis. Idem habet S. Cyprianus lib. 1. Epist. 9. Idem probatur ex Regula S. Augustini lib. 4. de Baptis. cap. 24. quæ est

Apostoli instituerunt Orationes pro defunctis

talis:

“ talis: Ut id certiſſimè credatur, ex Apoſtolica Traditione deſcen-“ dere, quod in omni Eccleſia ſervatur, nec in aliquo Concilio inſti-“ tutum, ſed ſemper ſervatum & retentum eſt. Talem verò ritum orandi pro defunctis in Miſſæ Sacrificio, in omni Eccleſia ſervari, & in nullo Concilio inſtitutum, ſed ſemper retentum, patet ex antiquiſſimis Patribus ſuprà citatis, & Euſebio Cæſarien. lib. 4. de Vita Conſtantini, tum Tertull. in lib. de Corona Milit. Clemente lib. 8. Conſtit. cap. 19. immo ex Liturgijs S. Jacobi & S. Clementis clarè patet Oratio pro defunctis, unde meritò reducitur ad Apoſtolicam Traditionem. Concil. Chalcedon. vide ſuprà p. 517. circa finem.

Diſcurſus Theol.

Sacrificium Miſſæ pro defunctis offertur.

COnfirmatur ex damnata publicè hæreſi Aerij, qui docebat, pro mortuis non eſſe Sacrificium offerendum. Hoc argumentum valdè torſit Philippum, ut in Apol. Confeſs. Auguſt. in Diſputat. de “ vocabulis Miſſæ dixerit: Falsò citant adverſarij contra nos damna-“ tionem Aerij, quem dicunt propterea damnatum eſſe, quòd ne-“ gaverit, in Miſſa oblationem fieri pro vivis & mortuis. Et infrà “ ait: Epiphanius teſtatur, Aerium ſenſiſſe, quòd Orationes pro “ mortuis ſint inutiles; id reprehendit, neq; nos Aerio patrocinamur. Videamus nos, ſi ita eſt, ut loquitur Philippus, Aerium reprehenſum ab Epiphanio, quia Orationes pro mortuis diceret inutiles. Sic ergo Epiphanius in lib. qui inſcribitur *Anacæphalæoſis*, id eſt, “ Recapitulatio omnium Hæreſum, ait: Aerius multa contra Ec-“ cleſiam docuit, Fide quidem exiſtens Arianus perfectiſſimus, ve-“ rùm ampliùs docet, non oportere offerre pro ijs, qui obdormiêrũt. Philippus pro offerre poſuit, Orationes pro mortuis inutiles, ſenſiſſe Aerium. S. Auguſtinus lib. de Hæreſibus, cap. 53. ait, Aerium propria dogmata addidiſſe, & inter ea primo loco numerat, orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere. Hîc clarè patet, quòd ex his duobus, orare vel offerre, Philippus unum tantùm poſuit, orare; alterum ſubticuit, nempè offerre: ut etiam patet ex Damaſceno, qui lib. de centum hæreſibus ait: *Negat Aerius, quidquam eſſe pro mortuis offerendum*; ut etiam S. Ambroſius lib. 2. Epiſt. 8. ad Fauſt. de Obitu Sororis ait: *Itaq; non tam deplorandam, quàm proſequendam Orationibus reor, nec mœſticandam lacrymis tuis, ſed obla-*

tionibus

tionibus animam eius Domino commendandam; ubi conjungit Orationem & Oblationem, & Philippus unum poſuit, alterum ſubtraxit. Idem Philippus in Apol. Conf. Auguſt. in Art. de Miſſa, quærit effugium, & ait, Non habere Catholicos niſi Gregorij, & recentiorum teſtimonia, ad probandum Sacrificium pro defunctis. Sed nos non ſolùm Gregorio, ſed etiam Auguſtino antiquiores citavimus, & Liturgias, & Concilia, & adhuc citabimus. S. Ambroſius Orat. præpar. ad Miſſam: *Rogamus etiam te Domine & pro ſpiritibus fidelium defunctorum, ut ſit illis ſalus, ſanitas, gaudium, & refrigerium, hoc magnum pietatis Sacramentum.* Tertullian. lib. de Corona Milit. ait: *Oblationes pro defunctis, pro Natalitijs, annuâ die facimus.* Quod & modò ſervat Eccleſia, & Anniverſaria dicuntur. Concludat S. Dionyſius, qui tempora Apoſtolorum vidit, lib. de Eccleſ. Hierarch. Parte 3. cap. 7. ait: *Accedens Venerandus Antiſtes, precem ſacram ſuper mortuum peragit, &c. precatur Oratio illa Divinam Clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto, eumq; in luce ſtatuat, & regione vivorum.* Cùm ergo dicat Philippus, ſe non patrocinari Aerio, quòd negaverit Orationes pro defunctis, licèt & Oblationes negaverit, videant, qui ſequuntur Confeſſionem Philippi, ſi patrocinantur Aerio vel non. Si non patrocinantur, orent pro defunctis; ſi patrocinantur, non orent. S. Epiphanius hæreſ. 75. de Aerij Sectatoribus ait: In diebus autem Paſchatis, (quos nos vocamus Hebdomadam Sanctam) quando apud nos fiunt humi dormitiones, caſtigationes, afflictiones, ipſi à ſummo manè obſonantur, carneq; ac vino venas ſuas explentes cachinantur, ridentes ac ſubſannantes eos, qui ſanctum hunc cultum Hebdomadis Paſchatis perficiunt. Matthias Illyricus plus faſſus eſt de Aerij erroribus, quos Philippus ſubticuit, cùm Cent. 4. cap. 5. col. 401. ait, Aerij dogmata fuiſſe, non orandum, nec offerendum pro mortuis, nec ſtatuta jejunia ſervanda.

Vixit An. 8.

Diſcurſus Theol.

Ex quotidiana celebratione Miſſarum privatarum, probatur Miſſæ Sacrificium.

PRivata Miſſa aliquomodo dici poteſt, ratione loci, cùm celebratur in aliquo privato Oratorio vel Sacello, aliquomodo privata dici

dici possit ab illa, quæ celebratur in publico coram frequentia populi: dixi aliquomodo privata, quia omnis Missa semper est publica ex eo, quia à publico Ministro offertur nomine publico, pro tota Ecclesia; & quamvis applicetur uni peculiariter, tamen cæteri, & tota Ecclesia nunquam excluditur, ut patet ex utraq; Missa, tam privata, ratione loci, quàm solemni, quæ eadem est.

De his habemus exempla manifesta Antiquitatis. Christus Dominus in privata domo Sacramentum Altaris instituit. SS. Apostoli ab initio frangebant panem circa domos, Actor. 2. Primi SS. Pontifices tempore persecutionis, non solùm in domibus privatis, sed etiam in cryptis & foraminibus terræ Sacra faciebant. Immo S. Lucianus in carcere sacrificavit, & pro Altari usus est suo pectore, Vixit A. 430 cùm jaceret onustus catenis. Nicephorus id refert lib. 8. Hist. c. 31. non solùm ob persecutiones, sed etiam ex alijs causis, Veteres in privatis locis Sacrificium offerebant. S. Gregorium Nazianzen. in exigua cella extructo Sacello, in eo Sacra fecisse, testatur Sozomenus lib. 7. Hist. cap. 5. S. Ambrosius, teste Paulino in Vita illius, in domo clarissimæ cujusdam fœminæ, ab ea rogatus, Sacrificium obtulit. S. Augustinus lib. 22. de Civit. DEI cap. 8. testatur, quendam à suis Presbyteris in domo rustica Sacrificium Corporis & San-Vixit A. 400 guinis Domini obtulisse. Theodoretus in Hist. Relig. ait, se in cellula Maris Anachoretæ Sacra mysteria celebrâsse. S. Gregor. Hom. 37. in Evangel. Casсium Narnien. Episcopum, Virum Sanctum, aliquando in Episcopi Oratorio Missam celebrâsse, eò, quòd morbo impeditus Ecclesiam adire non posset. Et lib. 5. Epist. 43. ad Joan. Saracusanum Episc. ait, ut non prohibeat in domo Venantij Patritij Vixit A 600 Missas celebrare. S. Joan. Eleëmosynarius, ut in ejus Vita scribit Leontius, cùm videret populum de Ecclesia egredi, ait: *Ego, Filij, propter vos ad Ecclesiam descendo; nam mihi ipse in Episcopio Missas facere poteram.* S. August. Epist. 23. ait: *Christum semel in Cruce immolatum, omni die in Sacramento populis immolari.* S. Ambros. Orat.



præpar. ad Missam ait: *Per ipsum Sacrosanctum mysterium Corporis & Sanguinis tui, quo quotidiè in Ecclesia tua pascimur & potamur, abluimur, & sanctificamur, atq; unius summæ divinitatis participes efficimur.* Hi verò duo SS. Patres & Ecclesiæ Doctores, nulli dubium, quòd fuerint Pontifices, & in Sacrificijs quotidianis hunc panem Cœlestem sumebant, offerendo Sacrificium, ut ibidem ait S. Ambrosius, *ut offeram tibi Sacrificium, quod tu instituisti.* Et superiùs ait:

ait: *Quantâ animæ puritate istud Divinum & Cœleste Sacrificium est celebrandum, ubi Caro tua in veritate sumitur, ubi Sanguis tuus in veritate bibitur.* S. Hieron. in Cap. 1. ad Tit. ait, Sacerdotes quotidiè pro peccatis populi ac suis sacrificare. S. Hyppolitus Mart. in Orat. de Antichristo ait: *Christum dicturum in die Judicij, Venite Pontifices, qui pretiosum Corpus meum quotidiè immolâstis.* S. Andreas Apostolus, ut in ejus Historiâ legitur, quotidiè Agnum Immaculatum sacrificabat; quod & alij Apostoli (ut credibile) fecerunt, quorum extant Liturgiæ, ut S. Clementis, Jacobi, Marci. Et quis dicet, quòd illi publicè Sacrificia offerebant, cùm tunc in Novella Ecclesia sæviebant frequentiores & gravissimæ persecutiones in Credentes, tam Paganorum, quàm Judæorum.

Probatur. Sacrificium antiquissimâ consuetudine, quæ est in Ecclesia: ut in die Natalis Domini singuli Sacerdotes ter offerant Sacrificium, cujus ritûs meminit S. Gregorius Hom. de Natali Dni, & Hom. 8. in Evang. dum ait: *Quia largiente Domino, Missarum Solemnia ter hodiè celebraturi sumus.* Et ante eum S. Telesphorus in Epist. Decretali; quem ritum usq; ad hodiernum diem servat Ecclesia. Quòd si unus Sacerdos, uno in loco, ter Sacrificium eodem die offerre potest, cur non poterunt singuli, singula quotidiè offerre, siquidem ad Sacrificium, ut Sacrificium est, nihil refert, si multi, vel pauci, vel nulli intersint, cùm Sacrificium offeratur DEO pro populo: potest enim Sacerdos offerre pro populo, etiamsi non adsit, Nam Sacrificium simile est Orationi, immo est quædam efficacissima Oratio; Orationem verò prodesse etiam absentibus, ut patet ex S. Paulo, qui pro absentibus orabat, & absentium Orationibus seipsum commendabat. Vel, si adhuc urgent, non posse celebrari Missæ Sacrificium, absente populo, ostendant vel unicum præceptũ Ecclesiæ antiquæ, vel numerum hominum certum determinatum, coram quo debet celebrari Missæ Sacrificium, ut liceat celebrare coram quinq; hominibus, & non liceat coram duobus, vel tribus, vel quatuor, Et quæ ratio? ut feliciores sint quinq; illis tribus vel quatuor hominibus. Ex his clarè patet, non esse verum, quod dicit Melanchton in Apol. Conf. August. ante Gregorij tempora nullam fuisse mentionem privatarum Missarum. Ultimatè, parùm refert, ut Missa cantetur vel legatur, coram paucis vel pluribus; semper est eadem, cùm sit publica Ecclesiæ lectio, & à publico Ministro, pro publica Ecclesiæ necessitate, & eadem tam in cantata, quàm lecta Missa habentur, quæ ad essentiam Sacrificij pertinent.

Discursus Theol.

In quo probatur magis Missæ Sacrificium etiam ex ipsis Dissidentibus, Luthero, Calvino, & Chemnicio.

PRobatur Missæ Sacrificium ex consensu & testimonio non solùm SS. Patrum superiùs adductorum, non solùm totius Christianæ Ecclesiæ, Græcæ, Latinæ, & aliarum remotissimarum, quæ à suis primordijs hucusq; retinent Missæ Sacrificium; sed etiam testimonio adversariorum, & confessione illorum, fatentur enim, Missam Pontificiam, ut nunc est, esse Sacrificium. Sic Lutherus in primo Scripto contra Regem Angliæ. Idem lib. de Captivit. Babil. cap. 1. ait: *Missa creditur passim esse Sacrificium, quod offertur DEO. Accedunt his dicta SS. Patrum tot exempla, tantusq; usus per Orbem constanter observatus.* Et in principio libri de abrogat. Miss. seu Epist.
NB. Dedic. hujus libri ait: *Magnum est certè, tot Sæculorum consuetudini, tantæ multitudinis sensui, tantorumq; auctoritati reluctari.* Et paulò infrà cum timore objicit sibi, quòd contra tot exempla, tantum usum per Orbem constanter retentum, contrarium docuerit, tantorumq; auctoritati reluctaverit, dicens: *Tu solus sapis? totiné errant universi? tanta Sæcula ignorârunt?* Simile habet testimonium de Missæ Sacrificio Calvinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 1. Et infrà §. 18. ait: *Hanc sententiam, quòd Missa sit Sacrificium, inebriâsse omnes Reges terræ & populos, à summo usq; ad novissimum;* debuit addidisse
NB. Calvinus: & Apostolos, Petrum, Jacobum, Andream, Marcum, quorum Liturgiæ habentur; similiter SS. Patres, Basilium, Chrysostomum, Cyrillum, Ambrosium, Augustinum, & omnes alios, quos suprà citavimus, qui docent, Missam esse Sacrificium & Oblationem Corporis & Sanguinis Domini. *Notandum*, quòd Canon Missæ, ut
Anno 600 nunc est, tempore S. Gregorij Primi est absolutus. Et quamvis Chemnicius pag. 828. ait, *Nugas esse, quòd Concilium scripserat, Canonem Missæ a multis Sæculis institutum;* tamen idem Chemnicius pag. 826. affirmat, *Canonem intra primos sexcentos annos absolutum.* Et pag. 827. scribit, Canonis Auctorem vixisse circa An. Dñi 590. quod etiam repetit pag. 828. ubi ultimum Auctorem Canonis facit S. Gregorium I. An. 590. Et si Canon An. 590. absolutus est, secundùm Chemnicium, quis non videt, Canonem esse illius Ecclesiæ, quam

quam illi dicunt ſe venerari, & tamen Canonem illius oppugnant. Quis non advertit, non nugas, ſed veritatem ſcripſiſſe Concilium, & Chemnicium ſibi eſſe contrarium in eadem pagina.

Quantùm ad partes Canonis præcipuas. Apud S. Ambroſium lib. 4. de Sacram. cap. 5. & 6. habetur illa pars Canonis verbis parùm mutatis, ſcilicet: Quam oblationem tu DEUS in omnibus, „ quæſumus benedictam, adſcriptam, ratam, &c. Et illa, qui pridiè „ quàm pateretur, &c. Et illa, undè & memores, &c. Et illa, ſupra quæ propitio &c. Quæ ſunt quatuor partes potiſſimæ Canonis totius: duæ enim proximè præcedunt, duæ proximè ſequuntur Conſecrationem. Et quia S. Ambroſius non primus inſtituit has partes Canonis, ſed eas allegat ex antiquo ritu Eccleſiæ, ad confirmandum id, quod eo loco tractabat de veritate Corporis Domini in Euchariſtia, ſequitur neceſſariò, ut earum inſtitutio S. Ambroſij ætatem præceſſerit. S. verò Ambroſius vixit circa An. 380. Idem S. Ambroſius lib. 4. de Sacram. cap. 4. meminit primæ Orationis Canonis, ubi oratur pro Eccleſia. Optatus contra Parmen. lib. 2. ait, legitimum eſſe, ut offeratur pro Eccleſia Catholica. Illius autem Orationis, ubi nominantur & invocantur Sancti, & illius, ubi oratur pro defunctis, meminit S. Auguſt. Tract. 84. in Joan. immo earundem Orationum mentionem faciunt plurimi SS. Patres ſuperiùs citati, & adhuc citandi. Quod verò attinet ad Authorem Canonis, non eſt unius Authoris Canon Miſſæ Romanæ, ſed ut Concilium Trident. rectè docet Seſs. 22 Can. 4. partim conſtat verbis Domini, partim Apoſtolicâ Traditione, partim SS. Pontificum inſtitutione. In Liturgia S. Clementis hæc leguntur poſt illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*: Memores igitur Paſſionis ejus & mortis, offe- „ rimus tibi Regi & DEO, ſecundùm ejus ordinationē, panē hunc. „ &c. In Liturgia S. Jacobi hæc habentur: Poſt illa verba, *Hoc fa-* „ *cite &c.* mox ait: Memores igitur nos peccatores Paſſionum e- „ jus vivificarum Crucis ſalutaris & Mortis, offerimus tibi Domine „ hoc Sacrificium verendum & incruentum. S. Baſilius imitatus „ eſt S. Jacobum, & poſt illa verba, *Hoc facite &c.* ait: Memoran- „ tes nos igitur ſalutarium ejus Paſſionum tibi offerimus. Similia „ habet S. Chryſoſtomus, & alij, nec tamen conſtat, quis quid addidit, niſi meminit Strabo cap. 22. ut de re valdè notabili, quòd S. Leo I. addiderit ad Canonem hæc verba, *Sanctum Sacrificium, immaculatam hoſtiam*. Et S. Gregorium ſcribit idem Strabo loco citato.

Beda lib. 2. Hist. Angl. cap. 1. Joan. Diac. lib. 2. Vitæ S. Gregorij cap. 7. apposuisse hæc pauca verba: *Diesq; nostros in tua pace dispo-nas.* Et hunc S. Gregorium fuisse ultimum, qui hæc verba addiderit ad Canonem, ut etiam fatetur Chemnicius, proindè certissimum es-se, antiquiorem Canonem esse Sanctis Leone & Gregorio, proindè omni veneratione dignum. Illud etiam notandum occurrit, quòd licèt quædam Liturgia dicatur S. Basilij, alia S. Chrysostomi, alia S. Ambrosij, alia Gelasij, alia Gregorij, non tamen isti Authores Li-turgias de integro composuerunt, sed tantùm quò ad ritum & lon-giorem formam reduxerunt, sic tamen, ut substantiales partes Li-turgiæ ab Apostolis institutæ, integræ semper manerent. Christus e-nim, cùm Ecclesiam regendam Pastoribus commiserit, hanc pote-NB. statem reliquit tali modo, ut quæ ad Sacramentorum substantiam, numerum & effectum pertinent, certis legibus definivit, reliqua ve-rò, quæ cæremonias, & circumstantias, & ritus attingunt, quæ non sunt jure Divino ordinata, arbitrio Pastorum reliquit. In hac praxi Ecclesia semper fuit ab initio, ipsis Apostolis hoc practicantibus, ut patet in baptizandis parvulis, in mutatione diei solemnis Sabbati in diem Dominicum, in abrogatione Circumcisionis, in varijs Canoni-bus, pro diversis statibus hominum ab illis constitutis: fuerunt & a-lia, quæ pro exigentia temporum variabantur, de quibus Apostolus 1. ad Corint. 11. & S. August. Epist. 86. ait: *In his quippè rebus ni-hil certi statuit Scriptura Divina, mos populi DEI, & Instituta Maio-rum pro Lege tenenda sunt.* Idem de Quantitate Animæ Tom. 1. c. 7. ait: *Auctoritati credere, magnum compendium est, & nullus labor.* De his cæremonijs & ritibus in dispensatione Sacramentorum, Concil. Trident. Sess. 2. cap. 2. ait: *Præterea declarat, hanc potestatem per-petuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione salva illorum substantia statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorũ Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varie-tate magis expedire iudicaret.* Habitâ itaq; substantiâ Sacrificij insti-tuti à Christo illis verbis, *Hoc facite*, quod universim attestantur SS. Patres superiùs citati, cùm idem Sacrificium offerrent SS. Apostoli, ut patet ex Liturgijs illorum, quid mirum? si Ecclesia Cathol. Rom. salvâ Sacrificij substantiâ augeret cæremonias, & ritus, pro majori utilitate credentium, ut Orationes fierent & pro illis, & pro varijs statibus hominum, & hoc exemplo SS. Apostolorum, in quibus præ-dictæ inveniuntur Orationes pro omnibus credentibus, ut etiam le-gimus

gimus 1. Tim. 2. *Volo igitur fieri Orationes*; quem locum communiter SS. Patres exponunt de Orationibus, quæ fiunt in Sacrificio. S. Chrysost. Hom. 6. in hanc Epist. ait, pro Rege gentili esse offerendum. Tertull. lib. ad Scapu. ait: *Sacrificamus pro salute Imperatoris.* In Liturgia S. Jacobi fit expressa Oratio pro extirpatione hæresum. S. Chrysost. & S. Basilius in suis Liturgijs orant pro toto Orbe terrarum. S Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 4 ait: *Reliqua omnia, quæ dicuntur, laudem DEO adferunt, Oratio præmittitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris, ubi venitur, ut conficiatur Venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo Christi sermo hîc conficit Sacramentum.* Hinc patet, alia, quæ ordinata sunt, ut Introitus, Hymnus Angelicus, Epistolæ, Evangelia, Symbolum, &c. laudem DEO adferunt, & pro majori decore & veneratione tanti Sacramenti, & Sacrosancti Sacrificij instituta sunt à Majoribus, quæ secundùm Augustinum pro Lege tenenda sunt.

Discursus Theolog.

De Cæremonijs, quæ fiunt in Missæ Sacrificio.

CÆremoniæ verò, quæ in actione consistunt, & in ipsa celebratione Missæ adhibentur, sunt antiquissimæ, & fundantur partim in S. Scriptura, partim apud SS. Patres habentur. *Prima* Cæremonia est, ad Deum elevatio manuum. Exemplum illius habetur Exod. 17. ubi Moyses elevatis manibus impetravit victoriam. 3. Reg. 8. *Salomon oraturus expandit manus in Cœlum.* Psal. 140. *Elevatio manuum mearum Sacrificium vesper.* 1. ad Tim. 2. *Volo vos orare in omni loco, levantes puras manus.* *Secunda*, Elevatio oculorum ad Cœlum, quæ fuit Christo familiaris, ut patet Matth. 14. Marc. 6. & 7. Luc. 9. Joan. 6. S. Jacobus in Liturgia, S. Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 5. Tertull. in Apolog. cap. 30. *Tertia*, Inclinatio corporis, ac genuum curvatio, index est humilitatis ac reverentiæ. Ipse Dominus, positis genibus orabat, Luc. 22. Actor. 21. S. Paulus positis genibus oravit cum omnibus, qui cum illo erant. S. Cyprianus docet in Serm. de Orat. Domini: *Placendum Divinis oculis etiam habitu corporis.* S. Chrysost. in sua Liturgia hæc habet de inflexione capitis: *Sacerdos &c. conversus ad Christi imaginem inflexo capite cùm exclamat, dicit hanc Orationem.* *Quarta*, Elevatio hostiæ consecrandæ, quæ est dedicatio rei, ex qua faciendum sit Sacrificium; habetur exem-

exemplum Levit. 8. 9. 10. S. Alexander I. Papa & Martyr Epist. 1. ait: *Vinum aquâ permixtum in Sacrificiū offeratur.* S. Ambros. Orat. præpar. ad Missam ait: *Peto clementiam tuam Domine, ut descendat supra panem tibi sacrificandum, plenitudo tuæ benedictionis, & sanctificatio tuæ Divinitatis.* Hæc elevatio habetur in antiquis Liturgijs. *Quinta*, ostensio Sacramenti ad populum, est antiquissima. Habetur enim in Liturgijs S. Basilij & S. Chrysostomi, & apud S. Dionysium cap. 3. Hierarch. Eccles. Et meminit ejus tanquam ApostolicæTraditionis S. Basilius, lib. de Spiritu S. cap. 27. dum ait: *Verba invocationis, cùm ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in Scripto nobis reliquit?* S. Chrysost. crebram mentionem facit illius ritûs, qui apud Græcos erat, ut Eucharistia consecraretur ad Altare velis obducta, ac deindè reductis velis, populo ostendebatur. Hom. 61. ad popul. Antioch. ait: *Cùm vela videris retrahi, tunc supernè Cœlum aperiri cogita.* *Alia* Cæremonia, mixtio vini cum aqua. Hæc Cæremonia habet testimonia à multis SS. Patribus. S. Alexander Papa & Martyr in Epist. 1. ait: *Vinum aquâ permixtum in Sacrificio offerantur.* Justinus Martyr in 2. Apolog. ait, *offerri poculum vino & aquâ temperatum.* S. Irenæus lib. 1. cap. 1. ait: *Quando mistus Calix & fructus panis percipit Verbum DEI, fit Eucharistia Sanguinis & Corporis Domini.* S. Cyprian. lib. 2. Epist. 3. *Scias, ut in Calice Domini offerendo Dominica Traditio servetur, neq; aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis prior fecit, ut Calix, qui in commemorationem eius offertur, mistus vino offeratur.* S. Basilius in sua Liturgia ait, Christum acceptum Calicem miscuisse, & posteà dixisse, *Hic est Calix &c.* Theodoretus Dial. 1. Euseb. Emiss. Serm. de Passione Dñi. Concilium III. Carthag. cui interfuit S. Augustinus, Can. 24. ait: *Ut in Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, nihil ampliùs offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum, aquâ mistum.* S. Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 4. & lib. 5. cap. 11. vinum & aquam in Calice ponenda affirmat. Isidorus lib. 1. de Offic. Divin. cap. 18. fusè de hac re ait. Concilium Bracarense III. celebratum An. 675. tempore Adeodati Papæ, Can. 1 ait: *Calix enim Dominicus vino & aquâ permixtus debet offerri.* Ex his ubiq; patet oblatio Calicis & vini misti cum aqua. *Prima* Cæremonia est ex parte Sacerdotis, Tunsio pectoris, in Introitu, & ad illa verba, *Agnus DEI,* & ad illa, *Domine non sum dignus.* Hæc pœnitentiam & humilitatem indicant, & habent exemplum. Luc. 18. *Deus*

pro-

propitius esto mihi peccatori, & Luc. 23. *Revertebantur percutientes pectora sua. Secunda*, Lotio manuum. Hæc habetur etiam in Liturgijs Græcorum. Hujus Cæremoniæ meminit Clemens lib. 8. Constit. Apost. cap. 5. & S. Dionysius cap. 3. Hierarch. Eccles. S. Cyrillus Catech. 5. Mystag. *Vidisti* (ait) *Diaconum, aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti.* Aliæ Cæremoniæ sunt communes. *Prima* est, Aspersio aquæ benedictæ, cujus benedictio refertur ad Apostolicam Traditionem tali modo. Clemens lib. 8. Constit. Apost. cap. 35. ponit ordinem consecrationis aquæ. S. Dionysius Hierar. Eccles. cap. de Baptis. ait. aquam sacris invocationibus consecrari. S. Cyrill. Catech. 5. Mystag. ait: *Sicut mundi invocatione Diaboli fiunt immundi, ita aquam simplicem fieri sanctam invocatione DEI.* S. Cyprian. lib. 1. Epist. 12. ait: *Oportet mundari & sanctificari priùs à Sacerdote.* S. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 27. Traditionem Apostolicam esse dicit aquæ benedictionem; de qua etiam meminit S. Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 5. & lib. de his, qui initiantur, c. 3. Epiphan. hæresi 30. Theodoretus lib. 5. Hist. cap. 21. S. August. Homil. 27. & lib. 50. Hom. & Serm. 19. de Sanctis, & lib. 6. in Julian. cap. 8. ubi ait, aquam signo Crucis consecrari. Undè Alexander I. non instituit benedictionem aquæ, sed præcepit, hanc Cæremoniam ab Apostolis traditam exercere. *Secunda* est, Signum Crucis, quæ omnium communissima est & antiquissima. *Primò* ex Liturgijs S. Jacobi & aliorum constat, quæ plenæ sunt ejusmodi signorum Crucis. *Secundò* ex SS. Patribus. S. Dionysius, Discipulus S. Pauli, Hierar. Eccles. cap. 2. de Baptism. ait: *Sacrâ appellatione, invocationeq; sanctificatas aquas, cùm eas trinâ unguenti perfusione Crucis specie perficit.* Tertull. lib. de Corona Militis. S. Hieron. in Epist. ad Eustoch. de Custod. Virg. ubi ait, *in omni negotio Crucis signum adhibendum.* S. August. lib. 1. Conf. cap. 1. ait: *Signabar iam signo Crucis eius, & condiebar eius sale.* Et Tract. 118. in Joan. qui dicit, omnia Sacramenta, & ipsum Divinum Sacrificium, signo Crucis perfici. Idem dicit S. Chrysost. Hom. 55. in Matth.

De Consecrationibus Templorum & Altarium sunt antiquissima testimonia Veterum. Vide Concil. Carthag. V. Can. 6. & Agathense Can. 14. Vide SS. Patres, Athanas. in Apolog. ad Constantium, Basilium in Psalm. 114. Gregor. Nissen. in lib. Baptism. Ambros. lib. 1. Epist. 5. ad Felicem, August. Serm. 251. de Temp. De Sacris Vasis multa etiam extant Veterum testimonia, Sed pro

multis unus sufficiat S. Augustinus, qui in Psalm. 113. ait: *Et nos pleraq; instrumenta & vasa ex auro & argento habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, & sancta dicuntur.* Optatus Milevit. lib. 6. contra Parmen. conquæritur de Donatistis, quòd Sacra & pretiosa vasa Ecclesiæ, in quibus Christi Sanguis continetur, diripuerunt. Gregor. Nazianz. in Orat. de seipso contra Arianos scribit, ab Arianis direpta Sacra vasa, Laicis ad tangendum prohibita, ideò eos comparat Nabuzardano. S. Ambros. lib. 2. de Officijs cap. 8. multa scribit de Sacris Ecclesiæ vasis, atq; eâ aurea & sacrata demonstrat.

Idem factum est in Sacris Regnis à Dissidentibus.

De Sacris Vestibus idem dicunt Veteres Patres. S. Sylvester, ut in ejus Vita refert Damasus, constituit, ut Diaconi Dalmaticis uterentur, & pallâ linostinâ ad levam. Concil. Carthag. IV. tempore S. Augustini celebratum, Can. 41. prohibet, ne Diaconi utantur Albâ, nisi in Sacro Ministerio. S. Hieron. lib. 1. contra Pelag. scribit, Episcopos & Presbyteros, & omnem Clerum in administratione Sacrificij uti candidis Vestibus. S. Chrysost. Hom. 83. in Matth. idem habet, qui etiam initio Liturgiæ describit Orationes, quæ dicuntur, dum Sacerdos induit Sacras Vestes. S. Gregorius M. misit in Britanniam ad Novam Ecclesiam, præter Sacra Vasa & Reliquias Sanctorum, & Altarium Ornamenta, etiam Vestimenta Sacerdotalia & Clericalia, ut scribit Joan. Diaconus lib. 2. Vitæ S. Gregor. cap. 37. & Beda lib. 1. Hist. cap. 29.

Discursus Theolog.

De Cæremonijs Sacrosancti Sacrificij, quòd sint antiquissimæ.

PRædictas Cæremonias ferè omnes Calvinistæ expungunt, & abrogandas censent, nec illis utuntur in suæ Cænæ celebratione. Et Calvinus generatim illas reprehendit, lib. 4. Instit. cap. 17. n. 43. quamvis admittit antiquissimas esse, immo ait, non longè ab ætate Apostolorum cæpisse. Lutherus & Lutherani non omninò Cæremonias reijciunt. Secundò addit Lutherus lib. de Capt. Babil. cap. de Euchar. *Non esse propterea calumniandam universam Ecclesiam, quæ multis alijs ritibus & Cæremonijs Missam ornavit & amplificavit.* Et in lib. de Formula Missæ, permittit lumina & incensum, & aliqua alia ejus-

ejusmodi; & si hæc, quare non alia admittit Lutherus? Legimus Exod. cap. 25. cùm DEUS facere sibi mandaret Sanctuarium, in quo habitaret, & Arcam, quam auro mundissimo intùs & foris deaurare jussit, & coronam auream, & circulos aureos, & Propitiatorium de auro mundissimo, & thuribula, in quibus offerenda sunt libamina ex auro purissimo, & candelabrum de auro mundissimo, emunctoria quoq; ex auro purissimo. Quid mirum? si in Novo Testamento ad eundem cultum DEI adhibeantur Vasa ex auro & argento, & Sacerdotes induantur pretiosis Vestibus, cùm illa omnia pretiosa, fuerunt typi & figuræ Vasorum & Vestium Ecclesiæ. Undè S. August. lib. de Catechizan. rudibus, cap. 4. ait: *In Veteri Testamento est occultatio Novi, in Novo Testam. est manifestatio Veteris.* Non enim Christus omninò sustulit ea, quæ DEUS in Veteri Lege instituerat: non enim contrarius erat Patri suo, aut sibi ipsi, sed aut perfecit, aut mutavit in meliora, ut ipse ait Matth. 5. *Non veni solvere Legem, sed adimplere*; ut patet in Præceptis & Sacramentis. Nam Præcepta non sustulit, sed explicavit, Matth. 5. & Consilia addidit, quæ ad Præceptorum perfectam observationem conducunt. Pari ratione Sacramenta Circumcisionis, Agni Paschalis, & similia, mutavit in alia verè & propriè dicta Sacramenta, quorum fuerunt umbræ in Vet. Testam. Undè S. Ambros. lib. 2. in Cap. 2. Lucæ ait: *Vides, omnem Legis Veteris seriem fuisse typum futuri; nam & Circumcisio purgationem significat delictorum.* Et S. August. Epist. 118. ait: *Mutavit in pauciora, faciliora, & præstantiora.* Cùm ergo Ecclesia Cathol. Rom. retineat ea, quæ Christus aut perfecit, aut in meliora mutavit; cùm retineat omnia genera honoris & cultûs, quibus DEUS in Veteri Testam. colebatur, scilicet Adorationem, Invocationem, Votorum nuncupationem, Hymnos, Psalmos, Cantica, Dies festos, Jejunia, Eleemosynas; cùm habeat incruentum Sacrificium, secundùm ordinem Melchisedech, in commemorationem cruenti Sacrificij JESU Christi in Cruce, quod successit omnibus Veteris Testam. Sacrificijs, ut ait S. Gregor. Nissen. in Orat. de Resurrect. *Dominus præoccupans impetum Judæorum, seipsum victimam obtulit, idem simul Sacerdos & Agnus.* Et S. Chrysost. Homil. 24. in 1. ad Corint. *Pro victimarum & pecorum cæde seipsum offerendum præcepit.* Et est supremus cultus, qui soli DEO à Creatura debetur. Quis sibi persuadebit, ea à Christo prohibita esse, quæ ad Patris & Sui majorem cultum & honorem spectant: cùm ad eundem cultum

DEUS expresso mandato instituit Cæremonias, Christus verò, qui nihil ardentiùs procurabat, quàm gloriam & honorem Patris, si deberet tollere Cæremonias in Ecclesia, sequeretur, quòd in Veteri Lege fuisset DEUS majori honore affectus, quàm in Nova. Adde, quòd hæ Cæremoniæ sunt antiquissimæ, fatentibus ut suprà SS. Patribus, etiam Calvino, & plures procedunt ex Apostolica Traditione, ut probat S. August. in Epist. 118. cap. 6. de sumenda à jejunis Eucharistia, dum ait: *Ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum.* Si ergo SS. Apostoli ordinârunt, ut à jejunis sumeretur Eucharistia, quæ ratio erit, quare alia ordinare non poterant ijdem Apostoli, & Viri Apostolici Successores illorum, quos *posuit Spiritus S. ad regendam Ecclesiam*, & dixerit illis, *qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Undè qui reprehendit universim Cæremonias, reprehendit ipsos Apostolos, & antiquam Ecclesiam intra annos sexcentos, à qua moderna Ecclesia per Traditionem accepit Cæremonias, ut patet ex SS. Patribus, & ipsi adversarij fatentur, Calvinus & Chemnicius: primus dicit lib. 4 Instit. cap. 17. §. 43. esse antiquissimas, & non longè ab Apostolorum ætate cæpisse: alter pag. 826. affirmat, Canonem inter primos sexcentos annos finitum. Et pag. 828. ait, ultimum Auctorem Canonis S. Gregoriũ I. An. 590. quod est verissimum etiam ex alijs Authoribus.

Actor. 20

Hîc notandum, quando Lutherus & Calvinus oppugnant Missæ Sacrificium, nihil uterq; dicit contra Antiquitatem Canonis, sciens benè de illius Antiquitate, ut suprà patuit. Sed Lutherus assumpsit Canonem per partes oppugnandum, quem cùm oppugnat, oppugnat partim Apostolos, partim antiquam Ecclesiam intra primos annos sexcentos, quibus Canon completus erat. Videamus aliquas illius oppugnationes. *Prima* Objectio Lutheri in lib. de abrog. Missa ait: *Quis non videat, Canonem esse compositum ab aliquo verboso, & parùm spirituali? quid enim verbis ita superfluere: Hæc dona, hæc munera, hæc Sancta Sacrificia.* ℟. Non advertit Lutherus, ad affectum explicandum, multum facere repetitionem ejusdem rei. Certè Liturgiæ S. Basilij, S. Chrysostomi, plenæ sunt ejusmodi repetitionibus; Confessiones item S. Augustini, Cantica, & Psalmi vix aliquid semel pronunciant, ut patet Psalm. 92. *Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt.* Psal. 115. *Ego servus tuus, ego servus tuus & filius &c.* Psal. 66. *Benedicat nos Deus, Deus*

noſter, benedicat nos Deus. Pſal. 95. *Cantate Domino Canticum novũ, cantate Domino omnis terra, cantate Domino.* Et Luc. cap. 18. *Et ipſi horum nihil intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* Et 2. ad Corint. 11. *Hebræi ſunt, & ego: Iſraëlitæ ſunt, & ego: Semen Abrahæ ſunt, & ego*; & multæ ſimiles inveniuntur in S. Scriptura repetitiones. Et hæc quòd ſint ab aliquo verboſo vel parum ſpirituali compoſita, non poteſt dicere Lutherus, cùm ſint dictante Spiritu S. prolata. *Alia* Objectio ejusdem ibidem, contra illa verba Cànonis, *Benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemq; facere digneris: Portenta* (ait Lutherus) *illa verborum neq; ego intelligo, nec ſtolidus ille, qui ſcripſit.* ℟. Iſta eadem verba habentur apud S. Ambroſium lib. 4. de Sacramentis cap. 5. Deindè apparet, quòd Lutherus non legerit explicationem horum verborum apud S. Auguſtinum, qui ſic illa (Sermone de Sacramento Altaris) explicat: *Eucharistia eſt oblatio benedicta, per quam benedicimur: Adſcripta, per quam omnes adſcribimur in Cœlo: Rata, per quam in viſceribus Chriſti cenſemur: Rationabilis, per quam à beſtiali ſenſu eximimur: Acceptabilis, ut qui nobis diſplicemus, per eam acceptabiles ejus unico Filio ſimus.* Hinc patet, hæc verba eſſe antiquiora S. Ambroſio, & S. Auguſtino, undè ſinè magna temeritate reprehendi non poſſunt. Idem ibidem objicit: *In Canone dicitur, Quæ tibi offerimus, in primis pro Eccleſia tua. At illa Sacrificia ex mero pane & vino conſtant, Ergo panem & vinum DEO offerimus pro Eccleſia.* ℟. Hanc oblationem panis & vini eſſe antiquiſſimam in Eccleſia Cathol. Rom. ut patet ex Canone 3. Apoſtolorum. De Canonibus autem, qui ſunt quinquaginta, nullum unquam fuit dubium, cùm inveniantur in antiquis Codicibus Conciliorum. S. Ambroſ. lib. 4. de Sacram. cap. 5. & 6. meminit oblationis panis & vini, quæ fit immediatè ante conſecrationem, his verbis: *Quam oblationem tu DEUS &c. benedictam, adſcriptam, ratam facere digneris*; & allegat, eam ex antiquo ritu Eccleſiæ provenire. Et ipſe S. Ambroſ. Orat. præpar. ad Miſſam his verbis utitur: *Peto clementiam tuam Domine, ut deſcendat ſupra panem tibi ſacrificandum, plenitudo tuæ benedictionis. &c.* Et infrà: *Sicut quondam in Patrum hoſtias deſcendebat, qui & oblationes noſtras Corpus & Sanguinem efficiat.* Ex his clarè patet, per oblationes intellexiſſe S. Ambroſium panem & vinum, ex quibus petit effici Corpus & Sanguinem. Deindè ſuperius oſtendimus, Calicem mixtum aquâ offerendum, ex

& hic locus maximè quadrat Luthero, & illi horum nihil intellexerunt,



SS. Patribus, Alexandro I. Justino, Irenæo, Cypriano, qui dicit, esse Dominicam Traditionem, Basilio, Ambrosio, Isidoro, ex Concilijs, Carthagin. III. in quo S. Augustinus interfuit, Bracarensi III. Et si Calix mixtus vino & aquâ, ante consecrationem offertur, quare & non panis? Modò respondetur Luthero. Istam oblationem panis & vini mixti cum aqua, non esse propriè Sacrificium, sed esse dedicationem rei, ex qua faciendum est Sacrificium. Offerimus ergo panem & vinum consecrandum, velut, ut cum S. Ambrosio loquamur, sacrificandum, ex quo per consecrationem verum Sacrificium DEO immolandum est pro Ecclesia, & hæc etiam oblatio sinè temeritate reprehendi non potest, cùm sit antiquissima. *Alia* ibidem Objectio Lutheri contra hæc verba, *Quam oblationem tu DEUS in omnibus &c.* Objicit, nos hîc orare pro Christo, & mediatores nos facere inter Christum & Patrem, ac DEUM rogare, ut benedicat & sanctificet Corpus & Sanguinem Christi. ℟. *primò*, hanc oblationem esse antiquissimam, ex S. Ambrosio jam ostendimus, quam dicit provenire ex antiquo ritu Ecclesiæ, undè sinè temeritate reprehendi non potest. ℟. *secundò*. Cùm hæc Lutherus objiceret, oblitus fuit Canonis, nam hæc Oratio præcedit consecrationem, ut in Missalibus toti Orbi patet; Lutherus verò ex oblivione supponebat, illam positam post consecrationem, & ex hac falsa suppositione objicit, nos rogare Patrem, ut benedicat Corpus & Sanguinem Christi, quod falsum est, nam ante consecrationem hâc Oratione petimus benedictionem sacrificandi panis. *Alia* est Objectio Lutheri contra illa verba, *Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam.* Iterum hîc objicit verbositatem, sed frustrà. Nam similia verba habentur apud S. Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 6. & eodem planè Spiritu videtur loqui Apostolus ad Rom. 12. *Hostiam viventem, sanctam, DEO placentem.* Undè Conjectura potest esse, magis esse hæc verba vel Apostolica, vel ad imitationem Apostolorum prolata, non autem Nota verbositatis censuranda. Undè cùm oppugnat has Orationes, oppugnat Liturgias SS. Patrum, & antiquam Ecclesiam. Sunt & aliæ Objectiones similes, in quibus fingunt sibi errores, & imputant illos Catholicis, de quibus nunquam cogitârunt, & ex eis formant Objectiones. Sed videndi sunt Catholici Authores, quàm sufficienter omnia solvant. Qui vult majorem veritatem agnoscere de Missæ Sacrificio, videat argumenta adversæ partis, quæ tam debilia sunt, ut magis veritas Missæ Sacrificij ex illis assurgat.

☞ *Mendacem oportet esse memorem.*

Argu-

Argumentum Calvini. *Non potest erigi Altare, quin evertatur Crux Christi, nec potest offerri Sacrificium Missæ, sinè injuria Sacrificij Crucis, nam Sacrificium Crucis habet vim infinitam & æternam, Ergo non egemus alio Sacrificio.* Ad hoc Argumentum respondit etiam Author Tubæ: Quomodo Missæ Sacrificium evertatur Sacrificium Crucis? cùm sit illius continua commemoratio: & idem est Sacrificium, nisi penes cruentum & incruentum distinguatur, acsi diceret Calvinus, Sacrificium Crucis seipsum destruit; non ergo Crucem evertimus, sed statuimus per continuam commemorationem cruenti Sacrificij. Quòd autem Sacrificium Crucis habeat vim infinitam & æternam ad sanctificandum, nec esse opus alio Sacrificio Crucis, ut iterum Christus moriatur, concedimus hoc. Negamus autem indè sequi, non posse sinè Crucis injuria multiplicari Sacrificia, Sacrificium Crucis, & ejus fructum nobis applicantia. Nam si hoc verum esset, esset non solùm Missæ Sacrificium, sed etiam omnia Sacrificia, Veteris Testam. efficeremus peracta fuisse in contumeliam Crucis Christi. Nam Sacrificium Crucis non solùm habuit vim sanctificandi futuros homines, sed etiam præteritos: undè Apocal. 13. legitur, *Agnus occisus ab origine mundi.* Illa igitur Calvini Consequentia, Sacrificium Crucis est perfectissimum. Ergo non potest erigi Altare, quin evertatur Crux Christi. Si quid valet contra Altare Ecclesiæ, valebit etiam contra Altare Synagogæ. Negandum igitur cum Manichæis Vetus Testamentum, ut Calvino assentiamur, quod tot Altaria erexit, & obtulit Sacrificia, in contumeliam Crucis Christi.

Instat Calvinus, fructum Crucis satis applicari per prædicationem Verbi, & administrationem Cænæ Domini, proindè non esse opus Missæ Sacrificio. Si hæc instantia aliquid valeret, valeret etiam ad tollendam Cœnam Domini, immo & Baptismum esse supervacaneum, quia per solam prædicationem posset applicari fructus Crucis. Placuit igitur DEO, per varia media instituere, quibus faciliùs, suaviùs, pleniùs, fructum Crucis assequeremur, atq; unum ex his cum Ecclesia Cathol. Rom. & universim SS. Patribus, Missæ Sacrificium excellentissimum medium dicimus. Neq; contrarium Adversarij ostendere potuerunt. Deindè, etiamsi ad applicandum fructum Crucis, non esset necessarium Missæ Sacrificium, nec utile, non tamen sequeretur, esse injuriam Crucis, quod Calvino probandum erat. Esset tamen necessarium, ad Religionem constituendam, &

ad

ad DEUM supremo cultu illi soli debito honorandum. qui sinè externo Sacrificio esse non potest, nec illo unquam à constitutione Mundi DEUS caruit, nec carebit, casu verò quo, modò Sacrificio externo careret, perfectior esset Status Naturæ, & Status Legis scriptæ, quàm Status Legis Evangelicæ, quia in utroq; tot oblata sunt externa Sacrificia: nam si tollas Missæ Sacrificium, nullum erit externum Sacrificium. Et esset simile tempus illo, de quo vaticinatus est Daniel, cap. 9. *Deficiet hostia, & Sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis*; quam experiuntur omnes in suis Templis, qui eliminârunt Missæ Sacrificium hæretici.

Sed hæc Argumenta processerunt ex falsa Calvini suppositione, ut non intellectâ Ecclesiæ Cathol. Rom. sententiâ, objecerit illa. Supponebat enim, sententiam esse Catholicorum, Missæ Sacrificium vim habere expiandi peccata, sinè Crucis Sacrificio, & ideò Missam vocabat novam redemptionem. Sed nullus Catholicorum hoc dicit, sed dicunt, quòd Missæ Sacrificium non est Opus nostrum, sed Christi: ipse enim verus est Sacerdos, qui per Ministros Sacrificium offert, & per illud purgat, & remittit peccata; dicimus enim, Passione Christi totum pretium Redemptionis acquisitum, ut ejus morte nos redemptos sufficientissimo pretio pro nobis absoluto, per Missæ Sacrificium illud pretium applicari, sicut per Sacramenta applicatur: ut qui v. g. baptizat, non dicitur redimere, sed applicare pretium per Passionem acquisitum. Idem de Missæ Sacrificio censendū.

Videns Calvinus tam clara testimonia SS. Patrum de Missæ Sacrificio, reprehendit illos, lib. 4. Instit. cap. 18. §. 11. & ait: *Imitati sunt enim propius Judaicum sacrificandi morem, quàm aut ordinaverat Christus.* Sed hoc dictum magis confirmat Missæ Sacrificium: Non enim imitati sunt Judæos, cùm illi cruenta Sacrificia offerebant. Sed Sancti Patres ostendunt, quòd illa Sacrificia figurabant unicum Altaris Sacrificium. Sic Tertull. lib. contra Judæos cap. 1. apertè dicit, *Sacrificium Abel, figuram fuisse Sacrificij Eucharistiæ.* Sic Justinus Martyr in Trypho. ait: *Similæ oblatio figura fuit Eucharistiæ.* S. Chrysostom. in Psalm. 95. *Omnia veterum Sacrificia, nova superveniens gratia, uno complectitur Sacrificio,* S. Ambros. lib. 2. in Cap. 2. Luc. *Vides, omnem Legis Veteris seriem fuisse typum futuri.* S. August. lib. 17. de Civit. DEI cap. 20. ait: *Mensa, quam Sacerdos Novi Testam. exhibet, de Corpore & Sanguine suo est, id est enim Sacrificium, quod successit omnibus Sacrificijs & oblationibus, Corpus ejus offertur, & participan-*

Vixit An. 150

ticipantibus ministratur. Leo I. Serm. 8. de Passione Domini: *Nunc Carnalium Sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una Corporis & Sanguinis sui implet oblatio: & sicut unum est pro omni victima Sacrificium, ita nunc unum de omni gente fit Regnum.* Scilicet meliùs novit Calvinus, qui nuper natus est, quid ordinaverit Christus, quàm Jacobus Domini frater, qui Cænæ Domini interfuit; aut Clemens, qui à Petro didicit; aut Basilius, aut Cyrillus, Ambrosius, Chrysostomus, quorum omnium extant Liturgiæ; aut Augustinus, Justinus, Hieronymus, & alij suprà nominati, qui 200. 300. 400. annis post Christum vixerunt.

Samuel Werner, Professor Regiomontan. in Disputat. sua ut suprà, adducit plures authoritates SS. Patrum pro Sacrosancto Missæ Sacrificio, & primò pag. 2. S. Ambrosium in Psalm. 38. qui ait: *Etsi nunc Christus non videtur offerri, tamen ipse offertur in terris, quando Christi Corpus offertur, imò ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat Sacrificium quod offertur.* Pag. 5. S. Chrysost. Hom. 2. in 2. ad Timoth. *Sacra oblatio, sive illam quilibet Sacerdos, sive illam Paulus, sive Petrus offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis, quamq; Sacerdotes modò quoq; conficiunt. Nihil habet ista quàm illa minus, &c. ita & oblatio eadem est.* Et Hom. de prodit. Judæ: *Sicut vox illa, quæ dixit, Crescite & multiplicamini, &c. omni tempore sentit effectum ad generationem, ita vox illa, Hoc est Corpus meum, semel quidem dicta est, sed &c. usq; ad hodiernum diem &c. præstat Sacrificio firmitatem.* NB. S. Augustinum Serm. 28. de Verbis Domini: *Quod offertur in Altari, panis dicitur; ubi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed Corpus appellatur.* Pag. 4. S. Gregor. M. lib. 4. cap. 58. *In ipsa immolationis hora Cælos aperiri, in illo JESU Christi mysterio Angelorum Choros adesse.* Pag. 5. Optatū lib. 6. contra Parmen. *Quid est tam sacrilegum, quàm Altaria DEI, in quibus & vos aliquando obtulistis, frangere, radere, removere.* Ibidem adducit Concilium Nicænum I. *iacere in hac mensa sacra Agnum DEI tollentem peccata mundi, qui incruentè à Sacerdotibus immolatur.* NB. Et pag. 32. post Sæculum II. adducit Tertullianum de Oratione cap. 14. *Accepto Corpore Domini, & reservato, utrumq; salvum est, & participatio Sacrificij, & executio officij.* Pag. 35. adducit Bedam Cantuar. lib. 4. Hist. Angl. cap. 14. referentem, *Presbyterum infirmanti puero de Sacrificio Dominicæ oblationis particulam deferri mandâsse.* Et pag. 48. deducit ex Beda sic: *Si Sacrificium in terram ceciderit causâ negli-*

negligentiæ, 50. Psalmos cantet: qui neglexerit Sacrificium, ut vermes in eo sint, ut colorem non habeat saporemque, viginti dies pœniteat, vel triginta, vel quadraginta. Ibidem adducit Burchardum, qui cap. 12. ait: *Illud etiam annectendum videtur, ut oblationes, quæ in altari offeruntur, de Sabbato in Sabbatum semper innoventur.* Videat ergo Werner, & omnes Diffidentes, si habeant Sacrosanctum Missæ Sacrificium, de quo tam clarè & tam multi SS. Patres, etiam ipso teste Wernero, testificantur.

Conservatio Eucharistiæ, quam Werner superiùs improbavit.

Chemnicius in 2. Part. Exam. pag. 800. & seq. proponit Argumenta, sub hoc titulo: *Argumenta ostendentia abominationem Missæ Pontificiæ.* Primum & principale est, etsi longum, videamus, quid illud valeat. Dicit ille: *Instituere cultum extra verbum, & sine verbo DEI, vanum est, immo idololatria est, cùm scriptum sit: Frustra colunt me mandatis & doctrinis hominum.* Ad hoc Argumentum, licèt longum sit, brevissimè ad illud respondetur. Jam ostensum est Chemnicio, & omnibus, qui tollunt Missæ Sacrificium, quòd SS. Patres universim ex multis locis S. Scripturæ ostendunt Missæ Sacrificium, de quo sic loquitur S. August. Epist. 92. Q. 3. *Nostrum Sacrificium non solùm Evangelicis, sed etiam Propheticis libris demonstratum est.* S. Cyprian. lib. 2. Epist. 3. ait: *Per Salomonem Spiritus S. typum Dominici Sacrificij premonstrat, immolatæ hostiæ & panis & vini, sed & Altaris, & Apostolorum faciens mentionem.* Similiter multi alij SS. Patres ostendunt Missæ Sacrificium satis clarè ex utraq; Scriptura. Illo autem loco S. Scripturæ, *Frustra me colunt mandatis & doctrinis hominum,* abusus est Chemnicius: nam contra traditiones varias Judæorum hæc dixit Christus, ut patet cuiq; legenti vel scienti Evangelium, & in Discursu de Traditionibus ostendimus. Undè nihil valet contra Sacrificium, cùm illud necdum erat institutum. Quòd autem non sit Missa instituta extra Verbum DEI, patet etiam ex pluribus locis Novi Testam. ut Luc. 22. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur*; non dicit, vobis datur, sed, pro vobis datur, id est, libatur DEO in Sacrificium: dare enim aliquid DEO pro aliquo, est offerre illud pro aliquo. Nec potest responderi: Ergo Christus hoc loco offerre jussit, non manducare. ℟. Manducationem ex alijs multis locis colligimus: ut v. g. *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus &c.* & ex illo, *Accipite, & manducate,* sufficit nobis, ut probemus Carnem Christi, quam nobis tradidit manducandam, obtulit sub specie panis in Sacrificium. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur,*

tur, non ſolùm ad manducandum, ſed pro vobis datur in Sacrificium. Et 1. ad Corint. 5. & 10. & multa alia vide in Catholicis Authoribus. Ad hæc quid reſpondeat Chemnicius, audiamus. Videns ille poſt multas datas ſolutiones, videns, non ſatisfacere Lectoribus, ultimatè ſic reſpondet, contra omnia teſtimonia Patrum, pag. 798. & 799. *Neq; Veterum qualescunq; ſententiæ, ſed Scriptura Canonica, regula eſt & norma Fidei & iudicij in hac controverſia.* Sed paulò antè contrarium dixit, dum ait, *Bonas mentes ſemper plurimi fecisſe conſenſum Antiquitatis.* Deinde ex ipſo Chemnicio, Chemnicium refutamus. Scribit ille in Exam. Concil. Trident. Seſs. 4. in 5. gene. Tradit. & ait: *Affirmant Origenes & Auguſtinus, Baptiſmum parvulorum eſſe Traditionem Apoſtolicam, hoc recipimus.* *Primò* dicimus, Baptiſmum conſtitutum eſſe extra Verbum, & ſinè Verbo DEI, in nulla enim Scriptura legimus, parvulos baptizandos, & tamen non eſt idololatria, quia illam recipit Chemnicius. *Secundò* dicimus, Chemnicius credit duobus antiquis Patribus, quòd Baptiſmus parvulorum ſit Traditio Apoſtolica, multò magis credere debet tot SS. Patribus, qui tam clarè oſtendunt, Miſſæ Sacrificium eſſe Traditionem Dominicam: ſi horum reijcit teſtimonia, multò magis duorum reijcere debet, (*a*) conſequenter & Baptiſmum parvulorũ, aliàs hoc Argumento ſemper ex Chemnicio Anabaptiſtæ triumphabunt, & dicent, ſi multorum teſtimonia non valent apud Chemnicium, multò magis neq; duorum. Et ſi hæc non ſufficiunt, producimus Lutherum, qui convictus Argumento Anabaptiſtarum, contra illos ad duos Plebanos inter alia hæc ait: *Quòd dicunt Anabaptiſtæ, nusquam in Scripturis haberi, quòd haud habeant fidem, aut baptizari debeant infantes, fatemur, nos id nullâ Scripturâ probare poſſe, quæ clarè & manifeſtè talibus aut ſimilibus verbis dicat, debetis pueros baptizare: nam & ipſi credunt, ſi quis nos urgeat ad demonſtrandam eiusmodi literam, huic nos tanquam victori cedamus oportet, nusquam enim ſcriptum invenimus. Boni autem & ratione prædıti Chriſtiani, tale nihil à nobis exigunt, faciunt id contentioſi tantùm, & præfracti homines, ut eſſe prudentes videantur, contra verò nullam illi Scripturam proferunt, quæ dicat, debetis adultos baptizare, non autem pueros. Mox ex Apoſtolorum Traditione, ſemper in Eccleſia DEI obſervata, docet parvulis eſſe baptizandos, etiamſi nulla Scriptura faciendum id eſſe præcipiat. Ac ſicut nuper in Eucharistiæ Sacramento, ita & nunc in parvulorum Baptiſmo defendendo, potisſimùm nititur Eccleſia auctoritate.*

(*a*) *cùm etiam iſti duo, S. Auguſtinus & Origenes, teſtentur de Miſſæ Sacrificio.*

Vide ſuprà in Diſcurſu de Tradition. per ſingulos Eccleſiæ Status, Naturæ, Legis Scriptæ, Legis Gratiæ.

☞ *contra ſeipſum hæc protulit Lutherus.*

☞

 Puto,

Puto, quòd Chemnicius hæc Lutheri legerit verba, qui contentiosos, & præfractos vocat homines, qui faciunt hoc. ut prudentes videantur, qui Traditioni & auctoritati Ecclesiæ non acquiescunt. Mirabile sanè cuiq; videri debet, quòd contra Anabaptistas Chemnicius recipit duorum Patrum testimonia, sicut & Lutherus Traditionem eorundem Patrum, & auctoritatem Ecclesiæ, in defendendo parvulorum Baptismo. Cùm verò & hi duo, & multi alij, uno ore testantur, dari Missæ Sacrificium in Ecclesia, hos omnes reijcit Chemnicius. Similiter & Lutherus, contra Missæ Sacrificium valedicit auctoritati Ecclesiæ, & SS. Patribus. Sic enim libro de privata Missa ait: *Si clamitent Papistæ, Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres, quia ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus. &c. Verbo, Christi iudicamus Ecclesiam.* Et in Concilio Trident. ex sola Scriptura ut res controversæ deciderētur, proposuit, ut sic omnia eluderet, & nihil certi statueretur ex sola Scriptura, ut patuit ex 4ta Conditione Protestantium pro Concilio Trident. Alibi objicit Chemnicius, Canonem à multis Authoribus compositum. ℟. Etiam Symbolum Apostolicum à 12. Apostolis compositum, & tamen illud recipit Chemnicius. Sunt plura similia ejusmodi Argumenta illius, quæ videri possunt apud Authores Cathol. Videamus etiam breviter, quæ ipse dixerit contra Concil. Trident. ut ex his de alijs, quisq; judicium ferat. Ait ille pag. 853. Concil. Trid. Sess. 22. cap. 5. sinè distinctione omnes Cæremonias approbare, sive piæ, sive superstitiosæ sint. At Concilium non loquitur, nisi de his Cæremonijs, quæ Ecclesia instituit, ut ex textu Concilij patet. Deindè, quare in particulari has superstitiosas non prodidit Cæremonias? ideò, ne proderet se nescire, quænam illæ sint. Author Tubæ Pacis pag. 8. citat Calvinum, qui in Epist. Sadolet. Card. ait, Omnes suos conatus esse, ut restituat illam Ecclesiæ faciem, quæ fuit apud Græcos, tempore Chrysostomi & Basilij M. & apud Latinos, tempore Cypriani, Ambrosij, Augustini, ita ut Scripta illorum testantur. *Subsumo.* Sed Scripta testantur prædictorum SS. Patrum, & multorum aliorum, & ferè omnium, ut suprà patuit, de Missæ Sacrificio, quòd Christus illud obtulit in ultima Cœna; testantur Invocationem Sanctorum; testantur liberum Arbitrium, bona Opera meritoria vitæ æternæ; testantur realem præsentiam Christi in Sacramento, Septem Sacramenta, & alia, quæ nos credimus dogmata: deindè, si Calvinus desiderabat, illam restituere faciem Ecclesiæ, quare non assumpsit ali-

Superiùs auctoritate Ecclesiæ defendit Baptismum parvulorum, hic iterum nec Ecclesiam, nec SS. Patres curat; alter Protheus Lutherus.

Verbo, secundum explicationem suam iudicat Ecclesiam Lutherus.

quam

quam ex Liturgijs? vel S. Chryſoſtomi, vel Baſilij, vel Ambroſij, ſi non placuit Romana, vel ſaltim S. Jacobi, vel aliorum Apoſtolorum? ſed nihil horum fecit: iſta non cohærent, velle faciem Eccleſiæ reſtituere, quæ fuit tempore Chryſoſtomi, Baſilij; & illius Eccleſiæ Miſſæ Sacrificium penitùs eliminare, non eſt iſta reſtitutio, ſed ſublatio ſupremi cultûs Divini, quo Eccleſia coluit DEUM à ſuis primordijs. Sanè advertit Calvinus, quòd arduum nimis erat, oppugnare veritatem Catholicam: advertit, quòd multi docti & ſenſati Viri notarent illum, quòd illam Eccleſiam oppugnaret, contra quam Chriſtus promiſit, portas inferi non prævalituras. Sic finxit, ſe antiquam velle reformare Eccleſiam: ſed iſta verba erant, & pollicitationes, non autem ipſa veritas. Sic & Melanchton advertit, quod & Lutheri, & Calvini, & Chemnicij parùm valerent contra Miſſæ Sacrificiũ argumenta, finxit ſe illud venerari. Sic enim ait p.25. in Art. de Miſſa: *Retinetur enim Miſſa apud nos, & ſummâ reverentiâ celebratur*; tamen contrarium in Articulis Smalcaldicis ait pag. 280. *Abroganda meritò Miſſa eſt.* Et pag. 22. in Præfat. de abuſibus ait: *Cùm Eccleſiæ apud nos de nullo Articulo Fidei diſſentiant ab Eccleſia Catholica, tantùm paucos quosdam abuſus omittant.* Videat Melanchton, ſi verum dicit, utrum propter paucos abuſus tot homines ab Eccleſia Cathol. Rom. retrahere licebat.

Et alia ſuprà nominata.

Ultimatè ponimus hanc evidentiſſimam pro Miſſæ Sacrificio probationem, quam ille tantùm advertere non poterit, qui fumo ſuperbiæ obcæcatus, omnis veritatis inimicus eſt. Miſſæ Sacrificium celebratum ſemper fuiſſe ab ipſis primordijs Eccleſiæ, id teſtatur Græca, Latina Eccleſia: teſtantur SS. Patres univerſim omnes: teſtantur multi diverſis temporibus Scriptores: teſtantur ipſi adverſarij. Sic enim Lutherus lib. de Captiv. Babil. cap. 1. ait: *Miſſa creditur paſſim eſſe Sacrificium, quod offertur DEO; accedunt his dicta SS. Patrum, tot exempla, totus per Orbem uſus conſtanter obſervatus.* Simile habet Calvinus lib. 4 Inſtit. cap. 18. Hoc certiſſimo poſito principio, etiam ab adverſarijs conceſſo, Miſſam habitam pro Sacrificio omni tempore in toto Orbe terrarum; ſi hoc verum non eſt, quod aſſerimus. *Primò*, totam univerſalem Eccleſiam, non ſolum modernam, ſed etiam illam annorum quingentorum poſt Chriſtum graviſſimè erràſſe, cùm non tam modernæ, quàm antiquæ Eccleſiæ ſit hoc Sacrificium, ut jam clarè patuit, immo illam antiquam Eccleſiam annorum quingentorum perijſſe, quia falſum in re gravi docebat,

celebrat, Missam esse Sacrificium, quod uni DEO offertur, ut Lutherus ait, & Missa non erat Sacrificium. *Secundò*, omnes SS. PP. suprà citatos graviter erràsse, qui docent, Missam esse Sacrificium, & eosdem SS. Patres falsò exposuisse omnia vaticinia Prophetarum de Missæ Sacrificio. *Tertiò*, Christi promissionem non compleri, Matth. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*; & illud Apostoli, 1. ad Tim. 3. Ecclesiam esse *Columnam & firmamentum veritatis*, quia Ecclesia, tam antiqua Ann. 500. quàm moderna docet, Missam esse Sacrificium. *Quartò*, omnes SS. Patres & Doctores Ecclesiæ, immo & Apostolos, quorum extant Liturgiæ, gravissimè erràsse, qui hoc frequentàrunt Sacrificium: nam in his Liturgijs inveniuntur Oblationes, & illa omnia, quæ passim reprehendunt adversarij, & exindè impios & sacrilegos fuisse. *Quintò*, fuerunt plurimi Sancti, tam in antiqua annorum quingentorum, quàm in moderna Ecclesia: de antiqua notum est omnibus; de moderna etiam ipsi adversarij testantur. Sic Confessio August. Apolog. Respon. ad Argum. Advers. ait: *Antonius, Bernardus, Dominicus, Franciscus, & alij SS. Patres, elegerunt certum vitæ genus.* Sanctos nominat prædictos Patres. Calvinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 15. ait: *Non sic hodiè à Sancta illa Antiquitate Monachos degeneràsse dico, quin aliquos in suo genere bonos habeant.* Et Lutherus iterum in Propos. A. Dñi 1520. ait: *Ad libertatem pertinet, sese perpetuo Voto, aut cuicunque Legi subdere. Talis fuit Bernardi Religio, & omnium, qui feliciter Religiosi fuerunt.* At quomodo Sancti? quomodo boni? quomodo felices? judicio Lutheri & Calvini, cùm omnes Missæ Sacrificium offerebant, ista nullo modo possunt cohærere. His ergo Sanctis, ut dicit Melanchton, his bonis, ut ait Calvinus, his felicibus, ut ait Lutherus, tam modernis quàm antiquis SS. Patribus, non revelavit DEUS, Missam non esse Sacrificium per tot Sæcula, nisi primò Luthero, à quo alij hoc didicerunt. Ipse enim sic ait Tom. 7. fol. 274. *Primus fui, cui DEUS hæc, quæ vobis prædicata sunt, revelare dignatus est.* Ergo novam doctrinam prædicabat Lutherus, antiquæ Ecclesiæ contrariam, quia nulli ante Lutherum, illam DEUS revelavit. Quòd autem non fuerit à DEO revelata, patet ex illiusmet verbis. Ait enim Tom. 2. Jen. fol. 9. in Præfat. lib. de abusu Missæ: *Quàm sæpè cor mihi palpitavit, neque coarguit, atque objecit, cæteri omnes errent, ac tantoperè erràrint: quòd si tu erres, ac tot in errorem seduceres, perpetuo supplicio condemnandos.* Et Serm. Conviv. fol. 10. *Pergraves mihi*

ut suprà patuit

☞

mihi fuerunt iſtæ cogitationes: Tu ſolus purum atq; emaculatum ver-
bum DEI habes, cæteri omnes eo deſtituuntur; quod Chriſtiana Eccle-
ſia decrevit. totq; annos credidit, tu impugnas, & tanquam falſum
evertis? Et fol. 158. *Iſtas cogitationes nunquam ex animo dimitto,*
quin optimè vellem, hanc me cauſam nunquam incæpiſſe. Et fol. 273.
Nunquam maiores, gravioresq; tentationes habui, quàm ex meis Con-
cionibus Cogitabam enim iſta: Tu ſolus incepiſti; iſtâ tentatione ſæpè
ad infernum usq; demerſus ſum. Ex his dictis duo eruuntur. *Primò,*
nec in Prophetarum, nec in illorum, qui verè fuerunt miſſi à DEO,
doctrina ſimiles legimus anguſtias & timores, ratione ſuæ doctrinæ,
ſicut timuit Lutherus ſibi, & omnibus Sequacibus æternam damna-
tionem. *Secundò*, in Luthero fuiſſe purè fidem ſolùm humanam,
cum formidine æternæ damnationis, *cùm optaret, hanc cauſam nun-* *in Præfat.*
quam incæpiſſe, addens, *ſperare ſe, ubi horum temporum curioſitas* *Tom. 1*
ſaturata fuerit, brevi monimenta ſua interitura; ſicut etiam aliàs di-
xit: *Hæc cauſa ſicut non propter DEUM incæpta eſt, ita nec propter*
DEUM finietur. Confirmatur hoc. Nam Paræus Calviniſta in Præ-
lectionibus Catechiſticis, cùm objectum fuiſſet, doctrinam Calvini-
ſticam à dæmone inſtitutam, ſic argumentatur: *Doctrina Calviniſti-*
ca profecta eſt à dæmone, qui eam Zwinglio inſpiravit. Ergo non poteſt
eſſe vera. Et ſic ille retorquet Argumentum: *Doctrina Lutherana de*
abroganda Miſſa, eſt etiam à dæmone inſpirata, Ergo ſimiliter non po-
teſt eſſe vera. Quod etiam argutè unus ex Ordine S. Bernardi Reli-
gioſus refutavit, his verbis: *Si Miſſa abominatio eſſet, ut tu blaſphe-*
mas, an putas, diabolum contra eam diſputaturum, & ad eam abolen-
dam, Argumenta ſubminiſtraturum, ac non potiùs modis omnibus eam
ſtabiliturum, magisq; confirmaturum. Adhuc placet unicam auctori-
tatem S. Auguſtini adducere, cùm ad illum Calvinus remiſerit o-
mnes Diſſidentes, tanquam ad optimum Antiquitatis teſtem. Sic
S. Auguſt. Serm. 1. de Tempore ait: *In die verò (ſcilicet Dominico)*
nullus ſe à Miſſarum Sacrarum celebratione ſeparet, ne quis domi rema-
neat, cæteris ad Eccleſiam pergentibus.

Ultimatè objicitur omnibus, tam Lutheranis, quàm Calvini-
ſtis, & alijs Diſſidentibus, quicunq; Miſſæ Sacrificium oppugnant,
non tam modernam, quàm antiquam annorum 500. oppugnare
Eccleſiam, cùm omnes SS. Patres, qui illis 500. annis vixerint, uno
ore teſtantur de Miſſæ Sacrificio, ut ſuprà patuit: Sancti verò Patres
debent ſemper haberi pro incorruptis teſtibus, *quos Spiritus S. poſuit* *ad Epheſ. 4*
regere

regere Ecclesiam DEI, nec uni parti, quàm alteri, magis favebant, sed quod invenerunt, hoc Scriptis suis posteritati tradiderunt, nec Catholicos, nec Lutheranos, nec Calvinistas respiciebant, sed quod à Majoribus acceperunt, posteris consignârunt. Quòd si hæc absurda videntur, & nullo modo admittenda, sequitur verum esse, quod nos cum antiqua; & moderna Ecclesia docemus, Missam esse Sacrificium, quod soli DEO offertur, & est supremus cultus illius, sinè quo, sicut à principio mundi DEUS non fuit. ita nec erit, usq; ad consummationem illius, quod & adversarij concederent, si locum veritati dare vellent. Ultimatè, Waldenses primò negârunt Missæ Sacrificium: quales verò illi fuerunt hæretici, inferiùs patebit. Deindè Wiclefus, qui etiam negavit liberum Arbitrium, cum Simone Mago, Marcione, Manichæis, qui judicio omnium fuerunt hæretici. Hus verò celebrabat Missas, etiam in sua hæresi; tamen ante Waldenses nullus ex antiquis hæreticis, nec Arius, nec Macedonius, nec Nestorius, nec Eutyches, nec Pelagius, ausi sunt negare, ut rem in Ecclesia notissimam.

Discursus Authoris Cap. XIV.

Pag. 64.

De Purgatorio.

PLurimi sunt Articuli, in quibus dissentimus ob homonymiam hujus vel illius vocabuli. Plurimi, ob non satis discussas rationes & intentiones assertorum: e. g. Articuli de Purgatorio, &c. Indulgentijs, sunt ferè omnibus Protestantibus errores, at non errores Romano-Catholicis. Hinc maximè indagandum, quo animo hæc vel illa dicantur. &c. Deindè judicium de his rebus non stet de nostra, de hujus vel illius privati hominis, nec etiam particularis cœtûs sententia, cùm hæc sententia, quam Protestantes erroneam judicant, sit sententia tot, tantarumq; Ecclesiarum in Occidente, ubi tot pij, tot conscientiosi, tot salutis æternæ amantes, tot eruditi ac magni Viri inveniuntur.

Discur-

Diſcurſus Theolog.

An teſtimonio Scripturæ & Veteris Eccleſiæ detur Purgatorium?

CUm hæc ſententia de Purgatorio ſit Univerſalis Eccleſiæ, toto Orbe terrarum diffuſæ, etiam Primitivæ, quæ proxima fuit temporibus Apoſtolorum, habeatq; fundamenta evidentiſſima in Sacra Scriptura, & teſtimonia ab illa, tum à SS Patribus, vix non omnibus, & cùm negata fuerit hæc ſententia ab hæreticis aliquibus, tam antiquis, quàm recentioribus, Eccleſia explicavit ſe contra illos: undè benè adducit Author Tubæ pag. 35. non poſſe ſufficere judicium privati hominis, vel cœtûs, vel hæreſis, quæ ſemper ſubſunt erroribus, ut judicet Univerſalis Eccleſiæ ſententiam, quod ſit erronea, ob non diſcuſſas, & non intellectas rationes aſſertorum. Ut ergo non ſint errores Proteſtantibus de Purgatorio, ſicut non ſunt Romano-Catholicis, oſtendemus, quibus fundamentis S. Scripturæ Purgatorium nititur, quænam ſit ſententia Catholica, & quo animo ea dicantur, quæ de Purgatorio dicuntur.

Nullum eſt dubium, dari Purgatorium, ſeu aliquem locum, in quo juſtorum animæ, nondum ſatis depurgatæ, poſt mortem plenè purgantur, antequam veniant ad Cœlum: nam *nihil coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum*, Apocal. 21.

Probatur hæc veritas Catholica varijs locis S. Scripturæ. 2. Machab. 12. *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio, orare pro defunctis, ut à peccatis ſolvantur.* Libros verò Machabæorum eſſe Canonicos, teſtantur Concilia, Carthag. III. C. 47. celebratum A. 397. item SS. Patres, Gelaſius, Innocentius I. Epiſt. ad Exuperium, cap. ult. S. Auguſt. lib. 18. de Civit. DEI cap. 36. ubi ait: *Libros Machabæorum non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet.* Idem S. Auguſt. lib. 4. de Cura pro Mortuis ait: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis Sacrificium: ſed etſi nuſquam in Scripturis Veteribus legeretur, non parva tamen eſt Univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino DEO ad eius Altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* Et adducens S. Auguſtinus illum locum Matth. 17. *Qui dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neq; in hoc, neq; in futuro Sæculo,* rectè adducit, *eſſe aliqua peccata, quæ remittuntur in futuro Sæculo.* S. Chryſoſto-

sostomus probat, esse Traditionem Apostolicam, orare pro mortuis, dum Homil. 69. ad popul. Antioch. ait: *Non temerè hæc ab Apostolis sancita fuerunt, ut in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio.* Confirmatur, Apostolicam esse Traditionem: nam in omnibus Liturgijs, Petri, Jacobi, Marci, & aliorum SS. Patrum, habetur commendatio mortuorum. Liturgias verò Apostolorum constat ex Traditione Apostolica, nec ullum dubium esse. Secundus locus, Tobiæ 4. *Panem tuum & vinum super sepulchrum justi constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* S. Chrysostomus Homil. 32. in Matth. ait: *Cur post mortem tuorum pauperes convocas? cur Presbyteros, ut pro eis velint orare, obsecras?* Tertius locus, Psal. 37. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.* Hunc locum S. August. in Psal. 37. ita exponit: *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit.* Quartus locus, Psal. 65. *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Hunc locum Origenes Hom. 25. in Num. & S. Ambrosius in Psal. 36. & Serm. in Psal. 118. exponit sic: *Hic per aquam, illic per ignem; per aquam, ut abluantur peccata, per ignem, ut exurantur.* Quintus locus, Isaiæ 4. *Purgabit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion, &c. spiritu judicij & combustionis.* Hunc locum exponit S. August. de Purgatorio, lib. 20. de Civit. DEI cap. 25. Sextus locus, Malach. 3. *Ipse sedebit, quasi ignis conflans, & purgabit filios Levi, & colabit eos.* Hunc locum exponunt de pœna Purgatorij, Origenes Homil. 6. in Exod. S. Ambrosius in Psal. 36. S. August. lib. 20. de Civit. DEI cap. 25.

NB. Probatur ex Novo Testam. Purgatorium. Matth. 12. dicit " Dominus, esse quoddam peccatum, quod non remittitur, neq; in " hoc, neq; in futuro sæculo. Hinc colligunt SS. Patres, quædam peccata remitti in futuro sæculo. Ita S. Augustinus lib. de Civit. DEI cap. 24. & lib. 9. in Julian. cap. 5. S. Gregor. lib. 4. Dialog. c. 39. S. Bernardus Hom. 66. in Cant. Secundus locus, 1. Corint. 3. *Si quis autem superædificat fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fænum, stipulam, &c. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur unuscuiusq; opus, quale sit ignis probabit. &c. Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* S. August. in Psal. 37. " ait: Si ædificarent aurum, argentum, lapides pretiosos, de utroq; " igne securi essent, non solùm de illo æterno, qui in æternum cruci- " aturus est impios, sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per " ignem

ignem salvi erunt. S. Ambros. in Psal. 118. ait: Omnes nos fornax probabit, ergo quia examinandi sumus, sic nos agamus, &c. ut cùm unusquisq; nostrûm venerit ad judicium DEI, ad illos ignes, quos transituri sumus, dicat, vide humilitatem meam. Idem in hunc locum ait: Sed cùm Paulus dicit, *sic tamen quasi per ignē*, ostendit quidem, illum salvum futurum, sed pœnas ignis passurū, ut per ignem purgatus, fiat salvus, & non sicut perfidi, æterno igne in perpetuum torqueatur. S. Cyprian. lib. 4. Epist. 2. ad Anton. ait: Aliud est, ad veniam stare; aliud, ad gloriam pervenire; aliud, missum in carcerem non exire, donec solvat novissimū quadrantem; aliud, statim Fidei & virtutis accipere mercedem; aliud, pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diù igne. S. Hieron. in 4. Cap. Amos ait: Juxta illud, quod in Apostolo legimus, *Ipse autem salvus erit, quasi per ignem*, qui ergo salvatur per ignem, quasi torris de incendio rapiatur. S. August. in Psal. 37. ait: In hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne opus non sit. Et infrà, explicans hunc locum Apostoli, ait: Contemnitur ille ignis, ita planè, quamvis salvi per ignem, gravior tamen sit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita. S. Gregor. lib. 4. Dialog. c. 39. ait: Peccata majora, & idcircò duriora, atq; tunc jam insolubilia, sed lignum, fœnum, stipulam, id est, peccata minuta, atq; levissima, quæ ignis facilè consumit. Origenes Homil. 6. in Exod. ait: Sed & illud cùm convenitur, si quis multa opera bona, & parùm aliquid iniquitatis attulerit, illud parùm, tanquam plumbum, igne resolvitur, & purgatur. S. Thomas Opusculo 1. contra Græcos, adducit Theodoretum, explicantem hunc locum his verbis: Credimus ignem purgatorium, quo purgantur animæ, ut aurum in conflatorio.

Civit. A. 240

NB.

Probatur Purgatorium ex Concilijs & Liturgijs Apostolorum, & SS. Patrum. Concil. Carthag. III. celebratum An. 397. Cap. 29. ait: Sacramenta Altaris non nisi à jejunis hominibus celebrentur: si autem aliquorum pro meridiano tempore defunctorum commendatio facienda est, solis Orationibus fiat. Similia leguntur in Concil. Carthag. IV. Cap. 79. Pœnitentes &c. Si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & Orationibus, & Oblationibus commendetur. Concilium Chalcedonense Generale IV. celebratum An. 350. In

NB.

hoc Concilio Sessione 3. lecti sunt libelli accusationum, quos Theodorus & Ischyrion, Athanasius & Sopronius, contra Dioscorum obtulerunt. &c.

Vide supra pag. 517. Vers. 19.

Missa Sacrificiū & oratio pro defunctis, ex Concil. Generi. IV. Chalced.

Nota, Lector. *Primò*, firmissimum sumi argumentum contra hæreticos pro Missæ Sacrificio, ex hoc Concilio Generali IV. quod dicunt se venerari Protestantes. *Secundò*, habes antiquum usum orandi pro mortuis, & adolendi incensum pro animabus illorum, quod nisi sanctè pièq; frequentaret universalitas Ecclesiæ, nequaquam coram Oecumenica Synodo, Dioscoro id pro crimine objectū fuisset. Quomodo ergo Diffidentes dicunt, se venerari, & recipere quatuor Generalia Concilia, cùm Missæ Sacrificium, & Orationes pro defunctis reijciunt. Item Lateranense Concil. Gener. Sessione ult. in Decreto de Purgatorio, & Tridentinum Sess. 25. & omnes Liturgiæ, Jacobi, Basilij, Chrysostomi Ambrosij: nam in omnibus fit Oratio pro defunctis. Undè S. Augusti. lib. de Cura pro mortuis cap. 1. ait: Adjungis, vacare non posse, quod universa pro defunctis Ecclesia supplicare consuevit. Et infrà ait: In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis Sacrificium; sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis quæ DEO ad ejus Altare funduntur, locū suum habet etiam Commendatio defunctorum. Idem Epist. 118. ait: Insolentissimæ insaniæ est, disputare contra id, quod universa Ecclesia facit. Et meritò hæc dixerit S. Augustinus; nam spretâ auctoritate universæ Ecclesiæ, propè infinitæ hæreses occurrent cum suis falsis dogmatibus, & trahent ad se unumquemque, ut recipiat illarum errores, nec potest unam sinè injuria aliarum recipere: nam omnes pro suis erroribus adducunt Scripturas. In Liturgia Græcorum, de qua loquitur S. Epiphanius, & quæ extat in Tom 5. S. Chrysostomi, sic legimus: Offerimus tibi, Domine, Sacrificium pro Patriarchis, Apostolis, Prophetis, Martyribus, & præcipuè pro Beatissima Deipara. Et statim subjungit Liturgia: Quorum Supplicationibus respice nos DEUS. Deindè pro alijs defunctis sic subjungit: Et memento omnium fidelium defunctorum, qui dormierunt in spe Resurrectionis, & quiescere eos facito, ubi videtur lumen vultûs tui. Undè S. August. Tract. 84. in Joan. similiter ait: Ideò in ipsam mensam non sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios defunctos, qui in pace requiescunt, ut pro eis oremus, sed magis, ut orent ipsi pro nobis.

Testimonium S. Augustini, universæ Ecclesiæ esse orationem pro defunctis.



Pro-

Probatur ex SS. Patribus Purgatorium. S. Dionyſius, qui vidit tempora Apoſtolorum, de Eccleſ. Hierarchia cap. 7. ait: Accedens deindè Venerandus Antiſtes, precem Sacram ſupra mortuum peragit, precatur Oratio Divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto, eumq; in luce conſtituat, & regione vivorum. S. Greg. Nazianz. in Orat. in Cæſarium ait: Et noſtras, & eorum, qui quaſi in via paratiores, priùs ad hoſpitium pervenerunt, animas commendemus. S. Ephrem in ſuo Teſtamento: Aſſiduè in veſtris Orationibus mei memoriam faciatis, etenim in vanitate & iniquitate vitam peregi meam. S. Cyrillus Catech. 5. Myſtag. Deniq; pro omnibus oramus, qui inter nos vitâ functi ſunt, maximum credentes eſſe animarum juvamen, pro quibus offertur obſecratio Sancti illius ac tremendi Sacrificij. Epiphanius in fine Operis contra hæreſes, numerat inter dogmata Eccleſiæ, Orationem pro defunctis; & Hæreſi 75. Aerium hæreticum facit, qui hoc negabat. Idem ſentiebat S. Auguſt. lib. de Hæreſibus cap. 53. nempè Aerium hæreticum eò, quòd negâſſet pro defunctis Sacrificia offerenda. S. Chryſoſt. Hom. 41. in 1. ad Corint. ait: Juvetur mortuus, non lacrymis, ſed precibus, ſupplicationibus, eléèmoſynis. Et infra: Ne fatigemur mortuis auxilium ferre, preces pro illis offerendo. Et Hom. 69. ad popul. Non temerè ab Apoſtolis ſancita fuerunt, ut in tremendis myſterijs defunctorum agatur commemoratio. Idem Hom. 32. in Matth. Hom. 84. in Joan. Hom. 3. in Epiſt. ad Philipp. & Hom. 21. in Act. Apoſt. Theodoretus lib. 5. Hiſt. cap. 26. ſcribit, Theodoſium Juniorem ad Reliquias S. Joan. Chryſoſt. orâſſe pro animabus Parentum ſuorum, Arcadij & Eudoxiæ, jam defunctorum. Tertull. in lib. de Corona Milit. inter Traditiones Apoſtolicas numerat Suffragia pro defunctis. Et lib. de Monog. ait: *Pro anima ejus oret, & refrigerium interim adpoſtulet ei, & in prima Reſurrectione conſortium, & offerat annuis diebus dormitionis ejus; nam hæc niſi fecerit, verè repudiavit, quantum in ipſa eſt*, loquitur de Conjuge Defuncti. S. Cypr. lib. 1. Epiſt. 9. ait: Epiſcopi Anteceſſores noſtri cenſuerant, &c. ſi quis hoc feciſſet, non offeretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. S. Ambroſ. lib. 2. Epiſt. 8. ad Fauſtin. Non tam deplorandam, quàm ſequendam Orationibus reor, nec mœſticandam lacrymis tuis, ſed magis oblationibus animam ejus Deo commendandam. S. Hiero. in

NB.

" in Cap. 5. Matth. ait: Hoc est, quod dicit, non egredieris de car-
" cere, donec etiam minuta peccata persolvas. S. August. lib. de
" Cura pro mortuis cap. 4. ait: Non sunt prætermittendæ suppli-
" cationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus
" in Christiana & Catholica Societate defunctis, &c. sub generali
" commemoratione suscepit Ecclesia. S. Greg. lib. 4. Dialog. cap.
" 39. ait: De quibusdam levibus culpis esse ante Judicium purga-
" torius ignis credendus est. Et cap. 55. ait: Multum solet animas
" etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adjuvare. Et
" cap. 50. Quos gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mor-
" tuis, si in Ecclesia sepeliantur, quòd eorum proximi, quoties ad
" eadem Sacra loca conveniunt suorum, quorum Sepulchra con-
" spiciunt, recordantur, & pro eis Domino DEO preces fundunt.
" Idem in Psal. 3. Pœnit. ait: Scio futurum esse, ut post hujus vitæ
" exitum, alij flammis expientur purgatorijs, alij sententiam æter-
" næ subeant damnationis. Isidorus lib. 1. de Offic. Divin. cap. 18.
" ait: Nisi Catholica Ecclesia crederet, fidelibus defunctis dimitti
" peccata, non pro eorum spiritibus vel eleèmosynam faceret, vel
" DEO Sacrificium offerret. Idem ibidem: Nam cùm Dominus
" dicit, Qui peccaverit in SpiritumS. non remittetur ei, neq; in hoc,
" neq; in futuro sæculo; demonstrat, quibusdam illic dimittenda
" esse peccata, & quodam purgatorio igne purganda. S. Hilarius in
" Psal. 118. in illud, *Concupivit anima desiderare*, ait: Nobis est ille
" indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt gravia illa expi-
" andæ à peccatis animæ supplicia. Anselmus in 1. Corint. 3. Nam
" de quibusdam levibus culpis esse ante corporum resurrectionem,
" purgatorius ignis credendus est. S. Bernardus Serm. de Obitu
" Humberti ait: Volat, Fratres, irrevocabile tempus, & dum cre-
" ditis, vos cavere istam pœnam minimam, incurritis ampliorem.
" Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgatorijs locis cen-
" tupliciter, quæ fuerint hîc neglecta, redduntur ad novissimum
" quadrantem. Scio ego, quàm durum sit homini dissoluto appre-
" hendere disciplinam, verboso silentium pati, vagari solito stabi-
" lem permanere: sed durius, & multò durius erit, futuras mole-
" stias tolerare. Idem in Cantic. Serm. 66. Malachias apud S. Ber-
" nardum ait: Nec parùm mihi spei repositum in illa die, quâ de-
" functis tanta à vivis beneficia impenduntur. Beda in Psalm. 37.
" ait: Quidam committunt quædam peccata venialia graviora, &

" leviora,

leviora, & ideò neceſſe eſt, *ut tales in ira corripiantur, id eſt, in* „ *purgatorio igne,* &c. ut quæ in eis immunda ſunt, per illum exu- „ rantur, & ſic tandem idonei eſſe cum his, qui in dextera coronan- „ di ſunt, inveniantur. Lactantius lib. 7. cap. 21. ait: Quorum „ peccata pondere aut numero prævaluerunt, *perſtringentur igne,* „ *atq; amburentur.*

Ad hæc omnia reſpondet Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 4. §. 10. *Ante mille trecentos annos uſu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis* Et ſubdit infrà: *Sed omnes, fateor, in errorem abrepti fuerant.* Brevis ſanè expeditio Calvini, cùm non poſſit aliter reſpondere, totum ſinè ratione negavit. Certè hæc unica confeſſio Calvini ad convincendum illum, & confirmandam veritatem de Purgatorio, deberet ſufficere. Non enim eſt credibile, Univerſalem Eccleſiam per mille trecentos annos, nempè ducentis poſt Chriſtum annis, in tam craſſo errore verſatam, neq; Concilia Generalia, Nicænum I. Conſtantinop. Epheſinum, Chalcedonenſe, hunc errorem damnâſſe, cùm illa poſteriora fuerint, quàm prætenſus de Purgatorio Calvino error, nullumq; fuiſſe ex antiquis, qui ſe huic errori prætenſo oppoſuerunt, niſi primò Aerius, quem ideò dicunt S. Auguſt. & Epiphan. hæreticum fuiſſe, & quod magis mirandum, eundem Aeriū Calviniſtæ pro hæretico habent. Deindè, ubi illud erit, quòd Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 3. dixerit, *Ex Auguſtino ſumant Lectores, ſi quid de ſenſu Antiquitatis certum habere volunt.* Et Lutherus in defenſione Cœnæ Domini ait: *Meo ſanè iudicio, poſt Apoſtolos Eccleſia non habuit meliorem Auguſtino.* Nos ultra S. Auguſtinum viginti & aliquot SS. Patres de Purgatorio adduximus, quomodo ergo iſti omnes errârunt, ſi ſolus S. Auguſt. ſufficit Lectoribus, ut ſumant ex illo, ſi quid volunt de ſenſu Antiquitatis certum habere, ſuadente Calvino. S. vero Auguſtinus lib. 2. de Cura pro mortuis cap. 2. ſic ait: *Non parva eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino DEO ad eius Altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* Et de Verb. Apoſt. Serm. 3. ſic ait: *Orationibus S. Eccleſiæ, & Sacrificio ſalutari, & Eleèmoſynis, quæ pro defunctorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandū, mortuos adiuvari. Hæc enim à Patribus univerſa obſervat Eccleſia.* Certè debuerunt ſufficere Calvino hæc teſtimonia S. Auguſtini, maximè, cùm non ex proprio ſenſu, (quamvis & ſic omnem meretur fidem) ſed auctoritatem univerſalis Eccleſiæ, quæ Orationibus, ſalu-

cari

cari Sacrificio, Eleemosynis, juvat fideles defunctos, adducit, & hanc praxim dicit acceptam à Patribus, nempè SS. Apostolis, & illis proximè succedentibus. Sancti enim Patres superiùs citati, ut Clemens, Epiphanius, Chrysostomus, etiam Tertullianus, asserunt, Orationem pro defunctis esse Apostolicam Traditionem, & nulli unquam Veterum contrarium dixerunt.

Adduximus etiam superiùs & S. Bernardum, quem Calvinus & Lutherus pro Sancto agnoscunt. Si Sanctus est Bernardus, testimonio Calvini & Lutheri, non scripsisset tam clare de Purgatorio, si universalis Ecclesia non teneret de Purgatorio. Idem dicendum de alijs SS. Patribus superiùs citatis. Lutherus in asserendo & negando Purgatorio, varius valdè fuit. In Disputatione Lipsica, quæ adhuc extat, ait expressè sic: *Ego qui credo fortiter, immo ausim dicere, scio Purgatorium esse, facilè persuadeor, in Scripturis de eo fieri mentionem.* Posteà admisit quidem Purgatorium, sed aliquibus admixtis erroribus. Primus error ejus fuit, Purgatorium non posse probari ex Scripturis, cùm superiùs dixisset, *Facilè persuadeor, de eo fieri in Scripturis mentionem.* Secundus error, Animas in Purgatorio non esse certas de salute consequenda. Tertius error, Animas in Purgatorio posse mereri, & demereri. Quartus, Animas in Purgatorio sinè intermissione peccare, dum horrent pœnas, & quærunt requiem. Quintus, Animas, quæ liberantur per Suffragia Ecclesiæ, minùs beari, quàm si per se satis fecissent. Isti quinq; errores inter Articulos à Leone X. damnatos numerantur. Cum his erroribus tamen agnoscebat Purgatorium, ultimatè & simpliciter negavit Purgatorium, libro ad Waldenses de Eucharistia. Duo itaq; asseruit Lutherus Contradictoria. Primò ait: *Credo fortiter, immo ausim dicere, scio Purgatorium esse, & facilè persuadeor, de eo fieri mentionem in Scripturis*; & iterum aliud contrarium dicit, Purgatorium non posse probari ex Scripturis: tamen admittebat, licet cum his quinq; erroribus, Purgatorium; & iterum sustulit illud ad Waldenses, ut suprà. Hæ propositiones contradictoriæ sunt omnes Lutheri propositiones, posse probari, & non probari Purgatorium, dari, & non dari illud. Hæc sunt contradictoria, & tamen sunt placita Lutheri, & fortè ægrè ferent Lutherani, si Catholici dicent, unam ex eis esse falsam. Quomodo hæc concilianda, nisi fortè sic distinguenda: Datur Purgatorium, & non datur; datur pro Catholicis, in gratia DEI, cum venialibus decedentibus: non datur pro Schismaticis & hære-

hæreticis, & in mortalibus peccatis decedentibus; nam iſti omnes non indigent Purgatorio, quia rectà vadunt ad infernum. Secundò, probatur & Scripturis Purgatorium, & non probatur. Probatur ſenſu univerſalis Eccleſiæ, & interpretatione SS. Patrum: non probatur ſenſu privato, qui S. Scripturam trahit ad ſuos errores, qui fuit ſemper hæreticorum. Sic erit vera Lutheri utraq; Contradictoria, adeòq; veriſſimum eſt, non dari pro illis Purgatorium, qui illud non credunt, nam rectà vadunt ad infernum.

Probamus itaq; Purgatorium quatuor Regulis conſuetis, quibus alia dogmata Catholica ſolent probari. *Primò*, ex teſtimonio expreſſo Scripturæ, cum declaratione Eccleſiæ, quomodo probamus, Chriſtum eſſe Conſubſtantialem Patri, ex illo Joan. 10. *Ego & Pater unum ſumus*, additâ Nicæni Concilij declaratione, nam aliàs nunquam lis cum Arianis finita fuiſſet, cùm eum locum, & omnia illa, quæ afferri ſolent, ipſi aliter exponerent, pro tuenda ſua hæreſi, niſi Eccleſiæ univerſalis in Concilio declaratio, & expoſitio verborum acceſſiſſet. *Secundò*, per evidentem deductionem ex ijs, quæ habentur expreſsè in Scriptura, quomodo probamus, Chriſtum duas habere Naturas, Divinam & Humanam, quia ſecundùm Scripturam DEUS & Homo eſt, additâ Concilij Sexti declaratione. *Tertiò*, ex Verbo DEI per Apoſtolos tradito, quomodo probamus, quatuor, & non plura, nec pauciora Evangelia, idq; non Petri, nec Nicodemi, ſed Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis: Epiſtolas Pauli, & aliorum Apoſtolorum, eſſe Divinas Scripturas; Symbolum Apoſtolorum, quia hæc in nullis habentur Scripturis. Undè omnes hæretici, quamvis pugnent continuò contra Traditiones, nolint velint, debent illas ſuſcipere, aliàs hæc omnia debent reijcere, & Evangelia, & Epiſtolas, & Symbolum Apoſtolorum, quia nullæ Scripturæ de his teſtimonium perhibent illis: his verò rejectis, non erunt Chriſtiani, ſi dicent, veras Traditiones ſuſcipimus, & falſas reijcimus. Et undè probant, iſtas eſſe veras, & iſtas falſas, cùm de omnibus Eccleſiæ authoritas, & SS. Patres æqualiter perhibent teſtimonium. Undè appoſitè S. Auguſt. lib. 17. contra Fauſtum ait: *Undiq; tergiverſatio veſtra contunditur, apertè dicite, non vos credere Chriſti Evangelio: nam qui in Evangelio, quod vultis, creditis, quod vultis, non creditis, potiùs vobis, quàm Evangelio creditis.* Idem contra eundem lib. 11. cap. 2. *Tunè es Regula veritatis, quidquid contra te fuerit, non eſt verum, quid ſi alius in ſimili inſania, ſed tamen, quâ tua duritia*

confringantur, existat, & dicat, immo illud, quod pro te sonat, falsum est; hoc autem, quod contra te, est verum. Et quid acturus es? Vides hac in re, quòd Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum, usq; ad hodiernam diem succedentium sibi
NB. *Episcoporum, & tot populorum consensione firmatur.* Hîc S. Augustinus clarè expressit statum hæreticorum, qui continuò sibi objiciunt varias hæreses, unusquisq; pro suo sensu privato Scripturam explicat, & auctoritatem Ecclesiæ universalis, definitionesq; Conciliorum reijcit, quorum in Ecclesia est saluberrima auctoritas, ubi ex Scripturis dogmata definit, vel Canonem Scripturarum præscribit, & Scripturarum tradit interpretationes; quod etiam expressit Lirin. lib. 1. cap. 29. *Quartò*, per evidentem deductionem ex verbo DEI tradito, quomodo S. Augustinus passim probat, peccatum Originale in pueris necessariò credendum, etiamsi in Scripturis non haberetur, quia deducitur evidenter ex Traditione Apostolica de Baptismo parvulorum, neq; effugient unquam Lutherani & Calvinistæ argumentum Anabaptistarum, quo illos cogunt, ad non baptizandos pueros, ex eo, quòd illi rejecerunt Traditiones, nisi vel reijciant Baptismum parvulorum, vel dicant, in nulla Traditione Ecclesiam Cathol. Rom. errâsse, quam pro tali & legitima agnoscit, testimonio Veteris Ecclesiæ. Jam autem, quomodo reijcient Baptismum parvulorum Lutherani & Calvinistæ, cùm habeant pro hæreticis Anabaptistas. Si non reijciunt Lutherani Baptismum parvulorum, debent omnes Traditiones suscipere, quas Ecclesia Cathol. Rom. pro legitimis agnoscit, aliàs nunquam satisfacient Anabaptistis, & pressi ab illis argumento manebunt, qualiter vide suprà pag. 293. item pag. 208. 209. 210. 211. sicut & Lutherum hoc argumentum Anabaptistarum torsit, vide suprà pag. 294. Confirmatur ex eo, quia non invenimus initium hujus dogmatis de Purgatorio, quod proprium est omnibus dogmatibus Catholicis, sed ferè omnes Veteres Patres, Græci & Latini, ab ipso tempore Apostolorum, constanter docuerunt, Purgatorium esse, ut patet ex Patribus etiam Græcis, qui nunquam dubitârunt de Purgatorio, ut Dionysius, Origenes, Athanasius, Basilius, Gregor. Nazianzenus, Greg. Nissenus, Ephrem, Chrysostomus, Cyrillus, Epiphanius, Theodoret, Oecum. Theophylact.

Probatur Purgatorium evidenti ratione. Iste error, qui tollit Purgatorium, est perniciosus hominibus, cùm homines socordes faciat in cavendis peccatis, & bonis operibus faciendis: qui enim cogitat,

gitat, nullum esse Purgatorium, sed omnia peccata per mortem aboleri, facilè dicet apud se: Quorsùm ego laboro in jejunijs, orationibus, continentia, eleëmosynis? cur fraudo cor meum delicijs, voluptatibus, luxurijs, adulterijs? quando in morte, sive multa, sive pauca peccata delebuntur: at jejunia, orationes, eleëmosynas, & bona opera, Scriptura ubiq; commendat; pro voluptatibus verò, luxurijs, adulterijs, infernum minatur. Qui ergo cogitat Purgatorium præter infernum, exercebit illa, quæ commendat Scriptura, & illa cavebit, pro quibus minatur æternam damnationem. Quòd autem non tollat peccata actualia mors, patet: nam in pœnam peccati Originalis mors instituta est, ante omne peccatum Actuale. Adde, quòd etiam justi moriantur, ergo non in pœnam Actualium peccatorum.

Discursus Theol.

Probatur ex inconvenienti Purgatorium.

PRimus omnium videtur aliquid sensisse contra Purgatorium Aerius, qui, teste Epiphanio Hæresi 75. & S. Augustino Hæresi 53. docuit, non esse orandum pro mortuis, & ideò ab illis habitus est pro hæretico. Secundi fuerunt Waldenses, teste S. Antonio par. 4. tit. 11. cap. 7. Summæ Theolog. qui, teste Sylvio in lib. de Origin. Bohemorum, fuerunt vilissimi Idiotæ, & Laici pauperrimi, quorum hæreses in Concilio Romæ habito circa An. 1170. damnatæ. ,, Vel ex eo eorum debet agnosci fatuitas. *Primò*, quòd nulla miracula agnoscebant, tam in Veteri, quàm Novo Testam. undè maximam fecerunt ignominiam S. Scripturæ, quæ tot enarrat miracula; Christo Domino, & SS. Apostolis, qui tot patrârunt miracula, quos suâ fatuitate videntur arguere falsitatis. *Secundò* dicebant, nullum Judicem posse damnare aliquem hominem, licèt criminosum, ad aliquam pœnam, vel mortem: qui error fuit gravissimus, & porta aperta ad omnia scelera, si nullum crimen puniatur. *Tertiò*, nullam agnoscebant potestatem in terra: alios obscænos errores spargebant in materia luxuriæ, ut communem usum uxorum, & alios, cum quibus magis ad pecudes, quàm homines remittimus. Tertij fuerunt Albigenses, qui non solum Purgatorium, sed etiam infernum negârunt, teste S. Antonio 4. par. tit. 11. Quartus, Wiclefus fuit, qui liberum arbitrium negavit, & omnia absolutâ pote-

Et hos docet Werner, cordatos fuisse, in sua Disput. pag. 59. melius ille scilicet novit, fuisse cordatos, quam illi, qui

Vitia & hæreses nefandas, præsentes palpârunt illorum.

potestate evenire dicebat. Hi Magistri fuerunt in negando libero arbitrio, Simon Magus, Manichæi, Basilides, Carpocrates, & fœdissimi Anomæi, teste S. Irenæo lib. 1. cap. 13. & 14. & S. Augustino Hæresi 54. Hos secuti sunt omnes hæretici recentiores in negando Purgatorio. Duæ itaq; sunt Propositiones inter Ecclesiam Cathol. Rom. & adversam partem: illa dicit, datur Purgatorium, & probat, dari illud testimonio Primitivæ Ecclesiæ, ut superiùs ostensũ est, etiam testimonio Calvini, qui ait, in usu fuisse precationes pro defunctis, ducentis annis post Christum doctrinam fuisse de Purgatorio, nempè ante Primum Concilium Nicænum, & alia subsequentia. Sed Concilia, si advertissent, hunc esse errorem de Purgatorio, damnâssent illum, sicut alios errores damnârunt: immo tenebatur Ecclesia damnare, tanquam erroneam doctrinam de Purgatorio, sed non damnavit in ullo Concilio. Immo in Chalcedonensi Theodorus, Ischyrion, Athanasius, & Sophronius, accusant Dioscorum, quòd legata pro anima sua, Asteriæ Matronæ aliò convertisset, nihil dixerit, quòd hæc doctrina sit erronea, legata facere, & orare pro animabus. Ergo adversa pars dicit, non datur Purgatorium, & habet Authores, Aerium, Waldenses, Albigenses, Wiclefum, qui ex doctrina agnoscuntur, quales fuerunt. Undè non obscurum est, quæ sententia tutior; Universalis Ecclesiæ, tam primitivæ, quàm modernæ, tot Conciliorum, SS. Patrum, quàm illa, quæ habet connexionem cum Simone Mago, Basilide, Manichæis, & alijs hæreticis; quid mirum? quòd illi negaverint Purgatorium, cùm illi majora absurda tenuerint, ut Waldenses, non dari miracula ulla, nullam potestatem in terris, nullam justitiam administrandam in maleficos: Albigenses negârunt infernum: Wiclefus negavit liberum arbitrium cum Manichæis, dicens, omnia evenire absolutâ potestate, nempè, ut suas nequitias liberiùs exercerent, nec punirentur pro illis; qui enim coactè aliquid agit, non est capax alicujus pœnæ, ut videmus in brutis. Centuriatores agnoscunt Purgatorium, Antiquitatis testimonijs. Cent. 3. col. 87. ajunt: *Semina Purgatorij in aliquot locis apud Origenem subindè sparsa videas*, ut Hom. 2. & 3. in Psal. 86. Hom. 8. in Levit. Hom. 13. in Ezech. 5. contra Celsum. Cent. 4. col. 304. Lactantij, Prudentij, Hieronymi, multa loca adducunt, quibus affirmant, Christianos *post obitum amburi igne, & moderatam, ac mixtam Judicis clementiam experiri*. Cent. 5. col. 52. S. Augustinum citant pro Purgatorio. Fulco in Tract. de Reform. Eccle-

siæ

siæ in Tract. Theol. pag. 394. ait: *Alter Ordo mortuorum, quorum mentionem in Cœna fieri volunt, ut detur eis locus refrigerij, lucis, & pacis. Non nego, hanc fuisse vetustissimam consuetudinem, & quoniam magna est vis consuetudinis, aut potiùs regnum, ideò huiusmodi preces fateor, Chrysostomo, Epiphanio, Augustino, & similibus probatas fuisse, quod à Maioribus quasi per manus tradita sunt.* Si vetustissimam consuetudinem de Purgatorio agnoscunt Calvinus & Fulco, ergo antiquam Ecclesiam cum SS. Patribus condemnant, dum reijciunt Purgatorium. Unde Concilium Trident. Sess. 25. ait: *Cùm Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta, & SS. literis, & antiquâ Patrum Traditione, in Sacris Concilijs, & novissimè in hac Oecumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragijs, potissimùm verò acceptabili Altaris Sacrificio iuvari; præcepit S. Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam à SS. Patribus & SS. Concilijs traditam, à Christi Fidelibus credi, teneri, doceri, & ubiq; prædicari, diligenter studeant.* Undè advertendum est, multò securiùs tenere de Purgatorio cum antiqua & moderna Ecclesia, & SS. Patribus superiùs citatis, quàm cum hæreticis & privatis hominibus, ob humanas illorum erroneas rationes, cùm illi gravissimè in multis errârunt, ut ostensum est superiùs de Waldensibus, Albigensibus, Wiclefo, & similibus: securiùs, inquam, universali Ecclesiæ credere, quàm illis, quia S. August. lib. 2. de Cura pro mortuis cap. 2. ait: *Non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino DEO ad eius Altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Et de Verbis Apost. Serm. 3. ait: *Orationibus Ecclesiæ Sanctæ, & Sacrificio salutari, & eleëmosynis, quæ pro defunctorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adiuvari. Hæc enim à Patribus universa observat Ecclesia.* Undè benè notavit Author Tubæ pag. 16. dum ait: *Dissentiunt Protestantes à Romana & Græca &c. generatim in Sacrificio, & toto ritu Missæ, invocatione Sanctorum, Confess. Auric. in Orat. & Oblat. pro defunct. Imaginum veneratione, Purgatorio.* Et pag. 64. ait: *Plurimi sunt, in quibus dissentimus, ob homonymiam huius vel illius vocabuli. Plurimi ob non satis discussas rationes & intentiones assertorum: e. g. Articuli de Purgatorio, Eucharistia sub una specie, Indulgentijs, sunt ferè omnibus Protestantibus errores, at non errores Romano-Catholicis,* etiam Græcis, superiùs dixit. Sed hæc differentia inter Romano-Catholicos & Protestantes, quòd illorum sententia, et senten-

NB.

NB.



sententia universalis Ecclesiæ, Conciliorum, & SS. Patrum; Protestantium est sententia privatorum hominum, qui in multis errârunt. Si vis magis firmari de Purgatorio, vide argumenta adversariorum: ex his enim magis consurgit Purgatorium. Abutitur enim adversa pars tam S. Scripturâ, quàm SS. Patribus ad suos errores.

Sacrificium offerri pro mortuis, agnoscunt Centuriatores. Cent. 5. col. 679. citant Chrysostomum, dicentem, offerri Missam pro ijs, qui dormiêrunt, ex Traditione Apostolica. Ijdem dicunt Cent. 3. cap. 5. col. 138. lin. 56. Tertullianum approbâsse oblationem pro defunctis. Fulco in Confut. pag. 362. & 395. fatetur, quòd Tertullianus, Cyprian. August. Hieron. dicant, esse Traditionem Apostolicam, offerre Sacrificium pro peccatis. Orationes fuisse in usu pro defunctis An. 300. post Christum, docet idem Fulco in Retentiva; Bucerus in 4. Evang. Et quòd eas approbet Ambrosius, agnoscit idem Fulco in Confut. Purg. pag. 93. & 96. Origenem, Ambrosium, Prudentium, & Hieronymum citat. Sed & Calvinus de veræ Ecclesiæ Reform. Tract. Theol. pag. 394. & Fulco, ut suprà, ostendunt ex Patribus, esse Traditionem Apostolicam, offerre pro mortuis; ex SS. Patribus, quare non fatentur, ipsum Sacrificium ex Traditione Apostolica, cùm etiam S. Ambrosius, quem citant Centuriatores, expresse dicat in Orat. præpar. ad Missam: *Memor venerandæ Passionis tuæ, accedo ad Altare tuum, licèt peccator, ut offeram tibi Sacrificium, quod tu instituisti, & offerri præcepisti, in commemorationem tui, pro salute nostra. Rogamus etiam te Domine S. Pater, pro spiritibus fidelium defunctorum, ut sit illis salus, sanitas, gaudium, & refrigerium.* NB. *Peto clementiam tuam, Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum, plenitudo tuæ benedictionis: descendat etiam illa, Domine, S. Spiritûs tui invisibilis, incomprehensibilisq; Maiestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat,* (ait S. Ambros.) NB. *qui & oblationes nostras, Corpus & Sanguinem tuum efficiat.* Nota Lector, *sicut quondam in Patrum hostias descendebat,* ait S. Ambros. Ergo non primus S. Ambrosius, qui offerebat hostias, sed quondam Patres offerebant, testatur ille, nempè Apostoli, post illos Viri Apostolici, quorum extant Liturgiæ. Fatentur autem adversarij, Traditionem Apostolicam esse, tam offerre pro mortuis, quàm à jejunis sumendam Eucharistiam, & tamen unam pro libitu suo rejecerunt, alteram susceperunt: jejuni sumunt Cænam, Sacrificium Missæ non agnoscunt pro mortuis. Idem S. Ambrosius in Orat. præparante ad Missam,

Miſſam, ait: *Benignè ſuſcipias Sacrificium de manibus meis, ad ſalutem omnium, tam vivorum, quàm defunctorum.*

Eſt Objectio, vel potiùs effugium contra Purgatorium. *Mors* (ait Lutherus) *peccata delet, & dolores, vel timores mortis purgant homines ante mortem. Ergo non eſt neceſſarium Purgatorium.* Sed fruſtrà. Nam omnibus notum eſt, mortem eſſe ob peccatum Originale, non actuale, mortale, vel veniale, ut patet in pueris, qui licèt non habeant peccata actualia, moriuntur in pœnam peccati Originalis. Multi etiam derepentè moriuntur, nullos timores & dolores ſentiendo; ut dormientes, vel terræ motu repentino, vel ruinis in inſtanti extinguuntur, quomodo iſti ſatisfacient pro peccatis, horrore, vel doloribus, qui in momento extinguuntur, nec advertunt, quomodo ex corpore exiêrunt? ut etiam fit cum illis, qui fulmine in ictu oculi occiduntur. Iſta omnia ad oculum patent, nihil valere hoc effugium vanum Lutheri.

Calvinus ad tollendum Purgatorium, quid dicat lib. 5. Inſtit. cap. 25. §. 12. audiamus. Ait ille, *Animas manu DEI lacerari, & conteri.* Et §. 20. ait, *eſſe umbras, beſtias, phantaſmata, mortuas, idola.* Et ſui diſcipuli, prout ipſe fatetur in lib. contra Gentil. in Colloquio quodam Geneven. nullum medium opportunius eſſe fatentur ad tollendum Purgatorium, & preces pro defunctis, quàm affirmare animarum interitum. Lutherus etiam in Artic. 27. ex damnatis à Leone X. *Animam eſſe immortalem portentum vocat.* Sleidanus lib. 9. Hiſt. docet, *à Luthero hujuſmodi dogma inventum, ut fidem Purgatorij aboleret.* Hoc ipſum docet Lutherus in Cap. 9. Ezech. in Cap. 25. 26. 49. in Geneſ. Ex antiquis hæreticis negârunt carnis reſurrectionem, Simon Magus ex Epiphan. Hæreſi 21. Apelles ex Tertull. de Præſcr. adversùs Hær. Valentinus, ex Epiphan. Hær. 31. Marcion, ex eodem Hær. 42. Hierax, ex eodem Hær. 67. ſolius tamen animæ reſurrectionem admiſerunt.

Diſcurſus Authoris.

Pag. 64.

Plurimi ſunt, in quibus diſſentimus, ob homonymiam hujus vel illius vocabuli. Plurimi ob non ſatis diſcuſſas rationes, & intentiones aſſertorum; e. g. Articuli de Purgatorio, &c. de Indulgentijs, ſunt ferè omnibus Proteſtantibus errores, at non errores Roma-

mano-

mano-Catholicis. Hîc maximè indagandum, quo animo hæc & illa dicantur? quænam pars verum obtineat?

Discursus Theolog.
De Indulgentijs.

CUm Lutherus suam separationem ab Ecclesia Cathol. Rom. incæpisset, etiam occasione Indulgentiarum, non quòd legitimum usum illarum prorsùs damnaret, sed quòd abusum illarum ferendũ esse non putaret. Occasionem oppugnandi illas indè sumpsit, quòd Fratribus sui Ordinis prædicandarum, anteà munus demandatum fuit, id ad alium Ordinem translatum fuisse, quod non fecisset, si suo Ordini hoc commodum ablatum non fuisset, quod privatum, & temporale bonum respiciebat. Videamus ergo, quæ sit sententia Catholica de Indulgentijs, ut omni homonymiâ abjectâ, etiam Protestantibus Indulgentiæ non sint errores, si sententiam Catholicam benè de illis perspectam habeant, sicut non sunt errores Romano-Catholicis.

Datur usus Indulgentiarum in Ecclesia Christi Catholica Romana.

Probatur hæc Prima Propositio. Extat in Ecclesia Cathol. Rom. Thesaurus Satisfactionum infinitus ex Christi Passionibus, qui nunquam exhauriri poterit. Hæc Propositio ab omnibus in dubium vocari non potest. Nam Christi Passio pretij fuit infiniti, cùm sit Passio Personæ infinitæ, Verbi scilicet Incarnati. Sic enim ait Apostolus Act. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit Sanguine suo.* DEUS ergo est, qui Sanguinem fudit pro Ecclesia, sed in Carne humana, hypostaticè assumptâ, illum fudit, ut ait S. Petrus in 1. Epist. cap. 4. *Christo in Carne passo.* Dignitas verò Satisfactionis mensuram accipit à dignitate Personæ satisfacientis, sicut gravitas offensionis, à dignitate Personæ læsæ. Patet autem hic Thesaurus clarè Passionis & Meritorum Christi perpetuò existens, ex illo Joannis:
1 Joan. 2 *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non nostris autem tantùm, sed etiam totius mundi.* Et S. Apostolus 1. Corint. 5. ait: *Pro omnibus mortuus est Christus.* Et si pro omnibus mortuus, debet Passio Christi com-

comprehendere omnium ætatum homines, usq; ad mundi finem. Quia verò Passio Christi fuit à Divino Supposito exhibita, & à voluntate illius acceptata, secundùm illud, *Oblatus est, quia ipse voluit*, fuit & infinita, & infinitè bona: debet ergo thesaurus Passionis & Meritorum Christi infinitus, & futuris hominibus applicabilis conservari, qui in infinitum exhauriri non potest. Indè ergo procedit origo Indulgentiarum, thesaurus inexhaustus Meritorum Christi apud Patrem æternum.

Conclusio Catholica. Ecclesiæ Cathol. Rom. Prælatis & Pastoribus auctoritas divinitùs concessa est, hunc thesaurum Satisfactionum Christi dispensandi, ac per hoc Indulgentias concedendi. Probatur. Matth. 18. *Quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Hæc promissio est amplissima & generalis, nec restringit ad peccata, qualis est illa restringens Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remissa erunt*; sed illa generalis complectitur omnia vincula, quæ impedire possunt homines à consecutione salutis æternæ. Itaq; in hoc verbo fundatur potestas, non solùm absolvendi à peccatis in Sacramento Pœnitentiæ, sed etiam absolvendi à pœnis temporalibus, extra Sacramentum Pœnitentiæ, à Censuris quibuscunque, nec non dispensando in Legibus ab Ecclesia institutis, dum causa rationabilis adsit. Promittitur enim his verbis Apostolo Petro Supremum Tribunal Ecclesiasticæ potestatis, ut loco Christi Ecclesiam omnem regere, & judicare cum summa potestate possit, quod ei tunc demùm exhibitum est, cùm à Christo audivit Joan. 21. *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* Huc pertinent etiam illa verba Matth. 18. *Quæcunq; alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlis: & quæcunq; solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlis.* Ne quis enim Ecclesiam contemneret, de illa dictum est eodem loco, *Dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Hìc expressit Christus tantam potestatem Prælatorum Ecclesiæ, ut quæcunq; ipsi ligaverint vel solverint, etiam apud DEUM erunt ligata vel soluta, cùm ipsos in loco Sui Judices & Principes Ecclesiæ voluerit, & cùm promissio etiam generalis sit, nulla est ratio, cur non possit extendi ad solutionem reatus pœnæ temporalis, cùm illa remaneat dimissâ culpâ, (ut ostensum est, cùm agebamus de Sacram. Pœnitentiæ, & de Purgatorio) præsertim cùm Divinæ Justitiæ satisfiat ex redundantibus Satisfactionibus Christi. Cur enim potiùs colligatur ex his verbis potestas absolvendi à reatu culpæ, etiam lethalis,

per applicationem Meritorum Christi, quàm absolutio à reatu pœnæ temporalis per applicationem eorundem Meritorum Christi, cùm constet, utrumq; reatum solubilem esse, & verba Domini generalia sint, *Quodcunq; solveris, quodcunq; ligaveris, &c.* Antequam autem ostendamus, usum Indulgentiarum semper fuisse in Ecclesia Cathol. Rom. præsupponimus primò, dimissâ culpâ remanere sæpè reatum pœnæ temporalis in hac, vel alia vita. Reatus pœnæ alterius vitæ, satis constat, & clarè patuit ex pœnis Purgatorij, in quo rigori Justitiæ Divinæ animæ satisfaciunt. Reatus pœnæ temporalis in hac vita exsolvendus, probatur varijs testimonijs S. Scripturæ. Et primum 2. Reg. 12. testimonium est, ubi David post impetratam veniam adulterij & homicidij, punitus est morte filij; hanc causam fuisse, expressè dicit ipsa Scriptura, dum ait: *Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Undè patet, quòd remissâ culpâ homicidij, remansit pœna temporalis in morte filij, quam dum intellexit David, injunctam sibi ob præteritum peccatum, conabatur avertere illam per lacrymas, jejunia, humicubationes, &c. S. Gregor. lib. 9. Moral. cap. 27. ait, *Davidem punitum fuisse ob peccatum præteritum, quamvis remissum, quò ad culpam.* Secundum testimonium, 2. Reg. cap. 24. ubi David pœnitentiam agit ob numeratum populum, & in gratiam recipitur, & tamen post remissam culpam, datur illi optio, ut eligat in pœnam peccati, bellum, famem, vel pestem. Genes. 2. *Quacunq; die comederis, morte morieris*, receptus est Adam post peccatum in gratiam, & tamen in pœnam peccati remansit mors in omnes: undè ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors.* Neq; negant adversarij, mortem esse pœnam peccati Originalis, quod licet dimissum sit per Baptismum, tamen multi pueri usu carentes moriuntur. Quod S. Augustin. lib. 2. de peccat. meritis & remissione, cap. 24. expressit: *Quid dicemus de parvulis, qui post Baptismum repentè moriuntur. Nam sinè dubio peccatum illis Originale per Baptismum dimissum est, &c. & tamen in pœnam peccati ante tempus rapiuntur, neq; solùm mors, sed etiam morbi, & dolores, quibus ijdem parvuli non rarò torquentur, sunt pœnæ peccati Originalis.* Numer. 20. legimus, Moysen & Aaron punitos ob incredulitatem pœnâ temporali, licèt dimissa fuerit illis culpa; sic enim ait Scriptura: *Pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram, quam dedi Filijs Israël, eò quòd incredulus fuerit*

ori

ori meo ad aquas. Deuteron. cap. 32. ait DEUS ad Moyſen: *Aſcende in montem, &c. & morere, ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus, &c. quia prævaricati eſtis contra me.* Eccleſ. cap. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſinè metu.* Ibid. cap. 21. *Fili, peccaſti, ne adjicias iterum, ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Ad Rom. 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ſic exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ.* Patet etiam ex ſatisfactione, quam SS. Patres adſtruunt, culpâ dimiſsâ remanere pœnam temporalem, de qua ſatis clarè loquuntur. Tertull. lib. de Pœnit. *Offendiſti, ſed reconciliari adhuc potes, habes cui ſatisfacias.* Et infrà: *Confeſſione ſatisfactio diſponitur.* Et paulò pòſt: *Quam porrò ineptum, pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum ſuſtinere.* Origenes Homil. 6. in Exod. *Pœnitendo, flendo, ſatisfaciendo, deleat, quod amiſſum eſt.* Et Hom. 3. in lib. Judic. *Humilia teipſum DEO, & ſatisfacito ei in Confeſſione.* S. Cyprian. lib. 1. Epiſt. 3. *Datur opera, ne ſatisfactionibus & lamentationibus juſtis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur.* Idem lib. 3. Epiſt. 14. *Hæc qui ſubtrahit fratribus noſtris, decipit miſeros, ut qui poſſunt agere pœnitentiam veram, DEO Patri & miſericordi precibus, & operibus ſuis ſatisfacere, ſeducantur, ut magis pereant.* Ex hoc loco S. Cypriani diſcimus, antiquum fuiſſe errorem, non facere pœnitentiam & ſatisfactionem, quem qui docebant, ſeducebant, ut magis perderent. Idem Serm. de lapſis: *Dominus orandus eſt, Dominus noſtrâ ſatisfactione placandus.* Et infrà: *Orare oportet impenſiùs & rogare, diem luctu tranſigere, Vigilijs, ac noctes fletibus ducere, ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio & ſordibus volutari, &c. qui ſic DEO ſatisfecerit, qui pœnitentiâ facti ſui, qui pudore delicti plus virtutis & fidei, de ipſo lapsûs ſui dolore conceperit, exauditus, & adjutus à Domino, &c. lætam faciet Eccleſiam, nec jam ſolùm DEI veniam merebitur, ſed Coronam.* S. Hilarius in Pſalm. 118. *Hæc venia peccati eſt, fonte fletuum flere, & largo lacrymarum imbre madefieri.* S. Baſilius in Pſal. 29. *Grave peccatum, multâ habes opus Confeſſione, lacrymis amarulentis, peracri contentione Vigiliarum, in divulſo & continenti Jejunio.* S. Chryſoſt. lib. 2. de Sacerdotio: *Non temerè ad delictorum modum, oportet & mulctam ipſam adhibere.* Et Homil. 41. ad popul. Antioch. *A nobis ultionem ſumamus, ita placabimus Judicem.* S. Hieron. in Cap. 1. Jöel: *Qui peccator eſt, & quem remordet propria conſcientia, cilicio accingatur, & plangat vel propria delicta, vel populi, &c. dormiat in ſacco, ut*

 prateri-

præteritas delicias, per quas offenderat DEUM, vitæ austeritate compenset. S. Ambros. Epist. 82. ad Eccle. Vercell. *Quæ nobis salus esse potest, nisi ieiunio eluerimus peccata nostra.* Idem ad Virginem lapsam cap. 8. *Grandi plagæ, altâ & proclivâ opus est medicinâ, grande scelus, grandem necessariam habet satisfactionem.* Idem lib. de Helia & Jejunio, cap. 20. *Habemus plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus; pecuniam habes, redime peccatum tuum, &c. redime te operibus tuis.* Idem lib. 7. in Luc. Cap. 11. *Pœnitentia enim delictum abolet, Sapientia cavet.* S. August. in Enchirid. cap. 70. *In melius est vita mutanda, & per eleëmosynas de peccatis præteritis est propitiandus DEUS.* Et cap. 71. *De quotidianis autem, levibusq; peccatis, sinè quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio satisfacit.* Idem in Ps. 50. *Non erit impunitum peccatum meum, sed ideò nolo, ut tu punias, quia peccatum meum punio.* Similia habet S. Gregor. Nazianz. Orat. ad S. Lavacrum; & de Baptismo Laborioso Pœnitentiæ ait: *Æquale est malum, & dimissio absq; castigatione, & castigatio sinè venia, quandoquidem illa totas relaxat habenas, hæc verò nimiùm restringit.* Hâc sententiâ clarè refellit Novatianos, & recentes hæreticos. Nam Novatiani castigationem admittebant, sinè spe veniæ; è contrà moderni, absolutionem sinè castigatione concedunt. Pacianus in Parænesi ad Pœnitentiam extre. *In quantum pœnæ vestræ non peperceritis, in tantum vobis DEUS parcet.* Maximus Hom. in die Cinerum: *A tramite elapsus salutis, redintegrare se DEO mœstâ pœnitentiæ satisfactione conatur.* Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 13. *Ille pænitentiam dignè agit, qui reatum suum satisfactione legitimâ plangit.* Tandem post plures alios, S. Bernardus, quem adversa pars pro Sancto habet, Serm. 4. in Cantica ait: *Humilis quippè, & verecunda debet esse satisfactio, quâ emendatur superba transgressio.* Et quod magis mirandum, Lutherus contra Indulgent. Assert. 41. Articul. ait: *Ecclesia Mater; pio affectu præventura manum DEI, castigat filios suos satisfactionibus quibusdam, ne incurrant flagella DEI, sicut Ninivitæ &c. Has pœna arbitraria est, sed necessaria: nam aut nos, aut homines, aut DEUS punit peccata, quod illi per Indulgent. tollunt, cùm si essent pij Pastores, potiùs imponerent pœnas, & Ecclesia exemplo prævenirent Deum, sicut Moyses eum prævenit, occidendo filios Israël propter vitulum. Optimum autem fuerit, si nos ipsos puniremus.* Nec ipsi adversarij sunt in hoc semper constantes. Nam & Calvinus, licèt alibi negaverit satisfactionem, quæ consistit in pœnitentia, tamen alibi concessit illam,



NB. *non est verum, quòd tollūt pœnitentiam, sed minuunt, ratione Meritorum Christi, qua applicantur Fidelibus per Indulgentias.*

illam, ut rem verissimam, ait enim lib. 3. Instit. cap. 3. §. 15. *Postrema est vindicta, quò enim severiores in nos sumus, & acriore censurâ quæstionem habemus de peccatis nostris, eò sperare debemus magis propitium ac misericordem DEUM, & certè fieri non potest, quin anima Divini Judicij horrore perculsa, partes ultionis in exigenda pœna occupet.* Quid ad hæc Calvinus? debuit quidem fateri, ut res est, Patres à Catholicis partibus stare, sed illos reprehendit; lib. enim Instit. 3. cap. 3. §. 16. sic ait: *Ejusmodi exercitia sæpè commemorant vetusti Scriptores, cùm de pœnitentiæ fructibus loquantur.* Et cap. 4. §. 38. ait: *Parùm me movent, quæ in Veterum Scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem, eorum nonnullos, dicam simpliciter omnes ferè, quorum libri extant, nimis durè & asperè locutos.* Ergo & Christus durè & asperè locutus est, cùm dixerit Luc. 3. *Facite dignos fructus pœnitentiæ:* & cùm laudaverit Joannis pœnitentiam, Luc. 7. & cùm exprobraverit Civitatibus Corosain & Bethsaidæ, quòd non fecissent pœnitentiam, Luc. 10. Sanè facilis expeditio omnis difficultatis! negare omnia, cùm non possit resistere veritati. Sed fortè Calvinus oblitus est sui, qui ut superiùs necessariam satisfactionem pro peccatis DEO ostendit, ut suprà patuit. Quid clarius ex Luthero & Calvino de satisfactione, & tamen de illa SS. Patres reprehendit: ista nullo modo cohærent, & quilibet hanc varietatem Calvini mirari debet, qui affirmat & negat necessariam satisfactionem. Philippus in Locis Commun. editis An. 1522. Titulo de humanis Legibus, ait: *In Synodo Nicæna constitutæ sunt quædam pœnitentiæ formæ, non pronuntio, quo Spiritu decreverint Patres, at video, bonam Evangelij partem, imò vim germanam Evangelij obscuratam esse ea Traditione, nam indè primùm natæ sunt Satisfactiones.* Mirantur Catholici, quomodo Philippus non reprehenderit Christum, Luc. 15. dicentem, *Gaudium erit coram Angelis DEI super uno peccatore pœnitentiam agente,* cùm Concil. Nicænum reprehenderit; & Luc. 19. *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquẽ defraudavi, reddo quadruplum;* ait JESUS ad eum: *Hodiè salus huic domui facta est.* Nosq; superiùs Patres vetustiores adduximus, qui scripserunt de Satisfactionibus, ut Irenæum, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, Lactantium, Hilarium, Basilium, Ambrosium, Gregorium Nazianz. August. Hieron. Gregorium M. Pacianum, S. Bernardum, (quem Philippus & Lutherus pro Sancto habent,) qui de Jejunio Quadragesimæ Serm. 3. sic ait: *Errant planè, qui paucissimos*

☞ *mos dies istos ad pœnitentiam sufficere credunt, cùm certum sit, totum vitæ hujus tempus, non nisi ad pœnitentiam institutum.* Quid ad hæc Philippus? fortè iterum negabit, Bernardum esse Sanctum. Non puto, quòd Philippus sit doctior Magistro suo Luthero, cujus sententiam de Satisfactione superiùs citavimus. *Tertiò*, notanda contradictio adversæ partis, cùm enim pœnitentiam & oppugnant, & concedunt, & passim rem novam & commentum clamitent. Philippus agnoscit, priscam Traditionem esseSynodi Nicæni Pœnitentiam, quo errore (ait ille) non est alius nocentior. Quomodo ergo provocant ad Primitivam Ecclesiam quingentorum annorum, cùm Concilium Nicænum secundùm illos erraverit, quod celebratum est circa An. 300. Quòd si Pœnitentia sit prisca Traditio Synodi Nicænæ, cujus testes sunt SS. Patres, sequitur, antiquissimam doctrinam de Pœnitentia, novam autem, quæ illi repugnat. Ratio præcipua adversæ partis, quare tollit satisfactionem pro peccatis; quia ait, Christus Sanguine suo expiavit peccata mundi, ut patet 1. Joan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*; & Joan. 1. *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi.* Hæc Objectio posset sic retorqueri: Christus oravit, Ergo non est orandum; Christus humiliavit semetipsum, Ergo non debemus esse humiles; & tamen Christus dicit: *Petite, & accipietis. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Et cap. 5. ait: *Modicum passos ipse reficiet.* Et 1. Corint. 9. Apostolus ait: *Castigo corpus meum.* Et ad Rom. 8. *Si compatimur, & conglorificabimur:* ponit in voluntate nostra compassionem, cùm dicit, si compatimur, & promittit conglorificationem. Dicimus ergo, & constantissimè fatemur, Christum pro nobis & toto mundo sufficientissimè DEO Patri satisfecisse; sed negamus, indè sequi non debere, fideles pro suis peccatis, & pro reatu pœnæ temporalis satisfacere. Licèt enim Christus gratiam & gloriam nobis sufficientissimè promeruit, tamen debemus per Fidem & Sacramenta quærere, & gloriam, quasi palmam & bravium, certando & currendo promereri, ut Apostolus nos omnes monet 1. Corint. 9. *Sic currite, ut comprehendatis.* Et 2. ad Tim. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, ideò reposita est mihi corona justitiæ.* Et ipse Salvator Matth. 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis*; merces autem nemini datur, nisi pro labore. Ratio horum est: nam licèt pretium redemptionis & satisfactionis sufficien-

cientiſſimè à Chriſto perſolutum ſit, tamen non prodeſt, niſi illis, quibus per certa media ſeu inſtrumenta applicatur, quod & adverſa pars fatetur; & ſi negaret, nullam cauſam reddere poſſet, cur Pagani, Mahometani, Judæi, & alij infideles non ſalvantur, cùm pro omnibus Chriſtus ſatisfecit, & pro toto mundo mortuus eſt. Undè Satisfactio Chriſti, licèt ſit ſufficientiſſima, niſi applicetur illis, qui ab infidelitate ad Eccleſiam veniunt per Fidem & Baptiſmum; illis verò, qui poſt Baptiſmum peccârunt, denuò à peccatis convertuntur ad DEUM per Sacramentum Pœnitentiæ, eadem Satisfactio Chriſti non eis proderit, ut patet in Paganis. Et ſicut non eſt contumelia Chriſto, dicere, Sanguinis ejus pretium non prodeſſe Paganis, niſi per Fidem & Baptiſmum illis applicetur; ita non erit contumelia, dicere, Sanguinem ejus non prodeſſe fidelibus pœnitentibus, niſi applicetur per Sacramentum Pœnitentiæ, ac per hoc per Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, quam DEUS poſt remiſſam culpam à nobis requirit, quod ſuperiùs ex Libris Prophetarum, Apoſtolorum, Evangelio, Concilijs, & SS. Patribus probavimus; ut Daniel. 4. *Peccata tua eleëmosynis redime.* Et cap. 12. *Noli metuere Daniel, quia ex quo die primo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conſpectu DEI tui, exaudita ſunt verba tua.* Luc. 11. *Date eleëmosynam, & omnia munda ſunt vobis.* 1. Corint. 11. *Si nosmetipſos dijudicaremus, non utiq; iudicaremur.* Luc. 5. *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis? &c.* Reſpondens JESUS dixit ad illos: *Non egent qui ſani ſunt, medico, ſed qui malè habent. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Et cap. 17. *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Et cap. 15. *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in Cœlo, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem iuſtis, qui non indigent pœnitentiâ.* Et cap. 24. *Sic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere, &c. & prædicari in nomine eius pœnitentiam in remiſſionem peccatorum in omnes gentes* Hîc ubiq; exigitur pœnitentia pro præteritis peccatis. Act. 2. *Pœnitentiam, inquit, agite &c. in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* Et cap. 8. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem &c. Cor enim tuum non eſt rectum coram DEO. Pœnitentiam itaq; age ab hac nequitia tua, & roga DEUM, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui;* quid clarius de facienda pœnitentia pro præterito peccato, cùm Simon exiſtimaret, donum pecuniâ poſſe poſſideri. Et cap. 26. *Ut convertantur à*

tene-

tenebris ad lucem, & de potestate Sathanæ ad DEUM, ut accipiant remissionem peccatorum, &c. gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad DEUM, digna pœnitentiæ opera facientes. Ad Rom. 2. *In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas, &c. ignoras, quia benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, &c. qui reddet unicuiq; secundùm opera eius, ijs quidem, qui secundùm patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam; ijs autem, qui sunt ex contentione, qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio, &c. Non enim auditores Legis iusti sunt apud DEUM, sed factores Legis iustificabuntur.* 2. ad Tim. 2. *DEUS det illis pœnitentiam, ad cognoscendam veritatem, ut resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur.* S. Gregor. Homil. 29. ait: *Nemo ergo indulta pœnitentiæ tempora parvi pendat.* Ex his omnibus S. Scripturæ locis, patet Pœnitentia & Satisfactio pro præteritis peccatis, quæ cùm adversa pars eliminaverit ex Evangelio, tunc poterit negare pœnitentiam & satisfactionem pro pœna temporali.



NB.

Confirmatur ex inconvenienti. Quia doctrina hæc, suadens solùm credere, sibi dimissa peccata sufficere ad salutem, aperit portam ad omnia scelera nefanda, tollit omnem honestatem, non solùm Christiani, sed etiam rationalis hominis, tollit timorem Judicij Divini, supposito, quòd sit corrupta per peccatum natura humana, quas offensas DEI, quæ scelera non attentabit? cùm facilè persuadebit, illa sibi dimissa, si credat. Et hoc patet ex effectu, cùm gravissima peccata inveniantur inter illos, testis est ipsorum conscientia, testes ipsimet, qui se gravissimorum accusant in omni genere criminum, testis ipsamet doctrina, quæ docet, nullum nocere peccatum, si credat. Undè frustrà Christus prædicavit pœnitentiam: frustrà dixit, *Contendite intrare per angustam portam*: frustrà dixit, *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: frustrà S. Paulus & alij Apostoli tot scripserunt Epistolas, ad bona opera exhortando, & peccata varia arguendo, cùm hæc omnia per Fidem deleri possunt.

Sed hâc novâ, & inauditâ rejectâ doctrinâ, constanter, & indubitatâ Fide cum tota Antiquitate, tam Conciliorum, quàm SS. Patrum, tum Concilio Tridentino, Sess. 14. cap. 8. asserimus, *dimissâ culpâ, remanere satisfactionem pœnæ temporalis. Dum enim* (ait Concilium) *satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo JESU, qui pro peccatis*

catis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimam indè arrham habentes, quòd ſi compatimur, & conglorificabimur. Neq; verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exſolvimus, ut non ſit per Chriſtum JESUM, nam qui ex nobis, tanquam ex nobis, nihil poſſumus; eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus. Ita non habet homo, undè glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre. Quod etiam expreſſit Apoſtolus, 2. Corint. 1. *Sicut ſocij Paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.* Undè S. Cyprian. Serm. de Lapſis: *Poſt indumentum Chriſti perditum, nullum iam hîc velle veſtitum, poſt diaboli cibum malle ieiunium.* Et infrà ait: *Sic ſub Apoſtolis fides viguit, ſic primus credentium populus Chriſti mandata ſervavit.* Et infrà: *Pœnitenti, operanti, roganti, poteſt clementer ignoſcere &c. Qui ſic DEO ſatisfecerit, qui pœnitentiâ facti ſui, qui pudore debiti, plus & virtutis & fidei, de ipſo lapsûs ſui dolore conceperit, exauditus, & adiutus à Domino, quam contriſtaverat nuper, lætam faciet Eccleſiam, nec iam ſolùm DEI veniam merebitur, ſed Coronam.* Non eſt ergo contumelia Chriſto, imò maximus honor, quando dicimus cum S. Thoma, Chriſtus liberavit nos à peccatis, præcipuè per ſuam Paſſionem, non ſolùm efficienter & meritoriè, ſed etiam ſatisfactoriè, pleniſſimè: ita ut Paſſio Chriſti omnem culpam Originalem & actualem, lethalem & venialem, & omnem pœnam, ſempiternam & temporalem, expiare valeat, idq; totum per ſe, etiamſi nullæ paſſiones adderentur Sanctorum, quæ paſſiones Sanctorum, ſinè Chriſti Paſſionibus nihil ſunt; ſed ut excellentia Paſſionum Chriſti oſtendatur, quòd non ſolùm expiare queant reatum peccatorum, ſed etiam alijs vim expiandi tribuant pœnam temporalem, non neceſſitate, ſed dignatione. Sunt enim Sancti, Palmites fructuoſi illius nobiliſſimæ Vitis, quæ dicit in Evang. *Ego ſum Vitis, vos Palmites*; & quoniam palmites omnem virtutem ſuam ex vite habent, omnis palmitum gloria in vitem redundat; itaq; Sanctorum merita ſunt Merita Chriſti, gratuita enim ſunt dona illius, ſinè quo nihil poſſunt facere. Sic nulla fit injuria Chriſto, ſicut nulla fuit ab Apoſtolo, quando 1. Corint. 9. Salvatoris officium ſibi vendicabat, & 1. Cor. 3. adjutores DEI vocabat ſeipſum cum alijs, & ad Coloſsen. 1. *ſupplebat, quæ deſunt Paſſionibus Chriſti in carne ſua*; potiùs maxima injuria facta eſt, & fit

Ioan. 15

NB.

animabus, per illam falsam fiduciam de sola mortua Fide, non tam justificante, quàm seducente homines. Undè S. Augustinus lib. de Fide & Operibus, cap. 15. *Erit ergo æterna combustio, & eos in illam ituros Veritas dicit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit*; ut Matth. 25. legimus: *Ite maledicti in ignem æternum*; assignat causam, *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*; non dixit, non credidistis. Dicimus ergo, pœnitentiam & satisfactionem, tum à Christo, tum ab Ecclesia Primitiva, ex mandato Christi præceptam fuisse hominibus. Matth. 11. legimus, exprobrantem Christum Civitatibus, quia non fecissent pœnitentiam, his verbis: *Tunc cæpit exprobrare Civitatibus, &c. quia non egissent pœnitentiam; Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent; verùm tamen dico vobis, Tyro & Sydoni remissiùs erit in die Judicij, quàm vobis.* Et Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cælorum.* Et Luc. 3. *Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ, &c. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur*, fructum scilicet pœnitentiæ. Et cap. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis, &c. Sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.*

Habitâ jam Pœnitentiâ & Satisfactione, ex S. Scriptura & SS. Patribus, tum ex testimonio adversæ partis, Lutheri, Calvini; modò videamus diminutionem Pœnitentiæ & Satisfactionis, ex antiquis probatis Concilijs & SS. Patribus, quæ est Indulgentia.

In Concilio Ancyrano, sub S. Sylvestro, ante Nicænum I. de pœnitentia facienda hæc habent Canones. Canon 19. *Si cuius uxor adultera fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentiâ oportet eum perfectionem consequi, secundùm pristinos gradus.* Notandum, quòd Concilium non instituit septem annorum pœnitentiam, sed declarat, taliter institutam esse, cùm dicit, *secundùm pristinos gradus.* Canon 20. *De mulieribus, quæ fornicantur, & partus suos enecant, &c. antiqua quidem Definitio usq; ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet; humaniùs autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus, secundùm præfixos gradus pœnitentiæ largiamur.* Notandum in hoc Canone, qui dicit, *antiqua quidem Definitio*: secundò notanda in his verbis Indulgentia, *Humaniùs autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus pœnitentiæ largiamur*; cùm hæ mulieres ab Ecclesia remotæ fuerint toto vitæ tempore, indultum illis, ut per

decem

decem annos removeantur, & agant pœnitentiam. Hunc etiam modum habet Concil. Nicænum I. ut infrà videbimus, scilicet, *Humanius definivimus.* Canon 21. *Qui voluntariè homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem iugiter se submittant, perfectionem verò circa vitæ exitum consequantur.* Canon 22. *De homicidijs non spontè commissis, prior quidem definitio, post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit; secunda vero, quinquennij tempus explere. Modus autem huius pœnitentiæ in Episcoporum sit arbitrio, ut secundùm conversationem, pœnitentiam & extendere tardantibus, & minuere studiosè festinantibus.* Quid clarius de Indulgentia in hoc Canone, cùm declarat primam definitionem septennij; secundam, quâ indultum est, ad quinquennium: cæterum Episcoporum committit arbitrio, ut indulgeant, vel extendant pœnitentiam. Canon 23. *Qui Divinationes expetunt, & morem gentilium subsequuntur, &c. exquirendi aliquid arte maleficâ, &c. sub regula quinquennij iaceant, secundùm gradus pœnitentiæ præfinitos.* Tempore Apostolorum concessam fuisse Indulgentiam, patet ex verbis S. Pauli, 2. ad Corint. 2. *Cui autem aliquid donâstis, & ego: Nam & ego quod donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur à Sathana.* Rogârunt Corinthij B. Paulum, teste Theodoreto, ut incæstuoso excommunicato, & seriam pœnitentiam agenti, ignosceret, & condonaret, quod supererat reliquum pœnitentiæ; & annuit B. Paulus, ut ipsi nomine suo indulgerent. Post tempora Apostolica, extant testimonia Tertull. & S. Cypriani, de remissione pœnæ per Pontifices, ad Martyrum intercessionem. Tertull. lib. ad Mart. cap. 1. *Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, à Martyribus in carcere exorare consueverũt.* S. Cypria. lib. 3. Epist. 15. scribit SS. Martyribus, ut cautè, & cum delectu, lapsos commendent Episcopis: *Petitiones & desideria vestra Episcopo fervent, & ad pacem vobis petentibus dandam, maturum & pacatum tempus expectent.* Et infrà: *Oro vos, quibus possum precibus, ut Evangelij memores, & considerantes, quæ & qualia in præteritum Antecessores vestri Martyres concesserint, quàm solliciti in omnibus fuerint, vos quoq; sollicitè & cautè petentium desideria ponderetis, ut potè amici Domini, & cum illo postmodùm iudicaturi inspiciatis, & actum, & opera, & merita singulorum, ipsorum quoq; delictorum genera & qualitates cogitetis, ne si quid abruptè & indignè, vel à vobis permissũ, vel à nobis factum fuerit, apud Gentiles quoq; ipsos, Ecclesia nostra erubescere incipiat.* NB. Idem in Serm. de lapsis: *Pœnitenti, operanti, roganti,*

potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre. quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes. S. August. in Enchirid. ad Laurent. cap. 64. ait: *Hâc ergo acceptâ magnâ Indulgentiâ, in qua solvitur omnis reatus.* Et lib. 9. Confess. cap. 14. orans pro Matre, ait: *Vt apud DEUM inveniat locum Indulgentiæ.* Post hæc tempora habemus Concilia, tum Generalia, tum Provincialia, in quibus per Episcopos Indulgentiæ conceduntur pœnitentibus. Canon 12. Concilij Nicæni I. *Quicunq; vocati per gratiam, &c. ad proprium vomitum sunt relapsi, &c. hi decem annis &c. in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propositum & speciem pœnitentiæ convenit explorare. Quotquot enim metu, & lacrymis, atq; patientiâ, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam non simulatione demonstrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demùm fidelibus in oratione communicent, postmodùm verò licebit Episcopo, de his aliquid humaniùs cogitare. Quicunq; verò indifferenter tulerunt, & aditum introëundi Ecclesiam, sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.* Clarè patet, quomodo Concilium prioribus aliquid indulget, posterioribus negligentioribus nihil, sed mandat, totum explere tempus pœnitentiæ. Concil. Chalcedonense IV. Generale, Canone 16. *Virginem, quæ se Domino DEO consecravit, similiter & Monachum, non licere nuptijs coniungi, quòd si inventi fuerint hoc facientes, sint excommunicati: Confitentibus autem decrevimus, ut habeat auctoritatem eius loci Episcopus, misericordiam eis, humanitatemq; largiri.* Tempore S. Gregorij, usus Indulgentiarum adeò fuit notus & perspicuus, ut ne quidem & adversarij negare, nisi temerariè, valeant. Nam S. Gregorium Indulgentias Stationum concessisse populo, res clarissima, & gravissimi testantur Auctores. Eundem S. Gregorium Calvinus agnoscit pro Sancto, lib. 4. Instit. cap. 7. & pro vero Romanæ Ecclesiæ Episcopo. Idem sentit Lutherus de sanctitate S. Gregorij, in supputatione temporũ; quem secutus est Theodor. Biliander, Tab. 10. Chron. eundem miris laudibus effert. Leonem III. concessisse Indulgentias, Ludgerus in Epist. cap. 9. testatur. Sergius Junior Papa, concessit Indulgentiam trium annorum, visitantibus Ecclesiam S. Martini. Neq; ullo modo credibile est, Leonem III. aut Sergium II. aut Gregorium I. cùm Viri Sancti essent, ausos fuisse, rem novam instituere, quam à Prædecessoribus non accepissent. Et huic rei, si nova esset, opposuissent se SS. Patres, vel saltim Scriptores aliqui, rem novam introductam scripsis-

ſcripſiſſent; vel hoſtes Eccleſiæ, qui ſemper fuerunt Cenſores ſupra modum Eccleſiæ.

Probatur uſus Indulgentiarum, auctoritate Conciliorum, ultra Nicænum I. Generale, & Chalcedonenſe IV. in quibus non obſcurè patet, pœnitentibus condonâſſe per Epiſcopos reliquum tempus pœnitentiæ, quod ſtatutum erat. Poſt tempora S. Gregorij, Anno circiter 90. celebratum eſt Concilium VI. Generale Conſtantinopol. III. contra Monothelitas, Anno ſcil. 690. cùm S. Gregorius mortuus ſit An. 604. Hoc Concilium adverſarij admittunt, & meritò, ne in hæreſim Monothelitarum incidant: hoc Concilium nullum advertit errorem in uſu Indulgentiarum. Si enim error fuiſſet, damnâſſet illum, nam errores damnant Concilia Generalia, ut per ſe patet; & de facto debuit damnâſſe, ſi error fuiſſet. Sed non damnavit, nec ullam mentionem Indulgentiarum fecit, cùm poſt S. Gregorium 90. annis, usq; ad hoc Concilium, Indulgentiæ in uſu fuerint. Expendant benè hanc rationem negantes Indulgentias, & videant, quòd manifeſtè pugnent cum veritate. Item Concilium Claramontanum, An. 1093. in quo Urbanus II. Papa Indulg. Plen. tribuit ijs, qui ad ſacrum bellum proficiſcebantur. Item in Concilio Lateranenſi Generali numeroſiſſimo, conceſſæ Indulgentiæ. Item Innocentius III. conceſſit Indulgentias Plenarias, pro auxilio Terræ Sanctæ, & indixit Concilium Gener. Lateran. quod celebratum eſt An. 1215. atq; in eo de Indulgentijs actum eſt, & emendati ſunt abuſus in Indulgentijs. Similis emendatio abuſuum legitur in Concilio Lugdunenſi Generali; ſimiliter in Viennenſi, Conſtantienſi, Tridentino, ubiq; probant uſum Indulgentiarum, & emendant abuſus. Quamvis hoc argumentum ab auctoritate tot Conciliorum Generalium, ab hæreticis noſtri temporis contemnatur. Sed reverà contra illos forte eſt. Cùm enim Concilia Generalia repræſentent Univerſalem Eccleſiam, Eccleſia verò errare non poteſt, ergo neq; Concilia Generalia errare poſſunt, quidquid hæretici dicant. Nam etiam Ariani nihil faciebant Concilium Nicænum; Neſtoriani Epheſinum; Eutychiani Chalcedonenſe; Monothelitæ Conſtantinopol. & alij alia ſubſequentia Concilia eorum Epiſcoporum, à quibus damnabantur: tamen Eccleſia Cathol. Rom. hunc morem ſervavit, ut hæreſes in illis damnaret, *quorum ſaluberrima auctoritas fuit in Eccleſia Catholica*, id eſt, Plenariorum Conciliorum, dicit S. Auguſtinus Epiſt. 118. ad Januarium.

Probatur magis usus Indulgentiarum, ratione petitâ ab ijs Signis, ex quibus internoscuntur Catholica dogmata ab hæresibus: nam Catholicorum dogmatum (nota Lector) hoc est proprium, ut non inveniatur eorum origo, nisi ad Evangelium, vel ad Apostolos ascendamus; hæresum autem semper designatur Author, Locus, & Tempus, in quo exoriri cæperunt. Jam verò nullus hactenùs indicare potuit Auctorem Indulgentiarum, neq; locum, vel tempus, quo prædicari cæperunt. Omnes enim, qui de Indulgentijs mentionem faciunt, sive Doctores, sive Pontifices, sive etiam Concilia, ita de illis loquuntur, ut de re recepta, & usitata. Undè Chemnicius in 4. Part. Exam. pag. 329. fatetur, *originem Indulgentiarum non satis luculenter in historijs notatam fuisse*, & quod pauló pòst pag. 333. affirmat, Indulgentias cæpisse circa Annum 1200. manifestè convincitur ex ijs, quæ citavimus de Indulgentijs concessis ab Urbano II. Sergio III. Leone III. qui sedit An. 800. annis 400. ante annum à Chemnicio notatum, & à S. Gregorio, qui sedit An. 604. Initium autem hæresis notissimum est contra Indulgentias; Constat enim non solum ex Catholicis, sed ex Chemnicio, pag. 375. primos fuisse Waldenses, qui Indulgentias oppugnârunt. Constat autem, Waldenses Mundo apparuisse circa An. Dñi 1170. undè si Waldenses exorti sint circa An. 1170. quomodo Indulgentias oppugnare justè poterant, quæ circa An. 600. vel 800. in Cath. Eccl. usitatæ jam erant, imò tempore Nicæni I & Chalced. Concil. Gener. vide p. 578. & seq. Huc pertinet, quòd S. August. dixerit, lib. 2. de Bapt. c. 7. *Quæ consuetudo, credo, ex Apostolica manavit Traditione, sicut multas res non invenimus in Scripturis, nec Concilijs, & tamen, quia sunt observatæ in tota Ecclesia, non à quo alio, nisi ab illis, illas esse credimus.* Et Epist. 118. *Illa quæ non scripta, custodimus, quæ quidem toto Orbe terrarũ observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel à plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atq; statuta retineri.* Posito ergo fundamento Indulgentiarum in S. Scriptura, ut ostensum est, potuit se Ecclesia Cathol. Rom. explicare in Concilijs, usum esse salutarem Christiano populo, ex mente S. Doctoris. Infirmum ergo est argumentum ex authoritate negativa, quia SS. Patres, & Catholici Doctores, non poterant simul & semel de omnibus dogmatibus mentionem facere, nisi de illis, de quibus se offerebat occasio disputandi cum hæreticis, negantibus eadem dogmata; de alijs verò, quæ clara nimis erant in Ecclesia Cath. Ro.

Docto-

Doctoribus modica fuit occaſio ſcribendi, cùm hæretici illo tempore tam claram rem, & unanimem Eccleſiæ conſenſum negare non audebant; quod S. Hieronymus expreſſit: *De Filio, non de Spiritu S. confeſſi ſunt, quod negabatur; tacuerunt, de quo nemo quærebat.* Et S. Auguſt. *Quid igitur opus eſt, ut illorum ſcrutemur Opuſcula, qui, priusquàm iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem, in hac difficili ad ſolvendum Quæſtione verſari, quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur.* Infirmum ergo eſt argumentum, quod non ex obſervatione præcedentis, Eccleſiæ circa aliquem ritum affertur, ad illum repudiandum, cùm aliud eſt inſtitutio, aliud inſtitutionis executio. Undè quis etiam malè colligeret, non poſſe Concilia Generalia celebrari poſt tempora Conſtantini Magni, quia ante illum, nullum Generale celebratum eſt: pariter ratiocinandum de uſu Indulgentiarum, qui licèt non fuerit tam frequens, ut etiam aliqui Catholici defendunt, ob illum nimium fervorem Fidei, ideò poteſtas illas elargiendi non benè colligitur, ex non frequenti uſu antiquæ Eccleſiæ: nam licèt uſus fuerit non tam frequens, & licèt concedamus poſteriorem, poteſtas fuit antiqua, poterant enim ab Eccleſia ejusmodi fieri remiſſiones extra Sacramentum Pœnitentiæ, cùm poteſtas data ſit maxima & generalis, *Quodcunq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, &c.* Pontifici & Eccleſiæ, quæ varios poteſt exercere & complecti actus, quos primis Sæculis non omnes exercuit, nec exercere potuit, nullâ tunc occurrente occaſione vel opportunitate, non rectè deducitur, hæc procedente tempore non potuiſſe exercere Pontifices Romanos.

Patet hoc à Simili, & Praxi Summorum Pontificum, qui licèt in Petro univerſales conſtituti ſunt Eccleſiæ Cathol. Rom. Paſtores, per illa verba Joan. 21. *Paſce oves meas, paſce agnos meos,* ut SS. Patres paſſim, tam Græci, quàm Latini teſtantur, tamen non ſtatim hoc titulo uſi ſunt Romani Pontifices. S. Xiſtus, Papa & Martyr, ſeptimus poſt S. Petrum, vixitq; An. 120. hoc titulo primus uſus eſt, *Univerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus.* Secundus, S. Victor, Papa & Martyr, 14. poſt S. Petrum, vixitq; An. 190. uſus eſt titulo, *Pontifex Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum.* Et quis dicet, hos SS. Pontifices & Martyres Inclytos, pro Fide Chriſti mortuos, erràſſe in his titulis, puto nemo ſani judicij. Nam licèt inſtitutionis uſus cum tempore proceſſit, tamen ipſa inſtitutio generalis antiqua, & poteſtas univerſalis antiqua. Eccleſia enim Cathol. Rom. aſſimilatur auroræ,

quæ

quæ tempore revelatæ gratiæ, & posterioribus Sæculis propter illustrationem magis crescit, non in nova cognitione, sed in explicatione dogmatum, alias implicitè creditorum, cùm illa aliqua hæresis negat. Hoc expressit Vincent. Lirin. cap. 27. *Nullus ne ergo in Ecclesia Christi perfectus habebitur Religionis.* Et subdit: *Habeatur planè & maximus, nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur.* Undè & S. August. ait: *Non fuit variata Ecclesia fides, sed tempora.* Hoc videtur expressisse Spiritus S. Prov. 4. *Justorum autem semita, quasi lux splendens procedit, & crescit usq; ad perfectum diem.* Hanc veritatem agnovit Author Tubæ, pag. 11. his verbis: Aliud est additamentum, aliud explicatio veteris Fidei, aliud res nova, aliud res vetus, novo vocabulo insignita. Explicatio alicujus Articuli Fidei Apostolicæ, non est additio rei novæ, sed veteris & implicitæ rei dilucida expositio. Ecclesia enim Catholica sensim ut homo, ætate temporisq; progressu proficere debuit (post sublatos Doctores Apostolicos) in Fidei doctrina, & Traditione Scripturæ ac Patrum, ut hæresibus ingruentibus, disertè magis, ac explicatiùs exponeret, quæ anteà implicitè credidit. Et de facto felicior esset status omnium hæresum, quæ pro libitu suo negârunt, & negant implicita dogmata, quàm Ecclesiæ Catholicæ, si non posset se explicare contra easdem hæreses. Quòd autem in his explicationibus nunquam erraverit, patet: *Nam Ecclesia Catholica, quæ habet assistentem Spiritum Sanctum, non potest errare.* Confirmatur ex praxi & usu Ecclesiasticæ potestatis, ex quibus sensus Ecclesiæ colligi potest, qui in Traditione fundatur. Nam cùm Ecclesia cognoscat, potestatem datam sibi esse, non in destructionem sui, sed in ædificationem, agnoscit quoque, qui sunt limites ejus, ad quæ potest se extendere, cavendo, ne excedat limites mandati, positos à Sponso suo JESU Christo; & de facto non excedit, nisi utitur illâ generali potestate, datâ sibi à Christo, *Quodcunq; ligaveris, quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*; & iterum: *Quæcunq; solveritis super terram, & quæcunq; ligaveritis, erunt ligata & in Cœlis.* Deberent hæc eliminari ex Evangelio, tunc probaret aliquid adversarius, quòd Ecclesia sibi aliquid usurparet, quod non haberet commissum à Christo: sed stante hâc generali potestate Evangelica, stantibus tot in universum Conciliorum Generalium, SS. Patrum Orthodoxorum testimonijs, stabunt Indulgentiæ, quousq; manebit in Evangelio hic locus: *Quodcunq; ligaveris, quodcunq; solveris, erit ligatum, erit solutum.*

Discur-

Discursus Theol.

Probantur Indulgentiæ ex Inconvenienti.

HAnc potestatem & usum Indulgentiarum, per tot Sæcula in universa Ecclesia Cath. Rom. practicatū, primi negârunt Waldenses, à quodam Waldone, de quo sic scribit Æneas Sylvius, in lib. de Origine Bohemor. *Nam cùm Idiota esset, &c. Apostoli Officiū prædicando usurpavit, &c. pessimos errores disseminare aggressus est, &c. quæ fatuitas multis in locis adhuc vigorem obtinet, ubi quidem animadversum est, Fidem Cathol. olim per potentes Principes, per argutos Philosophos, per subtiles hæreticos impugnatam; diebus autem istis per vilissimos Idiotas & Laicos pauperrimos tribulatam fuisse; eorum hæreses in Concilio Generali Romæ habito damnatæ sunt, circa An. 1170.* Hucusq; memoratus Author; cujus veritas ut pateat, quòd fuerint vilissimi Idiotæ, ipsorumq; innotescat fatuitas, &c. ex illorum erroribus. Obscænos errores in materia luxuriæ spargebant, quibus nec modestia Christiana, nec ipsa honestas hanc paginam suadet maculare, quos cum suis fœtoribus magis ad pecudes, quàm ad homines remittimus. Hi ergo primi Indulgentias in Ecclesia Cathol. Rom. negârunt. Secundus fuit Wiclefus hæreticus, qui etiam tenebat alium pessimum errorem cum Simone Mago, nempè, omnia absolutâ necessitate eveniunt. Hi ergo primi negârunt Indulgentias, & usum illarum, tam constantem per tot Sæcula, & tot Conciliorum auctoritate firmatum, ut ait Conc. Trident. Sess. 25. Hic Wiclefus negavit Indulgentias, qui negavit, ut suprà innuimus, liberum Arbitrium, cum Manichæis, Priscillianistis, & alijs hæreticis, refundebat causam peccati in DEUM cum Manichæis, negabat, Confirmationem esse Sacramentum, cum Arianis & Donatistis, negabat verum Corpus Christi sub speciebus, cum Armenis, Berengario, & Missæ Sacrificium cum Waldensibus, & alijs recentioribus, contra Concil. Gener. I. Nicænum, Cap. de Divina Mensa. Hic ergo, tot nefandis sparsis erroribus, negavit cum Waldensibus usum Indulgentiarum, tam clarè in S. Scriptura fundatum in illis verbis, *Quodcunq; ligaveris super terram.* Si hæc animum prudentis viri non commovent, si Ecclesiæ authoritas & Conciliorum minus valet, & plus hæ insaniæ horum hæreticorum valebunt: & si nihil esset nisi hoc, quòd tam pessimi hæretici, & in ipsum DEUM tam injuriosi Waldenses, & Wiclefus, primi negaverint Indulgentias, hoc solum deberet movere omnem veritatis amicum.

Vide illos suprà pag. 563

hos Werner vocat cordatos Viros, pag. 59 in sua Disput.

Quantùm ad Argumenta contra Indulgentias, sic respondet Bellarminus, lib. 1. cap. 4. de Indulg. Lutheri, & cæterorum adversariorum Argumenta &c. tam malè inter se cohærent, ut vix præ se ferant speciem, vel umbram Argumenti, quò magis mirum est, propter tam debiles & ineptas rationes, potuisse tot populos ab antiqua Fide deficere. Sed videamus aliqua Argumenta Lutheri. *Primum est.* Merita Christi sunt res sacræ & vivæ, cùm corda justificent, Indulgentiæ autem non justificant, sed solùm remittere dicuntur pœnam temporalem, Igitur Indulgentiæ non possunt fundari in thesauro Meritorum Christi. ℟. Merita Christi sunt res sacræ & vivæ, sed non solùm justificant corda, verùm etiam sunt satisfactoria, pro reatu pœnæ temporalis, sive in hac, sive in futura vita. Passionem enim Christi non solùm meritoriam, sed etiam satisfactoriam, clarè patet Isaiæ cap. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*; & 1. Joan. cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*; Lutherus verò nullibi probavit, nec probare potuit, Passionem Christi non esse satisfactoriam, quod probare debuit, si quid efficere voluit: immo, cùm concedit, Merita Christi res sacras & vivas, quæ corda justificant, concedit, existentiam Meritorum Christi conservativam, quam nos thesaurum dicimus. *Secundum.* Blasphemia est, rem tam sacram, ut sunt Merita Christi, in sordidum Opus mortis ponere; At pœna temporalis est sordidum Opus mortis, Igitur blasphemia est, Christi Merita collocare in expiatione pœnæ temporalis. ℟. Non est sordidum, sed gloriosum, liberare hominem à sordido mortis opere. Nam quid sordidius & deterius peccato, & tamen non est sordidum Christo, sed valdè honorificum, esse *Agnum* DEI, *qui tollit peccata mundi*; multò minùs erit sordidum, expiare reatum pœnæ, cùm non sit sordidum, expiare reatum culpæ. Non est ergo blasphemia, sed gloriosa prædicatio, dicere, Christi Sacrosancta Merita ejus esse virtutis, ut omnia peccata, & peccatorum reatus omnes eluere, & expiare valeant. *Tertium.* Nullis S. Scripturæ testimonijs, thesaurus Indulgentiarum comprobari potest. ℟. Jam suprà ostensum est, thesaurum Indulgentiarum non carere fundamento Scripturarum, Conciliorum, & SS. Patrum testimonijs, & Primitivæ Ecclesiæ Canonibus, ubi pœnitentiæ pro peccatis mortalibus assignabantur annis septem, & istæ pœnitentiæ, justis ex causis, per Episcopos minuebantur, vel relaxabantur. Ad alia ejusmodi

modi pauca Argumenta Lutheri, immo ad ſingula ejus verba, reſpondit ſatis accuratè Roffenſis.

Videamus Calvini Argumenta contra Indulgentias; de quo ſic loquitur Bellarminus, lib. 2. cap. 2. de Indulg. Initio igitur (Calvinus) num. 38. more ſuo, convicijs & mendacijs ludit. Primùm enim ſcribit, non multum ſibi laborandum eſſe de Indulgentijs refellendis, cùm eæ ſponte ſuâ, atq; argumentis Lutheri, tanquam fortiſſimis arietibus concuſſæ, ad inclinationem ſpectare incipiant. Sed vidimus iſtos Lutheri arietes ſuperiùs, debiles valdè contra Indulgentias, nulla cornua, nec fortitudinem ullam habentes; ita ut ex his arietibus non inclinant, ſed magis aſſurgunt Indulgentiæ, quia, ut benè notavit Bellarminus, vix aliquam ſpeciem & umbram argumentorum habeant, ut viſum eſt. Sed videamus etiam alios Calvini arietes. Sic ille ſcribit contra Indulgentias: Quo enim poterat fœdiùs profanari Chriſti Sanguis, quàm dum negatur ſufficere ad peccatorum remiſſionem, ad reconciliationem, ad ſatisfactionem, niſi velut areſcentis, & inexhauſti defectûs aliundè ſuppleatur, & ſufficiat. Reſpondet Bellarminus, Sed hoc non tam argumentum, quàm mendacium eſt. Nullus enim Catholicorum ſcripſit, Chriſti Sanguinem non ſufficere ad peccatorum remiſſionem, ad reconciliationem, ad ſatisfactionem: debuit Calvinus vel unum Catholicum allegare, qui ita ſentiret; ſed ſicut nullus hoc ſentit, nullum produxit, cùm Innocentius VI. & omnes Theologi Catholici cum illo, affirmant contrarium, Chriſti Sanguinem adeò eſſe pretij infiniti, ut vel una ejus gutta ſufficere potuerit ad omnia totius mundi expianda peccata. Pergit Calvinus, ex varijs Scripturæ teſtimonijs probare, Chriſti Sanguinem profanare. Chriſto, inquit, Lex & Prophetæ omnes (teſte Petro Act. 10.) teſtimonium adhibent, quòd per ipſum accipienda ſit remiſſio peccatorum: Indulgentiæ remiſſionem peccatorum per Petrum & Paulum, & Martyres largiuntur. Hoc unum argumentum Calvini adduxiſſe ſufficiat, ut clare oſtendamus, quàm graviter Calvinum hoc etiam fefellit, cùm ille tribuat Indulgentijs, quaſi illæ remiſſionem peccatorum per Petrum & Paulum, & Martyres largiantur; quod non eſt ita. Nunquam enim dicunt Catholici, nec culpas, nec ulla peccata, ſed pœnarum temporalium remitti reatum per Indulgentiam: neque dicunt, quòd per Petrum & Paulum, & Martyres, remiſſio peccatorum largiatur, quorum merita, & Petri, & Pauli, & Martyrum,

sine Meritis Christi nihil sunt; sed dicunt: Quia Passio Christi tantæ est efficaciæ, ut non solùm per se abundè sufficiat, tollere omnia peccata, sed etiam tribuat vim satisfaciendi meritis Petri & Pauli, & Martyrum, non necessitate, sed dignatione, pro pœnis temporalibus. Sicut enim Paulus Apostolus, dum sibi officium adjuvandi Christum, (1. Corint. 3.) salvandiquè, (1. Cor. 9.) & illuminandi homines, (ad Ephes. 3.) desumit, nullam facit Christo injuriam, quia Christus Paulum sibi adjutorem voluit, & Paulus virtutem à Christo salvandi, non Christus à Paulo accepit. Sic etiam, dum Sanctis tribuimus Satisfactionem, à virtute Passionis Christi procedentem, gratuitò Sanctis donatam dicimus.

Chemnicius objicit in editione Francoford. cap. 1. Disp. suæ pag. 215. ubi miratur, cur Trident. Concilium, si Indulgentias non prorsùs damnare & abijcere vellet, non saltim earum mentionem sepeliret, ob impiam (ut ille ait) nundinationem illarum. ℞. Non est, cur miretur Chemnicius. Nam Concilia Ecclesiæ Cathol. Rom. quale Tridentinum fuit, non solent dogmata mutare quotannis, ut omnes adversarij faciunt, neq; circumferri omni vento doctrinæ. Etiam Catholici mirantur, cur Chemnicius non expunxit ex Evangelio illa verba Matth. 16. *Quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in Cœlis: quodcunq; ligaveris, erit ligatum &c.* si voluerit abolere Indulgentias, quia, quousq; hæc verba manent in Evangelio, Indulgentiæ inconcussæ manent, nec refert, quòd illa explicent, ut ipsi volunt, ipse textus clarè ostendit Indulgentias. Sic semper intellexit Ecclesia, Concilia vetera, ut suprà patuit, Indulgentias approbârunt, abusus qui irrepserant, condemnârunt, quod & Tridentinum fecit Concilium. Neq; tribuendæ sunt Ecclesiæ Cathol. Rom. quæ irrepserunt ex cupiditate pravorum hominum corruptellæ in cultu Religioso, cùm Ecclesia illas damnat, & quantùm potest, extirpat. Neq; id Chemnicius ignoravit, cùm in hac Disput. pag. 332. referat Decretum Concilij Lateran. & pag. 345. Decretum Concil. Viennen. & pag. 213. totum Decretum recitat Concilij Tridentini, quo damnantur, & prohibentur omnes superstitiones, & abusus omnes, nominatim pravi quæstus; at non sunt tollendi boni usus, ut destruantur abusus, neq; specie reformationis funditùs Ecclesia evertenda, & dogmata Catholica reijcienda, ut Lutherani & Calvi-
NB. nistæ facere voluerunt: neq; hoc unquam fiet, cùm Christus sustentat Ecclesiam suâ promissione, *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs*

versùs

verſus eam. Neq; hoc ignoravit Chemnicius, quòd Romanis Pontificibus diſplicuerunt abuſus Quæſtuariorum, ut eos publicis Conſtitutionibus damnaverint, & prohibuerint, ſiquidem idem Chemnicius refert ad verbum Decreta de hac re Innocentij III. & Clementis VIII. Cùm enim Indulgentiæ conceduntur, aſſignantur hæc tria: Oratio, Jejunium, & Eleëmoſyna, ad ſublevationem pauperum, vel redemptionem captivorum, ut obtineamus remiſſionem debitorum. Si enim Chriſtus præcepit, ut oremus, dimitti proximis noſtris debita, quare & Jejunio & Eleëmoſynâ eandem remiſſionem obtinere non debemus, cùm hæc tria recommendantur nobis in Scriptura. Tob. 12. *Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleëmoſyna magis, quàm theſauros auri recondere, quoniam eleëmoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, facitq́; invenire miſericordiam, invenire & vitam æternam.* Et Dan. 4. *Peccata tua eleëmoſynis redime.* Et Luc. 11. *Date eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Sed Chemnicius ſcribens contra Indulgentias, invenit in SS. Patribus, quod minimè volebat, id eſt Satisfactionem, & expiationem pro peccatis. Sic enim ait pag. 306. Nec verò neſcius ſum, ,, Veteres aliquando nimis largiter, & verbis nimiùm magnificis di- ,, ſciplinam illam Canonicam commendare, ut quod Tertullianus ,, dicit, Satisfactionibus illis peccata expiari; Cyprianus dicit, illis ,, peccata redimi, ablui, ſanari, Judicem placari; Auguſtinus, DE- ,, UM illis de peccatis præteritis propitiari. Et talia ſunt, quæ ſalvâ ,, fide (ſcilicet Lutheranâ) nec poſſunt, nec debent, ſicut ſonant, ac- ,, cipi & intelligi. Nos ſuperiùs 26. Patres pro Satisfactione adduximus, & plures his inveniuntur. Unde juſtiùs eſt, Chemnicij novos errores ex doctrina Veterum Patrum corrigere, quàm ex novis iſtis erroribus de Veterum Patrum doctrina judicare, illamq́; reijcere, quia SS. Patres ultra hoc, quòd fuerint doctrinâ inſignes, ut patet in confutandis ab illis omnibus hæreſibus, ſed etiam fuerunt ſanctitate illuſtres, fuerunt homines DEI, ut potè Divino Spiritu illuſtrati, quos Apoſtolus ad Epheſ. 4. *Paſtores & Doctores* vocat, *ut non ſimus fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumventionem erroris;* Chemnicius verò fuit homo privatus, nuper natus, à ſeipſo loquens, in multis nec cum Luthero, nec ſecum, nec cum ullo alio conſentiens, in multis, quæ non conveniunt, nec ſecum cohærent, notatus, ſibi ipſi ſæpiùs contrarius, ut non difficile eſt videre in Authoribus Catholicis, qui ipſius refutârunt errores & contradictiones.

 Aliud

Aliud negativum Argumentum Chemnicij Ait, non posse probari ex Scripturis Indulgentias, sed solâ auctoritate Ecclesiæ Romanæ. Jam responsum superiùs, debet Chemnicius primò eliminare illa verba ex Evangelio, *Quodcunq; solveris, erit solutum: quodcunq; ligaveris, erit ligatum*; tunc poterit probare, Indulgentias non habere fundamentum in Scripturis. Sed etiam etsi nihil horum esset scriptum, non tamen sequeretur, Indulgentias non niti, nisi auctoritate Ecclesiæ Romanæ: & hæc deberet sufficere Chemnicio, si recto animo fuisset, & veritatem amâsset. Nam S. Augustinus tanti æstimavit auctoritatem Ecclesiæ, ut non sit veritus dicere contra Epist. Manich. cap. 5. *Ego Evangelio non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ commoveret.* Non enim Ecclesia tam constanter Indulgentias prædicaret, & in Concilijs Oecumenicis approbaret, nisi Divinitùs traditam sibi potestatem sciret. Undè possunt Indulgentiæ niti auctoritate Divinâ cognitâ per Traditionem Apostolorum, secundùm
pag. 582 Regulam S. Augustini superiùs positam, quomodo alia non pauca nituntur, ut numerus Sacrorum Evangeliorum, Veteris & Novi Testamenti S. Scriptura, Baptismus parvulorum, Symbolum Apostolicum, multi ritus in Ecclesia hucusq; conservati, quæ non ex aliqua Scriptura, sed ex Traditione Apostolica, & auctoritate Ecclesiæ habemus. Neq; enim Ecclesia usum Indulgentiarum concedendarum per se excogitavit, sed à Majoribus accepit, cujus rei signum est, quòd non possunt adversarij hujus consuetudinis ullum assignare principium, & hoc est proprium dogmatum Catholicorum, ut non inveniatur eorum origo, nisi ad Evangelium, vel Apostolos ascendamus: Hæresum autem semper designatur initium, Author, locus, & tempus, ut patet de omnibus hæresibus; Indulgentiarum verò, nec Authorem, nec tempus, nec locum, ipsi hæretici indicare potuerunt. Omnes enim de Indulgentijs, sive Doctores, sive Pontifices, sive Concilia, tanquam de re usitata & recepta scribunt. Undè & ipse Chemnicius in 4. Part. Exam. pag. 329. fatetur, originem



Indulgentiarum non satis luculenter in historijs notatam fuisse; & quod paulò post pag. 333. affirmat, Indulgentias cæpisse circa An. 1200. hoc non potest verificari: nam tempore S. Gregorij M. adeò usus Indulgentiarum fuit notus, ut ne adversarij id negare possunt, nam S. Gregorium Indulgentias stationum concessisse, testantur gravissimi Authores, ut S. Thomas in 4. Sent. Distinct. 20. q. 1. art. 3. quæstiun. 2. & qui eum præcessit, Guilhelmus Antisiodorensis

sis lib. 4. Sum. Theol. Tract. 6. cap. 9. Et ipse Chemnicius p. 332. scribit, Alexandrum III. Pont. Rom. circa An. 1170. scripsisse de Indulgentijs. Sed quomodo scripsit Alexander III. de Indulgentijs An. 1170. secundùm Chemnicium, si secundùm eundem Chemnicium non fuerunt Indulgentiæ, quas dicit incepisse An. 1200. ista non possunt cohærere, & sunt nimis clara.

CAPUT XV.

Discursus Authoris.

Pag. 78.

I. Obices, qui huic compositioni amicæ obijciuntur, removentur. II. Non officit huic amicæ compositioni Primatus Pontificis Romani. III. Rom. Pontifici non tantùm Primatus Ordinis, sed & Iurisdictionis concedendus, in omnes Occidentales Ecclesias. &c. Dissensus & odium inter Dissidentes Ecclesias tolletur hâc amicâ compositione:

ANtequam (ait Author Tubæ) Colophonem huic Discursui imponamus, necesse est, ut obices, qui nobis objiciuntur, removeamus, idq; brevitatis studiosi paucis. Impediunt, dicunt quidam, quò minùs Ecclesiæ in Occidente dissidentes in unum coire possint, Primatus Romani Pontificis, ejusq; Cathedræ infallibilitas. &c. &c. Idem Author pag. 79. Quod attinet Primatum Rom. Pontificis, notandum est, Rom. Pontificem à tota Ecclesia Catholica, attestantibus id universum SS. Patribus Orthodoxis, pro Successore Petri habitum, obq; id Cathedram Ecclesiæ Romanæ communissimè olim, & nunc vocatam esse Cathedram Apostolicam, Cathedram Petri; Petro autem ut plurimùm SS. Patres Primatum in Ecclesiam Cathol. cum maxima auctoritate attribuere, hâcq; ratione illum dici Caput Ecclesiæ, Caput Fidelium, & Pastorem gregis universi, Vicarium Christi, Pastorem Pastorum, Petram, & Carpedinem Ecclesiæ Catholicæ, rectæ Fidei Fundamentum. Quòd autem Successori Petri Primatus illius Cathedræ, in qua legitimè successit, sit

subla-

sublatus, aut unquam ademptus, nunquam, quòd sciamus, ex probatis fidei Historicis probari poterit. Quidquid tamen sit, Primatum Romano Pontifici SS. Patres concedunt, qui etiam in Nicæno I. & alijs Concilijs confirmatus est.

Idem Author pag. 80. ait: An non Rom. Pontifici competens concedenda Jurisdictio, tanquam Patriarchæ primo Occidentalis Ecclesiæ, illam ut regat juxta Canones Ecclesiasticos, à tota Cathol. Occidentali Ecclesia approbatos, inprimis illas Ecclesias, quæ per Missionarios à Cathedra Rom. Ecclesiæ ad Fidem Catholicam conversæ, ab ipsa Cathedra primitùs fundatæ, immo & Privilegijs, & Juribus donatæ sunt, quæq; illius regimen ac Primatum, tanquam Filij Matris Catholicæ, filiali submissione olim agnoverunt? Hoc affirmare videntur Principes Protestantes, & Authores Fidei Augustanæ: illi enim in literis ad Carolum V. Imperatorem Rom. agnoscunt talem Primatum Rom. Pontificis in has Occidentales Ecclesias, ideòq; appellârunt ad ConciliumGenerale, à Rom. Pontifice indicendum; qui autem habet potestatem Concilium Generale indicendi, habet Primatum Jurisdictionis in istas Ecclesias. Si enim ordine & decenter omnia in Ecclesia fieri debeant, major & minor, pro diversitate subjectorum, necesse est, sit potestas & Jurisdictio. Ut etiam differentia jam à tot Sæculis fuit in Ecclesia Cathol. inter Episcopum & Presbyterum, non tantùm ratione Ordinis, sed & Jurisdictionis, sic major sit, palàm est, Jurisdictio Archiepiscopi, quàm Episcopi; Patriarchæ major, quàm Archiepiscopi. Et quid? An non tot Regnorum Ecclesiæ particulares, admittunt Jurisdictionem supremam Episcopalem in Principibus Politicis, qui erit inconveniens admittere talem Jurisdictionem in Primo PatriarchaEcclesiæ Catholicæ, cùm Pontifex Romanus, concedente Melchiore Zeidlero, primus inter Episcopos omnes, adeòq; ob dignitatem Patriarchalem, Pontifex Maximus, ac Episcopus Episcoporum à SS. Patribus Catholicis audiat, quin & sanctitatis & eruditionis privilegio inter magnos Episcopos longè maximi Episcopi, ut fuit Eucherius, Episcopus Lugdunensis, attestante Claudiano Mamerio, Rom. Pontificem se superiorem habuerint, ipsiq; eodem non diffitente, inter omnes Patriarchas cura universalis Ecclesiæ incubuerit, & adhuc incumbat. &c.

Idem Author pag. 82. ait: Deniq; fatente Christ. Dreiero, cùm idem Pontifex Rom. Jus in omnes Ecclesias Occidentales obtinuerit,

nuerit, concedatur Rom. Pontifici tanta Jurisdictio, tanta authoritas ac reverentia in noſtras Eccleſias, quanta juxta Canones Cathol. Eccleſiæ Primo Patriarchæ, & Patriarchæ Occidentali, adeoq; & noſtrarum Eccleſiarum competit, & quantum per octingentos annos, vel ad minimum usq; ad tempora Gregorij Magni, Romani Pontificis, in priori ævo Patres Orthodoxi ac pij, Romano Pontifici tribuerunt ac conceſſerunt. Quòd ſi illis temporibus divinæ ac cœleſtis doctrinæ veritas Primatum & Jurisdictionem Patriarchalem in Romano Pontifice admiſit, quidni & in hodierno Sæculo?

Diſcurſus Theolog.

De Primatu Romanorum Pontificum in Eccleſia Catholica Romana.

AD majorem probationem ſuperioris Diſcursûs, unum nobis probandum eſt, Primatus ſcilicet Petri, cùm jam Succeſſionem Romanorum Pontificum in Nota Eccleſiæ Apoſtolicæ Romanæ, & Jurisdictionem illorum in Eccleſiam Catholicam, ſuperiùs ſatis probavimus. Nulli dubium eſſe poteſt, quod univerſim SS. Patres Petro Primatum in Eccleſiam Catholicam attribuunt, cum maxima authoritate, hâcq; ratione vocant illum *Caput Eccleſiæ*, ut S. Hieron. in Pſalm. 13. idem ſentit Philo Carpatius in Cantica. S. Auguſt. lib. quæſt. Vet. ac Novi Teſtam. quæſt. 75. *Caput Fidelium, & Paſtorem Gregis Dominici* idem ſentit Tract. 124. in Evang. Joan. Anſelmus ad Cap. 16. Matth. *Vicarium Chriſti.* S. Chryſoſt. in Matth. *Caput Eccleſiæ* idem Homil. 9. de Pœnit. Hom. 2. in Pſal. 50. Hom. 66. & 86. in Matth. 5. Cyrill. Hieroſol. Catech. 2. 11. 17. Alexandrinus 2. in Joan. S. Ambroſ. Serm. 47. S. Auguſt. Tract. in Joan. 56. vocant illum *Principem Apoſtolorum*. Ephrem Sirus, *Principem Eccleſiæ Chriſtianorum.* Damaſcenus, *Supremam & antiquiſſimam Theologorum Summitatem.* S. Dionyſius Areopagita, qui vidit tempora Apoſtolorum, vocat illum *Supremum decus, & antiquiſſimum Theologorum Columen.* Concilium Chalcedonenſe Gener. IV. vocat illum *Petram & Crepidinem Eccleſiæ Catholicæ, & rectæ Fidei fundamentum.* S. Hilarius Comment. in Matth. Cap. 16. ait: *O in nuncupatione novi nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaq; ædificatione illius Petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolveret.*

O Beatus Cœli Janitor! cuius arbitrio Claves æterni aditûs traduntur, cuius terrestre Judicium, præiudicata authoritas sit in Cœlo, & quæ in terris aut ligata sint, aut soluta, Statuti eiusdem conditionem obtineant & in Cœlo. S. Chrysost. Hom. 87. in Joan. *Cùm magna Christus Petro communicâsset, Orbis terrarum curam demandâsset, martyrium prædixisset, & maiorem erga illum dilectionem testatus esset.* S. Leo Serm. 1. de SS. Petro & Paulo: *Beatissimus Petrus, Princeps Apostolici Ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperij, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso Capite, per totum mundi corpus effunderet, cuius autem nationis homines in hac tunc Vrbe non essent, aut quæ usquam gentes ignorarent, quæ Roma didicisset.* Idem in Natali, Serm. de ijsdem SS. *Roma per Sacram Petri Sedem, Caput Orbis effecta, latiùs præsidet Religione Divinâ, quàm dominatione terrenâ.* Idem Serm. 1. de Ascensione Dñi ait: *Beato Apostolo Petro supra cæteros post Regni Claves, Ovilis Dominici cura mandatur.* S. Augustin. Tract. 56. in Joan. *Quis nescit, primum omnium Apostolorum esse Beatissimum Petrum.* Idem Serm. 5. in Festo SS. Petri & Pauli: *Amen, dico, quia tu es Petrus, &c. Dignus certè, qui in ædificandis in domo DEI populis, lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad Regnum.* Et lib. 2. de Bapt. contra Donat. Cap. *Ne in Petrum contumeliosus existam: quis enim nescit, illum Apostolatûs Principatum cuilibet Episcopatui præferendum. &c. In Apostolo Petro Primatus Apostolorum excellenti gratiâ præeminet.* S. Hilarius lib. 6. & 10. de Trin. S. Chrysost. & Thaophylact. in Cap. 16. Matth. S. Ambrosius lib. de Isaac cap. 3. S. Hieron. in Cap. 16. Matth. S. August. lib. 2. contra 2. Epist. Gaudent. cap. 23. dicunt, *Soli Petro, & in propria persona dictum est.* Petrus enim ratione Officij, ex DEI munere habuit revelationem, & accepit Claves Ecclesiæ; ratione verò personæ, & ex propria infirmitate offenditur de Passione & Morte Christi. S. Hieron. in Cap. 14. Matth. affectui tribuit D. Petri erga Christum, dum ait: *In omnibus locis ardentissimæ Fidei invenitur Petrus, interrogatis Discipulis, quem homines dicerent JESUM, DEI Filium confitetur, volentem ad Passionem pergere prohibet, & licèt erret in sensu, tamen non errat in affectu.* Undè & post Resurrectionem Christi meruit Pastoris officium accipere, *Pasce oves meas*, Joan. 21. Quod expressit S. Cyprianus lib. de Unit Eccles. cap. 3. *Loquitur Dominus ad Petrum: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c. Et iterum eidem post Resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super*

unum illum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves. Si Christus non commendâsset Petro pascendas oves & agnos post Resurrectionem, idq; tribus vicibus, habuissent adversarij aliquam apparentiam sui intenti: sed cùm Dominus ter commendâsset Petro post Resurrectionem pascendas oves, & fortè ideò, ut major impudentia appareret hæreticorum, in negando Primatu S. Petri: nam una locutio Christi in Evangelio sufficit fidelibus, hæretici verò, etsi decies legant in Evangelio aliquod mandatum Christi, ex sua pertinacia non acquiescunt, cùm sua placita, non Evangelij sequantur; patet cunctis, nihil valere hanc Objectionem hæreticorum, qui negant Primatum Petri. Idem sentiendum & de negatione S. Petri, de qua sic S. Chrysost. notans illum locum, *Ego autem pro te rogavi, &c. confirma fratres tuos*, ait Hom. 83. in Matth. *Non dixit, non negabis, sed, ut non deficiat fides tua: curâ enim ipsius, & favore factū est, ne omninò Petri fides evanesceret.* S. Leo Serm. 3. de Ass. ad Pontif. *Specialis cura Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & Divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum cæteris Apostolis conferatur.* S. August. lib. de Past. cap. 13. *Multi erant Apostoli, & uni dicitur, pasce oves meas.* S. Gregor. Nazianz. Carm. de Vita sua: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam Fidem, & semper eam retinet, sicut decet Vrbem, quæ toti Orbi præsidet.* S. Hieron. lib. contra Jovinian. *Licèt super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto, Schismatis tolleretur*
NB.
occasio. Ex his apparet, quòd & Jovinianus hæreticus oppugnaverit Primatum Petri. S. Ambros. lib. 10. in Luc. Cap. 24. *D. Petrum* (ait) *omnibus prælatum fuisse, tanquam Vicarium in terris relictum.* Idem in 2. Corint. Cap. 12. quem etiam citat Author Tubæ p. 80. loquentem sic: *Primatum non accepit Andreas, sed Petrus.* Idem S. Ambros. Serm. 68. *Si enim Petrus Petra est, supra quam ædificatur Ecclesia, rectè primus pedes sanat, ut sicut in Ecclesia Fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet.* Idem Serm. 11. *Solùm Ecclesiæ navem ascendit Dominus, in qua Petrus Magister est constitutus.* In Tom. 4. Operum D. Augustini Quæst. Novi & Vet. Testam. legimus: *Quia sicut in Salvatore erant omnes causæ Magisterij, ita & post Salvatorem in Petro omnes continentur; ipsum*

enim constituit esse Caput eorum, ut Pastor esset gregis Dominici. Idem docet S. Chrysost. Hom. 59. in Matth. quem Hom. 55. in eundem S. Matth. vocat *Os Apostolorum.* S. Bernardus lib. 2. de Consid. ad Eugen. cap. 8. (quem etiam citat Author Tubæ pag. 79) ait: *Sunt quidem & alij Cœli Janitores, & gregum Pastores, sed tu tantò gloriosiùs, quantò & differentiùs utrumq; nomen præ cæteris hæreditâsti. Habent illi aßignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus. Nec modò ovium, sed & Pastorum, tu unus omnium Pastor. Undè id probem, quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporũ, sed etiam Apostolorum, sic absolutè & indiscretè totæ commissæ sunt oves? Si me amas Petre, pasce oves meas. Quas? illius vel illius populos Civitatis, aut Regionis, aut certi Regni? Oves meas, inquit, cui non planum non designâsse aliquas, sed aßignâsse omnes. Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et fortè præsentes cæteri condiscipuli erant, cùm committens uni unitatem omnibus commendaret in uno grege, in uno Pastore, secundùm illud: Una est Columba mea, formosa mea, perfecta mea. Ubi unitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem, recedentes ab unitate. Indè est, quòd alij singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes Sacramentum. Deniq; Jacobus, qui videbatur Columna Ecclesiæ, unâ contentus est Hierosolymâ, Petro unitatem cedens.* Idem S. Bernardus lib. 2. de Consid. *Juxta Canones tuos, alij in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es: aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos, qui super alios potestatem acceperunt. Nam si causa extiterit, tu Episcopo Cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Sathanæ potes.* Hic Sanctus in magna veneratione habetur apud Dissidentes, cùm illum & Lutherus, & Confessio Augustana vocat Sanctum. Eâdem pag. 79. adducit idem Author S. Augustinum sic loquentem: *In Ecclesia Romana semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Ibidem idem Author affirmat, Centuriatores Magdeb. pro Primatu Petri & Rom. Pontificum, plura adducere testimonia Cent. 1. & 2. S. Cyprianus Tract. de Simpl. Cleric. in Cap. 24. quæst. 1. *Unus Dominus, una Fides, &c. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo Fidei unitatem perfidâ prævaricatione corrumpat, Episcopus unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur, Ecclesia una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur.* Idem Primatus S. Petri probatur ex multis prærogativis, ex quibus aliquas adducimus. Quod Dominus soli Petro nomen mutaverit ex Simone

in Petrum: quòd primus ponatur inter Apostolos: quòd soli Petro prima facta sit revelatio Divinitatis Filij DEI. Undè S. Hilarius Comment. in Matth. Cap. 16. *Dignusq; iudicatus, qui quòd in Christo DEI Filio esset, primus agnosceret.* S. Cyrillus Alex. lib. 12. in Joan. cap. 64. Cùm Salvator à Discipulis quæreret, Vos autem quem me esse dicitis? Petrus, ut Princeps, Caputq; cæterorum, primus exclamavit: Tu es Christus &c. Cyrillus Hierosol. Cateche. 11. Petrus, Princeps Apostolorum, & supremus Ecclesiæ præco, dicit ad ipsum: Tu es Christus &c. S. Cyprianus lib. 1. Epist. 3. ad Cornel. Petrus tamen, super quē ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, unus pro omnibus loquens, quòd soli Petro promissa sit stabilitas Fidei & Cathedræ. S. Augustinus in Psal. contra par. Donati: Numerate Sacerdotes ab ipsa Sede Petri, &c. Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorū portæ. S. Basilius in Cap. 2. Isaiæ: Unus ex his montibus fuit Petrus, quem Petram appellavit, propter maximam firmitatem Fidei, propter infractum animi robur, ad non cedendum inflictis plagis tentationum, super quam Petram promisit ædificare Ecclesiam suam. Et lib. contra Eunom. Statim ex hac voce Petra, intelligimus Petrum, Jonæ filium, qui fuit ex Bethsaida, Andreæ fratrem, qui quoniam fide præstabat, Ecclesiæ sibi commissam ædificationem suscepit. S. Epiphan. in Ancor. Ipse Dominus constituit Petrum primum Apostolorum, Petram firmissimam, super quam Ecclesia DEI ædificata est, & portæ inferi &c. S. August. Serm. 15. de Sanctis: Petrum itaq; fundamentum Ecclesiæ Dominus nominavit, & ideò dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit. S. Hieron. in Cap. 16. Matth. Secundùm metaphoram Petræ, rectè dicitur ei, ædificabo Ecclesiam meam super te. S. Cyrillus lib. 2. in Joan. JESUS dixit: *Tu es Simon, filius Jonæ, tu vocaberis Cephas*, &c. vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo, tanquam in Petra lapideq; firmissimo, suam esset ædificaturus Ecclesiam. S. Chrysost. Hom. in Petrum & Heliam: Sed vide, cujusmodi peccato permisit subijci Petrum, illum talem ac tantum Virum, Apostolorum verticem, fundamentum immobile, & Petram stabilem, quæ non posset concuti. Theophylactus in Cap. 22. Luc. *Tu verò conversus, confirma fratres tuos, &c.* Quia te habeo ut Principem Discipulorum, postquam negato me, fleveris, & ad pœniten-

Vixit A. 430

 tenti-

“ tentiam veneris, confirma cæteros: hoc enim te decet, qui poſt
NB. “ me Eccleſiæ Petra es, & fundamentum. Idem in Cap. 16. Matth.
“ Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quòd
Vixit A. 420 “ ſuper eum ædificavit Eccleſiam. Maximus Taurien. Epiſc. Quan-
“ ti meriti apud Dominum ſuum Petrus erat, ut ei totius Eccleſiæ
Vixit A. 230 “ gubernacula traderentur. Origenes Hom. 5. in Exod. Vide ma-
“ gno illi Eccleſiæ fundamento, & Petræ ſolidiſſimæ, ſuper quam
“ Chriſtus fundavit Eccleſiam, quid dicatur à Domino? Et in Pſ. 1.
“ Petrus, ſuper quem Chriſti Eccleſia ædificata eſt, contra quam
“ inferorum portæ non prævalebunt. S. Chryſoſt. in hunc locum,
“ *Paſce oves meas*, ait: Alijs omiſſis Petrum duntaxat affatur, fra-
“ trum ei curam committit. S. Ambroſius in Cap. ult. Luc. ait:
NB. “ Quem elevandus in Cœlum, amoris ſui Vicarium relinquebat.
“ Theophylact. in Cap. ult. Joan. ait: Finito prandio, præfectu-
“ ram ovium totius mundi Petro commendabat, non autem alij,
“ ſed huic tradidit. Et in Cap. 22. Luc. Petre, converſus bonum
“ exemplum pœnitentiæ omnibus eris, qui cùm Apoſtolus fueris,
“ & negaveris, iterum receperis Primatum omnium, & præfectu-
“ ram Orbis. S. Chryſoſt. Hom. 87. Os erat *Apoſtolorum & Prin-*
“ ceps, propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit. S.
“ Ambroſ. in Cap. 1. ad Galat. Dignum fuit, ut cuperet videre Pe-
“ trum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegaverat Salvator
“ curam Eccleſiarum. S. Hieronymus Epiſt. 89. ad S. Auguſtinũ:
“ Tantæ Petrus auctoritatis fuit, ut Paulus in Epiſtola ſua ſcripſe-
NB. “ rit: *Deindè poſt annos tres veni Hieroſolymam, videre Petrum.* Idem
“ S. Hieron. ad S. Auguſt. Epiſt. 11. de S. Paulo ait: Id fecit, oſten-
NB. “ dens, non habuiſſe ſecuritatem Evangelij prædicandi, niſi Petri
“ auctoritate, & qui cum illo erant, fuiſſet roboratum. S. Chryſoſt.
“ Hom. 55. in Matth. Petrum Eccleſiæ futuræ Paſtorem conſtituit.
“ Et infrà: DEUS concedere ſolus poteſt, ut futura Eccleſia tot tan-
“ tiſq; fluctibus impetu irrumpentibus, immobilis maneat, cujus
“ Paſtor & Caput, homo piſcator, atq; ignobilis. Et infrà: Hiere-
“ miam Unigeniti Pater, hunc autem univerſo terrarum Orbi Chri-
“ ſtus præpoſuit. S. Proſper lib. de ingratis: Sedes Roma Petri,
“ quæ Paſtoralis honoris facta Caput mundo. Optatus lib. 2. con-
“ tra Parmen. Cathedra una eſt, & negare non audes, ſcire te, Pe-
“ tro primùm in Urbe Roma Cathedram eſſe collocatam, ubi ſede-
“ rit omnium Apoſtolorum Caput Petrus, indè Cephas appellatus,

in quo uno Cathedræ unitas ab omnibus fervaretur, ut jam Schifmaticus & peccator effet, qui contra fingularem Cathedram alteram collocaret. Origenes in Cap. 6. ad Rom. Petro cùm fumma rerum de pafcendis ovibus traderetur, & fuper ipfum, velut fuper terram fundaretur Ecclefia. S. Bafilius Serm. de Judicio DEI, de Petro loquens, ait: Ille Beatus, qui cæteris prælatus Difcipulis fuit, cui Claves Regni Cœleftis commiffæ. S. Epiphanius Hær. 51. Elegit Petrum, ut dux effet fuorum Difcipulorum. S. Hieron. ad Damafum: Ego interim Beatitudini tuæ, id eft Cathedræ Petri, communione confocior, fuper illam Petram ædificatam Ecclefiam fcio. &c. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit  regnante diluvio. S. Gregor. M. lib. 4. Epift. 32. ad Mauritium: Cunctis Evangelium fcientibus liquet, quòd Beatiffimo, & omnium Apoftolorum Principi Petro, Dominicâ voce totius Ecclefiæ  cura commiffa eft. Et infrà: Ecce Claves Regni Cœleftis accepit, poteftas ei ligandi atq; folvendi tribuitur, cura ei totius Ecclefiæ NB. & Principatus tribuitur. Maximus Patriarcha Conftantinop. in Epift. ad Orientales: Hunc enim ex cæteris mortalibus de toto Orbe Conditor Orbis elegit, cui Cathedram Magifterij principaliter poffidendam, tenere perpetuo Privilegij Jure conceffit. Alter Maximus, Epifc. Taurinen. S. Auguftini coætaneus, Hom. 3. in Natali Apoft. Petri & Pauli: Quanti meriti apud Dominum fuum Petrus erat, ut ei poft naviculæ parvæ remigium, totius Ecclefiæ gubernacula traderentur. NB. Arnobius Romanus, qui ante tempora S. Auguftini vixit, ad Pfalmum 138. ait: Ecce Apoftolo Petro pœnitenti fuccurritur, qui eft Epifcopus Epifcoporũ. NB. &c. Quod ut doceam, illud oftendo, quòd nullus Apoftolorum nomen Paftoris accepit. Solus enim Dominus JESUS Chriftus dicebat: *Ego fum Paftor bonus.* Hoc ergo nomen fanctum, & ipfius nominis poteftatem poft Refurrectionem fuam Petro pœnitenti conceffit. Euthymius in Cap. 16. Matth. Te ponam fundamentum credentium, ædificabo fuper te Ecclefiam meam. Undè S. Paulus ad Gal. 1. ait: *Poft annos tres veni Hierofolymam, videre Petrum;* non dicit, veni videre Jacobum, qui etiam fuit Epifcopus Hierofolymorum, fed Petrum. S. Ambrofius in hunc locum ait: Dignum fuit, ut cuperet videre Petrum, quia primus erat inter NB. Apoftolos, cui delegaverat curam Ecclefiarum. 1. ad Corint. 15. legimus: *Tradidi vobis inprimis, quod & accepi, &c. quia tertiâ die* *refur-*

reſurrexit ſecundùm Scripturas, & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hæc undecim, deindè viſus eſt plus quàm quingentis fratribus, &c. deindè Apoſtolis omnibus. In quem locum S. Chryſoſt. ait: *Itaq; non omnibus initiò viſus eſt, nec pluribus ſimul, ſed uni tantùm, & ei principi.* Actor. 12. *Petro in carcere conſtituto,* ait S. Scriptura, *Oratio fiebat ſinè intermiſſione ab Eccleſia.* In hunc locum ait S. Chryſoſt. *Magni amoris indicium Oratio, Patrem omnes quærebant.* Quod S. Petrus Romæ usq; ad mortem Epiſcopatum retinuerit, probatur hoc. Ter-
“ tullianus lib. de Præſcript. ait: Evolvant ordinem Epiſcoporum
“ ſuorum, ita per Succeſſiones decurrentem, ut primus ille Epiſco-
“ pus aliquis ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis Viris fuerit. Et infrà:
“ Sicut Romanorum Eccleſia Clementem à Petro ordinatũ profert.
S. Cyprianus Romanam Sedem frequenter Petri Cathedram vocat,
“ ait enim lib. 1. Epiſt. 3. ad Cornelium: Navigare audent ad Petri
“ Cathedram, atq; Eccleſiam principalem, undè unitas Sacerdota-
“ lis exorta eſt, à Schiſmaticis & profanis literas ferre, nec cogitare,
“ eos eſſe Romanos, ad quos perfidia non poteſt habere acceſſum.
“ Euſebius lib. 2. Hiſtor. cap. 14. ait: Salutaris prædicationis ver-
“ bo, Petrus primus in Urbe Roma Evangelij ſui Clavibus januam
“ Regni Cœleſtis aperuit. Idem in Chron. An. 44. Petrus, Natio-
“ ne Galilæus, Chriſtianorum Pontifex primus, cùm primùm An-
“ tiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur, ubi Evan-
“ gelium prædicans, viginti quinq; annis ejusdem Urbis Epiſcopus
“ perſeverat. S. Hieron. in Catal. ſcripto Eccleſ. Petrus Romæ 25.
NB. “ annis Cathedram Sacerdotalem tenuit. Et in Epiſt. ad Damasũ:
“ Cum Succeſſore Piſcatoris, & Diſcipulo Crucis loquor; ego Bea-
“ titudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri, communione conſocior.
“ Optatus Milevit. lib. 2. contra Parmen. Negare non potes, ſcire
“ te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe col-
“ locatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput, Petrus.
“ S. Auguſt. lib. 2. cont. lit. Petil. cap. 51. Cathedra quid tibi fecit
“ Eccleſiæ Romanæ? in qua Petrus ſedit, in qua nunc Anaſtaſius ſe-
“ det. S. Athanaſ. in Epiſt. ad ſolitar. vitam agentes: Primùm ne
“ Liberio quidem, Romano Epiſcopo pepercerunt, nullâ reverentiâ
NB. “ moti, quòd Sedes illa Apoſtolica eſſet. Dorotheus in Synopſi: Li-
“ nus, poſt Coryphæum Petrum, Romæ Epiſcopus fuit. Sozome-
“ nus lib. 4. cap. 14. Non ſine Divina providentia factum eſt, ut
“ mortuo Felice, ſolus Liberius Romanæ Eccleſiæ præeſſet, ne Petri
“ Sedes

Sedes ullâ infamiæ maculâ aspergeretur. Eusebius lib. 2. Hist. cap. 14. de Petro ait: Salutaris prædicationis verbo, primus in Urbe Roma Evangelij sui Clavibus, januam Regni Cœlestis aperuit. Arnobius lib. 2. contra Gentes ait: Romam ideò conversam ad Christum, quia viderat Simonis Magi igneas quadrigas Petri ore difflatas. S. Chrysost. in Psalm. 48. Piscator Petrus, quoniam Civitatem maximè Regiam occupavit, etiam post mortem resplendet Sole clariùs. S. Leo Serm. 1. in Natal. Apost. Beatissimus Petrus, Princeps Apostolici Ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperij. Theodoretus in Cap. ad Rom. Primus eis magnus Petrus doctrinam Evangelicam præbuit. Tertullian. lib. de Præscript. Si Italiæ adjaces, habes Romam, undè nobis quoque authoritas præstò est. Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostolicam suo sanguine profuderunt, ubi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur. S. Hieron. de Viris illustrib. Simon Petrus, ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit, ibiq; 25. annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, usq; ad ultimum, id est XIV. Neronis annum, à quo & affixus Cruci. S. August. lib. 1. cap. 10. de Consen. Evang. Merita Petri & Pauli, propter eundem Passionis diem, celebriùs ac solenniùs Roma commendat. Maximus Serm. 5. de Natali Apostol. Petrus & Paulus Martyrium pertulerunt in Urbe Roma, quæ Principatum & Caput obtinet Nationum, scilicet, ut ubi Caput Superstitionis erat, illic Caput quiesceret Sanctitatis. Prudentius in Hymno de S. Laurent. Romæ jam regnant duo Apostolorum Principes: alter vocatur Gentium, alter Cathedram possidens Primam, recludit creditas æternitatis januas. Prosper lib. de Ingrat. Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris facta Caput mundo. Sulpitius lib. 2. Sacr. Hist. Invaluerat apud Urbem Divina Religio, Petro Episcopatum gerente. Petrus Episcopus Raven. in Epist. ad Eutycheten, quæ habetur inter Præambulares ad Concilium Chalcedon: Hortamur te, Frater honorabilis, ut his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria Sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus Fidei veritatem. In eodem Concilio Chalcedon. Gener. IV. Act. 2. cùm lecta esset Epistola Leonis, omnes conclamârunt: *Petrus per Leonem locutus est.* In Concilio Ephesino Generali III. Tom. 2. Cap. 16. vocatur Cælestinus Rom. Pontifex, *Ordinarius Successor & Vicarius B. Petri, Apostolorum* NB.

Principis; Marcellus I. Martyr, in Epist. ad Antiochenos: *Petri Sedes primitùs apud vos fuit, quæ jubente Domino, Romam translata est.* Vide initium Concil. Romani sub Gelasio, in Summa Conciliorum Franc. Longi pag. 228. de Primatu Petri, & Ecclesiæ Rom. S. Bernardus lib. 2. de Consid. ad Eugenium ait: "Eum unicum se Christi Vicarium designâsse, qui non uni populo, sed cunctis præesse deberet, siquidem aquæ multæ, populi multi. Idem ibidem ait: "Hoc signum fuisse singularis Pontificij, per quod non navem unam, "ut cæteri quoq; suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum: Mare enim Sæculum est; Naves Ecclesiæ. Alludit hîc S. Bernardus ad illum locum Matth. Cap. 14. in quo legitur, solus Petrus ambulâsse super aquas. Lutherus, ut ex Colloquijs ejus Rebenstok. Tom. 2. pag. 63. fassus est, omnes Historias affirmare, Petrum fuisse primum Papam Romæ. Idem ait in purgat. quorun. Artic. *Quòd Romana Ecclesia à DEO sit honorata præ alijs, non est dubium, ibi enim S. Petrus & Paulus, Pontifices 46. Romani, ac tot centena millia Martyrum, sanguinem fuderunt, ut vel palpari queat, quàm singularem habeat respectum ad eam Ecclesiam DEUS.* Idem de potestate Papæ ait: *Si potestas Papæ non esset à DEO, nec Jure Divino, tam diù subsistere non potuisset.* Calvinus lib. 4. Instit. cap. 6. Sect. 15. ait: *Propter Scriptorum consensum se nolle pugnare, quin illic mortuus fuerit,* scilicet Petrus. Ex his manifestè patet, vera esse, quæ dixerit Author Tubæ in suo Discursu, tam de S. Petri Primatu in Ecclesia Cathol. Rom. quàm de Cathedra illius, quòd Cathedra Petri vocetur Cathedra Apostolica; & quòd Petrus sit Caput Fidelium, Pastor gregis universi, Vicarius Christi, Pastor Pastorum, Petra & Carpedo Cathol. Ecclesiæ, rectæq; Fidei Fundamentum. Qui etiam pag. 79. apposuit hæc: Memorabilia sunt verba Cyrill. Alex. Episc. qui in Thesauro de Rom. Pontifice sic loquitur: ☞ *Ut membra maneamus in Capite nostro Apostolico, Throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere, quid tenere, quid credere debeamus.*

Objicit Lutherus. *Non ait Christus, Pasce omnes oves meas, sicut dixerat, Docete omnes gentes; igitur non omnes oves pascendas Petro Christus commisit.* ℞. Illud Pronomen, *meas*, æquivalere signo universali. Nam si ad hoc Pronomen *meas*, addatur *Oves*, manifestè significatur, extendi ad omnes oves: non enim ullus est in Ecclesia, qui se Christi ovem non glorietur, etiam & omnes hæretici hoc fatentur; ergo cùm dixerit, *meas oves*, intellexit omnes omninò

Cui ergo alias commisit? fortè Luthero; at nihil de hoc in Evangelio legimus.

Chri-

Chriſtianos Petro commendâſſe. Undè & Chriſtus Joan. 10. ait: *Cognoſco oves meas, & oves meæ vocem meam audiunt*, licèt Chriſtus non addidit, *omnes*, quis dubitabit, quòd non omnium fuerit Paſtor. Accommodè S. Bernardus lib. 2. de Conſider. *Petre, paſce oves meas; quas? illius, vel illius populos Civitatis, aut Regionis, aut certi Regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non deſignâſſe aliquas, ſed aſſignâſſe omnes: nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil.* Apparet, quòd hic error fuerit tempore S. Bernardi.

Objicit Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 6. §. 9. *Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ*, Epheſ. 4. *igitur injuriam facit Chriſto, qui aliud Caput nominat.* ℞. Nulla injuria fit Chriſto. Non enim aſſerimus, Papam Caput Eccleſiæ eſſe cum Chriſto, ſed ſub Chriſto, ut ejus Miniſtrum & Vicarium: non enim injuria fit Regi, ſi dicatur, Prorex eſſe Caput ſub Rege, quin potiùs ejus augetur gloria; ita etiam & Chriſti augetur gloria. Et hoc clarè patet ex ipſa Scriptura. Chriſtus ipſe dixit Joan. 8. *Ego ſum lux mundi.* Idem dixit Matth. 5. Apoſtolis: *Vos eſtis lux mundi*; & tamen ipſe per hoc ſibi injuriam non fecit. Et 1. ad Corint. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere*; & tamen idem dixit ad Epheſ. 2. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum.* Et Joan. 1. legimus: *Dedit eis poteſtatem Filios DEI fieri*, & tamen per hoc nulla injuria fit Chriſto, quamvis ſit Filius DEI. Et ipſemet DEUS ad Moyſen: *Conſtitui te Deum Pharaonis*; & quis dicet? quòd DEUS ſibi per hoc intulerit injuriam, quòd vocaverit Moyſen DEUM Pharaonis. Iſta ſunt clara nimis, nullam per hoc injuriam fieri Chriſto. Videantur aliæ ſimiles Objectiones, cum ſuis adæquatis Solutionibus, apud Catholicos Authores, ut Bellarminum, Becanum, Gravinam, Hoſium, Turrecrematam, & multos alios. NB.

Diſcurſus Authoris.

Pag. 80.

De Primatu Romanorum Pontificum.

DIſtinguere autem hîc ſolent nonnulli inter Primatum Ordinis & Jurisdictionis; alij addunt Primatum Magiſterij in docendo. Primatum Ordinis Romano Pontifici, tanquam primo Patriarchæ in Eccleſia Catholica, plurimi moderati Theologi Proteſtantes concedunt: Primatum autem Jurisdictionis, & Magiſterij in docendo, illi

illi cum Græcis & Orientalibus nonnulli negant; plurimæ tamen Orientales Ecclesiæ eandem concedunt: &c. &c. An non Romano Pontifici competens concedenda Jurisdictio? tanquam Patriarchæ primo Occidentalis Ecclesiæ, illam ut regat juxta Canones Ecclesiasticos, à tota Catholica Occidentali Ecclesia approbatos, inprimis illas Ecclesias, quæ per Missionarios à Cathedra Romanæ Ecclesiæ ad Fidem Catholicam conversæ, ab ipsa Cathedra primitùs fundatæ, imò & Privilegijs & Juribus donatæ sunt, quæq; illius regimen ac Primatum, tanquam Filij Matris Catholicæ, filiali submissione olim agnoverunt.

non meminit Author de Orientali Ecclesia, sed supponit, nam de unione solius Occidentalis tractat.

Discursus Theol.

De Primatu & Authoritate Rom. Pontificum.

AB ipso tempore Apostolorum duplici telo cæpit oppugnare Catholicam Religionem diabolus, commovendo varios hæreticos, primò contra Ecclesiam, secundò contra Prælatos illius: & ex hac duplici diaboli suggestione, omnes ferè hæreses prodiêrunt. Satis clarè hoc expressit S. Cyprianus, Epist. 55. dum ait: *Non aliundè hæreses obortas esse, aut nata esse Schismata, quàm indè, quòd Sacerdoti DEI non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex, vice Christi cogitatur, cui si secundùm Magisteria Divina obtemperaret fraternitas universa, &c. nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens, seorsùm foris hæresim novam conderet.* Malitiam verò diaboli in oppugnando Prælatos Ecclesiæ, quid ille intendat, non minùs clarè idem S. Cyprianus ibidem expressit, dum ait: *Christi adversarius, & Ecclesiæ ejus inimicus, ad hoc Ecclesiæ Præpositum suâ infestatione persequitur, ut Gubernatore sublato, atrociùs & violentiùs circa Ecclesiæ naufragia grassetur.* Circa hanc authoritatem varij erant errores, & quibusdam quasi gradibus, illam diabolus, nunquam tamen prævaliturus, expugnare semper conatus est: Primò, per Schismata & blasphemias; 2do, per negationem singularis Summo Pontifici Rom. præ cæteris potestatis; 3tiò, tandem per totalem ejus negationem. Sic Donatistæ Sedem Apostolicam, Cathedram pestilentiæ vocaverunt, ab ea se per Schisma, posteà per hæresim separârunt, docentes, rebaptizandos ab hæreticis baptizatos, & in sola parte Donati veram esse Ecclesiam. Hoc errore fuit etiam infectus Petilianus, contra quem sic scribit S. Augustinus,

NB.

gustinus, lib. 2. cap. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ? in qua Petrus sedit, & in qua nunc Anastasius sedet. Cur appellas Cathedram pestilentiæ, Cathedram Apostolicam?* In secundo ordine reponendi sunt Græci Schismatici, inter quos Dioscorus, Episc. Alexandr. hæreticus Eutychianus, qui eo insaniæ devenit, ut ausus fuerit, sententiam anathematis pronunciare in Rom. Pontificem, S. Leonem: Alij Orientales, Episcopum Constantinopol. in Patriarcham sublimare, eiq; locum post Romanam Sedem tribuere volentes, absentibus Legatis Apostolicis, clandestinè Canonem ediderunt, ut patet ex Canone surreptitio, qui post Canones 26. legitimos Concil. Chalced. appositus est 27. surreptitius cum sua annotatione de fraude hujus Canonis, ad comparandum Primatum suæ Ecclesiæ ab Orientalibus, quem S. Leo pluribus Epistolis damnavit, quòd præter auctoritatem Rom. Pontificis editus fuerit. Ad hos etiam reduci possunt hæretici Aetiani, qui docuerunt, (ex Epiphanio Hær. 75. & ex S. August. Hær. 53.) omnes Presbyteros esse pares, & exindè singularem Rom. Pontificis negârunt auctoritatem, ob eam etiam causam (ut refert Castro de Hæresibus, verbo Papa.) Waldenses se ab ejus obedientia separâsse, qui (teste Æneâ Sylvio lib. de Orig. Bohem. cap. 35.) prodierunt à quodam Waldone, Cive Lugdun. qui cùm Idiota esset, aliquos libros vulgari linguâ cum quibusdam Sanctorum dictis conscripsit, quos non sanè intelligens, suo afflatus spiritu, pessimos errores disseminare aggressus est. Item, ijdem Waldenses omnes formulas orandi reijciebant, exceptâ Oratione Dominicâ Pater noster, ergo & Symbolum Apostolorum, quo mysteria Fidei nostræ confitemur, & Psalmos, quibus Christus sæpius usus est. Item, quod pejus est, & commune quasi omnibus hæreticis, omnem carnalem commixtionem, tam inter viros, quàm mulieres, esse licitam docebant; verè fatui, cùm homines rationales, per hoc vitium carnis, in belluas ratione carentes, transformare volebant. Ab his ergo fuit oppugnata hominibus Rom. Pontificis auctoritas. Sed frustrà. Nam contrarium S. Scriptura, Concilia, & SS. Patres loquuntur. Matth. 16. *Tu es Petrus, &c.* Et: *Tibi dabo Claves Regni Cælorum.* Et: *Quodcunq; ligaveris super terram, erit & ligatum in Cœlis; & quodcunq; ligaveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Hunc locum S. Scripturæ, explicat Concil. Nicænum I. Can. 3. ut patet ex Epist. Julij Rom. Pont. de Concilij Nicæni Canonibus, ubi sic ait: *Nihil definire inconsulto Romano Pontifice permissum*

sum est, cùm Beato Petro Apostolo, non ab alio, quàm ab ipso Domino dictum sit, Quæcunq; ligaveris Canon 1. hæc habet: *Non debent præter Romani Pontificis sententiam Concilia celebrari* Et Canon 2. ait: *Omnes Episcopi liberè Apostolicam appellent Sedem, cuius depositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum iudicia antiqua, Apostolorum, eorumq; Successorum, atq; Canonum auctoritas reservavit.* Simile habetur in Præfatione Nicæni Concilij, scilicet: *Ecclesia Rom. nullis Synodicis Decretis prælata est cæteris Ecclesiis, sed Evangelicâ voce Domini & Salvatoris nostri Primatum obtinuit.* Explicat horum Canonum sensum clariùs Concil. Chalcedon. Act. 16. dum ait: *Trecentorum decem & octo SS. Patrum, Canon 6tus, quòd Ecclesia Romana semper habuit Primatum*; moxq; eundem Canonem recitat sic: *Synodo Nicanæ Sylvester Pontifex Romanus, per suos Legatos auctoritatem contulit.* Citat etiam Author Tubæ pag. 53. de auctoritate Pontif. Rom. Concil. Romanum sub S. Sylvestro sic ait Canone ultimo: *Nemo iudicabit primam Sedem, neq; ab Augusto, neq; ab omni Clero, neq;*
Vixit An. 83 *à Regibus, neq; à populo.* S. Anacletus, Papa & Martyr. Epist. 3. cap. 3. sic ait: *Hæc verò Sancta, Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro Primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sic, ut ipse B. Petro Apostolo dixit: Tu es Pe-*
Vixit An. 106 *trus, & super hanc Petram &c.* Idem simile habet S. Alexander Papa & Martyr Epist. 1. *Ad huius Sanctæ & Apostolicæ Sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarum, ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad Caput, ipsoq; dicente Principi Aposto-*
Vixit An. 143 *lorum Petro: Tu es Petrus.* Pius I. Martyr: *Christus hanc Sedem Apo-*
An. 154 *stolicam omnium Ecclesiarum Caput esse præcepit.* S. Anicetus Martyr unicâ Epistolâ ait: *Ad se pertinere terminare omnium Episcoporum iudicia.* Idem habet Eleuterius in sua. Ad hoc facit, quòd hic Pontifex Cedronem, Marcionem, & Valentinum, hæreticos proscripserit. Victor quoq; Theodorum Bysantium hæresiarcham damnavit, & multi alij, ut Cerinthus, Novatiani, à Pontificibus Romanis pro hæreticis declarati ante omne Concilium, cùm Novatiani præcesserint Concilium I. Nicænum Generale, circiter centum viginti annis, & tamen posteriores fuerunt omnibus superiùs commemoratis. Pelagianos etiam nullum Concilium damnavit, sed post Decreta Concilij Africani à Zozymo Papa approbata, statim pro toto Orbe pro hæreticis habiti sunt, sicut & omnes suprà dicti, quos etiam ad-

versarij pro hæreticis habent. Nullo modo ergo hic usus & praxis trium priorum Ecclesiæ Sæculorum, quibus Summi Pontifices, absque ullo Concilio Generali, & hæreses authoritate condemnârunt, & plura Fidei Decreta explicârunt, quid credendum, quid respuendũ, & hæc maximè enituit authoritas, quæ esset in Successore Petri. Cùm S. Stephanus Papa, nullis armis, quàm Majorum Traditione munitus, cujus Sedes Romana fidelis semper & invicta custos extitit, omnem Orientalium & Occidentalium impetum sustinuit Episcoporum, & inanem reddidit, condemnatâ priùs Iconiensi, deindè Carthaginensi Synodo: statuit ritè, semel ab hæreticis baptizatos non esse iterum baptizandos, venientes ad Ecclesiam, cui Statuto omnes, qui pro hæreticis haberi noluerunt, tanquam certæ, & indubitatæ definitioni obedierunt. Vincentius Lirinensis lib. contra hæret. cap. 9. sic ait: *Tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus, Apostolicæ Sedis Antistes, cum cæteris quidem Collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit, dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum Fidei devotione vinceret, quantum loci authoritate superabat.* Lucius Papa & Martyr, Epist. ad Galliæ & Hispaniæ Episcopos hæc habet: Hæc Sancta & Apostolica Mater, omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per DEI Omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ Traditionis nunquam errâsse probatur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut in exordio normam Fidei percepit ab Authoribus suis Apostolorum Christi Principibus illibata &c. manet, secundùm ipsius Domini Salvatoris Divinam pollicitationem, qui Discipulorum suorum Principi, in suis fatus est Evangelijs, *Petre &c. Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Consideret itaque vestra excellens prudentia, quàm bonum sit, persistere in dispensatione nobis credita, & in fide recta, atque hæreticis & æmulis Christi repugnare, & nunquam à veritatis tramite declinare, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui pro nobis mori non dubitavit, & proprio nos suo redemit Sanguine, fidem B. Petri nunquam defecturam promisit, & confirmare eam fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis Prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum, quorum & pusillitas mea, licèt impar & minima, pro suscepto tamen Divinâ dignatione ministerio pedisequa cupit existere.

Vixit A. 253.

Confirmatur authoritas Romani Pontificis ex Actis Concilij

Chalc-

Chalcedonensis Generalis. Marcianus Imperator rogat Pontificem, ut ad propulsandas hæreses, locum, tempus, & modum congregandi Concilij universalis præscribat duabus Epistolis. In priore Epistola hæc ait: Per celebrandam Synodum te auctore, maxima pars circa omnes Episcopos Fidei Catholicæ fiat. In secunda Epistola idem Imperator hæc scribit: Superest, ut si placuerit tuæ Beatitudini in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere Religionis affectu dignetur. Et paulò pòst ait: Si verò hoc onerosum est, ut tu ad has partes advenias, hoc ipsum proprijs li-

NB. teris tua Sanctitas manifestet, quatenùs & in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam & Illyricum nostræ literæ dirigantur, ut ad quendam destinatum locum, ubi vobis placuerit, omnes SSmi Episcopi debeant convenire, & quæ Christianæ Religioni, & Catholicæ Fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas Regulas definierit, suâ dispositione declarent. Idem Pulcheria Augusta petens Epist. ad S. Leonem ait: Tua reverentia, quocunq; modo prospexerit, significare dignetur, ut omnes, etiam

NB. totius Orientis Episcopi &c. valeant convenire, & illic in S. Concilio &c. sicut fides & Christiana pietas exigit, te auctore decernant. Et ipsi Episcopi ad Imperatorem Leonem sic ajunt: In Chalcedonensium Civitate multi Sancti Episcopi convenerunt,

NB. per jussionem Leonis Rom. Pontificis, *qui verè Caput est Episcoporũ.* Gelasius ad Episcopos Dardaniæ scribit: Non Alexandrinam, nec Antiochenam, sed solam Apostolicam Sedem cum auxilio Imperatoris suâ auctoritate decrevisse, ut Synodus Chalcedonensis fieret. Quod etiam expresserunt Patres in Epistola Synodica ad Leonem Rom. Pontificem his verbis: Tu Episcopis, Judicibus, sicut membris Caput præeras, in his, qui tuum tenebant locum, Imperatores verè ad ordinandum decentissimè præsidebant. Legati Romani Pontificis auctoritatem satis clarè expresserunt Actione 3. his verbis: Sanctissimus ac Beatissimus Papa, Caput Universalis Ecclesiæ Leo, per nos Legatos suos, Sanctâ Synodo consentiente, Petri Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum, &

☞ Petra Fidei, & cœlestis Regni Janitor nuncupatur, Episcopali dignitate Dioscorum nudavit, & ab omni Sacerdotali opere fecit extorrem. Ipse S. Leo Epistolâ, quam scripsit ad Synodum Chalcedon. 47. ait: In his Fratribus, Paschasio & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede dire-

cti sunt, ne Synodo, vestra fraternitas existimet præsidere. In Ses- „ sione verò secunda hujus Concilij lectum est Sacrum Nicæni Concilij Symbolum & Constantinopol. deinde duæ Epistolæ S. Cyrilli: insuper magna illa S. Leonis Epistola 10. de Verbi Incarnatione, ad Flavianum scripta, publicè recitari jussa est. Deindè refutatis illis, quæ ab Episcopis Palæstinæ & Illyrici objecta fuerunt, acclamatum est ab omnibus: *Hæc Patrum Fides, hæc Apostolorum Fides, omnes ita credimus, Orthodoxi ita credimus; anathema, qui non ita credit, Petrus per Leonem ita locutus est.*

Discursus Authoris.

Pag. 82.

De Iurisdictione & Auctoritate Rom. Pontificis.

CConcedatur Romano Pontifici tanta Jurisdictio, tantaq; Auctoritas in nostras Ecclesias, ac reverentia, quanta juxta Canones Catholicæ Ecclesiæ Primo Patriarchæ, & Patriarchæ Occidentali, adeòq; & nostrarum Ecclesiarum competit, & quantum per 800. annos, juxta Mylium cit. superiori loco, vel ad minimum usq; ad tempora Gregorij M. Rom. Pontificis, in priori ævo Patres Orthodoxi ac pij, Romano Pontifici tribuerunt & concesserunt, quòd si illis temporibus Divinæ ac cœlestis doctrinæ veritas Primatum & Jurisdictionem Patriarchalem in Rom. Pontifice admisit, quidni & in hodierno Sæculo? NB.

Discursus Theol.

Quæ Iurisdictio & Auctoritas competit in Ecclesia Cathol. Romanis Pontificibus.

EX continua praxi constat, in Ecclesia Catholica nunquam Romanos Pontifices aliquid fecisse, vel rexisse Ecclesiam ut Archiepiscopos, vel Patriarchas, sed semper ut Summos Pontifices, quam dignitatem Jure Divino acceperunt à Christo in Petro per Successionem, hoc jam patuit ex S. Scriptura, Concilijs, & SS. Patribus superiùs, qui universim Romanos Pontifices dicunt succedere in Cathedram Petri. Deindè manifestum est, cùm Petrus constitutus

sit Pastor totius Ecclesiæ, Joan. ult. *Pasce oves meas, pasce agnos meos*, necesse est, aliquem succedere Petro in Prælaturam & Pontificatum: certum enim est, Pontificem esse propter Ecclesiam, non Ecclesiam propter Pontificem, ut ait S. August. lib. de Pastoribus, c. 1. *Quòd Christiani sumus, propter nos; quòd Præpositi, propter vos est.* Atqui Ecclesia eget non minùs nunc uno Pastore, quàm tempore Apostolorum, immo magis nunc, cùm plures Christiani, & plures hæreses, idq; per universum Orbem innumerabiles, inter quas ut sciant fideles de una vera Ecclesia, sub uno Pastore constituta. Non igitur moriente Petro, interire debuit Pontificatus, qui non in gratiam Petri, sed in commodum Ecclesiæ & fidelium constitutus est à Christo, perseverare debet, quousq; ipsa Ecclesia perseverabit, quæ unius Pastoris curâ & vigilantiâ opus habet, & per hoc distinguitur ab omnibus hæresibus, quia illæ non habent unum Pastorem, ideò divisæ sunt in infinitas penè partes. *Secundò* probatur ex unitate Ecclesiæ. Nam Ecclesia est una, & eadem omni tempore, non debet mutari forma regiminis illius, quare si Apostolorum tempore unus erat Supremus Rector, & Caput Ecclesiæ, etiam hoc tempore esse debet. Undè S. Ambrosius in Cap. 3. 1. ad Tim. *Domus ejus Ecclesia dicitur, cujus hodiè Rector est Damasus.* S. Cyprian. lib. 1. Epist. 8. *DEUS unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una, super Petrum, Domini voce fundata.* S. August. in Psal. contra partem Donati: *Numerate Sacerdotes ab ipsa Petri Sede, ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ*; & passim SS. Patres Romanos Pontifices vocant Successores Petri in Cathedram ejus. In Concilio Chalced. conclamatum est: *Caput Universalis Ecclesiæ Leo*; & iterum: *Petrus per Leonem locutus est.* Quid ista denotant, nisi Successionem, cùm Petrus loquatur per Rom. Pontifices. *Tertiò* probatur ex verbis Domini, *Pasce oves meas.* Nam officium Pastoris debet durare tam diù, quàm diù durabit ovile: sed ovile durabit usq; ad consummationem sæculi, igitur & officium Pastoris Petri in suis Successoribus. Sic S. Chrysost. lib. 2. de Sacerd. *Quarum curam tam Petro, quàm Successoribus committebat.* Et S. Leo Serm. 2. de Anniv. assum. *Perseverat videlicet Petrus, & vivit in Successoribus suis*, & communiter alij SS. Patres. Vide superiùs, quæ diximus de Notis Ecclesiæ, Catholica, & Apostolica. *Quartò.* Nullus unquam fuit, qui Petri Successorem diceret, vel pro tali habitus sit ab Ecclesia, & SS. Patribus, & Concilijs, nisi Romanus Pontifex, & si alius esset,

NB.

NB.

NB.

esset, nullus alius præter Antiochenum: si autem Antiochenus fuisset Episcopus Episcoporum, at Nicænum Concil. Can. 6. Antiochenum Episc. tertium, non primum, nec secundum Patriarcham declaravit, sicut erat semper, nec unquam Episcopi Antiocheni altiorem locum requirebant. De Constantinopolitano etiam talis est ejusdem Concilij Canon 5. *Constantinop. Civitatis Episcopum habere oportet Primatûs honorem, post Romanum.* Cujus Canonis Annotatio hæc habet: *Episcopi Constantinop. Imperatorum potentiâ freti, ob dignitatem Regiæ Vrbis secundum locum Sedium Patriarch. sibi usurpârunt.* Nicolaus I. Epist. ad Michaëlem scribit, & enumerat octo Patriarchas Constantinop. depositos à Rom. Pontif. inter quos Anthimus fuit. Et S. Cyprianus lib. 3. Epist. 13. petit à Stephano Papa, ut deponat Arelatensem Episcopum, & alium substituat. Theodoret. lib. 5. Histor. cap. 23. ait, Damasum deposuisse Flavianum, Patriarcham Antioch. Sixtus III. ut patet ex Tom. 1. Conciliorum Actis Sixti III. deposuit Polychronium, Hierosol. Patriarcham. Ex Jure etiam appellationum, suprema potestas Rom. Pont. per totum Orbem probatur. Sic declaratum est in Concilio Sardicensi Generali Can. 4. in quo fuerunt 374. Episcopi Cathol. ex 33. totius Orbis Provincijs, cum Legatis Julij: hanc Synodum legitimam agnoscunt Centuriatores Magdeburg. Cent. 4. cap. 9. Marcion excommunicatus à suo Episcopo, venit Româ, ut absolveretur à Pio I. An. 142. Athanasius ad Julium I. An. 350. Chrysostomus ad Innocentium, Flavianus ad Leonem. Theodoretus, qui 800. Ecclesijs præerat, Episcopus Asianus, Epist. ad Leonem ait: *Ego Apostolicæ Vestræ Sedis expecto sententiam, &c. ita tenet ista S. Sedes gubernacula regendarum cuncti Orbis Ecclesiarum.* S. Hieron. licèt fuerit natione Syrus, ad Damasum ait: *Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio.* Cùm ergo Author Tubæ dicat in suo Discursu, *Concedatur Romano Pontifici tanta Iurisdictio, tantaq; auctoritas in nostras Ecclesias ac reverentia, quanta iuxta Canones Cathol. Ecclesiæ primo Patriarchæ, & Patriarchæ Occidentali, adeòq; nostrarum Ecclesiarum competit,* supponimus, quia non excludit Orientales, & totius Orbis Ecclesias ab eadem Jurisdictione, & auctoritate, quam parem habet Rom. Pontifex, sicut ad Occidentales Ecclesias. Ratio hujus, quia Author Tubæ non agit, nisi de unione suarum in Occidente Ecclesiarũ cum Rom. Ecclesia, ut ipse pag. 17. ait: *Non tamen de unione harum Ecclesia-*

clesiarum, id est Orientalium, nobis est propositum disserere. Alibi verò, ut pag. 81. cum Zeidlero vocat illum, Primum inter omnes Episcopos, Pontificem Maximum, Episcopum Episcoporum, à SSmis Patribus Catholicis, quin & Sanctitatis eruditionisq; privilegio, inter magnos Episcopos longè maximum Episcopum Rom. Pontificem habitum, &c. ipsiq; cura universalis Ecclesiæ incubuerit, & adhuc incumbat. Et pag. 79. ait: *Notandum est, Rom. Pontificem à to-*

NB. *ta Ecclesia Catholica, attestantibus id in universum SS. Patribus Orthodoxis, pro Successore Petri habitum, obq; id & Cathedram Ecclesiæ Rom. communissimè olim, & nunc vocatam esse Cathedram Apostolicam, Cathedram Petri.* Reliqua vide in superiori illius Discursu. Ad margin. ibidem ait: Memorabilia sunt verba Cyrilli Alex. &c. *ut membra manеamus in Capite nostro, Apostolico throno Romanorum Pontif. à quo*

NB. *nostrum est quærere, quid tenere, quid credere debeamus?* Idem Author ibidem adducit S. Bernardum: *Tibi universi crediti, uni unus, nec modò Ovium, sed & Pastorum, tu unus omnium Pastor, & iuxta Canones tuos, alij in partem sollicitudinis, tu in plenitudine potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos, qui super alios potestatẽ acceperant. Nam si causa extiterit, tu Episcopo Cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Sathanæ potes.* Et pag. 42. ait: *Innocentium Rom. Episcopum,*

Author Tubæ pag. 18. Vide suprà pag. 77.

Orientales Episcopi in dubijs Fidei rebus consuluerunt. Et pag. 18. ait: *Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidet?* Cyprian. *Cum qua Ecclesia coniungi tot voluerunt Imperia & Regna, tot pij Imperatores & Reges adhuc coniunguntur, cuius Cathedræ unitas ab omnibus servata est, nec cæteri Apostoli sibi quisq; defenderent, ut tam Schismaticus, & persecutor esset, qui contra singularem Cathedram, alteram Cathedram collocaret, cui nolle primas dare, summæ profectò impietatis est, cuius Sedis Episcopis omnium Episcoporum iudicium, omnium Ecclesiarum cura commissa fuit, & quidem perpetuo privilegij Jure.* Et ad marg. in eadem pag. ait: *Magnum studium fuisse, servare unitatem Sedis Apostolicæ Romanæ, properásse eidem Sedi Sacerdotes universi Orientalis tractus subijcere & unire.* Hucusq; Author Tubæ. Hæc ideò ex Authore adducere placuit, ut pateat, illum non excludere à Rom. Pontifice Jurisdictionem ipsi competentem in Ecclesias Orientales, cùm loquitur de unione suarum in Occidente Ecclesiarum, & vocat Rom. Pont. primum Patriarcham Occidentalis Ecclesiæ; ait enim pag. 82. *Concedatur Romano Pontifici*

tanta Juriſdictio, tantaq; auctoritas in noſtras Eccleſias, quanta juxta Canones Catholicæ Eccleſiæ &c. competat.

Diſcurſus Theolog.

De Iuriſdictione & Poteſtate, quam Imperatores & Reges agnoſcebant in Romanis Pontificibus.

HAnc poteſtatem in Romanis Pontificibus agnoſcebant etiam Imperatores. Conſtantinus M. ad S. Sylveſtrum ſcribens, eum tanquam Vicarium Chriſti agnoſcebat, & alios Epiſcopos ſummè venerabatur. Hujus venerationis extat ſingulare exemplum apud Nicephorum lib. 8. Hiſt. cap. 16. Valentinianus III. Epiſt. ad Theod. Imper. vocat Rom. Pont. *Supremum Eccleſiæ Caput, ac Sacerdotum Principem.* Juſtinianus Epiſt. ad Joan. Papam, non Imperatores, non Reges, ſed Rom. Pont. affirmat *Caput omnium Eccleſiarum.* Etiam Reges idem ſenſerunt. Eduardus I. Rex Angliæ, Epiſt. ad Nicolaum II. ſic ſcribit: *Summo Univerſalis Eccleſiæ Patri Nicolao, Eduardus, gratiâ DEI Anglorum Rex, debitam & ſubjectionem, & obedientiam.* Alter Eduardus, Epiſt. ad Bonifac. VIII. Pontificiam auctoritatem ita veneratur, ut eam multis Sæculis proſperam optet. Quædam Regina Angliæ, cujus Epiſtola extat inter Epiſtolas Petri Bleſenſis, Epiſt. 144. ait: *Gentes divulſæ, populi lacerati, &c. in ſpiritu contrito & humiliato, ſupplicant vobis, quem conſtituit DEUS ſuper gentes & Regna, in omni plenitudine poteſtatis.* Henricus VIII. quamdiù fuit Catholicus, & antequam ſeipſum faceret Caput Eccleſiæ in ſuo Regno, fuit acerrimus propugnator Fidei Cathol. Ex multis hîc pauca ponimus, quæ habentur in Aſsert. Septem Sacramentorum adverſus Lutherum. Art. 2. ſic ait: *Negare Lutherus non poteſt, quin omnis Eccleſia Fidelium Sacroſanctam Sedem Romanam, velut Matrem, Primatemq; recognoſcat ac veneretur; quæcunq; ſaltim, neq; locorum diſtantiâ, neq; periculis interiacentibus, prohibetur acceſſu. Quanquam ſi vera dicunt, qui ex India quoq; veniunt, huc Indi etiam, tot terrarum, tot marium, tot ſolitudinum plagis diſtincti, Romano tamen Pontifici ſe ſubmittunt. Ergo ſi tantam, & tam latè fuſam poteſtatem, neq; DEI iuſſu Pontifex, neq; hominum voluntate conſecutus eſt, ſed ſuâ ſibi vi vendicavit; dicat velim Lutherus, quando in tantæ ditionis erupit poſſeſſionem? Num poteſt obſcurum eſſe initium tam immenſæ*

menſæ potentiæ, præſertim, ſi intra hominum memoriam nata ſit? Quòd ſi rem dixerit, unam fortaſſè aut duas ætates ſuperare, in memoriam nobis redigat ex Hiſtorijs; alioquin ſi tam vetuſta ſit, ut rei etiam tantæ obliterata ſit origo, legibus omninò cautum eſſe agnoſcat, ut cuius ius omnem hominum memoriam ita ſupergreditur, ut ſciri non poſſit,
NB. *cuiuſmodi habuerit initium, cenſeatur habuiſſe legitimum, vetitumq́ eſſe conſtat omnium conſenſu gentium, ne quæ diù manſerint immota, moveantur.* Idem Henricus alia plurima ſcitu digna, de antiqua Romanæ Sedis poteſtate, ex Hiſtorijs commemorat. Idem confeſſi ſunt alij Reges. Luitprandus, Longobard. Rex. Lotharius Rex ad Adrianum II. ſcribens, eum *Principem Paſtorum* vocat. Leo, Rex Armeniorum, Epiſt. ad Innocent. III. ſic ſcribit: *Gloria & honor Omnipotenti DEO, qui Vos tantum ac talem Paſtorem Eccleſiæ ſuæ præeſſe voluit.* Reginaldus, Rex Inſularum, Epiſt. ad Honorium III. illum *Supremum Eccleſiæ Paſtorem* ſalutat. Carolus, Rex Siciliæ, Epiſt. ad Clementem IV. eundem illi titulum tribuit. Sigiſmundus, Rex Poloniæ, Epiſt. ad Concil. Lateran. his verbis ſcribit: Deſignamus Oratores noſtros, dantes illis poteſtatem coram Sanctitate Leonis X. Papæ comparendi, ibidemq́; *obedientiam, iuxta Maiorum meorum conſuetudinem, præſtandi & recognoſcendi, eundem eſſe verum, unicum, & indubitatum Pontificem, & Dominici Gregis Paſtorem.* Item Vladislaus, Rex Poloniæ, Epiſt. ad Joan. XXII. ſubjectum ſe illius Filium fatetur. Ladislaus, Rex Hungariæ & Bohemiæ, Orat. ad Ni-
" colaum V. habitâ, eum inter Mortales, DEI vicem gerere, & Ro-
" manam Sedem, omnium eminentiſſimam declarat.

Diſcurſus Theol.

De Cauſis, quibus Rom. Pontificum dignitas ab hæreticis tam virulenter oppugnatur.

QUare autem in Eccleſia DEI Pontificia dignitas tantoperè ab hæreticis oppugnabatur, & oppugnatur, ad initium hujus Diſcursûs, *primam Cauſam* malitiam diaboli, ex S. Cypriano aſſignavimus, qui ait: *Chriſti adverſarius, & Eccleſiæ eius inimicus, ad hoc Eccleſiæ Præpoſitum ſuâ infeſtatione perſequitur, ut Gubernatore ſublato, atrociùs & violentiùs circa Eccleſiæ naufragia graſſetur.* Noverat enim benè ille, quòd Eccleſia ſinè Gubernatore ſubſiſtere non poteſt, quam

etsi totaliter tollere non potest, saltim per negationem singularis potestatis illius, multos in Schismata, hæreses, & varios errores inducat: non enim hoc ferre potest, quòd illi multa præda eripitur, per hoc, quòd Romani Pontifices, ut patet ex praxi primitivæ Ecclesiæ, etiam ante Concil. Nicænum, ut plurimùm hæreticos pro hæreticis declarant, & sæpiùs declarârunt, cui malo tam citò Concilium occurrere non potest, cùm sæpè longo tempore celebrari non potest, vel ob difficultatem congregandorum Episcoporum ex longinquis Regionibus, vel ob bella, vel ob varia impedimenta, quæ ipsi hæretici sollicitè procurant, ne in Concilio condemnentur, ut patet etiam in prioribus Concilijs, quid non fecerint Ariani contra Conciliũ Nicænum, Nestorius contra Ephesinum, Dioscorus contra Chalcedonense: & sic de alijs, etiam de Tridentino. NB.

ut de omnibus Concilijs, quæ hæretici omnibus viribus impediebant.

Secunda Causa potest esse, quam expressit S. Epiphan. hær. 75. quem etiam citat Author Tubæ pag. 3. Ait Sanctus: *Hæreses aut gloriæ cupiditate, aut arrogantiâ, aut voluptatum libidine sunt introductæ, aut similibus alijs de causis.* Authores verò hæresum sic Apostolus ad Rom. 1. expressit: *Repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, DEO odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, malorum inventores, parentibus non obedientes.* Ecce lapidem lydium! qui vult hæresim & hæreticum agnoscere, habet ad vivum imaginem illorum, ex S. Paulo, & S. Epiphanio.



Viva imago hæretici.

Tertia Causa potest esse Error multorum, qui in hoc errant, cùm dicant, in Primitiva Ecclesia Romanos Pontifices non exercuisse multos actus suæ potestatis, sicut modò exercent. ℞. Certum est, non exercuisse, cùm non haberent occasiones exercendi illam, præsertim illis trecentis annis usq; ad S. Sylvestrum, cùm Ecclesia fuerit in continua persecutione, & post S. Sylvestrum, modò cæpit elevare Caput: non erant tales occasiones, cùm ferè omnes aut Paganismo, aut Judaismo infecti erant. Sed hoc advertendum est, aliud esse institutionem, aliud institutionis exercitium. Potestas data fuit à Christo, & quidem maxima & generalis, *Quodcunq; ligaveris super terram*; exercitium verò potestatis cum tempore processit: crescente numero Fidelium, creverunt etiam occasiones, exercendi illam illimitatam potestatem. Undè malè aliquis colligeret sic: Concilia Generalia non sunt celebrata ante tempora Constantini Magni, ergo post tempora illius non sunt celebranda. Exercebant

ergo

ergo Romani Pontifices hanc potestatem, quantùm poterant, & quantũ se occasio offerebat: mittebant Missionarios ad varia Regna, celebrabãt Concilia, quantùm poterant, ordinabãt Episcopos, Presbyteros, condemnabant hæreticos, & pro talibus declarabant, ut Apellianos, Valentinianos, Marcionitas, & alios. Patet hoc etiam ex ipsis titulis Rom. Pontificum, licèt universo Ecclesiæ Pastori, Petro succedebant, tamen hoc titulo non statim usi sunt, ut suprà innuimus. Primus fuit S. Sixtus, Papa & Martyr, septimus post S. Petrum, & vixit An. 120. usus est hoc titulo: *Universalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus*. Item S. Victor, Papa & Martyr, post S. Petrũ 14. vixit An. 190. usus est hoc titulo primus: *Pontifex Maximus, Episcopus Episcoporum*. Et quis dicet, hos SS. Pontifices & Martyres, pro Fide Christi mortuos, errâsse in his titulis; puto nullus, nisi ille, qui nolit agnoscere veritatem. Crevit ergo usus & exercitium institutionis cum tempore, cùm ipsa institutio & potestas, maxima, & illimitata antiqua fuit, *Quodcunq; ligaveris*, & *Pasce oves meas, pasce agnos meos*. In quæ verba S. Bernardus lib. 2. de Consider. *Cui? non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè & indiscretè totæ commissæ sunt oves, &c. quas? illius, vel illius populos Civitatis aut Regionis, aut certi Regni? Oves meas, inquit, cui non planum non designâsse aliquas, sed assignâsse omnes. Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

Discursus Theol.

De Prærogativis Romanorum Pontificum; ut manifestè toti Orbi pateat, quàm iniquè, & contra conscientiam agunt, qui Romanis Pontificibus Primatum & Iurisdictionem in Ecclesia Cathol. Rom. denegant, cùm SS. Patres, & Concilia Generalia, varijs Titulis tam constanter omni ævo utrumq; asserant, quæ omnia Ordine Alphabetico hic apponere placuit.

A.

Romanus Pontifex

Abraham Patriarchatu, Aaron dignitate, S. Bernard. lib. 2. de Consider. cap. 8.

Abel Primatu, Id. ibid. cap. 2.

Antistes venerabilis Apostolicæ Sedis, S. Augus. Epist. 157.

Antistes Pontificalissimus Apostolicæ Summitatis, Synodus VI. Act. 18. in Prosphonet. ad Imperat.

Apex

Apex Pontificatus, Justinian. Novel. 131.

Apex Divinus, S. Basil. & Concil. Ephes. Act. 11. Conc. Chalcedon. initio.

Apex sublimissimus Apostolatûs, Lactant. Epist. ad Nicolaum I. Pont. Rom.

Apostolatus, Principatus, cuilibet Episcopatui præferendus, S. August. lib. I. de Bapt. cont. Donat. c. I.

Apostolicus Universalis Ecclesiæ, & Episcopus omnium Ecclesiarum, Synodus Chalced. Act. 6.

Arbiter ligandorum solvendorumquè, S. Leo Serm. 2. de Assumpt.

B.

Basis Fidei, S. Chrysost. Hom. 2. in Psalm. 50.

Basis immobilis, Idem Homil. de Petro & Elia.

Beatus Cœli Janitor, cuius arbitri Claves æterni aditûs traduntur, S. Hilarius in Comm. in Matth. Cap. 16.

C.

Cacumen & vertex humani generis, Petrus Damiani Opusc. 23. cap. I.

Caput & Princeps omnium Patriarcharum, Concil. Nicæn. cap. 39. apud Pisan. lib. 3.

Caput Ecclesiæ, adamantis naturam firmitate superans, S. Chrysost. Hom. 55. in Matth.

Caput Fidei, S. Gregor. II. in Regest. Epist. 42.

Claviger Cœli, S. Cyril. Hierosl. Cateche. 6. & 17.

Columen Ecclesiæ, fundamentum Fidei, S. Chrysost. Homil. 3. in Act. Apost.

Columna incorrupta Ecclesiarũ, Fidei Basis, Id. Hom. 2. in Ps. 50.

D.

Discipulus Crucis, & Successor Piscatoris, S. Hieron. Epist. 57.

Doctor supremus Orbis terrarũ, S. Damascen. in Histor. Barlaam cap. 11. juxta Græcũ Codicem, ac Hieron. Donato exhibitum, in Apologetico, de Romanæ Sedis Principatu.

Dominus & Pater totius Ecclesiæ in terra peregrinantis, S. Anselmus lib. de Incarnat. Verbi c. 7.

Dominus Sanctus, & Apostolici Culminis, Venerandus Sanctæ Romæ & Apostolicæ Sedis, atq; Universalis Ecclesiæ Papa, S. Athanas. & Episcopi Ægypti ad Marcum Papam.

Dominus omnium Gentiũ, Concil. Nicæn. I. Can. 44. è versis ex Arabico.

Dux Discipulorum Christi, S. Epiphan. Hæresi 151.

Dux Universalis Ecclesiæ, Damascenus Orat. de Transfigurat.

E.

Episcopus Orbis, Petrus Blesensis Epist. 145. lib. 9.

Episcopus Patriarcharum, Cassiodorus Epist. 15. lib. 9.

Episcopus Universalis, in tribus Epistolis, quæ habentur in Concilio Chalcedon. Act. 3. S. Leo sic denominatur.

Episcopus solus universalis omnium Ecclesiarum, Petrus Damiani Opusc. 23. cap. 1.

F.

Fastigium sublime Sacerdotij, S. Cyprian. Epist. 32.

Firmamentum omnium, S. August. Serm. 16. de Sanctis.

Firmamentum à Deo fixum & immobile. S. Athanas. & Episcopi Ægyptij ad Felicem.

Forma & fundamentum Ecclesiarum, à quo omnes Ecclesias principium sumpsisse, nemo rectè credentium ignorat, Vigilius Papa Epist. ad Euther.

Fundamentum æternum Fideliũ, S. Chrysost. Hom. in 12. Apost.

Fundamentum Ecclesiæ, S. Dionysius ad Timoth. S. Clem. Ep. 1. ad Jacob. S. Hilar. in Ps. 131.

Fundamentum, supra quod ædificij Ecclesiastici altitudo consurgit, S. August. Serm. 15. de Sanctis.

G. H.

Gubernator Throni Apostolici, Concil. Chalced. Act. 1.

Hæres Apostolorum, S. Bernard. de Consider. cap. 8.

Hæres Petri, Petrus Blesensis Epist. 145. S. Leo Serm. de Anniver. suæ Assumpt.

Homo hominum præcipuus, Petrus Damiani Opusc. 24. cap. 1.

I.

Janitor Cœlorum, Petrus Chrysolog. Ser. 127. Urbicus apud S. August. Epist. 86.

Janitor Ovilis Christi, S. Ambr. cum Synodo Mediolanensi ad Syricium.

Interpres vocis B. Petri omnibus constitutus, Concil. Chalcedon. Epist. ad S. Leonem.

Judex Cœli in terreno iudicio, S. Hilarius in Psalm. 131.

Judex omnes iudicans, ipse à nemine iudicandus, Synodus Romana sub Nicolao I. contra Photium, Colloquio 1.

L.

Lingua Cœlorum, Petrus Damiani Serm. 26.

Lumen supremum, & Princeps Sacerdotum primus, Theodorus Studita lib. 2. Epist. 12. & 13. ad Paschalem.

M.

Magister Orbis terrarũ, S. Chrysost. Hom. de Petro & Elia.

Mater & Caput omnium Ecclesiarum Romana, S. Athanasius cum Concilio, Epistolâ ad Marcum Papam.

Mater & Magistra universorum Christi fidelium Romana Ecclesia, Concil. Lateran. sub Innoc. III. Cap. 5.

Moderator & Rex universæ Ecclesiæ, Damasc. Orat. de Transfigurat.

Murus

Murus inexpugnabilis contra hæreses, Rupertus lib. 2. Offic. c. 22

O.

Origo Christianæ Religionis, & Sacerdotalis Mater dignitatis Apostolicæ Sedis, Episcopi Germaniæ ad Joannem VIII.

Os Apostolorum, & Princeps, ac Vertex Cœtûs, S. Chrysost. Hom. 87. in Joan.

P.

Papa Cathedræ Apostolicæ, Octava Synodus Act. 10. Cap. 11.

Papa universalis, ter beatissimus, Tertia Synodus Act. 17.

Pastor unus ovium & Pastorum omnium, S. Bernard. 2. de Considerat. cap. 8.

Pater Christianæ plebis, S. Augustin. Epist. 162.

Pater Orbis, Petrus Damiani Opusc. 23. cap. 1.

Patriarcha universalis, Concil. Chalced. Act. 2. in acclamationibus ad S. Leonem.

Petra Fidei, Damasc. in Histor. Barlaam.

Petrus potestate, S. Bernard. 2. de Consider. cap. 8.

Petra Ecclesiarum, S. Augustin. Serm. 26. de Sanctis, olim apud Ambros. Serm. 47.

Petra, è qua fons salutiferæ confessionis emergit, S. Maximus Homil. 1. in Nat. SS. Petri & Pauli.

Pontifex Summus magnæ Sedis Apostolicæ, Synodus II. Constantinopol. Act. 4.

Portus Fidei, S. Chrysost. Homil. de Petro & Elia.

Portus tutissimus Catholicæ Communionis, S. Hieron. Epist. 16.

Præco Supremus Ecclesiæ, S. Cyrillus Hierosol. Catech. 11.

Præfectus toti Orbi terrarũ, Claviger Cœlorum, cuius arbitrio & potestati cuncta DEUS permisit, S. Chrysost. Hom. de S. Ignatio.

Præsidens Ecclesiæ totius Orbis terrarum, S. August. lib. 1. cont. Julian. cap. 2.

Præses Ecclesiæ Divinâ providentiâ præordinatus, Damasc. Orat. de Transfigurat.

Præsul Apostolicus, in Summitatis Arce constitutus, cui Deus omnium Ecclesiarum curam habere præcepit, S. Athanas. cum Collegis, Epist. ad Felicem Papam.

Primas omnium Episcoporum, S. Leo Serm. 2. de sua Assumpt.

Primas Diœcesios, Concil. Chalcedon. 9.

Primas omniũ, & Præfectus Orbis, Theophylact. in C. 22. Luc.

Princeps communis Christianorũ omnium, Michaël Palæologus, Imperator Græcorũ, ad Greg. X.

R.

Radix & Matrix Catholicæ Ecclesiæ, S. Cyprian. Epist. 45.

Rector omnium Gentium, Concil. I. Nicæn. Can. 44.

Rex Regum, & unicus Christianorum Princeps, Ladislaus Rex Hungariæ Orat. ad Nicolaum V.

apud Cochlæum lib. 11. Histor. Hussitarum.

Robur & Petra Ecclesiæ, Theophylact. in Luc. 22.

S.

Sacerdos Summus, S. Hieron. in Præfat. Evangel. ad Damasum.

Sacerdos unus, S. Cypr. Ep. 55.

Saxum immobile, totius Christiani operis compagem, molemq; continens, S. August. Serm. de SS.

Sedes, in qua semper extra maculam servata est Catholica Religio, Justinianus ad Agapetũ Papam.

Sedes, unde Religionis nostræ fons & origo manavit, Episcopi Gallicani ad S. Leonem.

Servator aureæ fidei catenæ, præcepto Legislatoris ad nos usq; deductæ, omnibus B. Petri vocis constitutus interpres, Synodus Chalced. Epist. ad Pont. Rom.

Servus Servorum DEI, S. Gregorius titulum hunc modestissimum usurpavit, & cæteri post illum Pontifices.

T.

Tenens Principatum Sedis in Ecclesia, per cunctum Orbem patente, Sexta Synodus Epist. ad Agatho.

Thronus supremus verticalis, in quo Christus Fidei Claves posuit, adversùs quem non prævalebunt usq; ad consummationem sæculi portæ inferi, ora scilicet hæreticorum, Theodorus Studita Epist. ad Naværatium.

V.

Vertex Apostolicus Præsulum, cuius cuncta sollicitudo est, tam mala damnare, quàm revelare laudanda, Episcopi Africani Epist. ad Damasum.

Vertex membrorum omnium Ecclesiæ, S. August. Ser. de Temp.

Vicarius amoris Christi, ab eo in Cælum elevato relictus, S. Ambros. in Luc. ult.

Vice Christi fungens, & summa Pastorum in Apostolica dignitate succedens, Petr. Damiani Opusc. 17. cap. 4. & S. Gregor. lib. 2. Epist. 33. Propriè igitur dicitur Pontifex Vicarius Christi, sed non propriè Successor Christi, sed Petri in Ecclesiæ Sacerdotio, quia Christus Sacerdotium habet sempiternum.

Ad magis firmandum totum, quòd SS. Patres de Romanis Pontificibus tam constanter omni ævo tenuerunt; ex principijs omnium Protestantium tale formatur Argumentum: Omnes Dissidentes, tam Lutherani, quàm Calvinistæ, & alij, tenent ut Fidei dogma indubitatum, primitivam Ecclesiam post Christum annis circiter quingentis, alij sexcentis, sanctam & incorruptam fuisse; Secundò admittunt, Patres primitivæ Ecclesiæ veram Christi Fidem tenuisse, & docu-

docuiſſe. Unde ſequitur: illorum, qui tunc vixerant Patrum, auctoritatem & communem conſenſum in quavis Fidei Controverſia recipiendum eſſe, quos & ipſi pro ſuis dogmatibus omni ſtudio adducere conantur. Et meritò, quia Patres illi, cùm fuerint primitivæ Eccleſiæ Paſtores & Doctores, non potuerunt veram illius doctrinam & ſenſum ignorare. Si enim ipſi Doctores ignoraſſent, multò magis alijs ignota fuiſſet: unde ſequeretur, nullam fuiſſe in primitiva Eccleſia Fidem, nullam Verbi prædicationem, quam tamen Proteſtantes pro Nota Eccleſiæ agnoſcunt. Probatur ampliùs. Quia illorum Patrum Scripta in Primitiva Eccleſia, tanquam Doctorum Eccleſiæ, paſſim recepta, & perpetuo uſu approbata, ex illisq; multæ hæreſes damnatæ, fatente Luthero & Calvino: hoc enim fieri non potuit, niſi Eccleſia Primitiva veram doctrinam Patrum agnoſceret; non enim per erroneam doctrinam hæreſes impugnari poterant. Probatur ampliùs. Quia SS. Patres in primitiva Eccleſia omni ævo, & ab omnibus, etiam Diſſidentibus, pro Sanctis habiti ſunt, ergo & doctrina illorum debet eſſe ſancta & vera. Probatur ampliùs. Sancti Patres primitivæ Eccleſiæ unanimi conſenſu poſteritati traditis Scriptis in materia Fidei & morum, ſunt indubitati teſtes Fidei & doctrinæ antiquæ, quam à primordijs profitebatur vera Chriſti Eccleſia, cujus ipſi ad populum præcipui fuerunt Interpretes & Doctores, *ad Ephes. 4.* Si enim horum teſtimonium & conſenſus non ſufficiat, nulli prorſus Eccleſiæ primitivæ idonei teſtes adduci poterunt, nam absq; omni reſpectu partium & hæreſum exoriturarum, ſolo veritatis intuitu Poſteris ſuis puram ſinceramq; doctrinam tradiderunt. Hoc argumento S. Auguſtinus uſus contra Julianum hæreticum, lib. 2. cap. ult. dum ait: *Nondum vobiscum apud illos aliquid agebamus, & apud eos nota eſt cauſa noſtra; nec vos, nec nos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos ſententias citamus; nondum vobiscũ certabamus, & eis pronunciantibus vicimus.* **

** Centuriatores Primatum Rom. Pontificis ſuper omnes Epiſcopos ex Primatu Petri ſuper reliquos Apoſtolos agnoſcunt; Cent. 4. Col. 1215. l. 2. Actus ejusdem Primatus agnoſcunt ex Veteribus PP. Synodorum convocationem & indictionem, Cent. 5. Col. 781. l. 20. earundẽ ſinè auctoritate rejectionem Rom. Pontif. ejusdem in ijs præſidentiam, Col. 781. l. 36. Gravatos & depoſitos Epiſc. reſtituebant Rom. Pontifices, agnoſcunt Cent. 5. Col. 1013. l. 26. Iurisdictionem in remotiſſimos Epiſcopos, Archi-Epiſcopos, Patriarchas, Rom. Pont. agnoſcũt, Cent. 5. Col. 777. Vide ſupra Luther. & Melancht. pag. 86. 87. & 201.*

Diſcurſus Authoris.

Pag. 86.

De Unione Eccleſiarum.

At dicet aliquis, Si unio noſtrarum Eccleſiarum cum Romana Eccleſia fieret, Romanus Pontifex Jus ſuum repeteret: repeteret:

teret tot bona olim Eccleſiaſtica, quæ jam per pacta & transacta in manus Sereniſſimorum Principum celsêre, quæ nunquam Principes in ærarij ſui damnum adimi ſibi patientur. Urgebit Cœlibatum, dimiſſionem uxorum, præſertim illarum, quas in Viduitate duxerunt, & quis illis, liberisq; illarum de ſubſidijs vivendi, de victu & amictu proſpiciet. Ad hunc Diſcurſum reſpondet ſibi ipſemet Author, eâdem paginâ dum ait: Reſpondetur. Omninò æquum eſt Jus, ſuum cuiq; tribuere, nec Romano Pontifici illud negandum, quod ipſi legitimè competit. Bona Eccleſiaſtica, quæ olim fuerunt, nunc autem ærario Principum adſcripta, Jure gladij & Pactorum acquiſita, etiam ſæculariżata, non putamus, Romanum Pontificem pro ſua, quâ pollet prudentia, repetiturum: frui concedet ijs, ad quas admiſſi ſunt poſſeſſionibus, nihil ijs vel decedere, vel adimi cuperet. Neq; enim fas eſt, ut agnita profeſsaq; veritas, cuiq; detrimento hiſce in Bonis ſit. Favens adeò Mater Eccleſia Catholica, ut non tantùm compoſitione admiſsâ, quidquam in facultatibus externis damni perpeſsuri ſint, ſed magnam etiam ad opes fortunasq; familiarium, tum locupletandas, tum ſtabiliendas, habituri adjumentum.

Agnoſcit Matrem Eccleſiam Cathol. Rom. Author Jubæ.

Diſcurſus Theolog.

De Bonis Eccleſiaſticis, jam pridem Sæculariżatis.

ETſi Proteſtantibus, & alijs plurimis Diſſidentibus id licuit, ut tot Epiſcopatus, Abbatias, Monaſteria, aliasq; Fundationes, à pijſſimis Fundatoribus, Anteceſſoribus, & Majoribus eorum in Laudem DEI oblatas, & in obſequium illius conſecratas, tot perſonis DEO dicatis ex illis expulſis, occuparent, illaq; ſæculariżarent, judicio omnium ſubijcimus. Dicit enim S. Auguſt. Epiſt. 48. ad Vincentium:  *Quis unquam Apoſtolorum in cauſa Fidei res alienas invaſit? nullus quidem in Divinis Literis hujus facti reperiret exemplum.* Si v. g. hæc omnia Bona Eccleſiaſtica, Eccleſiæ Cathol. Rom. erepta, vellent Catholici tanquam propria recipere, quàm ingratum eſſet Proteſtantibus Nuncium! Et tamen unum eſt ex primis principijs lumine Naturæ notum, hoc: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Si modò grave eſſet illis, ſi propria hæc Bona Eccleſiæ reciperentur, quantò gravius erat, cum erant nullo Jure erepta. Quare ergo Proteſtantes, cùm ab Eccleſia Catholica receſſerint, ſibi novos Epiſcopatus, novas Eccleſias, Parochias non erexerunt, novosq; proventus

pro

pro suis Ministris de suo proprio non providerunt? non de alieno: hæc non possunt placere DEO, qui alienum concupiscere, multò magis eripere non jubet. Undè vera Fides cum hac grandi injustitia stare non potest. Hæc ideò adduximus, ut quisq; videat, quantam injuriam Mater Ecclesia passa sit ab illis, quos in gremio suo genuit, & enutrivit. Interim tamen Mater Ecclesia adeò est favens saluti humanæ, ut illam plus æstimet, quàm Bona Ecclesiæ, quamvis titulo injusto sæcularizata.

Discursus Authoris.

Pag. 77.

Possent & aliarum Controversiarum, ut potè de Cœlibatu Clericorum, &c. hoc modo compositiones afferri.

ITa & de Uxoribus dicendum, (ait Author pag. 87.) quas dimittere Romanus Pontifex, aut Ecclesia Romana, prout benè speramus, nunquam mandabit, qui & in Ecclesia Orientali, etiam in illis partibus, quæ Romanæ Ecclesiæ sunt unitæ, Uxorem ducere & habere, concessum fuit olim, & nunc est. Vidui autem Clerici, S. Pauli consilium non repudiabunt: nam *qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est; qui sinè uxore est, sollicitus est, quæ sunt Domini.* Sic deniq; ex liberalitate piorum Principum, & aliorum, DEUS Clementissimus, qui nec passeres derelinquit, nec corvorum pullos, Liberis istis & Orphanis gratiosissimè prospiciet, modò *quæratur primùm Regnum* DEI, *& Justitia eius; cætera omnia adjicientur eis.* Et pag. 77. ait Author Tubæ: *Possent & aliarum Controversiarum, ut potè de Cœlibatu Clericorũ, &c. hoc modo compositiones afferri.*

1. Corint. 7.

Matth. 6.

Discursus Theolog.

De Cœlibatu Sacerdotum.

SAcerdotes in Veteri Testam. Jure Divino tenebantur ad aliquam continentiam, præsertim illis diebus, quibus DEO in Templo vel Tabernaculo ministrabant. Patet Exod. 19. *Sacerdotes quoq; qui acce-*

accedunt ad Dominum, sanctificentur. Ista autem Sanctificatio consistebat in abstinentia ab uxoribus, ut patet ex eodem Cap. num. 15 dum ait Moyses ad eos: *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris.* Constat autem, Sacerdotes, quando ministrabant Domino, secundùm suam vicem debuisse multos dies perseverare in ministerio, ut de Zacharia legimus, Luc. 2. *Et factum est, ut impleti sunt dies Officij eius, abijt in domum suam,* pleriq; putant, octo dies destinatos fuisse ad hoc Officium vicis suæ, ut Josephus, Ambrosius, Theophylactus tenent. Octo igitur dies, relictis domibus & uxoribus, permanebant in Templo, & ibi ministrabant, & tempore Sacrificij erant in ea parte Templi, ubi Sacrificia offerebantur, reliquo tempore habitabant in atrio Templi, in domunculis ad id destinatis, quò non licebat uxores introducere, undè consequenter debuerunt ab uxorum cohabitatione abstinere: de quo sic scribit Siricius Papa ad Himerium Thracon. Episcopum cap. 7.

“ Dicat mihi nunc, quisquis ille est sectator libidinum, Præceptorq;
“ vitiorum, si æstimat, quòd in Lege Moysis passim Sacris Ordini-
“ bus à Domino laxata sint fræna luxuriæ. Cur eos, quibus com-
“ mittebantur Sancta Sanctorum, præmonet? dicens: *Sancti estote,*
“ *quia ego Sanctus sum, Dominus DEUS vester.* Cur etiam procul à
“ suis domibus, anno vicis suæ in Templo habitare jussi sunt Sacer-
“ dotes? hâc videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possent carna-
“ le exercere commercium, ut conscientiæ integritate fulgentes, ac-
“ ceptabile DEO munus offerrent. Quibus etiam, expleto deser-
NB. “ vitionis suæ tempore, uxorius usus, solius successionis causa fuerat
“ relaxatus, quia non ex alia, nisi ex Tribu Levi, quisquam ad DEI
“ ministerium fuerat præceptus admitti. Idem sentiunt alij anti-
“ qui Patres. S. Hieron. lib. 1. contra Jovinian. Nam & in Veteri
“ Lege, qui pro populo hostias offerebant, non solùm in domibus
“ suis non erant, sed purificabantur ad tempus, ab uxoribus sepa-
“ rati, & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem pro-
Vixit post An. 300 “ vocare. Innocentius I. Epist. 2. ad Victricium, Rotomag. Episc.
“ cap. 9. Præterea, quod dignum, & pudicum, & honestum est, te-
“ nere Ecclesia omnimodò debet, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxo-
“ ribus suis non coëant, quia ministerij quotidiani necessitatibus oc-
“ cupantur, scriptum est enim: *Sancti estote, quia ego Sanctus sum*
“ *Dominus DEUS vester.* Nam si priscis temporibus de Templo DEI
“ Sacerdotes anno vicis suæ non descendebant, sicut de Zacharia le-

“ gimus,

gimus, nec domum ſuam omninò tangebant, quibus utiq; pro- ,,
pter ſobolis ſucceſſionem, uxorius uſus fuerat relaxatus, quanto ,,
magis hi Sacerdotes vel Levitæ, pudicitiam ex die ordinationis ,,
ſuæ ſervare debent, quibus vel Sacerdotium, vel Miniſterium ſinè ,,
ſucceſſione eſt, nec præterit dies, quâ vel à Sacrificijs Divinis, vel ,,
à Baptiſmatis Officio vacent. Notanda ultima verba Innocentij ,,
hæc: *Nec præterit dies, quâ vel à Sacrificijs Divinis &c. vacent.* Et
Venerabilis Beda Presbyter, ad Cap. 1. Luc. Hoc eſt quod dixi, ,,
quòd vicis ſuæ tempore Pontifices Templi tantùm officijs manci- ,,
pati, non ſolùm à complexu uxorum, ſed ab ipſo quoq; domorũ ,,
ſuarum abſtinerent ingreſſu, ubi noſtri temporis Sacerdotibus, ,,
quibus ſemper Altari ſervire jubetur, perpetuum ſervandæ Caſti- ,,
tatis exemplum datur. Quia enim tunc Sacerdotum ex ſtirpe A- ,,
aron ſucceſſio quærebatur, neceſſariò tempus ſubſtituendæ ſobo- ,, NB.
lis procurabatur: at quia nunc non carnalis ſucceſſus, ſed perfe- ,,
ctio ſpiritualis inquiritur, conſequenter Sacerdotibus, ut ſemper ,,
Altari queant aſſiſtere, ſemper ab uxoribus abſtinendum, ſemper ,,
Caſtitas obſervanda præcipitur. In Lege autem Evangelica SS. ,,
Apoſtoli ſervârunt perpetuam continentiam, partim ex conſilio
Chriſti, partim ſuâ ſpontè, & propoſito. Conſtat ex illo Matth. 19.
Ecce, nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? JESUS autem dixit illis: Amen, dico vobis, qui ſecuti eſtis me. Et infrà: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, &c.* Ex quo conſtat, Apoſtolos reliquiſſe omnia, quæ habebant, ac proindè, qui habebant uxores, reliquiſſe etiam uxores, filios, & filias, quia clarè loquitur Chriſtus: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Et Apoſtoli: *Reliquimus omnia.* Et S. Paulus, ſeparatim ab alijs vocatus, clarè de hac continentia loquitur, 1. Corint. 7. *Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego.* Rationem reddidit alibi: *Nam qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt; qui ſinè uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt Domini.* Canon Apoſtolorum 27. hæc habet: *Innuptis autem, & ad Clerum provectis præcipimus, ut ſi voluerint, uxores accipiant, ſed Lectores & Cantores tantummodò.* Canon Apoſtolorum 17. quo Bigamis prohibetur ſuſceptio majorum Ordinum.

Kkkk Diſcur-

Discursus Theolog.

Probatur Cœlibatus authoritate Conciliorum & SS. Patrum Primitivæ Ecclesiæ.

CONcilium Eliberitanum. Canon 27. *Episcopus, vel quilibet alius Clericus, aut Sororem, aut Filiam, Virginem dicatam DEO, tantùm secum habeat, extraneam nequaquam habere placuit.* Canon 33. *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, vel omnibus Clericis positis in ministerio, abstinere se à Conjugibus suis, & non generare filios, quicunq; verò fecerit, ab honore Clericatûs exterminetur.* Concil. Nicænum Generale I. Can. 3. *Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè aut Matrem, aut Sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ suspicionem effugiunt.* Concil. Neocæsariense. Can. 1. *Presbyter si uxorem acceperit, ab Ordine deponatur: si verò fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, ampliùs pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.* Concil. Taurinatense. Can. 7. *Hi autem, qui contra interdictum sunt ordinati, vel in ministerio genuerunt filios, ne ad maiores gradus Ordinum permittantur.* Concil. Carthaginense II. Can. 2. *Quùm in præterito Concilio, de Continentiæ & Castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quâdam Castitatis, per consecrationes annexi sunt, Episcopos inquam, Presbyteros, & Diaconos ita placuit, ut condecet Sacrosanctos Antistites, & DEI Sacerdotes, necnon & Levitas, vel qui Sacramentis Divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter quod à DEO postulant, impetrare, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit Antiquitas, nos quoq; custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est, omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est: Placet, ut in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui Altari deserviunt.* Concil. Carthaginense IV. Can. 46. *Clericus cum extraneis mulieribus non habitet.* Concil. Carthaginense V. Can. 3. *Placuit, Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, secundùm propria Statuta, etiam ab uxoribus continere, quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio.* Concil. Chalcedonense Generale IV. Can. 15. *Virginem, quæ se Domino Deo consecravit, similiter & Monachum, non licere nuptialia iura contrahere.*

Anno 396. ☞

Quòd

Quòd si hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur. (confitentibus autem) decrevimus, ut habeat auctoritatem eiusdem loci Episcopus, misericordiam eis, humanitatemq; largiri. Concil. Agathense. *Indulgentia.*
Can. 1. *Placuit, de bigamis, aut internuptarum maritis, &c. ut qui hucusq; ordinati sunt, habitâ miseratione, Presbyteri, vel Diaconi nomen tantùm obtineant, officium verò consecrandi Presbyteri, & ministrandi, huiusmodi diacones non præsumant.* Et Can. 10. *Id etiam ad custodiendam vitam & famam, speciali ordinatione præcipimus, ut nullus Clericorum extraneæ mulieri quâlibet collatione aut familiaritate iungatur. Et non solùm in domo illius, extranea mulier non accedat, sed nec ipse frequentandi extraneam mulierem habeat potestatem, sed cum matre tantùm, sorore, filia, aut nepte, si habuerit, aut voluerit, liberam vivendi habeat potestatem.* Et Can. 39. *Presbyteri, Diacones, Subdiacones, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia.* Concil. Arelatense III. Can. 3. *Nullus pœnitentem, nullus bigamum, nullus viduarum maritos, in prædictis honoribus audeat ordinare.* Concil. Aurelianense. Can. 8. *Si quis Diaconus in captivitate redactus, uxori fuerit copulatus, reversus ab officij omninò ministerio removendus est. Cui sufficere debet, pro actûs sui levitate impleta pœnitentia, pro satisfactione Communio.* Et Can. 2. *Vt nullus Clericorum à Subdiacono & supra, & quos uxores in proposito suo accipere inhibetur, propriæ (si fortè iam habeat) misceatur uxori. Quod si fecerit, Laicâ Communione contentus, iuxta priorum Canonum Statuta ab officio deponatur.*

Siricius Papa (circa idem tempus) in Epist. ad Himerium, Thracon. Episc. cap. 7. Plurimos Sacerdotes Christi, atq; Levitas, post „ longa consecrationis suæ tempora, tam de conjugibus proprijs, „ quàm etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreâsse, & cri- „ men suum hâc inscriptione defendere, quia in Veteri Testamento „ Sacerdotibus ac Ministris generandi facultas legitur attributa. „ Ecce crimen vocat, quòd Sacerdotes utantur uxoribus, & refutans illorum defensionem, ostendit, Sacerdotes Veteris Testam. habuisse etiam legem continentiæ, eo tempore, quo ministrabant in Templo, ut ostensum est superiùs. Subdit idem Pontifex: Hi verò, „ qui illiciti Privilegij excusatione nituntur, & sibi asserunt, Veteri „ hoc Lege concessum, noverint, ab omni Ecclesiastico honore, quo „ indignè usi sunt, Apostolicâ Sedis auctoritate dejectos, nec un- „ quam posse veneranda attrectare mysteria. Innocentius I. circa „

Allegat Veteris Testam. legem non autem Novi Testam.

" An. 400. ad Exuperium cap. 1. Proposuisti, quid de his observa-
" ri debeat, quos in Diaconij ministerio, aut in officio Presbyterij
" positos, incontinentes esse, aut fuisse, generati filij prodiderunt.
" De his & Divinarum Legum manifesta est disciplina, & beatæ re-
" cordationis Viri Siricij Episcopi monita evidentia commemorâ-
" runt, ut incontinentes in officijs talibus positi, omni Ecclesiastico
" honore privarentur, nec admitterentur accedere ad ministerium,
" quod solâ continentiâ oportet impleri. S. Dionysius Areopag.
qui vidit tempora Apostolorum, Eccl. Hierarch. cap. 3. ait: Eos,
" qui ad Sacramenta cœlestia conficienda procedunt, eâ oportet es-
" se munditiâ, ut ipsas quoq; animæ extremas imagines purgatas
" habeant, sicq; ad reverenda mysteria (quantùm fas est) similitu-
" dine puritatis accedere. Undè S. Hieronymus lib. 1. contra Jo-
" vinianum ait: Quia ad munditias Corporis Christi omnis coitus
" immundus est. Idem Apolog. pro libris contra Jovin. Apostoli
" vel Virgines, vel post nuptias continentes. &c. Idem contra e-
" undem: Quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & Sedes
" Apostolicæ? quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continen-
" tes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt. Idem lib 1 con-
" tra Jovin. Confitendum esse, non posse esse Episcopum, qui in E-
" piscopatu filios faciat, alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir
" tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Idem alibi: Episcopo
" debet castitas esse propria, & ut ita dixerim, pudicitia Sacerdota-
" lis, ut non solùm ab opere se immundo abstineat, sed à jactu ocu-
" li, & cogitationis errore, mens Christi Corpus confectura. S. Am-
" brosius lib. 1. Offic. cap. 50. ait. Quomodo potest esse hortator
" Viduitatis, qui ipse conjugia frequentaverit. S. August. lib. 2 de
" adulterinis Conjugijs cap. 20. ait: Susceptam semel pudicitiam,
" ad debitum finem Domino adjuvante produxerunt. S Epiphan.
" Hær. 59. in compendiaria doctrina Cathol. Fidei ait: Sancta Dei
" Ecclesia unius uxoris virum adhuc liberos gignentem non susci-
" pit, sed eum, qui se ab una continuit, vel saltim in viduitate vixit,
" Diaconum, & Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum,
" maximè ubi sinceri sunt Canones Ecclesiastici. Hanc continenti-
am ipsemet laudavit Christus in Evangelio, Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Ergo aliquibus datum est; & hoc donum DEI est, ut ait Apostolus 1. Corinth. 7. *Volo enim vos omnes esse sicut me ipsum, sed unusquisq; proprium donum habet*

habet ex DEO, alius quidem sic, alius verò sic. Et ex hoc dono sequitur, quod dicit Evangelium: *Et sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum; qui potest capere, capiat.* Ex quibus patet, continentibus dari Regnum Cœlorum, quia se castraverunt propter illud. Apostoli & suaserunt, & statuerunt, ut alij deinceps Ministri Ecclesiæ servarent continentiam. S. Paulus ad Titũ 1. 7. *Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut DEI dispensatorem, hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem*, ubi inter alias virtutes ponit *Continentiam* ab uxoribus, ut explicat S. Hieron. suprà de hac re citatus. Et 1. Corinth. Cap. 7. v. 5. *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Ex quo loco S. Hieronymus ad Cap. 1. Epistolæ ad Titum sic argumentatur: „Si Laicis imperatur, ut propter Orationem abstineant se ab uxorum coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidiè pro suis populiq; peccatis, illibatas DEO oblaturus est victimas. Et lib. 1. contra Jovinianum: Si Laicus, & quicunq; Fidelis, orare non potest, nisi careat officio Conjugali; Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt Sacrificia, semper orandum est: si semper orandum, semper carendum matrimonio. Similia habet Origenes Hom. 23. in Num. 1. Epiphanius Hæresi 49. Innocentius I. in Epist. ad Exuperiũ cap. 1 & alij, quos brevitatis causâ omittimus.

Matth, 19

Missæ Sacrificium quotidianũ

Confirmatur hæc continentia Sacerdotum communi Decreto Apostolorum, quod habetur Canone 27. inter Canones Apostolorum, his verbis: *Innuptis autem, qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant, sed Lectores Cantoresq; tantummodò.* Ubi nomine Lectorum & Cantorum comprehenduntur minores Ordines, & excipiuntur majores Ordines, per hæc ultima verba, *sed Lectores Cantoresq; tantummodò.* Habemus ergo Legem Apostolicam de Cœlibatu Sacerdotum, quæ negari non potest: de qua loquuntur Patres Concilij Carthaginensis II. Canone 2. ubi confirmantes Legem Cœlibatûs, hanc addunt rationem servandæ, *ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit Antiquitas, nos quoq; custodiamus.*



Continentia, quam SS. Apostoli & ipsi, ut jam patuit, servârunt, & Ministris Ecclesiæ, suisq; Successoribus servandam reliquerunt, statim ab initio servata est, ac posteà Lege Ecclesiasticâ non semel, sed sæpiùs præscripta, ut patet ex verbis Concilij jam citatis, *ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit Antiquitas, nos quoq; custodiamus.*

diamur. S. Leo Magnus, Epiſt. 82. cap. 3. & 4. ad Anaſtaſium ſic
“ ſcribit: Omninm Sacerdotum tam excellens eſt electio, ut hæc,
“ quæ in alijs Eccleſiæ membris vacant à culpa, in illis tamen habe-
“ antur illicita. Nam cùm extra Clericorum Ordinem conſtitutis
“ nuptiarum ſocietati, & liberorum procreationi ſtudere ſit liberũ,
“ ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Sub-
“ diaconis quidem connubium carnale conceditur: ut & qui ha-
“ bent, ſint tanquam non habentes, & qui non habent, permane-
“ ant ſingulares. Quòd ſi in hoc Ordine, qui quartus eſt, à Capite
“ dignum eſt cuſtodiri, quantò magis in primo, vel in ſecundo, ter-
“ tiovè ſervandum eſt, ne aut in Levitico miniſterio, aut Presbyte-
“ rali honore, vel Epiſcopali excellentia, quiſquam idoneus æſtima-
“ tur, qui ſe à voluptate uxorea necdum frænâſſe detegitur. S Gre-
gorius Magnus lib. 4. Dial. cap. 11. de Urſino Sacerdote ſic refert:
“ Hic ex tempore Ordinationis ſuæ Presbyteram ſuam ut Sororem
“ diligens, ſed quaſi hoſtem cavens, ad ſe propiùs accedere nunquã
“ ſinebat. Origenes Hom. 23. in Num. ait: Illius ſolius eſt offer-
“ re DEO Sacrificium, qui indeſinenti, & perpetuæ ſe devoverit
“ caſtitati. Euſebius lib. 1. Demonſtr. Evang. cap. 9. ait: Verum
“ tamen, eos qui ſacrati ſunt, atq; in DEI cultu & miniſterio occu-
“ pati, continere ſe deinceps ab uxoris commercio decet. S. Epi-
“ phanius in fine Operis contra hæreſes ait: Sanctorum Sacerdoti-
“ um ex Virginibus ut plurimùm, aut ex Solitarijs, aut ſi hi ad mi-
“ niſterium non ſuffecerint, ex his conſtituitur, qui proprijs ab u-
“ xoribus ſe continent. Et ſi quis ab initio continens fuerit, aut vi-
“ duus, habere poteſt locum Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi,
“ aut Subdiaconi. Idem Hær. 59. ait: Sed adhuc liberos gignen-
“ tem, unius uxoris virum, Eccleſia non aſcripſit, ſed eum, qui ſe
“ ab una continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, aut Hypodi-
“ aconum, aut Epiſcopum, aut Presbyterum, maximè ubi ſinceri
“ ſunt Canones Eccleſiaſtici. At dices mihi, omninò adhuc in qui-
“ buſdam locis liberos gignere & Presbyteros, & Diaconos, & Hy-
“ podiaconos, at hoc non eſt juxta Canonem, ſed juxta hominum
“ mentem, quæ per tempus elanguit. Nam Sacerdotium ex Virgi-
“ nibus quidem ut plurimùm procedit. Si verò non ex Virginibus,
“ ut ex ſolitariam vitam degentibus, de his qui continent à propri-
“ js uxoribus, aut ab unis nuptijs viduitatem ſervantibus. Ex hoc
loco S. Epiphanij patet explicatio Apoſtoli, qui dixit. *unius uxoris vi-*
rum,

☞ *In primitiva Eccleſia uxorati ſuſcipiebant aliquando Ordines, ſed mutuo ſemper cum uxoribus ſervanda continentia conſenſu.* S. *Epiphan.* S. *Greg. M. lib. 4 Dial. cap. 11*

rum, cùm post primas nuptias vel Viduus manet, vel ex mutuo con-
sensu servat cum uxore continentiam, talis potest assumi ad Ordi-
nem Sacerdotij. Quòd hæc mens fuerit Apostoli, patet ex Epistola
ad Titum, dum ait: *Oportet Episcopum esse sinè crimine, &c. iustum,*
sanctum, continentem, ubi continentiam expresse mandat. Et Epist.
I. ad Corint. Virginitatem præponit Conjugio: *Qui matrimonio iun-*
git Virginem suam, benè facit: qui non iungit, melius facit. Secun-
dò, ex his (*quæ non iuxta Canones, sed iuxta hominum mentem, quæ*
per tempora elanguit) Epiphanij verbis colligitur, eo jam tempore a-
licubi suboriri cæpisse illam, quam Græci consuetudinem servant;
Certè sub Justiniani Primi vitæ finem, illam tandem prævaluisse in
Oriente indè infertur, quia cùm ejus Novella Sexta Cap. 5. dicat:
Nihil ita in Sacris Ordinationibus diligimus, sicut in castitate viventes,
aut cum uxoribus non cohabitantes. &c. Postmodùm Novella 22.
Cap. 24. nihil ampliùs circa Clericorum continentiam statuit, quàm
quæ nunc temporis Græci communiter servant, ex præscripto Syno-
di Quinisextæ, in qua Canon 13. aliquot annis post Generale Con-
cilium Constantinop. cum alijs in Trullo fabricatus est, sine autho-
ritate Rom. Pont. vel illius Legati, contra Canones Conciliorum,
maximè Nicæni I. Can. 3. & Conc. Chalced. vide Annot. Can. 27.
Conciliabulum verò Trullanum sumpsit hunc errorem ex Can. 6.
Apostolorum malè intellecto, vide Notas ad Canones Apostolorum
apud Binium fol. 14. ubi solidè & clarè deducit, fuisse Conciliabulũ
in Trullo, & Canones illius spurios; consequenter & Canon 13. de
Uxoribus, qui Canon non potuit præjudicare legi Apostolicæ, & tot
Concilijs Generalibus & Provincialibus, & SS. Patrum Decretis &
testimonijs, ut suprà patuit, Canonem 14. Concilij Chalcedon. qui
sic ait: *Cùm in quibusdam Provincijs concessum sit Lectoribus, & Can-*
toribus uxores ducere, non igitur alijs concessum erat Clericorum Ordi-
nibus, ac ne ubiq; quidem Lectoribus & Cantoribus, sed in aliquibus
duntaxat Provincijs.

His ergo stantibus testimonijs, de Continentia Sacerdotum, SS.
Apostolorum, Conciliorum, & SS. Patrum, nullo modo intelligere
possumus, quâ doctrinâ, quâ lege, quâ auctoritate fulti, extra Eccle-
siam Rom. Cathol. manentes, permiserunt suis Ministris uxores, re-
clamante Antiquitate, & totâ primitivâ Ecclesiâ, ut ostensum est.
Modò videat Orbis, quàm vera sunt illa, quæ Confessio August. Ti-
tulo, *de Coniugio Sacerdotum,* ait pag. 47. *Lex, quæ prohibet Sacerdo-*

tibus

tibus Coniugia, pugnat &c. cum veterum Synodorum Conſtitutionibus, cum exemplis veteris Eccleſiæ. Et in fine: *Ideò ſuſtulimus prohibitionem Coniugij, &c. quia non dubitamus, peccare omnes, qui defendunt prohibitionem, nempè Coniugij Sacerdotibus.* Ergo & Concilia, Nicænũ I. & Chalcedonenſe peccârunt, quia prohibuerunt Conjugia, & tamen dicunt, ſe recipere hæc Concilia Proteſtantes: at iſta propter rudes notavit Confeſſio Auguſtana, aliter ac ſe res habet, non propter ſenſatos & doctos Viros.

Diſcurſus Theol.

Ad propoſitum Authoris de uxoribus Sacerdotum.

QUod ergo modò proponit Author Tubæ de Uxoribus, *quas Romanus Pontifex, aut Romana Eccleſia, prout benè ſperamus, dimittere nunquam mandabit,* ait ille. Reſpondetur ad hoc, à multo tempore fuerunt aliqui, qui exiſtimabant, poſſe hos motus in Religione ſedari, ſi concederentur hæc duo, Calix Laicis, & Uxores Sacerdotibus. Tempore S. Auguſtini, Julianus, qui fuit partium Pelagij, cùm hoc propoſuiſſet, ut ad inſtar Orientis Eccleſiæ, uxores haberent Sacerdotes, S. Auguſtinus lib. 1. contra Julianum, ſic illi reſpondet: *Non eſt, cur provoces ad Orientis Antiſtites, &c. te Occidentalis terra generavit, Occidentalis regeneravit Eccleſia. Quid ei quæris inferre, quod in ea non inveniſti, quando in eius membra vera veniſti.* His planè verbis reſpondetur Authori Tubæ, quem non Orientalis, ſed Occidentalis generavit terra, quæ fuit Eccleſiæ Occidentali ſubjecta, ſicut & Eccleſia Orientalis Occidentali parebat. Undè potiùs ad Occidentis Antiſtites, & conſuetudines provocare Author Tubæ debuit, non ad Orientis. Quid? ſi & in Oriente Sacerdotibus non licuit uxores ducere: quid? ſi gravis Author S. Epiphanius, qui fuit unus ex Orientalibus Epiſcopis, negat, apud eos unquam Sacerdotem fieri licuiſſe, niſi aut virginem, aut eum, qui ſe contineret à propria uxore, aut qui ab unis nuptijs viduitatem ſervâſſet: quid? ſi quibus in locis eſſent reperti, qui cum his, quas ante Sacerdotium uxores duxiſſent, matrimonia copularentur, eos non juxta Canonem, ſed juxta mentem hominum, quæ per tempus elanguit, hoc feciſſe: huic ſententiæ, Socrates Græcus, & S. Hieronymus ſubſcribunt. Itaq; nec Orientalis Eccleſiæ conſuetudo pro hac re facere videtur, in qua æquè, ut in noſtra Occidentali, Sacerdotibus nuptias contrahere fas

non

non est, quamvis perverso magis more quorundam, quàm quod per Canones Ecclesiasticos id liceat, quas ante Sacerdotium duxerant uxores, cum his alibi copulari permittantur. Nam ab ipsis etiam Apostolorum temporibus, ad hæc usq; nostra, quàm latè patet nomen Catholicum, semper nefas fuit habitum, proindè & modò non inducendum in Ecclesiam Occidentalem, quod in Ecclesiam Orientalem, non secundùm Canones, sed mentem hominum intravit. Quod enim in Orbe Christiano tot Sæculis videre potuit nemo, mille septingentis propè annis, absq; eo Sacerdotes in Ecclesia DEI fuerũt, & pro gravi scelere haberent, si cohabitarent cum uxoribus, modò verò, cùm brevius tempus sit, propter unum & alterum, qui jusjurandum DEO præstitum fregerunt, bonam Ecclesiæ legem, tot Sæculorum usu receptam, tot Canonum & Conciliorum approbatam, propter malos mores hominum abrogandam censebimus? In petendis & concedendis uxoribus Sacerdotibus, ratio horum evidentissima est, & hoc ex continua praxi constat. Quoties aliquis in una re aliqua, petijt discessum ab eo, quod aut legibus constitutum, aut moribus Ecclesiæ totius est receptum, nunquam fecit finem discessionis: nam qui aliquid petunt sibi deorsùm ab Orbe Christiano concedi, nihil aliud petunt, quàm initium sibi discedendi permitti petunt, quo concesso, finem sibi nullum præscribi patientur, & quamvis unum & alterum, tertiumq; daretur illis, nunquam acquiescent, cùm se jam posuerint in uno Schismate, in majora & frequentiora incident, quæ cùm erant inveterata, (ait Author Tubæ pag. 5.) degenerant in hæreses. Habemus evidens exemplum in Luthero, qui in recessu suo, eò quòd Indulgentiæ non suo Ordini, sed alteri promulgandæ traditæ fuerunt, cœpit illas oppugnare, non quòd legitimum usum earum prorsùs damnaret, sed quòd abusum in illis ferendum non putaret, cœpit posteà contra prætensos abusus Pontificis insurgere, putans, dogmata semper in Ecclesia implicitè credita, esse abusus, ut Missæ Sacrificium, Invocatio SS. &c. Sic enim in Colloquijs Convivalibus, ut de Sacram. fol. 211. apparet, quem etiam Author Tubæ pag. 20. ad marg. citat sic loquentem: *Itaq; omnes meæ Disputationes, Scriptiones, & actiones sunt contra abusum Pontificis. Tota dissensio est de quibusdam abusibus, qui sinè authoritate in Ecclesia irrepserunt, cùm Ecclesiæ apud nos de nullo Articulo Fidei dissentiant ab Ecclesia Catholica, tantùm pauca quædam abusus omittant,* fingens, illa esse abusus, quæ per Traditionem ab Apostolis

 ducunt

ducunt suam originem, ; quorum enim origo ignoratur, illa ad Apostolos referuntur, secundùm Regulam S. Augustini, ut in Tractatu de Traditionibus clarè ostendimus, cùm hos prætensos paucos abusus, nec Lutherus, nec posteri illius, usq; ad hoc tempus potuerint probare, quibus Pontificibus, vel quo Sæculo irrepserunt, quamvis hæretici satis exacti Ecclesiæ Censores, censurabant semper Ecclesiam Catholicam, sinè dubio, si essent abusus non dogmata implicitè credita, tempus notâssent, vel alij varij omnium ætatum Scriptores, qui minima quæq; notârunt.

Quis crederet, ob hos paucos abusus tantam multitudinem recessisse ab Ecclesia Cathol. Romana: quis cogitaret, ab ipsomet Luthero multò plures recessisse, & in infinita propè Schismata abijsse, posteà in turpissimas hæreses, ut Anabaptistas, Quakeros, Memnonistas, Zwinglianos, aliàs Sacramētarios, ita, ut hoc tempore jam Sectæ & hæreses numerari vix possint, cùm quisq; novam condit Fidem, vel potiùs hæresim, nisi quia recessus unus ab Ecclesia infert alium, & qui ob unum vel aliud, contra Canones Sacros, ab Ecclesia separantur, nunquam quiescere etiam in alijs præsumuntur. Benè ergo Lutherus, desertor Ecclesiæ, à suis in diversas Sectas scissis desertus est, qui tamen, si ob paucos abusus non recessisset, si contra ordinationem Ecclesiæ, & Traditionem Majorum non pugnâsset, nunquam ad tam miserabilem statum tot Schismatum & hæresum, homines unquam venissent, spretâ semel authoritate Ecclesiæ, quæ est *columna & firmamentum veritatis*, contra veritatem durationemq; illius pugnantes, *contra quam portæ inferi non prævalebunt*. Si ergo in primitiva Ecclesia observabatur Cœlibatus, ut patuit ex tot Concilijs, & SS. Patribus, quare etiam non modò? cùm homines similes nobis fuerint, ex eadem carne fragili compacti, eâdem infirmitate præditi. Imò unus ex his assertoribus de suis dixit, quòd corruptioribus fuerint moribus, quàm fuerint sub Regno Romani Pontificis, & decies eos Sodomitis pejores esse affirmavit. Si enim omni statui hominum est necessaria continentia, Virginibus, antequam nubant, est necessaria, Viduis, antequam ad secundas nuptias transeant, quæ longo tempore aliquando differri debent, ob varias circumstantias, & impedimenta. Quid? si mariti varijs Legationibus fungantur, ad remotas Provincias vel Regna; si ratione mercaturæ & mercimoniorum, in longinquas abeant terras, remota navigent maria; quid? si vel maritus, vel uxor, longâ afficiatur infirmitate,

tate, licebit ne illis, vel alterâ muliere, vel altero viro uti, alterâ ſuperſtite conjuge, non licebit utique, quia ſicut vir, ita & mulier, poteſtatem ſui corporis non habent: debent ergo fateri, his omnibus neceſſariam continentiam, imò magis videtur illis neceſſaria. Minùs enim periclitatur caſtitas viri cœlibis, qui nunquam, aut multis abhinc annis voluptatem guſtavit, accedente gratiâ & auxilio Divino, accedente jejunio & parſimoniâ ciborum, & varijs extenuationibus corporis, quàm ejus, qui quotidiè voluptatem inter delicias experitur, quia libido his, quaſi aridis lignis, flamma ignis magis invaleſcit, fugâ verò, & caſtigatione corporis marceſcit, ut communiter docent SS. Patres, & ipſa experientia loquitur. Undè S. Apoſtolus ad Romanos 8. ait: *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Quomodo non neceſſaria erit Sacerdotibus?

At dices: Multi ſunt Cœlibes, qui incontinentiùs vivunt. Sed quid reſpondebis? cùm tibi plures conjuges oſtendam, qui etiam incontinenter vivant. Quid ergo erit conſilij nobis, ut utramque compeſcamus incontinentiam? Eſt præſcriptum S. Pauli pro varijs ſtatibus hominum, quomodo ſe gerere debeant: eſt pro Conjugatis, eſt pro Viduis, Virginibus, eſt & pro Epiſcopis, & Presbyteris eligendis. Sunt varij Canones, quibus quid fieri de his oporteat, qui quam profeſſi ſunt continentiam, eam non ſervant. Serventur præſcripta Canonum, adhibeatur delectus in ordinandis Sacerdotibus, & ne temerè alicui, & citò manus imponantur, ut monet Apoſtolus; ſit debita juxta Sanctiones Legum Eccleſiaſticarum, in earum prævaricatores animadverſio, mox aliarum rerum facies apparebit. Idem enim eſt nunc DEUS, ac fuit illis priſcis temporibus, nec eſt abbreviata manus ejus, æquè nunc eſt propenſus ad impertiendam gratiam, ad largiendam continentiam, ut tum fuit: neq; natura noſtra minùs eſt habens, ut non poſſimus cum auxilio Divino motus carnis noſtræ compeſcere, ac illi priſci potuerunt.

Confirmatur idem ferè communi omnium Patrum conſenſu, & teſtimonio. Nam ſi quis legitimè conjugatus, uxore conſentiente, Epiſcopatum, & Ordines ſuſceperit, is tam in Orientali, quàm Occidentali Eccleſia, vel muneris Epiſcopalis exercitio, vel uxoris ſuæ conſuetudine conjugali abſtinere debeat, vide S. Epiphan. in Comment. Hieron. contra Vigilant. & Epiſt. 50. ad Pammach. Baſilium Epiſt. 17. Leonem Epiſt. 82. cap. 4. ubi ne quidem Subdia-

conis, uxoribus permittit uti. Item Apostolicâ Constitutione, bigamis, etiamsi cœlibes & continentes sint, susceptio Sacrorum Ordinum majorum interdicitur, ut patet ex Canone Apost. 17. & seq. Si bigamis non licet suscipere Ordines, quomodo Presbyteris licebit uti uxoribus?

Obijciunt. In Sexta Synodo statutum esse, ut conjugati ad Sacros Ordines allecti, uxores quas habebant, retinerent, ijsquè, certis tantùm diebus exceptis, admiscerentur. Respondetur testimonio SS. Patrum, qui interfuerunt Concilio Nicæno II. quod habetur Actorum 4. & 5to, istius Concilij constare, Sextam Synodum Universalem nullos edidisse Canones, evulgatos autem 102. omnes spurios esse, qui non à VI. Synodo, sed à quodam illegitimo & reprobato Conciliabulo, quinque, & juxta Binium, decem annis post Concilium VI. Generale Constantinop. in Trullo editi sunt, undè & Trullani Canones dicuntur. Vide Baron. An. Ch. 58. N. 15. & seq. Bellarm. lib. 1. de Verbo DEI, & lib. 2. de Rom. Pont. cap. 18. Causam indicti Conciliabuli, Episcopi illi qui convenerant, in sua Præfat. ad Justinian. Imperat. indicârunt his verbis: *Quoniam autem Sanctæ & Universales duæ Synodi* (quinta nimirùm & sexta) *nequaquam conscripserunt Sacros Canones, &c.* Causa autem, cur nulli Canones sunt editi in Sexta Synodo, quia Legati ab Agathone Pontifice mandatum acceperunt, ne quidquam in Concilio tractaretur & definiretur, nisi quod Fidem, & Controversias Fidei concernebat, ideò &c. Undè Trullanum Concilium, non fuit legitimè in Spiritu S. congregatum, nam illi Rom. Pontifex, nec per se, nec per Legatos interfuit, in quo etiam plurima, Constitutionibus Apostolicis, & Conciliorum Oecumenicorum Decretis contraria, ut de Cœlibatu, de Jejunijs, alijsq; constituta fuerunt. Vide Baron. An. 692. N. 19. & sequ.

Obijcitur. Difficilis res nimis, servare continentiam. Respondetur. Difficilis viribus naturæ, sed viribus gratiæ, speciali auxilio Divino, non est difficile, quia assistente gratiâ Divinâ, jugum Christi suave, & onus ejus leve, præsertim illis, qui carnem suam cum vitijs & concupiscentijs cum Apostolo crucifixerunt, qui cum eodem castigant corpus suum, qui cum eodem spiritu, facta carnis mortificant, qui non sibi, sed gratuito dono hanc continentiam adscribunt, ut Sapientiæ Cap. 8. habetur: *Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi DEUS det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire, cujus*

esset

eſſet hoc donum. Quàm autem pretioſa ſit apud DEUM virtus continentiæ, patet Eccleſiaſt. Cap. 26. *Omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ.* Et illud Salvatoris: *Beati mundo corde, quoniam ipſi DEUM videbunt.* Hæc autem continentia cùm ſit manifeſtum donum DEI, ut patet loco citato Sap. 8. *Scivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi DEUS det; & hoc ipſum erat Sapientia, ſcire, cujus eſſet hoc donum.* Quot ergo videntur continentes Sacerdotes, tot debent conſiderare in illis dona DEI continentiæ, ſecundùm illud: *Qui dat eſſe, dat conſequentiam ad eſſe;* & ita deberent ſecum argumentari: Dona DEI hæc pretioſa continentiæ, cujus non eſt digna ponderatio, nempè continentis animæ, non dantur niſi amicis DEI: ſed amici DEI non poſſunt eſſe ſinè vera Fide, quia ſinè illa impoſſibile eſt placere DEO; Extra verò Eccleſiam Cathol. Rom. nulla continentia Miniſtrorum, per quam deberent imitari SS. Apoſtolos, & ſervare leges primitivæ Eccleſiæ: nulla voluntaria paupertas, nulla obſervantur Conſilia Evangelica, nulla apparent dona continentiæ in illis, quæ ſunt infallibilia ſigna amicitiæ DEI ex Sacra Scriptura, *non poſſem eſſe continens, niſi DEUS det.* Non poſſum ergo devenire, utrum iſti ſint amici DEI, quia hæc dona DEI non habent, imò contrarium apparet, quòd non ſecundùm ſpiritum, ſed ſecundùm carnem ambulant, & ſecundùm Apoſtolũ, carnem ſu- „ am maculant, dominationẽ autem ſpernunt, &c. quæcunq; igno- „ rant, blaſphemant, &c. *Væ illis, quia in via Cain abierunt, &c. & in contradictione Core perierunt;* quod, de quibus intelligatur, explicat S. Auguſtinus. Undè ſupra hoc ipſum Sanctus contra Donatiſtas, his verbis confirmat Non in Sacramentis, ſed in præciſione vitium eſt. Non in eo vitium, ſi quis v. g. ſub una vel altera ſpecie communicet, ſed ſi contra ordinationem Eccleſiæ, in hoc ſolo crimen eſt, ut clarè patet in Core, Dathan, & Abyron. Quid erat in ſacrificando vitij? in adolendo incenſo DEI, cultus hic erat, pari Lege & Religione vivebant, DEUM verum colebant, tamen, quia contra Moyſen & Aaron inſurgentes, ab illis ſe præciderunt, terra diſrupta eſt ſub pedibus eorum, cum tabernaculis ſuis deſcenderunt vivi in infernum. Undè appoſitè S. Auguſt. Tract. 81. in Joan. *Præciſo palmite, poteſt de viva radice alius pullulare; qui autem præciſus eſt, ſinè radice non poteſt vivere, &c. Magna gratiæ commendatio, fratres mei, corda inſtruit humilium, ora obſtruit ſuperborum,* nempè Schiſmaticorum & Hæreticorum. Ad ultimum, ut ait S. Hieron. 4.

Comment. in Cap. 3. Hierem. *Nulla hæresis, nisi propter gulam ventremq; constituitur, ut seducant mulierculas oneratas peccatis.*

Quomodo ergo homo Christianus, & cupidus salutis suæ, cognoscere debet ejusmodi homines, quibus secundùm Apostolum, procella tenebrarum servata est in æternum. En! ipsamet æterna Sapientia Christus JESUS quasi digito ostendit illos, *Ex fructibus eorum cognoscetis illos*, scilicet vitam & doctrinam morũ considerando: Vita, an conveniens homini Christiano, timenti DEUM, facienti dignos fructus pœnitentiæ; an fœtida, & multos inducens ad impietatem, & aperiens portam iniquitatis: Doctrina, an stabilis in uno, an ducens ad omnem cultum virtutum, an suadens, media à SS. Patribus practicata acquirendæ salutis, an ostendens arctam viam ad Cœlum, non autem latam, quæ ducit ad interitum, an suadens hominib⁹ pœnitentiam, & illud dictum Christi observans Matth. 11. *Tunc cæpit exprobrare Civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes, quia non egissent pœnitentiam*, quâ non factâ minatur Salvator æternam damnationem, *Væ tibi Corozain! væ tibi Bethsaida! quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent, verum tamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissiùs erit in die Judicij, quàm vobis*; an proponit & illud S. Joannis: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*; & illud Salvatoris: *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; & illud: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in Sanguine Agni.* An è contrà favens omni impietati, tollens omnes Virtutes, Consilia Evangelica, deteriores in pejus faciens homines; an sit scandalosa, turpiloqua, levis, inconstans, erronea, carni & sanguini placens; hæc enim longè sunt à vera & cœlesti doctrina, nec quidquam simile legimus, nec in SS. Prophetis, nec in SS. Apostolis, nec in Apostolicis, nec in alijs verè missis pro salute populi, quia dicit S. Auguſt. lib. 2. de Civit. Dei cap. 28. *Nihil in Christianis Ecclesiis turpe & flagitiosum spectandum, imitandumq; proponitur, ubi veri DEI aut Præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.* Undè verò hæc procedant, quòd aliqui non taliter se gerant in observanda castimonia & continentia, qualem requirit hoc sublime Officium Sacerdotij.

Prima Causa potest esse, quia naturam suam, viresq; ad conservandam continentiam & castitatem, diligenter & exactè non explorant,

plorant, ideò enim tot gradibus & ordinibus ascenditur ad Sacerdotium, ut multorum annorum experientiâ, quisq; de se periculum faciat, & seipsum probet. Quod expressit S. Bernardus de Convers. ad Clerum, cap. 29. dicens: *Vtinam turrim inchoaturi sedentes computarent, ne fortè sumptus non haberent ad perficiendum; utinam qui continere non valent, perfectionem temerariè profiteri, aut Cœlibatui dare nomina vererentur.* Undè SS. Patres graviter incusabant eos, qui præcipitanter promovebant ad Ordines, ut S. Gregorius lib. 8. Ep. 40. reprehendit quendam, qui Diaconum parùm probatæ castitatis, ad altiores gradus promoveret.

Secunda Causa potest esse, quia non erant ferventer, nec pulsant aures Divinæ Majestatis, pro conservando dono castitatis. Non vitant occasiones amittendæ illius, non arripiunt media conservandæ illius, ut jejunium, castigationem corporis, in servitutem redigendo illud cum Apostolo, ne incrassata caro recalcitret: ebrietatem & lasciviam ciborum non fugiunt, quia venter his æstuans, citò spumat in libidinem. Cuilibet enim, qui vitâ suâ exploratâ, & his medijs adhibitis, castitatem suam offerendo DEO, possibile est castam vitam servare, quia DEUS neminem gratiâ suâ destituit, in re ad salutem necessaria: homo quidem viribus suis continens esse non potest, nisi DEUS dederit; at DEUS dat affluenter petentibus, atq; in se confidentibus. Duplicia enim Divinorum Bonorum sunt genera: quædam ad corpus, ut sunt dona Naturæ & Fortunæ, ut sanitas, scientia, divitiæ, eloquentia, &c. alia ad animæ salutem, & perfectionem Christianam, ut sunt Virtutes omnes, quibus benè utimur. Priora sæpè DEUS denegat; posteriora, ut magis saluti convenientia, largitur petentibus. Huc spectat nobilissima Virtus Castitatis, DEOq; gratissima, quam DEUS nemini ad eam aspiranti denegat, nec in vitium incontinentiæ illos labi permittit, qui sincerè auxilium ejus implorant, immo adjuvat, ut SS. Patres testantur. S. Chrysost. in Serm. de Martyribus ait: *In tua pugna Dominus congreditur, Dominus dimicat, Dominus præliatur, & victoria tibi adscribitur: Certamen tuum, DEI certamen est; prælium tuum, Christi prælium est, &c. fortiter dimica, & dimicanti adsit ille, qui vinci non novit.* S. August. in Hom. 43. de Verbis Dni ait: *Non enim non habes, undè pugnes, DEUS tuus in te est. Spiritus bonus datus est tibi: Spiritus DEI est, qui pugnat in te, adversùs adversùs illud, quod est in te, contra te.*

Non ergo hi incontinentes, possunt evacuare continentiam multorum, qui puras manus levant in Sacrificijs ad DEUM, sicut non evacuavit Fidem, aliquorum infidelitas, quia quisq; portabit onus suum ad Judicium DEI. Undè summoperè mirantur Catholici, quòd omnes, qui sunt extra Ecclesiam Catholicam, tam Principes, quàm omnes docti homines, quòd non advertant hunc errorem, nempè, quòd ejusmodi homines, ut liberiùs exercerent suas libidines, & insolentiùs currerent per prata luxuriæ, novas sibi fabricârunt Fides, & hoc vitio semper notati fuerunt omnes ejusmodi homines, ut quod non licuit in Veteri Ecclesia, liberiùs exercerent in sua Nova, à se excogitata, ut verè dixerit Author Tubæ p. 3. *Schismata & hæreses, arrogantiâ, & voluptatum libidine sunt introductæ, quibus nunquam finem fecerunt.* Ex quibus omnibus patet, quòd castitas & continentia mortificatis, & juxta DEUM viventibus, quales Ecclesia suos agnoscit, est facilis, quamvis hæreticis, & in omnem licentiam effusis, difficilis videatur. Hinc Cœlibatus, ut clarè patuit, fundatur supra Evangelium, Canones Apostolorum, Concilia Primitivæ Ecclesiæ, & SS. Patrum testimonia: modò subijcimus omnium judicio, quomodo Protestantes, & omnes Dissidentes, ab Ecclesia Cathol. Rom. jactant apud se Primitivam, seu Reformatam Ecclesiam, cùm Cœlibatum Sacerdotum rejecerint, quomodo non erubescunt, ad Primitivam Ecclesiam, & Concilia illius, tum ad SS. Patres illius Ecclesiæ, provocare, cùm ei contrarium fecerint, omninò inexcusabiles, sive exemplum Orientalis Ecclesiæ adducant satis impertinenter, cùm illos non Orientalis, sed Occidentalis generavit, & regeneravit Ecclesia, cui etiam & Orientalis subjecta fuit, in quam non secundùm Canones, sed secundùm mentem hominum usus uxorum intravit; sive Canonem 6. Apostolicum, qui non Apostolicus, sed illorum potiùs censendus est, cùm non juxta intelligentiam Apostolorum, sed juxta judicium proprium, pro se illum citare non verentur. Quid ergo defensionis habent Cœlibatum impugnantes, si Concilium Trullense satis conveniens est, sed pro illegitima doctrina, illegitimi Conciliabuli allegatio, quod legitimis Concilijs præjudicare non potest, ut Eliberitano, Carthagin. II. Carthag. III. Nicæno I. Chalcedon. Gener. IV. &c. &c. quæ gravissimas pœnas excommunicationis, & degradationis ab officio assignabant; tum tot SS. Patrum testimonijs superiùs adductis. Joannes Martinus Schmidt, antehàc Prædicans Luther.

in

in Franconia, in suis Motivis Conversionis ad Fidem Cathol. Rom. inter alia hæc habet: *In Articulo de Matrimonio nonnulli* (Lutherani) *sicuti Adamitæ & Nicolaitæ vivunt, & Prædicans alter alterius uxorem pro suo libitu accipit, neq; DEUM, neq; honorem, neq; honestatem curantes, si modò intentio illorum contentetur. Hoc faciunt Lutherani Prædicantes, qui Matrimonium Sacerdotum, ad vitandas fornicationes, defendunt. In Articulo de Baptismo inter Lutheranos disputatur: An parvuli inbaptizati beatificentur? Qui absolutè affirmant, dicunt, meliùs esse affirmare, quàm negare, ut mœstæ matres indè quoddam solamen habeant. Sed nonnè hi secundùm affectus agunt? Egregium sanè solatium! quo meretricibus, & illis, quæ fructum uteri ejicere solent, favor quidam exhibetur. Et taliter doctrina eorum vulgò se habet, ut hominibus solamen quoddam afferant, reliquum sit uti sit.* Hæc suprà nominatus Schmidt.

De Cœlibatu Sacerdotum Centuriatores

Cent. 3. Col. 86. Origenem citant pro Cœlibatu, & Cent. 4. Col. 616. citatur 1. Canon Concilij Neocæsar. ubi dicitur: *Presbyter si uxorem duxerit, illum ab Ordine suo deponi debere.* Ijdem Cent. 4. Col. 659. referunt pro Cœlibatu Canonem Concilij Nicæni I. Col. 663. Ambrosium citant. ejusdem Canonis mentionem facientem. Col. 698. referunt Canonem Concil. Elibertini, *Placuit &c.* Col. 868. Canonem Concilij Carthagin. III. in quo S. Augustinus interfuit. Col. 887. Canonem Concil. Carthag. IV. Col. 704. Canonem Concil. Arelat. II. Col. 626. Canonem Neocæsar. *Presbyter si uxorem duxerit.* Col. 486. locum afferunt Eusebij de Cœlibatu. Col. 487. adducunt S. Hieron. Col. 300. & Col. 303. S. Epiphan. his verbis: *Reverà non suscipit sancta DEI prædicatio &c.* Cent. 5. Col. 754. S. August. adducunt, qui ait: *Cùm Ministri Ecclesiæ quotidiè Christi vicem agant, oportet eos mundiores esse alijs, & à concubitu abstinere, non quòd malus sit, sed quia personæ non convenit.* Cœlibatum Sacerdotum ad doctrinam Apostolorum agnovit ex Antiquitate Ivellus, in Defens. Apolog. pag. 164. & An. 1571. fol. 195. *Causam suam superiorem* (ait) *arbitratur Hardingus, ut potè quæ sinè dubio plurimos pro se Patres habent.*

Discursus Theolog.

De Vita Monastica & Votis Religiosis.

CUm de Cœlibatu primæ & nobilissimæ partis mystici Corporis Ecclesiæ militantis, id est, de Episcopis & Presbyteris actum sit, convenienter sequi videtur, ut de alterius partis ejusdem Ecclesiæ Cœlibatu, & Votis Monasticis aliquid dicamus, de illis scilicet, qui Evangelica Christi Consilia secuti, vitam arctiorem & sublimiorem sectantur, quam vel Lex Divina, vel humana præscribat, ut multorum & saluti, & infirmitati consulatur. Et quamvis Monasticæ vitæ Statuta non ad omnes Christianos pertinent, ad omnes tamen spectat defendere vitam Monasticam, quicunq; nomine Christiano gloriantur. Hæretici enim, tam antiqui, quàm recentiores, ideò portentosa mendacia de Monachis fingunt, & in illos in omni occasione invehuntur, ut illos vulgi odio, & alijs parùm doctis ludibrio exponant, & totam Ecclesiam hâc ratione perturbent, lædant, & si possibile, à fundamentis evertant. Si enim per mendacia & calumnias populo persuaserint, non à Christo institutos fuisse, putant se persuasuros eidem populo, universalem Ecclesiam, quæ una semper voce, & à tot Sæculis consensu, Monasticam vitam approbavit, vano errore delusam esse. Unde SS. Patres universim, vix non omnes, vitam Monasticam non solùm defenderunt, sed etiam summis laudibus extulerunt, prout inferiùs patebit. Neq; novum est hoc bellum hæreticorum contra Monachos, neq; recens dæmonis inventum, per vitæ Monasticæ calumniosam reprehensionem universalem Ecclesiam oppugnare: nulli enim unquam fuerunt hæretici, qui nomen Monachorum patienter audire voluerunt. Undè S. August. lib. 3. adversùs Petil. cap. 40. ait: *Perrexit ore maledico in vituperationem Monachorum & Monasteriorum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit institutum.* Ariani etiam tanto furore aggressi sunt Monachos, ut etiam desertissimas solitudines, locaq; abdita & recondita penetrarent, ut Monachos quærerent, raperent, & occiderent. Videantur funestæ Historiæ de Arianis apud varios Scriptores, de crudeli tyrannide eorum in Monachos. Inter alios sic scribit Ruffinus lib. Hist. 11. cap. 3. de Lucio, Ariano Episcopo: *Indè ad Monasteria furoris sui arma convertit, vastat Eremum, & bella quiescentibus indicit. Ter mille simul, aut eò ampliùs viros, per totam soli-*

Ariani infensi hostes fuerunt Monachorum.

solitudinem, secretâ & solitariâ habitatione dispersos, oppugnare pariter aggreditur, mittit armatam equitum ac peditum manum, Tribunos, Præpositos, & bellorum Duces, tanquam adversùs barbaros propugnaturus elegit, qui cùm vidissent novam belli speciem, vident hostes suos gladijs obiectare cervices, & nihil aliud dicere, nisi amice ad quid venisti? De Valente etiam, Imperatore Ariano, in Chron. S. Hieron. hæc scribit: *Vsq; adeò Valentem odisse Monachos, ut lege latâ, aut omnes arma sumere, militesq; fieri, aut funibus cædi, mactariq; decreverit.* Sed longum esset, omnes crudelitates veterum hæreticorum, præsertim Imperatorum, Constantij, Constantini, Copronimi, & cæterorum veterum Iconomachorum commemorare, quod quasi per successionem, alij recentiores ab illis receperunt. Scientibus Scripturam loquimur, quales crudelitates factæ sunt in varijs Regnis, recentioribus ante nos Sæculis, sed hæc instigante diabolo facta sunt. Nam ut apud Athanasium magnus Antonius ait: *Omnes quidem Christianos diabolus odit, sed probos Monachos, Christiq; Virgines tolerare nullo modo potest.* Idem ferè Circumcelliones & Donatistæ fecerunt, vide S. August. lib. 3. cont. Petil. cap. 40. Hinc illa testimonia Abbatis Sereni apud Cassianũ Coll. 7. cap. 23. *In ipsis* (ait) *cænobijs, ubi commorabantur octo vel decem, ita dæmonum atrocitas graßabatur, & frequentes, ac sensibiles sentiebantur aggressus, ut non auderent omnes pariter noctibus obdormire, sed vicißim alijs degustantibus somnum, alij Vigilias celebrantes, Psalmis & Orationibus, seu Lectionibus inhærebant.* Habemus jam, quomodo hæretici, tam veteres, quàm recentiores; quomodo ipse diabolus Monachis infensus erat: modò videamus, quid etiam de illis SS. Patres censeant, quid ipsemet Christus & DEUS, audiamus. Et cùm multa de Monachis Encomia SS. Patrum inveniantur in varijs Authoribus, qui hunc Tractatum de Monachis ex professo tractârunt, nobis sufficiet, aliquot SS. Patres breviter adducere. S. Joan. Chrysostomus, totius Græciæ decus, pro vitæ Monasticæ defensione tribus libris conscriptis, acerrimè decertavit. Inter alia Homiliâ 3. in Matth. ait: *Si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, paradiso prorsùs, omnem illam Eremum videbit digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus, in corporibus fulgere mortalibus: est enim cernere totâ illâ Regione diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum Regium gregem, virtutumq; cœlestium conversationem in terris micantem. At hæc non in viris solùm, verùm etiam in fœminis splendore conspicias. Non ita varijs astrorum*

Valens Imperator Arianus, sævit in Monachos.

S. Antonij apud S. Athanasium sententia notanda.

NB.

rum Choris Cœlum refulget, ut Ægyptus innumeris Monachorum ac Virginum distinguitur atq; illustratur habitaculis. Quanta hæc laus à tanto Viro profecta! S. etiam Augustinus, clarissimum totius Orientis & Occidentis decus, quomodo de illis loquatur, audiamus. Lib. 1. de moribus Ecclesiæ, cap. 31. sic de illis ait: *Nihil de illis dicam, qui secretissimi penitùs ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, & aquâ contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio DEI, cui puris mentibus inhæserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi &c. Videntur enim nonnullis res humanas, plus quàm oportet deseruisse non intelligentibus, quantùm nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum. &c. Nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non suâ sponte mirandum, & honorandum videtur, &c. quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis, atq; desertis huius mundi illecebris, in communem vitam castissimam atq; sanctissimam congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nullâ superbiâ tumidi, nullâ pervicaciâ turbulenti, nullâ invidentiâ lividi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam & intentissimam in DEUM, gratissimum ipsi munus offerunt. Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Patres verò non solùm Sanctissimi moribus, sed etiam Divinâ doctrinâ excellentissimi.* Et post multa ait: *Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum, si laudare velim, neq; dignè valeo, & vereor, ne iudicare verear.* Hucusq; S. August. de laudibus Monachorum. S. Hieron. Epist. 1. ad Heliodorum ait: *O desertum Christi floribus vernans! ô solitudo! in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi &c. ô Eremus familiariùs DEO gaudens.* Sed Vota etiam particulariùs perstringamus.

Discursus Theol.

De Voto Obedientiæ.

VOtum Obedientiæ patet ex S. Scriptura, esse Consilium Evangelicum. Matth. 16. *Tollat Crucem suam, & sequatur me;* & Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, &c. & sequere me* Perfecta verò sequela, quæ in abnegatione sui ipsius, id est, in perfecta Obedientia consistit, necessariò Votum Obedientiæ includit, quo quis seipsum abneget, ut non possit retrocedere, & ad tempus tantùm obedire, ideò dicitur, *tolle Crucem tuam, & sequere me;* ideò

ideò qui cupiunt communem vitam agere, ut ſuperiùs ex SS. Patribus patuit, rectè ſibi aliquem præpoſitum eligunt: id enim recta ratio ſuadet, ut patet in omni ſtatu politico; & S. Scriptura monet Proverb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Hebr. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* & Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.*

Obedientiam Monaſticam in uſu fuiſſe, SS. Patres teſtantur. S. Baſilius in Conſtit. Monaſticis, cap. 22. ait: Nunc rursùs ſermonem de Obedientia exerceamus, oſtendentes, quantam Obedientiam ab exercitationibus erga Præfectum, exacta doctrinæ ratio exigat, &c. & toto Capite de Obedientia diſserit, ac docet, debere Monachum Præpoſito parere. S. Hieron. Epiſt. ad Euſtoch. de Cuſtodia Virginitatis, deſcribens inſtituta Monachorum, ait: *Prima apud eos confœderatio eſt, obedire Maioribus.* Idem Epiſt. ad Ruſtic. Monach. Per hæc omnia ad illud tendit Oratio, ut doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, ſed vivere debere in Monaſterio, ſub unius diſciplina Patris, conſortioq; multorum. Et infrà: Præpoſitum Monaſterij timeas ut Dominum, diligas ut parentem, credas tibi ſalutare, quidquid ille præceperit, nec de Majorum ſententia judices, cujus officij eſt obedire.

Diſcurſus Theol.

De Voto Caſtitatis.

IPſe Salvator Matth. 19. ſuadens Caſtitatem, ait: *Sunt Eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cœlorum.* In quæ verba ſic ait S. Cyprian. lib. de habitu Virg. Nec ornari jam, aut placere alij, quum Domino ſuo ſtudeant, à quo & mercedem Virginitatis expectant, dicente ipſo, Sunt Spadones &c. S. Auguſtinus de S. Virginitate cap. 25. ait: Quid tergiverſaris impia cæcitas? quid temporalem tantummodò utilitatem promittis continentibus Sanctis? Nomen æternum dabo eis, &c. æternum illud nomen, quidquid illud eſt ſplendoribus DEI, quod utiq; gloriam quandam propriam, excellentemquè ſignificat, non erit commune cum multis, quamvis in eodem Regno, & in eadem domo conſtitutis.

Confirmantur hæc ex S. Apoſtolo, qui 1. ad Corinth. 7. ait: *Bonum eſt, mulierem non tangere.* Item: *Bonum eſt homini, ſic eſſe.* Item: *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem.* Item: *Dico innuptis & vidu-*

& viduis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. Item: *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit: qui non iungit, meliùs facit.* Item: *Cui vult, nubat tantùm in Domino, beatior autem erit, ſi ſic permanſerit.* Item: *Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta & corpore, & ſpiritu.*

Apocal. 14. Cap. legimus: Nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, *hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum, quocunq; ierit.* Hunc locum SS. Patres de Virginibus exponunt: ut Primaſius, Beda, Oecum. Anſelmus, Hieron. Gregor. M. Origenes in
“ Cap. 15. ad Rom: Ea quæ ſupra debitum facimus, non facimus
“ ex præceptis; Verbi causâ Virginitas, non ex debito ſolvitur, neq;
“ enim præceptum expetitur, ſed ſupra debitũ offertur. S. Auguſt.
“ in Pſalm. 75. illa verba enarrans, *Vovete, & reddite,* ait: Quisq;
“ quod poteſt, voveat, & reddat; non ſitis pigri ad vovendum, non
“ enim viribus veſtris implebitis. Idem lib. de Natur. & Grat. c. 69.
“ Omnia facilia ſunt Caritati. S. Hieron. in Jovinianum ait: Illa
“ Virginitas, hoſtia eſt Chriſto, cujus nec animum cogitatio, nec
“ carnem libido maculavit. S. Ambroſius lib. de Virginibus: Quis
“ humano poſſit eam ingenio comprehendere, quam nec natura
“ ſuis incluſit legibus, &c. è Cœlo accerſivit, quod imitaretur in ter-
“ ris. S. Hieron. Serm. de Aſſumpt. In carne præter carnem vive-
“ re, non terrena vita eſt, ſed cœleſtis. S. Auguſt. Serm 18. de Ver-
“ bis Apoſt. Quibus terrenæ nuptiæ viluerunt, &c. usq; adeò ac-
“ ceptârunt præceptum, ut non recuſarent conſilium, ut plus pla-
“ cerent, plus ſe ornaverunt. Idem Tract. 9. in Joan. ait: Nec il-
“ læ, quæ Virginitatem DEO vovent, quanquam ampliorem gra-
“ dum honoris & ſanctitatis in Eccleſia teneant, ſinè nuptijs ſunt,
“ nam & ipſæ pertinent ad nuptias, cum tota Eccleſia, in quibus
“ nuptijs Sponſus eſt Chriſtus. S. Auguſtinus, votum Caſtitatis vo-
viſſe Beatiſſimam Virginem MARIAM, affirmat lib de S. Virginit.
“ cap. 4. his verbis: Ipſa quoq; Virginitas ejus gratior & acceptior,
“ quia non eam conceptus Chriſtus viro violaturo, quam conſerva-
“ ret, ipſe præripuit, ſed priusquàm conciperetur, jam DEO dica-
“ tam, de qua naſceretur elegit. Hoc indicant verba &c. *Quomodo*
“ *fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco;* quod profectò non dice-
“ ret, niſi DEO Virginem ſe antè voviſſet. Tertull. lib. de velandis
☞ “ Virginibus ait: Nupſiſti Chriſto, illi tradidiſti carnem tuam, illi
“ deſpon-

deſponsâſti maturitatem tuam. Clemens Alexandr. Strom. 3. Dominus dixit, qui uxorem duxit, non repudiet eam, &c. qui autem profeſſus eſt ſe nunquam ducturum, ſinè uxore perſeveret. S. Hilarius in Pſal. 64. ait: DEO vovenda ſunt, contemptus corporis, Caſtitatis cuſtodia, jejunij tollerantia. S. Cyprianus lib. 1. Epiſt. 11. ad Pompon. ait: Chriſtus Dominus & Judex noſter, cùm Virginem ſuam ſibi dicatam, & Sanctitati ſuæ deſtinatam, jacere cum altero cernat, quàm indignatur. Et infrà: Quæ hoc crimen admiſit, non mariti, ſed Chriſti adultera eſt. Et lib. de habitu Virg. ait: Qui ſe Chtiſto dicaverint, & tam carnem, quàm mentem DEO devoverint, opus ſuum conſument magno præmio deſtinatum. S. Athanaſ. lib. de Virginit. ait: Poſtquam continentiam profeſſa es, corpus tuum ſanctificâſti. S. Baſilius in præmio Conſtit. Monaſt. Nuptias velut pedicas quaſdam fugit, his autem relictis, vitam ſuam DEO conſecrat, & Caſtitatem profitetur, ut neq; facultas ei ſit converſionis ad nuptias. IdemS Baſil. Epiſt. ultimâ ad Virg. lapſam ait: Revoca in memoriam honeſtam Profeſſionem, quam profeſſa es coram DEO, & Angelis, & hominibus. Et paulò ante ait: Horrendo Sacrilegio Chriſti Sponſæ adulter efficitur. S. Epiphan. Hær. 61. ait: Tradiderunt Sancti DEI Apoſtoli, peccatum eſſe, poſt decretam Virginitatem ad nuptias converti. S. Chryſoſt. Hom. 15. in 1. ad Timot. ait: Et vidua in viduitatis profeſſione Chriſto conſentit, id eſt, Chriſto nubit. S. Ambroſ. lib. 3. de Virginibus: Diſcite, quantas Alexandrina totius Orientis, & Africana Eccleſia, quot annis ſacrare conſueverint, pauciores hîc homines prodeunt, quàm illic Virgines conſecrantur. S. Hieron. Epiſt. ad Sabin. ait: Moris eſt in Ægypti & Syriæ Monaſterijs, ut tam Virgo, quàm Vidua, quæ ſe DEO voverint, & ſæculo renunciantes, omnes delicias ſæculi conculcârint. S. Auguſt. lib. de adulterinis Conjugijs cap. 24. ait: Quod cuiquam, antequam voviſſet, licebat, cùm id ſe nunquam facturum voverit, non licebit, ſi tamen id voverit, quod vovendum fuit, ſicut eſt perpetua Virginitas. Idem ibidem ait: Quid ait Apoſtolus de quibusdam, quæ voverunt, & non reddiderunt, *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* S. Fulgentius in Epiſt. 1. C. 6. ait: Non peccat Virgo nubens, ſi Virginitatem DEO, priusquàm nuberet, in corde non vovit. Idem Epiſt. 3. C. 4. ait: Hic eſt unigenitus DEI Filius, &c. unus omnium

æterna damnatio primum fidē irritantibus.

" um Sacrarum Virginum Sponsus, Sanctæ Virginitatis fructus, de-
" cus, & munus, &c. à quo Sancta Virginitas fœcundatur, ut perse-
" veret intacta, à quo decoratur, ut permaneat pulchra, à quo co-
" ronatur, ut regnet perenniter gloriosa: quapropter bonum de-
" positum custodi, & meritum tanti boni, quod ut haberes, DEUS
" dedit, & ut DEO voveres, ipse fecit.

Modo audiamus Romanos Pontifices, qui in primitiva Ecclesia
" vixerunt. Clemens lib. 3. Constit. Apost. cap. 1. ait: Quare o-
" portet non temerè facere professionem, sed cum consilio, & con-
" sideratione. Innocentius I. Epist. 2. cap. 12. ait: Quæ post Vo-
" tum nupserunt, esse adulteras Christi, id est, Sacrilegas. S. August.
" in Psalm. 75. ait: Nemo positus in Monasterio, dicat, recedo de
" Monasterio, neq; enim soli, qui sunt in Monasterio, perventuri
" sunt ad Regnum Cœlorum, & illi, qui ibi non sunt, ad DEUM
" non pervenient; respondetur ei, sed illi non voverunt, tu vovisti.
☞ " Et in Psal. 99. Dum non perseveraverit implere, quod vovit, fit
" desertor tam sancti propositi, & reus Voti non redditi. S. Leo I.
" Epist. ad Rusticum Narbon. ait: Propositum Monachi, proprio
" arbitrio & voluntate susceptum, deseri non potest absq; peccato,
" quod enim quis vovit DEO, debet & reddere. S. Gregor. M. lib.
" 1. Epist. 32. ad Venant. ait: Considera, quanto periculo in Ju-
NB. " dicio Divino dignus eris, qui temetipsum DEO Omnipotenti, cui
" sub Monachali habitu devoveras, subtraxisti. S. Hieron. Epist. ad
" Rusticum Ordine 4. ait: Filij Prophetarum, quos Monachos in
" Veteri Testam. legimus, ædificabant sibi casulas, propè fluenta
" Jordanis, & turbis urbium relictis, polentâ, & aggrestibus herbis
" victitabant. Idem Epist. 13. ad Paulinum de Monachis ait: No-
" ster Princeps Elias, noster Elisæus, nostri Duces, filij Prophetarũ,
" qui habitabant in agris & solitudinibus. Idem ad Eustoch. de ser-
" vanda Virginitate, loquens de Eremitis, ait: Hujus vitæ auctor
" Paulus, illustrator Antonius, & ut ad superiora conscendam, Prin-
" ceps Joannes Baptista. S. Joan. Chrysost. Hom. in Marcum ait:
" Sicut Sacerdotum Principes sunt Apostoli, sic Monachorum Prin-
" ceps Joannes Baptista est.

Discursus Theol.

De Voto Paupertatis.

Votum

VOtum Paupertatis, similia testimonia in S. Scriptura & à SS. Patribus habet. Matth. 5. *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum*; ubi notandum, Christum non dicere, vestrum erit, sed dicere, vestrum est: non promittit, sed dat in præsenti Christus Regnum Cœlorum pro voluntaria Paupertate; è contrà verò divitibus minatur Christus Luc. 6. *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem super terram.* Matth. 13. comparavit divitias spinis, quæ suffocant sementem; & Marci 10. ait: *Quam difficilè qui pecunias habent, in Regnum DEI introibunt.* Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo, & veni, sequere me.* Ibidem: *Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? JESUS autem dixit illis: Vos, qui secuti estis me, &c. sedebitis super Sedes duodecim, iudicantes &c. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* SS. Patres intellexerunt, his testimonijs commendari paupertatem perfectam, quæ suscipitur cum Voto semper ita manendi. S. Augustin. Epist. 89. q. 4. in Psalm. 103. Conc. 3. totum hunc locum refert ad Professionem Monasticam. S. Bernard. in declamatione super hunc locum Evang. ait: *Hæc sunt verba, quæ contemptum mundi in universo mundo, & voluntariam persuasêre paupertatem: hæc sunt, quæ Monachis claustra replent, deserta anachoretis.*  Actor. 4. legimus: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum dicebat, sed erant omnia illis communia.*  Quòd ex Voto ita viverent primi Christiani, docet S. August. Serm. 1. de Communi Vita Clericorum, ubi ait, *hoc cum Suis facere voluisse, sicut primos Christianos fecisse testantur Acta Apostol.* & ibidem sæpiùs repetit, *nemini licere in tali vita habere proprium, idq; ex professione facta DEO.* Et in Psalm. 75. ait: *Alij virginitatem ipsam ab ineunte ætate vovent.* Et in Psalm. 25. ait: Alius vovet relinquere omnia, *& ire in communem vitam, in societatem Sanctorum, magnum Votum vovit.* Hæc autem Vota, quòd ex singulari gratia DEI procedunt, sic ait lib. 17. de Civit. DEI cap. 4. *Dixerunt potentes illi: Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Hoc Votum potentissimum voverant. Sed undè hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuò dictum est: Dat Votum voventi.*

Vita Apostolica est norma Vitæ Monasticæ.

S. Apostolus 1. ad Timoth. 6. ait: *Est quæstus magnus, pietas cum sufficientia; nihil enim in hunc mundum intulimus, &c. habentes*

autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus: nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, &
NB. *desideria &c. quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est Cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à Fide.* Nam, ait Apostolus, Radix est omnium malorum

non Paupertas, sed Cupiditas; & divites, non pauperes, incidunt in laqueum diaboli. Et ad intentum pergit Apostolus: *Tu verò, ô homo DEI, fuge hæc; sectare verò justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem: certa bonum certamen, apprehende vitam æternam*; non dicit, solùm crede, sed, sectare justitiam, patientiam, mansuetudinem.

Concilium Chalcedonense Gener. IV. Can. 4. sic ait: *Qui verè*

& purè solitariam eligunt vitam, digni sunt convenienti honore &c. eos verò, qui per singulas Civitates, seu possessiones in Monasterijs sunt, placet nobis, Episcopo subiectos esse debere, & quieti operam dare, atq; observare Jeiunia, & Orationes, in locis, in quibus se semel DEO voverunt. Ex hoc Concilio patet honor vitæ solitariæ, patet & Vota jam tum fuisse Monachorum. Ante Concil. Chalcedonense, Conciliũ
An. 397 Carthagin. III. Can. 33. præcipit, *ut Sacræ Virgines diligentissimè in Monasterijs custodiantur.* Et in Concilio Carthagin. IV. Can. ult. de Viduis hæc habentur: *Quæ Viduæ se devoverunt Domino, &c. posteà ad nuptias seculares transierunt, secundùm Apostolum damnationem*
NB. *habebunt, quoniam fidem Castitatis, quam Domino voverunt, irritam facere ausæ sunt.* Huic Concilio interfuit S. August. & subscripsit illud. In Concil. Toletano IV. sub Honorio idem cavetur, Can. 51. 53. & 54. de Monachis, Religiosis, Viduis, Virginibusq; Sacris.

Fuerunt antiqui hæretici, qui docebant, ut Jovinianus, nullum esse Consilium Continentiæ, cùm ejusdem meriti sint Virgines & Conjugatæ, ut S. Hieron. lib. 1. in Jovin. & S. August. Hær. 82. testes sunt. Vigilantius hæreticus, idem docebat de Voto Paupertatis, nam ut idem S. Hieron. refert lib. contra Vigilant. docebat ille, melius esse, opes suas possidere, & ex ijs eleëmosynas facere, quàm omnia simul dimittere, contra illud: *Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Lampetiani hæretici, idem senserunt de Obedientia, ut ait Damascenus Hær. 98. Volebant Lampetiani, Monachos in Cœnobijs liberos esse, nec pendere ex Præpositi alicujus arbitrio. Joannes Wiclef, & alij recentiores cœperunt, ut mala Religionum Vota vituperare, sicut notum est omnibus.

Hæc

Hæc SS. Patres in recommendationem Votorum Religiosorum, & scripserunt, & docuerunt. E contrà verò frangentibus Vota, Apostolus minatur damnationem. Sic enim 1. ad Tim. Cap. 5. de Viduis quibusdam ait: *Cùm luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt;* *ut contigit etiam Luthero.* in quæ verba S. August. in Psal. 75. *Quid est, primam fidem irritam fecerunt? voverunt, & non reddiderunt.*

Pro violato Voto Paupertatis, quàm graviter puniti sunt Ananias & Saphira, Actor. 5. patet. Quærit effugium adversa pars, & dicit, quòd non pro violato Voto, sed pro mendacio puniti sunt. Sed frustrà; nam clarus nimis sensus indicat S. Scripturæ, dum ait: *Fraudavit de pretio agri, consciâ uxore suâ.* Non enim fraudâsse diceretur, nisi rem jam obligatam surripuisset; quòd autem rem non præceptam, sed liberam voverint, clarè etiam patet ex his verbis: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua potestate?* Quòd autem Votum illud DEO factum esset, & ejus violatio Sacrilegium fuerit, hæc verba ostendunt: *Anania, cur tentavit Sathanas cor tuũ mentiri Spiritui S. & fraudare de pretio agri.* Hîc clarè patet, quòd non pro solo mendacio tam graviter puniti sunt, sed pro fraude pretij, quod venundatum erat in illorum potestate. Sic & SS. Patres docent. S. Chrysost. Homil. 12. in Acta ait: *Quare hoc fecisti? voluisti habere, oportebat initiò habere, & non promittere, nunc autem postquam consecrâsti, maius Sacrilegium commisisti, &c. cur igitur Sacra fecisti ea, & posteà accepisti.* S. Hieronymus ad Demetriadem qu. 8. Tom. 1. ait: *Ananias & Saphira &c. corde duplici, & ideò condemnati, quia post Votum, obtulerunt quasi sua, & non eius, cui semel ea voverant, partemq; sibi iam alienæ substantiæ reservârunt.* S. August. Serm. 27. de Verbis Apost. ait: *Dum ex eo quod promiserat, partem subtraxit, Sacrilegij simul condemnatur, & fraudis.* Et Serm. 17. de diversis, in edit. Lovan. ait: *Si DEO displicuit, detrahere de pecunia, quam voverant DEO; quomodo irascitur, quando vovetur Castitas, & non exhibetur.* Et infrà: *Potest igitur Virgini Sanctimoniali nubenti, dici, quod ait Petrus de pecunia: Virginitas tua, numquid non manens tibi manebat, & antequam eam voveres, in tua fuerat potestate?* S. Fulgent. in Epist. de debito Conjugali, cap. 8. ait: *Quàm sit malũ, quàmq; sollicitè fugiendum, si quis de hoc, quod DEO voverit, aut retinere, aut rapere aliquid, mortiferâ prævaricatione pertentet, satis ex hoc exemplo patet.* Addit S. Greg. M. lib. 1. Epist. 33. ad Venant.

Ananias DEO pecunias voverat, quas posteà, victus persuasione diaboli, subtraxit, sed quâ morte mulctatus est, scis. S. Basilius in Constit. Monasticis cap. ult. ait: *Monachum salutem perdere, & furem esse, atq; alterum Judam, si quid privati possideat.* Oecumenius in Comment. hujus loci aliquoties vocat Sacrilegium Ananiæ peccatum.

Ex his duo veniunt singulariter notanda. *Primò*, quòd superiùs citati SS. Patres clarè ostendunt, quòd non pro mendacio, sed pro violatione Voti promissi, puniti sunt Ananias cum uxore sua, quod etiam S. Scriptura expresè dicit, *fraudavit de pretio agri*; adversa verò pars, relicto SS. Patrum sensu, & S. Scripturæ, effugium quærit, & dicit, quòd pro mendacio puniti sint, non pro violatione Voti, sed contrarium patuit. *Secundò*, quàm graviter SS. Patres reprehendunt, & ostendunt, illos esse in statu æternæ damnationis, qui promissis DEO Votis, per Monasticam Professionem non servârunt illa, cum magno scandalo & ruina multarum animarum. Sic enim Deuteron. 23. habetur: *Si Votum voveris, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus, & si moratus fueris, reputabitur tibi ad peccatum.* S. Urbanus I. Papa & Martyr, in Epist. Decret. ait: *Quicunq; vestrûm vitam communem suscepit, & vovit, se nihil proprium habere, videat, ne pollicitationem suam irritam faciat.* S. Cyprianus lib. de habitu Virginum ait: *Neq; hoc iubet Dominus, sed hortatur: neq; iugum necessitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum, sed cùm habitationes multas apud Patrem suum dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat. Habitacula ista meliora vos petitis, carnis desideria castrantes, maioris gratiæ præmium in cœlestibus obtinetis.* S. Hieron. contra Jovinian. lib. 1. ait: *Plus amat Virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum, maiorisq; gratiæ est offerre quod non debeas, quàm reddere, quod exigaris.* S. Ambros. lib. de Viduis: *Ideò ergo præceptum non datur, consilium datur: præceptum enim castitatis est, consilium integritatis.* S. Basilius lib. de Virginitate: *Voluit Dominus, non præceptum esse ipsum virginitatis rectè factum, sed insigne animæ.* S. August. lib. de S. Virginit. cap. 30. loquens de Præceptis & Consilijs, ait: *In illis Dominus debitum imperat vobis, in his autem, si quid ampliùs supererogaveritis, in redeundo reddet vobis.*

An. 224 (margin note beside "peccatum. S. Urbanus I.")

Confirmatur vita Monastica ex eo, quòd observetur in Græca Ecclesia, quæ licèt ob errorem processionis Spiritûs Sancti, & alios, recesserit ab Ecclesia Cathol. Rom. tamen Monasticam vitam ad hodi-

hodiernum diem obſervat, tot habens tam Virorum, quàm Virginũ Monaſteria. Hoc clarè etiam patet ex Cenſura Confeſſionis Auguſtanæ, quam cùm miſiſſent Authores illius ad Hieremiam Patriarcham Conſtantinopolit. quid ſentiret de illa, tulit ille judicium de illa, ſed non ad mentem Proteſtantium, vide ſuprà pag. 490. Videatur etiam Oratio Chytræi, quam de Statu Eccleſiarum in Græcia, Aſia, Bohemia, &c. Francofurti edidit, ubi ex Cruſio Summam Cenſuræ, præcipuè pag. 132. octo Aphoriſmis commemorat, quid memoratus Patriarcha, & Græca Eccleſia cum ipſo teneat. Inter hos octo Aphoriſmos, Sextus talis legitur: *Pro Monaſticæ vitæ inſtituto, quam tanquam Angelicam converſationem propugnat.* Oppugnare itaq; vitam Monaſticam, eſt oppugnare ipſum imprimis Evangeliũ, & oppugnare primitivam Eccleſiam, & oppugnare omnes ferè Sanctos Patres, tam Græcos, quàm Latinos, & doctrinam illorum; nam plurimi ex illis vitam Monaſticam duxerunt. Ita enim cauſa vitæ Monaſticæ cum Eccleſia & SS. Patribus conjuncta eſt, ut qui vitam Monaſticam oppugnet, manifeſtus hoſtis eſt Eccleſiæ & SS. Patribus, & prodit ſe tenere cum antiquis hæreticis, ſcilicet cum Arianis, Pelagio, Joviniano, Vigilantio, & alijs recentioribus, qui miris modis perſequebantur vitam Monaſticam, ut ſuperiùs patuit. SS. Patres verò miro modo illam ſummis extulerunt laudibus. Undè autem proceſſit hæc contradictio & perſecutio hæreticorum vitæ Monaſticæ? non aliundè, niſi ex malitia diaboli, quòd videat, innumeros homines utriusq; ſexûs modo eminenti lucrari Cœlum, per Conſilia Evangelica, & verificari de illis illud Matth. 11. *Regnum Cœlorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et Apoſtolus 1. ad Corint. 4. *Non in ſermone eſt Regnum DEI, ſed in virtute.* Et ad Rom. 2. *Non enim auditores Legis juſti ſunt apud DEUM, ſed factores Legis juſtificabuntur.* Et Apocal. 7. *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni*; non dicit, qui venerunt ex magnis delicijs, ſed magna tribulatione: & *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit*, ad Rom. 5. Secunda cauſa poteſt eſſe, quare perſequuntur hæretici vitam Monaſticam, cùm ipſi aliquando vel Sacerdotes, vel Religioſi feliciter fuerint, ut Lutherus loquitur. Ait enim idem Lutherus in Propoſit. ad An. 1520. *Ad libertatem pertinet, ſeſe poſſe perpetuo voto aut cuicunq; legi ſubdere. Talis fuit Bernardi Religio, & omnium, qui feliciter Religioſi fuerunt.* Et Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 13.

§.15. Non sic hodiè à Sancta illa Antiquitate Monachos degenerâsse dico, quin aliquos in suo grege bonos habeant. Idem §.18. *Respondemus ergo, quæ tunc ad publicum ministerium recipiebantur viduæ, eas sibi perpetui Cœlibatûs conditionem imposuisse,* & subjungit, *eas peccâsse, fidem Ecclesiæ datam fallendo.* Cùm ergo ex statu tam perfecto, per superbiam exciderint, & se varijs impudicitijs & luxurijs tradiderint, dona DEI per suam malitiam amissa, scilicet continentiam in alijs persequuntur, ut aliquomodo coram simplicioribus contegant, & excusent suam impuram vitam, & commaculent aliorum immaculatam eodem cæno, in quo ipsi volutantur, de quibus aliter loquitur Apostolus ad Hebr. 11. dum ait: *Alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij occisi sunt, circuierunt in melotis, & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ.* Tertiò, scripserunt illi contra vitam Monasticam, qui vel donum continentiæ nunquam habuerunt, vel illud per superbiam, & lascivam vitam perdiderunt: & tales fuerunt omnes hæretici, qui vel Sacerdotes, vel Religiosi anteà fuerunt. Habes ergo continentia sancta, habes solitudo, habes vita Monastica, vita Religiosa, omni ætate ab omnibus hominibus laudem & singulare encomium, ita, ut etiam inimici tui nolentes, veritatem fateri debuerunt, quòd sis singulare donum DEI, ut Ecclesiast. 26. dicitur: *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Habes ab Evangelio, habes à primitiva Ecclesia, habes à SS. Patribus, tam Græcis, quàm Latinis, qui uno ore te encomiasant. Qui ergo non vult insanire, audiat totum mundum, audientem Christum: credite ergo non erroneis hæreticorum adinventionibus, sed mundo, credenti Christo. Nam S. Augustinus lib. 22. de Civit. DEI cap. 8. summoperè miratur, dum ait: *Magnum ipse prodigium est, qui mundo credenti non credit.* Credite Christo, Matth. 19. dicenti: *Apud homines hoc impossibile est, apud DEUM autem omnia possibilia sunt.* Et quid dicetis, cùm in extremo Judicio sequentes Consilia Evangelica tot milliones hominũ oculis vestris cernetis, dicentes cum Apostolis: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te,* Matth. 19. cùm audieritis ibidem loquentem Christum: *Omnis qui reliquerit domum, &c. aut matrem, aut patrem, aut uxorem, aut agros, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Putatis, hæc frustrà dixisse Christum,

ſtum, nec illum expleturum has promiſſiones? cùm hæc Conſilia Evangelica non ſectamini, cur ergo vocamini Evangelici, cùm & Præcepta, & Conſilia Evangelica obſervare nequaquam vultis, quid ad hæc, inquam, dicetis? puto, non aliam cantionem cantabitis, niſi illam Sap. 5. *Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſinè honore, ecce quomodo computati ſunt inter Filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum, &c. Ergo erravimus à via veritatis, & laſſati ſumus in via iniquitatis, vias difficiles ambulavimus, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia? tranſierunt omnia tanquam umbra, &c. in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus*; quod à vobis avertat DEUS, & lumen veritatis infundat, ut potiùs Scripturæ, Eccleſiæ, SS. Patribus, & toti mundo magis, quàm veſtris humanis rationibus credatis.

Sunt aliquæ Objectiones contra Cœlibatum & Monaſticam vitam.

Prima. Cœlibatus ipſi naturæ repugnare videtur, quæ fruſtrà ſexuum diverſitatem, & vim generativam molita erit in homine, ſi meliùs eſt Cœlibem eſſe, quàm Conjugatum. Hæc Objectio fuit Joviniani, & jam olim à S. Hieronymo lib. 1. in Jovinianum ſoluta; ſed quia illam Lutherus in Serm. de Matrimonio ſuſcitavit, reſpondetur illi, non eſſe fruſtrà vim generativam, & ſexuum diverſitatem, quia eâ multi utuntur, & licèt alij non utantur, tamen longè majorem fructum afferunt Virginitatis ſpiritualem. Sic reſpondet S. Auguſtinus lib. de S. Virginitate cap. 8. dicens: *Nulla carnis fœcunditas ſanctæ Virginitati poteſt comparari.* Similiter reſpondit S. Ambroſ. lib. 1. de Virg. S. Hieron. Epiſt. ad Demetr. & Epiſt. 22. ad Euſtoch.

Secunda Objectio. Si omnes continerent, mundus periret. Similiter SS. Patres reſpondent ad hoc. S. Hieron. lib. in Jovinian. ait: *At dices, ſi omnes Virgines fuerint, quomodo ſtabit genus humanum? noli metuere, ut omnes Virgines fiant. Difficilis res eſt Virginitas, & ideò rara, quia difficilis.* S. Auguſt. cap. 10. de Bono Conjugali ait: *Novi quoſdam, qui murmurent, quid? ſi omnes velint ab omni concubitu abſtinere, undè ſubſiſtet genus humanum? utinam omnes hoc vellent, multò citiùs DEI Civitas compleretur.* S. Ambroſ. lib. 3. de Virginibus ait: *Nonnullos dixiſſe audivi, quòd perijt mundus, defecit genus humanum, conjugia labefactata ſunt. Quæro, quis tandem quæ-* NB.

ſivit

ſivit uxorem, & non invenerit? Similes defenſiones habet Virginitas ab aliis SS. Patribus, quæ, quia ut S. Ambroſius lib. 1. de Virginibus ait, *quòd ſit principalis virtus, &c. è Cœlo accerſivit, quòd imitaretur in terris, &c. & Angelos Sideraq; transgrediens, Verbum DEI in ipſo ſinu Patris invenit, &c. Nemo ergo miretur, ſi Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur.* Et quod majorem æſtimationem cuiq; cauſare debet, hoc eſt, quòd hæc Angelica virtus habet Auctorem & Encomiaſtem ipſum Chriſtum Virginem, de Virgine natum, & prædicatorem Virginitatis, qui Matth. 22. ait: *In reſurrectione enim neq; nubent, neq; nubentur, ſed erunt ſicut Angeli DEI in Cœlo.* Idem habetur Marc. 12. Luc. 20. Jovinianus autem fuit hæreticus, & alii ſimiles, qui oppugnârunt Virginitatem, & quidem in Primitiva Eccleſia, poſt Annum 300. circiter.

Argumenta Diſsidentium *contra Vitam Monaſticam & Vota Religioſa.*

Contra Vitam Monaſticam, ſi nomine Argumentorum digna ſint, judicet Lector. Lutherus in Epitalam. ait: *Primò,* Mulieres non niſi ad matrimonium creatas fuiſſe. At ſi ita eſt, nullæ ergo mulieres erunt in Cœlo, ubi neq; nubent, neq; nubentur; & hic erit error Origeniſtarum, quem S. Hieron. refellit Epiſt. contra errores Joan. Hieroſol. fruſtrà fuerunt tot millia SS. Virginum in mundo, fruſtraneum erit & illud 1. ad Corint. 7. *Mulier innupta, & Virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu: quæ autem nupta eſt, cogitat, quæ ſunt mundi;* & illud ibidem: *Qui matrimonio iungit Virginem ſuam, benè facit; qui non iungit, meliùs facit.* De Viduis autem ſic ait: *Cui vult, nubat, tantùm in Domino; beatior autem erit, ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium.*

Secundò ait, Idem eſſe conſultare: Sitnè ducenda uxor? & ſitnè comedendum & bibendum? Egregia ſanè comparatio! De primo ſiquidem omnes ſapientes conſultant, etiam Ethnici, de ſecundo ne ſtulti quidem: ſinè primo vita humana ſubſiſtere poteſt, ſinè ſecundo non ita; nam tot SS. Patres, tam Veteris, quàm Novi Teſtam. cœlibes & continentes fuerunt.

Tertiò ait, Moyſen præcepiſſe omnibus Judæis matrimonium, ita, ut nullo modo licuerit carere uxore in Veteri Teſtam. Si ita eſt, quare Elias, Eliſæus, Jeremias, Joannes Baptiſta, & alij multi, caruerunt uxoribus?

Quar-

Quartò ait, Virginitatem quidem præstare Conjugio, tamen mulierem conjugatam meliorem esse coram DEO, quàm sit Virgo. At nos contrarium verum ex S. Paulo ostendimus: *Qui matrimonio jungit Virginem suam, benè facit, qui non jungit, meliùs facit.* Cui ergo magis credendum? puto, quòd S. Paulo, & SS. Patribus, qui idem sentiunt cum Apostolo, quàm uni Luthero.

Quintò. Idem lib. de Votis Monasticis ait, Primitivam Ecclesiam ignorâsse vovendæ cujusquam rei usum. At è SS. Patribus contrarium patuit superiùs, immo S. August. lib. de Virginitate cap. 4. ait, B. MARIAM vovisse continentiam: *Quomodo, ait MARIA, fiet istud? quoniam virum non cognosco; quod profectò non diceret, nisi DEO Virginem se antè vovisset.* Vovisse & Apostolos, & alios multos in primitiva Ecclesia, continentiam & paupertatem, ut superiùs patuit: undè S. Hieron. de Viris Illustr. in Philone ait: *Ex quo apparet, talem primam Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur, & cupiunt.* Immo ipse Lutherus in hoc libro inferiùs ait, omnes Christianos in Baptismo verè vovere, omnia præcepta; undè, si secundùm Lutherum vovent omnia præcepta, non ergo sola sufficit Fides ad salutem, debet addi observantia præceptorum, immo & Consiliorum Christi, quam tamen non omnium esse censemus, sed eorum, qui præmoti à DEO, spontè ea sumpserunt observanda. Et quidem idemmet Lutherus in Propositionibus A. D. 1520. & seq. ait: „Ad libertatem pertinet, sese posse perpetuo Voto, aut cuicunq; Legi subdere. Talis fuit Bernardi Religio, & omnium, qui feliciter Religiosi fuerunt. Calvinus §. 18. de illis Viduis, de quibus Apostolus 1. Tim. 5. queritur, quòd primam fidẽ fregerint, ait: Respondemus ergo, quæ tunc ad publicum ministerium recipiebantur Viduæ, eas sibi perpetui Cœlibatûs conditionem imposuisse. Et mox addit idem Calvinus: Eas peccâsse, fidem Ecclesiæ datam fallendo. Non repugnat igitur Cœlibatus cultui DEI, si peccat secundùm Calvinum, qui illum vovendo fidem DEO fallit: & secundùm Lutherum, si aliqui boni in Professione Monastica, & feliciter Religiosi inveniuntur; bonitas enim cum peccato stare non potest. NB.

Sextò. Idem Lutherus in Assert. Art. 30. ait, Nullum esse Consilium Evangelicum, nisi unum Virginitatis. Et si est Votum Virginitatis, quare illud Lutherus non observavit? at superiùs idem de Obedientia patuit, & Paupertate: „Si vis perfectus esse, vade, vende „

“ de omnia, & da pauperibus, & sequere me; & illud: Ecce, nos
“ reliquimus omnia, & secuti sumus te; & illud: Beati pauperes
“ spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.

Septimò ait, Christum nunquam consuluisse Virginitatem, sed ab ea potiùs deteruisse, & Apostolum his verbis, cùm ait, *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, voluisse dicere, non consulo, sed absterreo. Quid ista glosa valeat, judicet Lector, quomodo ille, cùm superiùs concesserit Consilium Virginitatis, hîc iterum dicit, absterrere Apostolum à Consilio Continentiæ. At si iste Apostolus absterruit à Consilio Continentiæ, quare Matth. 19. dicitur: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem*, nota, aut uxorem, *&c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*; non dixit Christus, qui acceperit uxorem, sed, qui reliquerit uxorem, vitam æternam possidebit. Estnè hoc absterrere à Consilio Continentiæ, vitam æternam pro eo promittendo?

Octavò. Melanchton in Confess. Augusst. Art. 27. in Apolog. ejusdem ait, Tempore S. Augustini fuisse Monasteria libera. At ex S.
“ August. contrarium patet, qui in Psalm. 75. ait: Nemo positus
“ in Monasterio Frater dicat, recedo de Monasterio, neq; enim soli,
“ qui sunt in Monasterio, perventuri sunt ad Regnum Cœlorũ, &c.
“ Respondetur ei, sed illi non voverunt, tu vovisti. Et in Psalm. 99.
“ de Apostatis ait: Dum non perseveraverit, quod vovit, fit deser-
“ tor tam sancti propositi, & reus Voti non redditi. Immo longè antiquiores ante S. August. Patres, ut S. Cyprian. & Tertullian. qui librum de velandis Virginibus scripsit. S. Cyprian. librum ejusdem Argumenti edidit, quem de habitu Virginum inscripsit, & uterq; de Virginibus Religiosis, & per solemnem Professionem DEO consecratis, loquitur. Nam Tertull. distinguit inter mundi, & Virgines
“ DEI, dum ait: O sacrilegæ manus! quæ dicatum DEO habitum
“ detrahere potuerunt. Quid pejus aliquis persecutor fecisset?

Nonò ait Philippus, Monasteria olim fuisse Scholas Sacrarum literarum, & aliarum disciplinarum. Hoc negari non potest, sicut & modò fit, quòd Religiones in multis Monasterijs habeant studia Sacrarum literarum, ut juvent Ecclesiam in administrandis Sacramentis, in prædicando Verbo DEI, in refellendis erroribus hæreticorum, in conscribendis libris, contra eosdem hæreticos, ostendendo illorum calumnias, mendacia, & vana Sophismata, quibus deci-

piunt in cautos & simplices, & continuò Ecclesiam infestant, tamen SS. Patres, ut S. Basilius in Constit. Monast. S. Hieron. in Epist. ad Rustic. & alia ad Paulinum, de Instit. Monachi, S. August. lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31. & alij Veteres, dum describunt Statuta Religionum, sæpiùs meminerunt Psalmodiæ, Orationis, Jejuniorum, Continentiæ, Obedientiæ, & Paupertatis.

Decimò ait, S. Bernardum & S. Franciscum ob solam corporis utilitatem, Religionem suscepisse. Sed constat, S. Franciscum nudis pedibus ambulâsse, unâq; tunicâ, eâq; cilicinâ, contentum fuisse, humi cubâsse, totas noctes vigilâsse, vix non semper jejunâsse, ut etiam Filij ejus & modò faciunt: & quis hæc ad utilitatem corporis referet? S. Bernardus etiam non solùm durissimè vixit, sed etiam Ser. 30. in Cantica ait, Non esse Monachi, sed Medici, utilitatem corporis curare: Monachi verò esse, spiritûs utilitatem quærere, & carnem crucifigere, & corpus castigare, ut spiritus vivat cum Apostolo, qui dicebat, *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.*

Vndecimò ait, Monachatum esse nuper inventum. Sed nos ostendimus superius contrarium; tamen non negat, quin saltim Monachatus, qui nunc est, cœperit à tempore S. Benedicti. Id enim Lutherani omnes admittunt, cùm videant, adhuc extare, & servari Regulas S. Benedicti, & habitari plurima Monasteria ab ipso ædificata, & S. Benedictus ante mille & trecentos annos floruit.

Duodecimò ait, Nos asserere, vitam Monasticam mereri justificationem, & longè meliorem esse Baptismo. At nunquam hoc dicunt Catholici, sed dicimus, opera quidem Religionis, id est, castè vivere, nihil proprium retinere, obedire Majoribus, castigare corpus cum Apostolo, bona esse opera, & meritoria vitæ æternæ, sicut cætera omnia bona opera, de quibus Christus ait: *Venite Benedicti Patris mei, possidete Regnum. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* at his mereri justificationem, nullus hoc Catholicorum non solùm docet, sed nec unquam dixit, immo constanter sententia Catholica asserit, nullis meritis posse mereri justificationem, quam gratis omnes, ex solis meritis Christi accipimus.

Inter Baptismum verò & Professionem, quandam similitudinem esse dicimus. Sicut enim in Baptismo renunciamus diabolo, & incipimus novam vitam, ita per Professionem renunciamus sæculo, & reliquis voluptatibus, hæc tamen differentia est inter Baptismum & Professionem, quia Baptismus tollit non solùm pœnam, sed etiam

culpam, quod certò credimus. Professio verò Monastica non tollit culpam, sed solum pœnam, & hoc ipsū non certò, sed piè credimus, neq; hoc nostrum inventum est, sed Veterum SS. Patrum afsertum. Videatur Athanasius in Uita S. Antonij, videatur & S. Hieronymus in Epist. 26. de Obitu Blesillæ. Sed & S. Bernardum audiamus, quem Lutherus, & Calvinus, & Confessio August. pro Sancto habent; sic ille lib. de Præcepto & Dispensatione loquitur: Audire &
" hoc vultis à me, undè inter cætera pœnitentiæ instituta, Monaste-
" rialis disciplina meruerit hanc prærogativam, ut secundum Bapti-
" sma nuncupetur, arbitror, ob perfectam mundi renunciationem,
" ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, quâ præeminens uni-
" versis vitæ humanæ generibus hujuscemodi conversatio, professo-
" res & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit,
" immo Divinam in homine reformat imaginem, configurans nos
" Christo instar Baptismi, & quasi deniq; secundò baptizatur.

Alia Objectio Moderni Monachi sunt Schismatici: nam unus dicitur S. Francisci, alter S. Dominici, alius S. Bernardi, alius S. Augustini, sicut quondam dicebant, ego sum Pauli, ego sum Apollo, &c. sed potiùs si vellent intelligere veritatem, deberent considerare mirabilem providentiam DEI, in procuranda salute hominum per varios Ordines Religiosorum: cùm enim varia sint hominum ingenia, variæ propensiones, nec pares omnibus vires; unus diligit solitudinem, alter gaudet frequentiâ, alius libenter orat, alius libentiùs legit, & operatur manibus, alius abstinere potest à carnibus, alius sæpiùs jejunare, alius non ita. Si ergo omnis Religio requireret solitudinem, vel omnis frequentiam, vel omnis abstinentiam à carnibus, vel continua jejunia, vel nulla, pauci admodùm essent Religiosi: nunc autem in tanta varietate Religionum omnibus potest satisfieri, ut nemo sit, qui velit tendere ad perfectionem, per varia instituta unusquisq; tendere potest. Neq; Monachi nostri dicunt eo animo, ego sum Augustini, ego Francisci, &c. quo animo dicebant Corinthij, ego sum Pauli, ego Apollo; nam illi vim Sacramenti Baptismi putabant pendere à probitate baptizantis, & tot continebant Baptismata, quot erant baptizatores, proindè & tot Fides, & inter se Schismata: nostri verò Monachi, licèt diversorum Ordinum per universum Orbem, unum credunt Baptisma, unam habent Fidem, unam Ecclesiam Sanctam & Apostolicam, eamq; toti Orbi conspicuam & visibilem, omnes eosdem credunt Articulos Fidei,

Fidei, nec unus plures, nec pauciores, sed sicut unus, ita & omnes eandem habent Fidem. Tandem Petrus Martyr, ut se res habet, fassus est veritatem, & quasi Luthero, Calvino, Melanchtoni, & omnibus Monasticam vitam impugnantib', clausit ora, dum ad finem libri sui ait: *Certè, ut quod verum est, fateamur, eos in hac causa* (id est SS. Patres) *habemus iniquiores. Statim enim ab Apostolorum temporibus nimiùm cæptum est tribui Cœlibatui.* Idem Petrus Martyr causam reddit superiùs, dum ait. *Cur tanto in pretio Virginitas fuerit, causa una esse potest. quòd Christus dixerit, esse Eunuchos, qui se castraverunt propter Regnum Cœlorum, & in eam sententiam permulta Paulus habet in 7. Capite prioris ad Corinth. Hæc sanè Patres semper habuerunt in ore.*

De Monastica Vita Centuriatores.

Pro Monastica vita Cent. 4. col. 300. citant S. Basilium, Serm. exhort. de renunc. hujus Sæculi: *In Ascet. multa habet de Fraternitatibus & Statutis Fratrum, ut cap. 14.* Monachorum Consecrationes citant Cent. 4. col. 466. lin. 42. sub tit. de Consecrat. Monachi, eorundem Castitas, col. 300. lin. 52. Paupertas, col. 30. l. 29. 39. Col. 464. lin. 58. ajunt, *Monasticem professuros, facultates suas priùs distribuisse: Monachum ante omnia id vitæ genus amplecti, ut nihil possideat.* Col. 471. lin. 23. Obedientia. Col. 471. ex S. Hieronymo Epist. ad Eustoch. *Prima apud eos fœderatio est, obedire Majoribus,* eorundem *abstinentia à carnibus, &c. nec pane, nec obsonijs vescentes, neq; vinum bibentes, & alij à volucribus abstinent, utuntur ovis & piscibus: alij etiam à piscibus abstinent, &c.* Col. 475. lin. 42. Col. 706. Vigilias recensent: *Noctu ut plurimùm Monachi ad psallendum & precandum conveniunt, vocatiq; sunt hi nocturni congressus, eos secutæ sunt matutinæ orationes post non ita longum intervallum.* In Claustris reclusio, apud Osiandrum in Epit. Cent. 4. pag. 100. Eorundem austeritas, Cent. 4. col. 474. lin. 22. *Multi etiam humi dormiunt, alij neq; calceamenta induunt, alij saccum gestant occultum.* Cent. 4. col. 471. lin. 49. & col. 712. *Amictum* (ajunt) *Monachorum, Chrysost. esse describit, qualis Eliæ, Elisæi, Joannis Baptistæ, quem omnium Monachorum Principem statuit.*

Discursus Theolog.

In quo declaratur erronea omnium Dissidentium in materia Fidei sententia, ut potè æternam causans damnationem, in qua tanquam in fundamento, sed evidenter falsò, suam ab Ecclesia Cathol. Romana ponunt separationem.

HÆc omnia Catholica dogmata superiùs adducta ex S. Scriptura, SS. Patribus, Concilijs Generalibus, cùm non possint Protestantes ampliùs defendere, cùm Concilia & SS. Patres de illis tam clarè loquantur, & testentur, quòd sint antiquæ Ecclesiæ dogmata, excogitaverunt hoc medium, vel potiùs effugium, unam esse Ecclesiam, Catholicorum, Lutheranorum, Calvinistarum, & aliorum Cœtuum. Sic Calvinus lib. 4. Instit. cap. 2. §. 12. ait: *Ecclesiam DEI, rem & titulum non deperdi, dum modò de præcipuis Fidei Capitibus non sit discrimen.* Binius in Tract. de Pacificatione, p. 108. ait: *Papistas & Calvinistas in substantia Religionis concordare, ac proindè esse eiusdem cum Protestantibus veræ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ membra.* Et passim dicunt, non discrepare in substantia Religionis, nisi in leviculis quibusdam cæremonijs, extra Scripturam olim inventis: levicula vocant illa, in quibus se Ecclesia in Concilijs explicavit. Hanc doctrinam sequuntur & nunc posteri illorum; cùm enim non possunt negare illa, quæ moderna Ecclesia habet à primitiva, quæ Lutherus negavit, & finxit abusus esse, hoc excogitârunt effugium, dicentes, quòd illa ad substantiam Fidei non pertineant, nam sunt adiaphora, ita ut credentes illa Catholicos, vel discredentes Lutheranos omnes posse salvari sentiant. Hoc patuit ex Authoris Tubæ Discursu pag. 22. vide suprà pag. 79. & 80. Sed contra hæc omnia directè pugnant, contra doctrinas Lutheri & Calvini, qui Ecclesiam perijsse dixerunt, ut superiùs patuit. Nihilominùs sicut illa doctrina Lutheri, quâ dicebat se paucos abusus velle reformare in Ecclesia Cathol. Rom. fuit quidem plausibilis, ita, ut per eam multos retraxerit ab Ecclesia Cath. Rom. ad suas partes, non advertentes, se separatos ab Ecclesia; ita hæc sententia Calvini, quâ dicit, Ecclesiam Cathol. Rom. & alios cœtus Dissidentium, esse unam Ecclesiam, non minùs fuit plausibilis, undè & per hanc plurimi inadvertenter ab Ecclesia Rom. Cath. defecerunt, putantes, se in

Cal-

Calviniſmo idem credere, idem tenere, quod creditur & tenetur à vera Chriſti Eccleſia. Hoc autem quàm verum ſit, ultra dicta (ut errantium oculi aliquando ſaltim aperiantur, & veritatem agnoſcant) hîc breviter declaramus.

1mò. Non valet ſententia Calvini, dicens, Romanam Eccleſiam & alios cœtus Hæreticorum, eſſe unam Eccleſiam, ex hoc, quia ſe Calvinus, & alij cœtus Hæreticorum, ſeparârunt ab Eccleſia Rom. Cathol. Omnis enim ſeparatio & Schiſma, eſt crimen atrociſſimũ: undè Apoſtolus ad Gal. 5. inter opera carnis enumerat, *inimicitias, diſſenſiones, Sectas,* &c. & infert, quòd *qui talia agunt, Regnum DEI non conſequentur.* Hoc & 2. Petri Cap. 2. hoc & in alijs plurimis locis Scripturæ, in Diſcurſu de Schiſmate allegavimus. Sancti etiam Patres Schiſmatis graviſſimum crimen, ex graviſſima punitione Core, Dathanis, & Abironis, Num 16. probant, & præcipuè S. Auguſt. lib. 2. contra Donat. dum ait: Vindicatum Schiſma hiatu terræ, ,, ſepultis authoribus vivis, cæteris cœleſti igne conſumptis. Immo ,, Lutherus graviſſimè contra Echium & Bohemos invehitur, dicens: Nunquam mihi placuit, nec in æternum placebit quodcunque ,, Schiſma, iniquè fecerunt Bohemi, quòd ſe authoritate propriâ ,, ſeparaverunt à noſtra unitate, etiamſi Jus Divinum pro illis ſta- ,, ret, cùm ſupremum Jus Divinum ſit Charitas. Cùm ergo Schiſma ,, ſit crimen atrox, quod nec ipſi Anteſignano Proteſtantium placuit, quis dicet, tali crimine infectos, & in eo pertinaciter perſeverantes, aut talium cœtus, poſſe eſſe unum cum Eccleſia Cathol. Rom. quæ omne crimen & vitium execratur, & virtutem perſuadet, ac colit, niſi fortè ille, qui virtutem cum vitio vellet confundere.

2dò. Non valet ſententia affirmans, cœtus Proteſtantium cum Eccleſia Romana eſſe unum, ex hoc, quòd Calvinus, & alij dicant, in levioribus ſe ab ea diſcordare. Dicit enim S. Auguſt. Pſalm. 54. in illum locum, *Quoniam inter multos erant mecum,* ſic: Baptiſmũ ,, habebamus, utiq; in eo erant mecum: Evangelium utriq; lege- ,, NB. bamus, erant in eo mecum: Feſta Martyrum celebrabamus, erãt ,, ibi mecum, &c. Sed non omninò mecum; in Schiſmate non me- ,, NB. cum, in hæreſi non mecum: in multis mecum, in paucis non ,, mecum; ſed in his paucis, in quibus non mecum, non eis multa ,, proſunt, in quibus mecum. Undè infertur, quòd Schiſma, qua- ,, lecunq; illud ſit, totaliter à DEO ſeparat, cùm illa, quæ per Sacra Concilia definita fuerint ſub anathemate, ſi non acceptentur, non

excu-

excuſant à crimine Schiſmatis & hæreſis. Sic patet in exemplis primitivæ Eccleſiæ. Orta fuit diſſenſio de die Paſchatis, cùm verò determinaret Eccleſia, ne ſimul cum Judæis celebraretur, tanti fecit
An. 190 hunc ritum Eccleſia, ut Victor I. Papa & Martyr, totam Aſiam ſeparare non dubitaverit ab unitate Fidelium, quòd nollent Aſiatici parere Eccleſiæ, Euſeb. lib. 5. Hiſt. cap. 25. Deindè Concil. Nicænum I. ob iſtam quæſtionem etiam convenit, ut ſcribunt Epiphan. Hær. 70. & Athanaſ. in Epiſt. de Synodis Arimini & Seleuciæ. Et Concil. Antioch. paulò poſt celebratū, excommunicavit Can. 1. eos, qui noluerunt ſervare legem Concil. Nicæni de Paſchate celebrando, & à Patribus habiti ſunt pro hæreticis, Epiphan. Hær. 50. Auguſt. Hær. 29. Alia diſſenſio fuit de ritu Baptiſmi, an hæretici verè baptizarent? & multa habita ſunt de hoc ritu Concilia, tandem habiti ſunt pro hæreticis Donatiſtæ, quòd non parerent definitioni Eccleſiæ. Quando enim aliqua hæreſis exſurgens, negat aliquam implicitam veritatem, tunc Eccleſia in Concilijs Generalibus dirigit inquiſitionem ad Characterem Propheticum & Apoſtolicum, nempè S. Scripturam, Apoſtolorum Traditiones, ad probata Concilia, ad Eccleſiæ Cathol. primitivæ conſenſum & Traditionem, ad SS. Patrū doctrinam & magiſterium, tanquam incorruptos teſtes Antiquitatis, & per hæc media in aſſiſtentia Spiritûs S. in Concilio determinat, explicitè credendum, ut Lirin. adverſ. Proph. voc. cap. 32. ait: *Quid unquam aliud Conciliorum Decretis enisa eſt Eccleſia Catholica, niſi quod anteà ſimpliciter credebatur, hoc idem poſteà diligentiùs crederetur &c. Neq; quidquam &c.* vide ſuprà pag. 43. Ex his in præſenti ſic ratiocinandum venit: Pauca quidem & leviora, Proteſtantes fatentur, in quibus ſe ab Eccleſia Cathol. Rom. ſubtraxerunt; ſi pauca ſunt, non habent rationem coram DEO, quòd ſe propter pauca (ut dicunt) in Schiſmate poſuerint; ſi pauca, quare tantoperè Eccleſiam Catholicam accuſant poſteri illorum? Sed hæc pauca & leviora, ut dicunt, cùm per Concilia, & noviſſimè per Tridentinum determinata, declarata, & firmata ſint, & tamen ab illis non acceptentur, immo cùm pertinaciter eis contraveniant, hiſce paucis & levioribus, ut prætenditur, à crimine Schiſmatis & hæreſeos excuſari non poſſunt. Quis autem dicet, Cœtus Schiſmate vel hæreſi rejectos ab Eccleſia Cathol. Rom. eſſe idem cum ea, à qua ſi exciderunt, patet, quia cum ea unum non ſunt.

3tiò.

3tiò. Sententia Calvini, & aliorum, dicens, Eccleſiam Rom. Cathol. cum alijs cœtibus Proteſtantium eſſe unum; non poteſt ſubſiſtere, ex hoc, quòd hæc pauca & leviora, ut illi prætendunt, in quibus ab Eccleſia diſceſſerunt, non ſint talia, ſed multa, & gravia involvunt dogmata, non tantùm ab Eccleſia Cath. Romana, ſed etiam ab alijs Sectis diſcrepantia. Audiamus ipſos adverſæ partis Authores, quid hac in re ſcribant in ſuis Operibus, & loquantur. *Primò*, ipſe Calvinus lib. contra Gentil. pag. 771. ait, *à ſeipſo DEI Filium, non à Patre genitum.* Lutherus lib. contra Latomium ait: *Nauſeat anima mea hoc verbum, Homouſion.* Etiam non conveniunt inter ſe de fundamento Fidei, crimine hæreſis ſe ad invicem diffamantes. Sic Lutherus contra Art. Lovan. Theſ. 27. ait: *Nos ſeriò damnamus Zwinglianos, & omnes Sectarios hæreticos, &c.* vide ſuprà pag. 142. & ſeq. Quomodo ſe ad invicem condemnant Lutherani cum Calvinis, vide Coccium. Quomodo ſe publicis edictis, è Finibus exterminant, vide Oſiandrum in Epit. Cent. 16. pag. 803. Criſpinum lib. de Statu Eccleſ. pag. 697. Hoſpinianum in Hiſt. Sacram. fol. 393. quomodo ſe in vincula conijciunt, ex eodem fol. 398. quomodo Lutherani cadavera Calviniſtarum canibus objecerint. Nicolaus Gallus Superintendens, in Theſibus & Hypotheſ. cap. ult. ait: *Non ſunt leves, quæ inter nos gliſcunt diſſenſiones, ſed de præcipuis Chriſtianæ doctrinæ Articulis, de Evangelio, de bonis Operibus, de Sacramentis, de uſu Ceremoniarum.* Selneccerus 3. Part. Comment. in Pſal. 131. ait: *De publica in Eccleſia diſcordia non eſt opus quærere inter nos, qui veram Evangelij doctrinam habere gloriamur, diſcordiæ moventur de bonis Operibus, de Juſtitia noſtra, de libero Arbitrio.* Joan. Pappus contra Sturm. in Theol. Calv. lib. 1. Art. 28. ait: *Eò progreſſi ſunt Calviniſtæ, ut non paucos, neq; poſtremos doctrinæ Chriſtianæ Articulos in dubium vocaverint, agitur enim inter nos de Omnipotentia DEI, & Unione perſonali Naturarum in Chriſto, de Chriſti glorioſo Corpore, de quibus omnibus Articulis nemo pius negare poteſt, magnas inter nos Controverſias.* Paulus Eberus, Præfat. Comment. Philip. in Epiſt. ad Corinth. ait: *Univerſa noſtra Evangelica Congregatio, tot Schiſmatibus & offendiculis patet, quæ mala cùm quiſquis proprijs oculis intuetur, meritò dubitat, an noſter Evangelicus cœtus vera ſit Eccleſia.* Sebaſtian. Caſtilio Calviniſta, in Apolog. Proteſt. Tract. 2. cap. 3. Sect. 5. ait: *Utrum clara veritas ſuis effulſiſſet, an non? & perpetuas has diſcordias non levi argumento eſſe, quòd denſis adhuc tenebris* NB.

nebris ignorantiæ obvolveretur. Beza Epist. Theol. 1. & 4. pag. 9. 18. 35. 36. ait: *Contra Fidei Christianæ fundamenta pugnant.* Hæc ergo sunt levia illa? hæc quæ Fidei non tollunt fundamentum? & dum dicunt, Filium non esse genitum à Patre, dum fastidiunt unionem Naturarum in Christo, & alia innumera spargunt, intemeratæ Fidei Ecclesiæ Catholicæ repugnantia, adhuc suos cœtus esse unum cum Ecclesia Cathol. Rom. afserere non verentur?

4tò. Non subsistit sententia Calvini ex hoc. Licèt enim pro nunc permittamus, Calvinum, & alias Sectas, non tollere fundamentum Fidei, (quod tamen jam examinatum est) tamen non possunt esse una Ecclesia omnes aliæ Sectæ, ac multò magis non possunt esse unum cum Ecclesia Rom. Catholica, cùm nec sic à labe hæresis excusentur. Sic SS. Apostoli Simonem Magum, Marcionem, Cerinthum, pro hæreticis habebant, licèt hi Fidei fundamentum non negabant, Christum incarnatum. Item SS. Patres Donatum, Pelagium, pro hæreticis habebant, licèt hi fundamentum Fidei tenebant, sed ad Hominem. Lutherus in Postilla ait: *Nulli hæretici victi sunt unquam vi & astu, sed mutuâ dissensione, nec aliter cum illis pugnat Christus, quàm misso inter illos spiritu vertiginis, sicut inter Sichimitas, & in Nova Lege inter Arianos, Donatistas, & Pelagianos.* Calvinus lib. 4. Instit. cap. 9. §. 1. ait, se quatuor primas Synodos, " ac similes ut Sacrosanctas venerari, quæ confutandis erroribus habitæ sunt, cùm nihil præter puram Scripturæ interpretationem " contineant, quàm SS. Patres spirituali prudentiâ, ad frangendos " Religionis hostes, qui tunc emerserant. Sed tunc emerserant Donatistæ, Pelagiani, Joviniani; si ergo isti sunt hostes Religionis Calvino, si Luthero sunt hæretici, quomodo cum Donatistis, Pelagianis, &c. erit una Ecclesia Christi cum Lutherano & Calvinistarum cœtu? ut affirmat Calvinus lib. 4. Instit. cap. 2. §. 12. Ista clara sunt, & non possunt cohærere, quòd faciant cum illis unam Ecclesiam, cùm eos hæreticos & hostes Religionis vocant. Immo Author Tubæ, ex mente Protestantium, hos omnes pag. 16. vocat hæreticos, sicut & Anabaptistas ibidem Calvinistæ pro hæreticis habent; tamen hi fundamentum Fidei tenent: Ergo ex sententia Calvini pertinebunt ad Ecclesiam illius, cùm eos Lutherus habet pro hæreticis. Confirmatur. Nam hic error perniciosissimus saluti hominum fuit communis antiquis hæreticis. Sic Apelles, discipulus hæretici Marcionis, dicebat, non rationem Fidei quærere oportere, sed quem-

Lutherus ex dissensione fatetur hæreticos, & æquat illis Arianis, Donatistis, Pelagianis,

quemq; in ea Fide præſtare debere, quam profeſſus fuiſſet, Euſeb. Hiſt. lib. 4. cap. 13. Manichæi apud Epiphan. Hær. 66. Religionum indifferentiam parùm curantes, permittebant, quid quisq; vellet credere: ſimiliter modò & Turca hoc facit. Quæ dum ſe omnes odio, plus quàm Vatiniano, perſequuntur, & continuò violant mandatum magnum, *Diliges proximum ſicut te ipſum, & qui non diligit, manet in morte*, quomodo hi erunt in vita? ergo nulla erunt Schiſmata nociva ſaluti, nullæ hæreſes, & fruſtrà dictum eſt, *Oportet hæreſes eſſe:* fruſtrà & illud erit, *Multi Pſeudoprophetæ exiêrunt in mundum:* nulla erit in mundo deceptio, nullum ſalutis periculum, cùm unusquisq; in ſua perfidia ſalvabitur. Hæc abſurda, & multa alia, ex hoc errore pernicioſo ſequuntur, quæ abſurda cùm Eccleſia Cathol. Rom. non foveat, mirum, qualiter unum eſſe poſſit cum cœtibus, talia inconvenientia ex ſuis doctrinis inferentibus.

5tò. Non valet ſententia Calvini, & aliarum Sectarum, ex hoc, quòd mutabiliter teneant doctrinam de Sacramentis (& vel maximè de SS. Euchariſtiæ Sacramento)quam immutabiliter tenet Eccleſia Rom. Cathol. Unde cùm Eccleſia Romana docet, in Euchariſtia eſſe verè & propriè Corpus Chriſti, cum tota Antiquitate SS. Patrum, & primitiva Eccleſia, quod & Lutherus faſſus eſt Epiſt. ad Anabapt. Tom. I. Jen. pag. 320. *Fatemur, eſſe in Papatu &c. verum Altaris Sacramentum.* Et Epiſt. ad Argentin. ait: *Si Carolſtadius mihi perſuadere potuiſſet, in Sacramento præter panem & vinum eſſe nihil, magno beneficio me ſibi devinxiſſet, &c.* Ergo Calvinus, recedens à ſententia recepta ab Eccleſia, & à tota Antiquitate ſemper & ubiq; credita, negans realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, & ipſe propriâ auctoritate pro *eſt*, ponens *ſignificat*, habet unitatem cum Eccleſia Rom. Cath.? quisq; diſcutiat maximè, cùm id non ſemper tenet, nam alibi concedit hanc realem præſentiam Chriſti, vide Diſcurſum ſuperiorem de Euchariſtia. Quid ergo magis eſt conſentaneum rationi? tenere id, quod Eccleſia Cathol. Rom. tenuit ſemper, & modò tenet, ex confeſſione etiam adverſariorum, quàm illud tenere, quod eſt novum, nec unquam in Eccleſia auditum, *ſignificat*, quod ſolus Calvinus tenet, idq; non ſemper: nam & negat, & concedit Corpus Chriſti, tamen hæc debet una Propoſitio Calvini eſſe falſa, cùm ſit Contradictorium, negare & concedere: quis dicet, quòd ſecuriùs ſit, cum ſolo Calvino, & negante, & concedente, tenere, quàm cum tota Eccleſia. Non habet ergo Calvinus,

Vide ſuprà pag. 458. & p. 465 & ſeq.

NB.

etiam ex sententia Lutheranorum, Sacramentum verum Eucharistiæ, summè necessarium ad vitam æternam obtinendam, cùm Christus dixerit Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, &c. non habebitis vitam in vobis*; Calvinus non carnem, sed figuram carnis manducat. Non habent etiam & Lutherani verum Corpus Christi, cùm ex defectu Sacramenti Ordinis, non habeant veros Sacerdotes, etiam ex sententia Calvini, qui Ordinis Sacramentum dicit esse necessarium, ut veri Sacerdotes ordinentur: ubi verò non sunt verè ordinati, non potest esse vera consecratio Corporis & Sanguinis Christi, imò S. Hieron. contra Lucifer. ait: *Eccl sia non est, quæ non habet Sacerdotes*. Veri Sacerdotes esse non possunt sinè Sacramento Ordinis, ut clarè patuit in Discursu de Apostolica Ecclesia: quàm sollicita fuit primitiva Ecclesia in administratione Sacramenti Ordinis, ad hoc, ut veri essent in Ecclesia Sacerdotes. Sacramentum verò Ordinis nullus conferre potest, nisi soli Episcopi, etiam hoc ibidem patuit. Non ergo idem est, non habere tam necessarium medium ad salutem, consequenter dicere, possunt in qualibet Ecclesia salvari, cùm Ecclesia Rom. Cath. quæ & medium necessarium ad salutem SS. Eucharistiæ suis providet, & docet, in alijs cœtibus nullam esse spem salutis æternæ. Confessio Scotica Art. 16. ait: *Prorsùs detestamur eorum blasphemiam, qui dicunt, homines viventes secundùm æquitatem & iustitiam, quamcunq; Religionem professi fuerint, servatu-ros iri.* Idem ferè habet Confessio Belgica Art. 27. Hinc infertur, quòd non valet, si dicas, quòd Ecclesia Romana cum Lutherana & Calviniana convenit in substantialibus Fidei Articulis, credendo Trinitatem, & Incarnationem: deindè hæc nova doctrina de credendis solùm substantialibus, tam fuit, & est nociva, tum Lutheranis, tum Calvinistis, ut illos in vix numerabiles cœtus diviserit, cùm hucusq; inter se convenire non possunt, qui sunt substantiales, & unus cœtus alterum condemnat. Cùm ergo inter se non possunt determinare, qui sunt substantiales, qui sunt accidentales, exponunt se evidenti periculo, ut pro substantiali, putent esse accidentalem Articulum, & necessarium omittant ad salutem: nam multi sunt substantiales, quos putant esse accidentales, ut patet ex exemplis primitivæ Ecclesiæ superiùs allatis, de Sacramentis, de reali præsentia Christi in Eucharistia, de vero sensu S. Scripturæ, de bonis Operibus, de vera Ecclesia, de libero arbitrio, ipsimet vocant præcipua Capita doctrinæ Christianæ. Paræus in suo Irenico cap. 4. ait: *In Colloquio Evangelicorum,*

eorum, quod ſtatuendum ſuaderet, primam omnium hanc quæſtionem diſcutiendam ac decidendam eſſe, quinam Articuli ſint fundamentales? ſeu in quibus Fidei Capitibus verè conſiſtat fundamentum ſalutis? quomodo ergo Proteſtantes ſperant ſalutem, ſi ignorant fundamenta ſalutis, ipſis fatentibus: quomodo credunt fundamentales Articulos, cùm de illis hucusq; ignorent. Videtis, quàm manifeſtus ſit veſter error, nec dubito, quin illum tam craſſum palpetis & advertatis. Unde licèt velint aſſerere, dogmata ſua non eſſe eſſentialia, eo ipſo, quia non tenent cum Eccleſia Rom. Cath. demonſtrantur, non eſſe idem cum illa, à S. Auguſtino, qui de Unit. Eccleſ. cap. 4. ait: *Quicunq; de ipſo Capite Scripturis Sanctis conſentiant, & unitati Eccleſiæ non communicant, noti ſunt in Eccleſia, quia de Chriſti Corpore, quod eſt Eccleſia, ac ipſius Chriſti teſtificatione diſſentiunt.* Teſtificatio verò Chriſti eſt de Univerſali Eccleſia toto Orbe diffuſa, non de particularibus cœtibus, quos ideò ſibi conſtituerunt, quia eandem Eccleſiam erràſſe finxerunt. Nonnè hic Articulus eſt ſubſtantialis? credere, Eccleſiam Univerſalem deficere non poſſe, cùm ſit Articulus Fidei, *Credo Eccleſiam Sanctam Catholicam.* Et quomodo eſt Catholica Lutherana vel Calvini, cùm ambæ non pridem inceperint, nec eſt notitia illarum in Sacris Scripturæ locis, neq; conveniunt inter ſe, ſed ſe ad invicem condemnant hæreſeon. S. Cyprian. lib. 4. Epiſt. 9. ait: *Non aliundè Schiſmata & hæreſes, niſi quòd Sacerdoti DEI non obtemperatur, dum Epiſcopus, qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperbâ quorundam præſumptione contemnitur.* Undè omne Schiſma, quacunq; ex cauſa fiat, ſufficit ad incurrendam hæreſim, nam cùm ſit præciſum membrum à myſtico corpore Eccleſiæ, fabricat ſibi privata dogmata, & defendit ea falsâ interpretatione S. Scripturæ, quod expreſſit Apoſtolus 1. ad Corint. 11. *Audio inter vos Sciſſuras, & ex parte credo, nam oportet hæreſes eſſe:* ex Schiſmate deducit ſequelam infallibilem hæreſis. Quis autem dicet, Hæreticos quò ad ſubſtantialia vel accidentalia poſſe diſcernere, cùm omni veritate revelatâ careant, quæ eſt ratio ad hujusmodi Articulos diſcernendos. Quare Donatiſtæ, Pelagiani, non deberent reputari pro hæreticis, cùm rectè ſenſerint de perſona Chriſti, & tamen Eccleſia primitiva habet illos pro hæreticis; ſicut & Lutherani & Calviniſtæ. Chriſtus autem Eccleſiam audire juſſit ſimpliciter, ſub gravi pœna, non dicens, in ſubſtantialibus obedietis, in alijs non obedietis, ſicut & Prælatis, *Qui vos audit, me audit.* Si ergo eſſes prudens, & magis ſolli-

NB.

ex Principijs omnium Proteſtantium falſa ſententia oſtenditur de Articulis ſubſtantialibus.

sollicitus de salute tua, deberes eligere medium unicè necessarium ad salutem, quod Ecclesia antiqua, SS. Patres, & pars utraq; adver-

sa, & tu, & ego, tale omnes censemus, quàm quod tu solus censes. Sed Romanam Cathol. Ecclesiam putat medium necessarium ad salutem, Ecclesia antiqua, SS. Patres, pars utraq; adversa, & tu, cùm dicis, in omni Ecclesia possum salvari. Undè etiam non excludis sa-

lutem ab Ecclesia Rom. Cath. (quamvis de salute in omni Ecclesia tu solus teneas) quod nec antiqua Ecclesia, nec SS. Patres docuerũt, tenentes, omne Schisma, omnem hæresim, incapacem esse vitæ æternæ, quod & Apostolus affirmat ad Gal. 5. *Sectas & dissensiones Regnum DEI non possessuras*, & alter Apostolus 2. Petri 2. dicit, *Introducent Sectas perditionis.* Ergo deberes eligere Universalem Ecclesiam, non particulares cœtus Lutheri, vel Zwinglij, vel Calvini, vel si hanc elegeris, quare non aliam, cùm una super aliam nihil habeat, cùm omnes ex Scripturis sua dogmata probent, si dicas, hæc mihi placuit, Lutheri v. g. non Calvini, vel Calvini, non Lutheri; Ergo tu es tibi regula veritatis, elector Fidei, hoc eligis, quod tuo arbitrio videtur, non quod tibi revelat DEUS per Universalem Ecclesiam, quam audire jubet. Sed concedamus tibi, quòd dicis, te solùm in accidentalibus dissidere, non autem in substantialibus, ab Ecclesia Cathol. Romana, ultra hoc, quòd omnes hæretici deberent salvari, etiam quos Ecclesia primitiva pro hæreticis habet, & tu pro talibus habes, in accidentalibus dissentire, quia in substantialibus cum Romana conveniebant, tamen discredere DEO revelanti id, quod ille revelavit, est contemptus gravis Divinæ veracitatis: undè & discredere aliquid, quod ille in Concilijs revelavit. Sed ex his duabus Propositionibus datur Purgatorium, Missæ Sacrificium, Invocatio Sanctorum, &c. & non datur, una solùm à DEO est revelata, non utraq;, & sic de alijs: quòd autẽ hæc revelata sit, datur Purgatoriũ, &c. Ecclesiæ in Concilio Generali revelata est, sicut revelata est, Circumcisionem non esse necessariam, idq; testimonio antiquæ Ecclesiæ, Traditione antiquâ, & SS. Patrum, insuper testimonijs adversæ partis, id est Lutheri, qui in Disputatione Lipsica ait: *Ego qui credo fortiter, immo ausim dicere, scio Purgatorium esse, facilè persuadeor, in Scripturis de eo fieri mentionem;* illa autem non datur. Purgatorium, si illud negas, solùm à te negatur, vel ab aliis privatis hominibus, ut Aerio, quem antiqua Ecclesia pro hæretico habuit, ut patet ex S. Epiphanio Hæres. 75. & S. Augustino Hær. 53. & à Waldensibus, à Wicle-

manifestissimâ ratione ostenditur, falsam sententiã Protestantium de substantiali Artic.

Wicleſo, qui tamen illi fuerunt, ſuperiùs patuit. Ergo ſatiùs eſt adhærendum illi Propoſitioni: Datur Purgatorium, &c. ut potè veritati revelatæ innitenti, quàm huic, non datur Purgatorium, quæ in falſis hæreticorum fundatur fictionibus & negationibus. Si inſtas, dicendo, Concilium Generale erravit, declarando Purgatoriū, &c. iterum Eccleſiam Univerſalem condemnas, in qua me antè ſalvandum jam conceſſiſti, cùm in Eccleſia Cath. Romana me ſalvandum pronunciâſti, cùm Concilium Generale repræſentat Eccleſiam Univerſalem, condemnas totam Antiquitatem SS. Patrum, quæ tot præbet teſtimonia de Purgatorio, &c. condemnas S. Scripturam, ex qua probat Lutherus, dari Purgatoriū, condemnas & Lutherū, qui aſserit, in Scriptura fieri mentionem de Purgatorio. Idem intellige de omnibus controverſis dogmatibus.

Concludamus cum SS. Patribus. S. Greg. Nazianz. Tract. de Fide ait: *Nihil periculoſius his hæreticis eſſe poteſt, qui cùm integrè per omnia decurrant, uno tamen verbo, ac ſi veneni guttâ, veram illam, ac ſimplicem Fidem Dominicam Apoſtolicæ Traditionis inficiunt.* S. Ambroſ. lib. de Fide contra Arianos, & in Luc. Cap. 9. ait: *Chriſtum etiam ſibi hæretici videntur habere, nemo enim Chriſti nomen negat, qui non omnia, quæ Chriſti ſunt, confitetur, unum dogmatum ejus ſi retraxeris, retraxiſti ſalutem ſuam.* S. Auguſtin. lib. de vera Relig. cap. 5. ait: *Eccleſia Chriſtiana etiam paria Sacramenta celebrantes, tamen, quia ſententiâ diſpares ſunt, à Communione Catholica excludit.* S. Athanaſ. in ſuo Symbolo ait: *Catholicam Fidem, quam niſi quisq; integram, inviolatamq; ſervaverit, absq; dubio in æternum peribit.* S. Auguſt. de Verbis Apoſt. cap. 14. ait: *Inter credentes baptizatos parvulos numeravis, nec iudicare ullo modo aliter audebis, ſi non vis apertus eſſe hæreticus;* & tamen multi tenent, non eſſe neceſſarium Baptiſmum pueris ad ſalutem, ut Zwinglius lib. de vera & falſa Relig. Bucerus in Cap. 3. Matth. Calvinus in Antid. Concil. ad 6. Seſs. 5. & lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 24. Et Jacobi 2. *Offendat autem in uno, factus eſt omnium reus;* & ad Gal. 5. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit, &c. qui autem conturbat vos, portabit iudicium.* Vides, quia hîc nihil valet tuum effugium, ut credas quæ velis, & non credas quæ nolis, non quia DEUS Eccleſiæ revelavit, ſed quia tibi non placent, & alia placent, non quæ Eccleſiæ Univerſali. Et S. Auguſtin. lib. contra Epiſt. Manichæi ait: *Id autem ſcientiâ & voce ſecurum eſt aſſerere, quod in gubernatione Eccleſiæ Salvatoris noſtri JESV Chriſti*

Vniverſalis Eccleſia roboratum eſt. Idem alibi apud Binium Tom. 4. fol. 385. ait: *Omnis Catholicus, ſecurus partem eam deteſtatur, cui Eccleſiam Vniverſalem, Apoſtolicis Sedibus roboratam, non communicare cognoſcit.* Undè S. Hieron. ſuper illa verba Apoſt. ad Galat. Cap. 2. *Contuli cum illis,* ſic ait: *Oſtendit, ſe non habuiſſe ſecuritatem Evangelij, niſi auctoritate Petri & aliorum roboratum eſſet.* Et S. Auguſt. lib. contra Fauſtum ait: *Apoſtolus enim Paulus, poſt Chriſti Aſcenſionem de Cœlo vocatus, ſi non cum Apoſtolis communicaret, & cum eis Evangelium conferret, quo eiusdem Societatis eſſe appareret, Eccleſia illi omninò non communicaret.* Rationem aſſignat S. Hieron. in Cap. 3. Prov. *Quoniam non in verborum folijs, ſed in radice rationis conſiſtit Evangelium, quia omnes hæretici, etiam & ipſe diabolus pro ſe allegabat Scripturam; ſed conſulendi ſunt Maiores, & SS. Patres Spiritu S. pleni, nec innitendum propriæ prudentiæ tuæ,* ait S. Hieron. Prudentiæ ſuæ innititur, qui ea, quæ ſibi agenda vel dicenda videntur, præponit Decretis Patrum. Quamcunq; partem elegiſti tibi, ſive Lutheri, ſive Zwinglij, ſive Calvini, ſive Melanchtonis, ſive Serveti, ſive Buceri, ſive Oſiandri, quia prudentiæ tuæ innixus es, non es ſecurus, cùm ab Eccleſia, toto Orbe terrarum diffuſa, receſſeris, quam tantoperè Apoſtolus Gentium æſtimavit, ut cum capite illius non dubitaverit Evangelium conferre, ne in vanum curreret. Et S. Auguſt. in Prologo de doctrina Chriſtiana ait: *Caveamus tales tentationes ſuperbiſſimas, & periculoſiſſimas, magisq; cogitemus, & ipſum Apoſtolum Paulū, licèt Divinâ & Cœleſti voce proſtratum, ad hominem tamen miſſum eſſe, ut Sacramenta perciperet, atq; copularetur Eccleſiæ, & Centurionem Cornelium, quamvis exauditas orationes eius, eleëmoſynasq; reſpectas ei Angelus nunciaverit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non ſolùm Sacramenta perciperet, ſed etiam, quid credendum, quid diligendum eſſet, audiret.* Undè S. Chryſoſt. in illum locum S. Pauli ſcribens, *Miror, quòd tam citò transferimini in aliud Evangelium,* expreſſit: *Hæc diaboli fraus eſt, nunquam nudos proponere laqueos, quibus venetur homines. Si enim dixiſſet, diſcedite à Chriſto Galatæ, vitâſſent eum, ut impoſtorem & corruptorem.* Similibus fraudibus omnes Proteſtantes ſeparati ſunt ab Eccleſia Cathol. Romana, cùm nudi laquei, ſimulatâ pietate, ſub prætextu abuſuum, contecti fuerunt.

Diſcur-

Diſcurſus Authoris.

Pag. 27.

NOtanda tamen eſt differentia inter Articulos Fidei, quorum alij ſunt principales, alij minùs principales, ſi illi fideli pectore recipiuntur, etiamſi circa hos ex infirmitate errores quidam foveantur, &c. modò fundamentum Fidei illæſum permaneat, tam ſalvi fieri poſſunt, qui errant in minùs principalibus. Et pag. 29. adducit Confeſs. Auguſt. quæ docet, ad unitatem Eccleſiæ ſatis eſſe, conſentire de doctrina Evangelij, & adminiſtratione Sacramentorum.

Diſcurſus Theol.

De altero falſo fundamento, quo omnes Proteſtantes nituntur, putantes, per illud ſe ſalvos fieri.

SUprà dicti Diſcursûs Authoris brevia quidem ſunt verba, ſed maximum in ſe continent myſterium, illa enim ſunt, in quibus poſt ſuum receſſum, vix non omnes Proteſtantes ſuam fundant ſeparationem ab Eccleſia Cathol. Rom. quam ſeparationem ſi benè expenderint, & inferiùs dicenda recto animo examinaverint, ſperamus in Domino, illos, qui ſincerè amant ſalutem animarum ſuarum, nec ſunt obfirmati in malo, agnitâ veritate multos reverſuros in gremium Matris ſuæ Eccleſiæ, undè ob paucos prætenſos abuſus exciderunt. Et quia Author Tubæ pag. 65. ait: *Quapropter neceſſe eſt, diſcutiantur illa, & ſimiles ſententiæ, errores demonſtrentur, errantes convincantur, quælibet pars cedat veritati, errorem deponendo*; proindè nos nemini ullam dantes offenſionem, ſed potiùs ex charitate Chriſtiana, recto & ſincero animo, in bonum multarum animarum hæc ſcribimus, non ut offenſa, ſed fructus multorum indè ſequatur. Inprimis jam ſuperiùs patuit, quâ intentione & titulo, tam Lutherus in ſuo receſſu, quàm Philippus Melanchton in Auguſtana Confeſſione dixerunt, ob paucos abuſus receſſiſſe ab Eccleſia Cathol. Rom. quam ſæpiùs honorificis titulis decoravit, & illius ſtabilitatem & durationem non ſemel aſſeruit Luther⁹. Undè hæc ſententia utriusq;, vel ſincero, vel ſimulato animo dicta eſt, utroq; modo, non pro illis, ſed pro Eccleſia Catholica Romana militat. Si enim ſincero

animo dixerunt, non habuerunt justam causam recedendi ab Ecclesia ob paucos abusus: si verò simulato animo dixerunt, non licebat per simulationem tot homines separare ab Ecclesia Cathol. Rom. ut in tot Schismata & hæreses abirent. In his verò Schismatibus & hæresibus ut se firmarent, & tamen separati, putarent se non esse separatos ab Ecclesia Cath. Rom. excogitârunt posteri illorũ perniciosam doctrinam, inter principales & minùs principales Articulos Fidei differentiam, & docuerunt, circa hos minùs principales etiamsi quis erret, salvus fieri potest, si principales recipiat. Hos verò principales comparant auro, argento; minùs principales, stipulæ, fœno, &c. Et adducit Author Tubæ pag. 29. Crocium sic loquentem cap. 7. num. 45. *Dogmata stipulæ appellari possunt, quatenùs non permanent instar auri, & argenti, & lapidum pretiosorum: quædam etiam sunt stipulæ ex mente Apostoli, quæ nempè sic fundamento superstruuntur, ut id non evertant; quò pertinent multæ Scholasticorum quæstiunculæ, ut Papistarum nonnulla dogmata.* Adducit etiam Confessionem Augustanam Art. 5. idem sentientem, nempè, *quòd dogmata non fundamentalia stipulæ appellari possunt, quæ licèt non credantur, non evertunt fundamentum Fidei, modò credantur Articuli summi, primi, præcipui, ut v. g. DEUM esse unum, Christum esse DEUM, ac Filium DEI, in misericordia DEI salutem nobis consistere, & alia, quæ sunt controversa Fidei, unitatem non dirimunt.* Hîc maximè notandum, quòd nullibi, nec in S. Scriptura, nec in SS. Patribus invenitur, ut Articuli primi & præcipui modò credantur, licèt minùs præcipui non credantur, non dirimunt unitatem Fidei, & ideo solùm suum Crocium & Confessionem August. adversa pars adducit. Secundò, & hoc non minùs notandum, quòd adversa pars hanc novam doctrinam, nempè, ut primi Articuli credantur, licèt minùs præcipui non credantur, fundat in loco S. Scripturæ obscurissimo, auro comparans principales Articulos, stipulis minùs principales; cùm nobis non constat, quid intelligendum per aurum, argentum, fœnum, stipulam, quid per diem Domini, quid per ignem. Undè S. August. lib. de Fide & Operibus, cap. 15. apertè docet, hunc locum S. Pauli esse unũ ex illis, de quibus loquitur S. Petrus in 2. Epist. Cap. 3. *In Epistolis Pauli quædam esse difficilia intellectu.* Si S. Augustinus dixerit, difficilem hunc locum ad intelligendum, undè Crocio vel Confess. August. constat, quòd per aurum principales, per stipulam minùs principales intelligantur Articuli, cùm SS. Patres contrarium teneant.

Omnia,

Omnia, in quibus se Ecclesia contra hæreses explicavit, & sub anathemate credenda proposuit, quæ non credentem faciunt hæreticũ, nam idem S. August. Serm. 41. de Sanctis, per ligna & fœnum intelligit peccata venialia, dicens: *Tam diù in illo igne purgatorio moras habebimus, quam diù suprà dicta peccata minuta, tanquam ligna, fœnum, stipula, consumantur.* Idem in Psal. 37. ait: *Si ædificarent aurum, argentum, lapides pretiosos, de utroq; igne securi essent, non solùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salvi erunt.* S. Greg. lib. 4. Dial. cap. 39. ait: *Quia illum per ignem dixit salvari, non qui super hoc ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est peccata maiora, & idcircò duriora, atq; tunc iam insolubilia, sed lignum, fœnum, stipulam, id est peccata minuta, atq; levissima, quæ ignis facilè consumit.* Origenes Homil. 14. in Levit. Hom. 12. in Jerem. Hom. 6. in Exod. sic ait: *Si quis multa opera bona, & parùm aliquid iniquitatis attulerit, illud parùm tanquam plumbum igne resolvitur.* Alij alias adferunt explicationes hujus loci S. Pauli, apud Bellarm. lib. 1. de Purgator. videndi, nullus autem per aurum substantiales, per stipulam minus principales intelligit Articulos, quos tanquam confictos reijcit S. Augustinus Serm. 11. de Verbis Dñi, dum ait: *Si amas partem, divisus es, in Corpore non es: si in Corpore non es, sub Capite non es: quid prodest,* NB. *quia credis, & blasphemas: adoras eum in Capite, confitendo Christũ; & fingendo capitales & substantiales Articulos, blasphemas in Corpore.* Undè ergo Crocius & Melanchton in Confess. August. habet hanc libertatem, ut novam hanc adferat explicationem, contrariam SS. Patribus, & illi soli duo per aurum principales, per fœnum minùs principales Articulos intelligant, & in hoc fundent suum recessum, nec esse nocivum, etiamsi non credant minùs principales. Undè appositè ad rem nostram Vinc. Lirin. cap. 11. ait: *Captant plerumq; Veterum cuiuspiam viri Scripta, paulò involutiùs edita, quæ ipsa sui obscuritate, dogmati suo quasi congruant, ut illud, nescio quid quodcunq; proferunt, neq; primi, neq; soli sentire videantur.* Et S. August. similem abusum obscuri loci S. Scripturæ exprobrat Donatistis, in quo suam fundabant separationem ab Ecclesia Cathol. dum lib. de Unit. Eccles. cap. 16. ait: *Aliquid proferte, quòd non indigeat interprete,* NB. *nec undè convincamini, quod de alia re dictum est, & vos illud ad vestrum sensum detorquere conamini.* Reddit rationem Tract. in Joan. 18. *Neq; enim nata sunt hæreses, & quædam dogmata perversitatis,*

tis, illaqueantia animum, nisi dum Scripturæ bonæ non benè intelliguntur. Ait ergo S. August. *Aliquid proferte, quòd interprete non egeat, sicut non eget interprete: Convertentur ad Dominum universi fines terræ.* Sic nos etiam omnibus ab Ecclesia Cathol. Rom. separatis dicere possumus: Proferte, quòd non egeat interprete, sicut non indiget interprete; *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit,*
NB. Hîc nullam posuit Evangelium distinctionem, sed absolutè obedire præcepit. Idem sentire videtur Apostolus 1. ad Corint. 5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, & cap. 11. clarè ostendit, ex qualicunq; scissura sequi infallibiliter hæreses.

Quòd autem hæc doctrina sit nova, & nunquam in Ecclesia Cathol. Rom. audita, ut modò Articuli principales credantur, licèt minùs principales non credantur, non faciunt hæreticum, hæc, inquam, doctrina est nova, consequenter suspecta. Probatur ex S. Scriptura & SS. Patribus. Ad Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris.* Deuteron. 17. *Si quis superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, &c. morietur homo ille, & auferes malum ex Israël.* Hîc Deus nullam ponit distinctionem inter principales, & minùs principales Articulos, sed simpliciter & absolutè, in omnibus obedire Prælatis Ecclesiæ præcipit. Quod & ex SS. Patribus idem probatur. S. Cyprianus Epist. 55. ait: *Neq; aliundè hæreses, aut nata sunt Schismata, quàm indè, quòd Sacerdoti DEI non obtemperatur, &c. Cui si secundùm Magisteria Divina, obtemperaret Fraternitas universa, nemo dissidio unitatis, Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens, ac tumens seorsùm foris novam hæresim conderet.* Et Epist. 65. *Hæc sunt enim initia hæreticorum, & ortus, atq; conatus Schismaticorum malè cogitantium, ut sibi placeant, & Præpositum superbo tumore contemnant.* S. Gregor. Nazianz. Tract. de Fide: *Nihil periculosius his hæreticis esse potest, qui cùm integrè per omnia decurrant, uno tamen verbo, acsi veneni guttâ, veram illam ac simplicem fidem Dñicam, & exindè Apostolicæ Traditionis inficiunt.* Idem ferè ait S. Ambros. lib. de Fide contra Arianos; & in Luc. Cap. 9. ait: *Christum etiam sibi hæretici videntur habere. Nemo enim Christi nomen negat, qui non omnia, quæ Christi sunt, confitetur; unum dogmatum eius si retraxeris, retraxisti salutem tuam.* S. August. lib. de vera Relig. cap. 5. *Ecclesia autem Christiana, etiam paria Sacramenta celebrantes, tamen quia sententiâ dispares sunt, à Catholica Communione excludit.* Idem Author Tubæ sentire vide-

videtur, cùm pag. 80. adducit. S. Auguſt. de Fide & Symbolo, cap. 1. ſic loquentem: *Sub ipſis ergo paucis in Symbolo conſtitutis, plerumq́; hæretici venena ſua occultare conati ſunt.* Et S. Cyprianum Tom. 3. pag. 61. ſimilia habentem adducit. Et idem Author pag. 83. ait: *Nonnulli Theologi, non minùs pietate, quàm eruditione illuſtres, dicunt, de unitate Eccleſiaſtica non eſſe laborandum, cùm iam ſint Eccleſiæ Chriſti invicem unitæ, Romanæ, Græcæ, cum Proteſtantibus, quia unam Fidem, idemq́; Symbolum habent. &c.* Inferiùs ſic reſpondet Author: *Quamvis habeant unam Fidem, idemq́; Symbolum Apoſtol. ſecundùm literam, aut aliqualem explicationem, tamen non ſunt unius Eccleſiæ, pace tantorum Virorum dixerim, ſecundùm totalem, abſolutamq́; explicationem. Dicunt quidem id hi Theologi, convenire nimirùm in fundamento Fidei illas Eccleſias univerſim & in genere, at de facto patet, non convenire in particularibus Fidei Articulis noſtram Eccleſiam cum Romana, Græca, & prætenſa Reformata.* Undè S. Auguſt. Epiſt. 48. ad Vincent. ait: *Non Chriſti una Sacramenta te faciunt hæreticum, ſed prava diſſenſio.* Nulla enim hæreſis fuit, ut omnia dogmata reijceret, ſed aliqua tantùm, ut non terreret deceptos, & faciliùs ſeduceret incautos. S. Chryſoſt. Hom. 15. in Matth. *Quomodo dicere illum poſſum non eſſe Chriſtianum, quem video Chriſtum confitentem, Altare habentem, Sacrificium panis & vini offerentem, baptizantem, Scripturas Sacras legentem, omnem Ordinem Sacerdotis habentem? Reſpond. Quæ autem de ſimilitudine Eccleſiaſticorum myſteriorum dixiſti, hoc audi reſponſum: Quoniam & Simia hominis habet membra, & per omnia hominem imitatur, numquid propterea dicenda eſt homo? ſic & hæreſis, omnia Eccleſiæ habet & imitatur myſteria, ſed non ſunt Eccleſia.* Ergo ex ſententia S. Chryſoſt. baptizatus hæreticus habet ut Simia membra, Eccleſiæ ſimilitudinem imitando, Spiritu tamen Chriſti eſt deſtitutus, & omni ſpirituali influxu, velut membrum à corpore avulſum. S. Auguſtinus: *Nec ego dubito, Catechumenum Catholicum Divinâ charitate flagrantẽ, hæretico baptizato antepponere. &c. Melior enim Centurio Cornelius non baptizatus, Simone baptizato.* Idem S. Auguſt. Tom. 3. p. 61. *Sub ipſis ergo paucis in Symbolo conſtitutis, plerumq́; hæretici venena ſua occultare conati ſunt.* Idem Tract. 6. in Joan. *Quære ab Arianis, confitentur, Chriſtum in Carne veniſſe. Omnes ergo iſtæ hæreſes Spiritum DEI habent, non ergo Pſeudoprophetæ ſunt. Nulla ergo ibi eſt deceptio? nulla ſeductio? Certè Antichriſti ſunt, qui ex nobis exierunt. Sed ex nobis non ſunt. Quid ergo faciemus? undè diſcernemus?* Subjungit.

NB. — NB. — NB. — ☞ — *NB. Miſſæ Sacrificium.* — ☞

jungit S. Augustinus: *Si linguis attendas, multas hæreses auditurus es, confitentes, Christum in Carne venisse, sed convincit illos veritas.* Et infrà: *Dicis voce, negas corde; dicis verbo, negas facto. Quomodo, inquis, nego factis? quia ideò venit Christus in Carne, ut moreretur pro nobis: ideò mortuus est pro nobis, quia Charitatem multam docuit, maiorem Charitatem nemo habet, &c. Tu non habes Charitatem, quia honore tuo dividis unitatem, tollis te ab unitate Orbis terrarum, dividis Ecclesiam per Schismata, dilanias Corpus Christi.* Idem Epist. 166. *Ecce Scripturæ communes, ecce ubi novimus Christum, ecce ubi novimus Ecclesiam. Si Christum ipsum tenetis, ipsam Ecclesiam quare non tenetis?* Quare autem periculosum est, non credere minùs principales Articulos, licèt fundamentales credantur, Ratio hæc satis evidens est.

Nucleus Catholicæ Veritatis. Prima Ratio.

Vera Fides tendit in Objectum sub ratione formali revelationis Divinæ, in omnia dogmata Fidei, in quantum sunt revelata. Omnia igitur sicut unumquodque, & unumquodq; sicut omnia firmiter tenenda sunt; nam non minùs revelatio Divina unius dogmatis, quàm omnium digna est Fide, quia tam unum, quàm omnia Spiritus S. Ecclesiæ revelavit, tam principalia, quàm minus principalia: qui ergo credit principale, & non credit minùs principale, non habet integram Fidem, quia non credit Spiritui S. minùs principale dogma revelanti, qui æquali dignus est Fide, tam in principalibus, quàm in minùs principalibus. Est ergo peccatum contra Spiritum S. & illud grave, quia contra Spiritum S.

Secunda Ratio.

Secunda Ratio. Qui assentitur uni rei revelatæ, & non alteri, esto minùs principali, tamen revelatæ evidenter, convincitur, quòd neq; illi primæ revelatæ ideò assentitur, quia revelata, sed quia per electionem placet: nam si assentiretur uni, quâ revelatæ, assentiretur & alteri, cùm illa similiter sit Ecclesiæ revelata, & si huic non assentitur propter revelationem, nec illi priori propter revelationem assentitur, sed propter electionem, quia hæc placet, illa non placet, non quia utraq; revelata est Ecclesiæ. Credere autem Catholicorum est, in quantum revelata sunt Ecclesiæ dogmata in Concilijs Generalibus, in assistentia Spiritûs Sancti; credere autem hæreticorum est ex electione, in quantùm hæc placent, illa non placent, licèt omnia sint revelata Ecclesiæ, quæ nunquam in credendo errare potest. Expressit hanc mutilatam Fidem per electionem S. Jacobus Cap. 2. *Qui enim dixit, non mœchaberis, dixit & non occides: quòd si non mœchaberis, & occides, factus es transgressor Legis.* Et S. Athanas. *Nisi quis integram inviolatamquè*

Fidem

Fidem servaverit, absq; dubio in æternum peribit. Etiam hic error fuit Marcionis & Manichæorum, apud S. Epiphan. Hær. 66. Item quia ideò extra Ecclesiam Cath. Rom. multa facta sunt Schismata, & multæ dissensiones, quia non æqualiter credunt omnia, tam fundamentalia, quàm minùs principalia: unus cœtus hoc dicit credendum, alter non credendum: quia hoc uni placet, alteri displicet. Quid de talibus S. Augustinus lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 4. audiamus: *Quicunq; credunt quidem, quòd Christus JESUS &c. in eadem Carne, in qua natus, & passus, & resurrexit, & ipse sit Filius DEI, &c. sed tamen ab eius Corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, ut eorum Communio non sit cum toto, quocunq; diffunditur, sed in aliqua parte separata inveniatur, manifestum est, eos non esse in Catholica.* Et de vera Relig. cap. 5. *Vera Religio non in confessione Paganorum, non in purgamentis hæreticorum, neq; in languore Schismaticorum, neq; in cæcitate Judæorum, sed apud eos solos, qui Christiani Catholici, & Orthodoxi nominantur.* Idem de Verbis Dñi Serm. 11. *Divisi sunt, & omnes pertinent ad Regnum diaboli.* Et Tract. 10. in Joan. in ea verba S. Joannis, *Omnis qui credit, quod JESUS sit Christus, ex DEO natus est,* ait: *Si amas partem, divisus es, in Corpore non es: si in Corpore non es, sub Capite non es.* S. Cyprian. de Unit. Eccles. *Ecce, qui pacem Christi, & concordiam rumpit, adversùs Christum facit: qui alibi præter Ecclesiam colligit, spargit;* omnes autem Sectarij extra Ecclesiam colligunt. 1. Corint. 5. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit.* S. August. Epist. 48. contra Donat. *Nobiscũ autem estis in Baptismo, in Symbolo, in cæteris Dominicis Sacramentis, in Spiritu autem unitatis, & in vinculo pacis, in ipsa deniq; Ecclesia Catholica non estis.* Idem de Verbis Apost. Serm. 14. *Inter credentes, baptizatos parvulos numerabis, nec iudicare ullo modo aliter audebis, si non vis apertus esse hæreticus.* Ecce, parvulos baptizandos determinavit Ecclesia, ne privarentur ex defectu Baptismi vitâ æternâ, & tamen aliter credere, apertum hæreticum facit, dicit S. August. illos inter credentes non numerare, vide eundem S. August. in Psal. 54. ad nostrum intentum, pag. 136.

Illa ergo dogmata, quæ fundantur in S. Scriptura, de quibus nullum unquam erat dubium in Ecclesia Cath. Rom. quorum SS. Patres tanquam incorrupti testes suis Scriptis semper fuerunt, post longam seriem annorum cæpit Lutherus negare, ut v. g. Missæ Sacrificium, Invocationem & Intercessionem Sanctorũ, bona Opera,

Obla-

Hæc omnia antiqui hæretici negârant, & ideò pro hæreticis habiti in primitiva Ecclesia

Oblationem pro defunctis, liberum arbitrium, (quod etiam negaverat Simon Magus, Manichæi, & alij alia: ut Aerius Oblationem pro defunctis; Invocationem Sanctorum Vigilantius; Traditiones Ariani, Donatistæ, Eunomiani, Eutychiani,) Purgatorium, & alia dogmata cæpit negare, sub prætextu abusuum, quasi Rom. Pontifices illa instituerint, solis conjecturis laborans, noluit intelligere, esse dogmata Ecclesiæ, implicitè credita, per Traditionem ab Apostolis suam traxisse originem, cùm non haberent initium, secundùm Regulas S. Augustini, & Vincentij Lirinensis, qui dicit, *hoc esse proprium dogmatum Catholicorum, quando non habent initium, à quo procedant;* hæretica verò habent suos hæresiarchas Authores, ut notum est omnibus, à quo Authore & tempore hæreticum dogma processit. Cùm ergo hâc falsâ suppositione putans esse abusus, ex solis conjecturis negavit suprà dicta dogmata, Ecclesia Cath. Rom. in Concilio per illas antiquas, & usitatas Regulas in omnibus Concilijs, scilicet, *secundùm Sacram Scripturam, Traditiones Apostolorum, probata Concilia, Ecclesiæ Catholicæ consensum, & SS. Patrum auctoritatem,* illa dogmata examinando, explicavit se contra hæreticos, ea negantes; de qua explicatione sic loquitur Vinc. Lirin. adv. Proph. Voc. Novit. cap. 33. *Neq; quidquam prætereà hæreticorum novitatibus excitata Conciliorum suorum Decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi ut quod priùs à Maioribus solâ Traditione susceperat, hoc indè posteris etiam per Scripturæ chirographum consignaret.* Nota Lector, *solâ Traditione susceperat.* Et Tertull. lib. de Præscript. cap. 4. *Quod apud multos unum invenit, non est erratum, sed traditum.* Agnovit hunc errorem hæreticorum & David Selneccerus, in Enarr. 3. Symb. p. m. 20. quem citat Author Tubæ pag. 42.

Quòd autem non soli Articuli, Christum tangentes, vel ejus Divinitatem, credi debent, patet hoc. Circumcisio non tangit Christi Divinitatem, & tamen creditur, non esse necessaria in Novo Testamento: Mater DEI creditur fuisse perpetua Virgo: Bona Opera, gratiâ DEI, & ipsius adjutorio facta, sunt necessaria ad salutem, quia Fides sinè bonis Operibus mortua est, & tamen bona Opera non tangunt Christum, & illius Divinitatem: Liberum Arbitrium non tangit Christum, & tamen ex negatione illius hoc absurdum sequitur, ut homo rationalis, brutis insipientibus comparetur: Resurrectio mortuorum, Immortalitas animæ, Infernus, & in illo paratæ pœnæ æternæ pro impijs, & hæreticis: de Fide etiam est, Ecclesiam esse

eſſe audiendam, qui non vult eſſe Ethnicus & Publicanus, judicio ipſiusmet Chriſti: & multa alia, quæ non tangunt Chriſti Divinitatem, & tamen hæc non credere, eſt hæreſis Atheiſmo propinqua; & multa alia, quæ in S. Scriptura implicitè creduntur, quæ cùm ex instinctu diaboli aliqua hæreſis negat, in illis debet ſe explicare Eccleſia Cath. Rom. & illam condemnare hæreſim. Deindè, ſi tantoperè glorjantur Eccleſiâ primitivâ quingentorum vel ſexcentorum annorum Lutherani & Calviniſtæ, quare Miſſæ Sacrificium, cujus Canon, & ipſummet Miſſæ Sacrificium fuit jam totum completum, ſicut modò eſt, ſpatio illorum ſexcentorum annorum, quare, inquam, rejecit illud Lutherus & Calvinus? ergo illa Eccleſia annorum 500. graviſſimè erravit, ſecundùm Lutheranos & Calviniſtas. Et ſic ſecundùm illos, Eccleſia annorum 600. erravit, & non erravit, quia illius Miſſæ Sacrificium rejecerunt, non erravit, quia provocant ad illam, & dicunt, illam non erráſſe, neſcio, quid ad hoc reſpondebunt: & ſi reſpondebunt, videte omnes, ſi iſta reſponſio erit ſufficiens, & convincens veſtrum intellectum, ita, ut nullo modo habeatis ſcrupulum, quòd Lutherus ad perſuaſionem (jam ſcitis cujus) rejecerit Miſſæ Sacrificium antiquæ Eccleſiæ annorum ſexcentorum. Fortè dicetis, homines erant, Prælati etiam illius Eccleſiæ 600. annorum poterant erráſſe, multa addendo. Reſpondemus, etiam Lutherus homo erat, potuit etiam errare: & de facto in multis erravit, & pro his erroribus timuit ſibi & alijs æternam damnationem, dicens: *Quòd ſi tu erres, &c.* vide ſuprà pag. 32. & ſeq.

Diſcurſus Authoris.

Pag. 29.

Ait Author Tubæ pag. 29. Jam verò, cùm doctrina Lutheranorum ſit conſentanea & Propheticæ, & Apoſtolicæ Scripturæ, & Catholicæ Eccleſiæ, poſtremò etiam Romanæ Eccleſiæ, ideòq; ex hoc Capite expetiverunt Principes & Authores Auguſtanæ Confeſſionis tolerantiam & concordiam, præſertim, ut cum nullo Articulo Fidei, fundamentali ſcilicet, ab Eccleſia Cath. Rom. diſcrepat.

Diſcurſus Theolog.

De alio falſo fundamento Diſſidentium, quod pro vero ſupponunt.

IAm clarè patuit ex ſuperiori Diſcurſu, in quibus conſentanea doctrina Lutheranorum & Confeſſionis Auguſtanæ, in aliquibus ſcilicet, non in omnibus: habet enim aliqua, in quibus convenit, aliqua, in quibus diſcrepat; & ſic reſpondemus verbis S. Auguſtini: *In multis mecum, in paucis non mecum. Sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis proſunt multa, in quibus mecum. Scilicet in Schiſmate non mecum, in hæreſi non mecum.* Patuit enim ſuperiùs, non ſolùm ex S. Scriptura, SS. Patribus, ſed etiam ex Luthero & Calvino, quòd ex qualicunq; cauſa omne Schiſma ſit impium. Sic faſſus eſt Lutherus veritatem, cùm Bohemi ſe ſeparabant ab Eccleſia, ratione Calicis. Sic enim ait: *Nunquam mihi placuit, nec in æternum placebit quodcunq; Schiſma; iniquè faciunt Bohemi, quòd ſe auctoritate propriâ ſeparant à noſtra unitate, etiamſi Jus Divinum pro illis ſtaret, cùm ſupremum Jus Divinum ſit Charitas, & unitas Spiritûs* Undè cùm eâdem pag. ait Author Tubæ, *Ex his igitur patet, Schiſma introducere ob Articulum Fidei non fundamentalem non eſſe homine Catholico dignū*, reverà indignū erat, ut ſe Lutherani & Confeſſio Auguſt. ſepararet ab Eccleſia Cath. Rom. ob Articulos (ut illi dicunt) non fundamentales, cùm in nullo caſu ſeparatio debet fieri. Undè appellamus conſcientias omnium, judicent, quicunq; rectum judicium amant, ſi expediebat illos Articulos, de Miſſæ Sacrificio, de bonis Operibus, Invocatione Sanctorum, Cultu Imaginum, Oratione & Oblatione pro defunctis, *quos* (ait Author Tubæ pag. 47.) *tota Eccleſia inter Græcos, Ruſſos, Æthiopes, Indos, Syrios, Abyſſinos, Armenios, &c. tenuit unanimiter tot Sæculis, exceptis ſolùm Proteſtantibus*, ſi licebat, inquam, illos abjicere ad negationem Lutheri, cùm & Proteſtantes ante Lutherum unanimiter illa tenebant, quorum SS. Patres tanquam incorrupti teſtes faciunt illorum ubiq; mentionem. Ergo ſatiùs hæc tenenda erant cum Eccleſia, quæ tenuit tot Sæculis: ſed illam ſoli Proteſtantes, reclamante toto Orbe Catholico, reclamante Antiquitate, (a) erroneam judicant. Numquid ſoli vos Proteſtantes eſtis cupidi ſalutis æternæ? numquid & nobis non eſt cordi ſalus æterna animarum noſtrarum? numquid vobis ſolùm locutus eſt Dominus, non etiam & nobis; immo non nobis, ſed Eccleſiæ, toto Orbe diſperſæ? vos ſoli ſapientes? vos ſoli amantes ſalutis æternæ? nos cum Eccleſia, & in Eccleſia, ſinè qua nihil ſcimus, nihil ſperamus? Advertit hunc errorem Author Tubæ Pacis, ideò in ſuis Diſcurſibus per totum Librum, cùm in partem Eccleſiæ Cathol. Rom. multa dixiſ-

(a) *Authore Luthero.*

dixisset, cùm illam & nunc veram Christi Ecclesiam, in multis locis superiùs monstrâsset, cùm S. Scripturam, non secundùm privatum sensum, sed per Ecclesiam explicandam, pag. 10. & taliter explicatam, vocem esse Spiritûs Sancti, pag 66. spiritum verò privatum, spiritum esse hæreticum, in explicatione illius, nec audiendum, licèt meris Scripturæ verbis loqui videatur, pag. 14. clarè deduxisset: cùm Traditiones Apostolicas & Ecclesiasticas admittendas necessariò, pag. 26. & 37. & 41. ostendisset: cùm monstrâsset pag. 24. & 25. quantum malum sit omne Schisma, nec propter corruptos in Ecclesia mores introducendum, Ecclesiamq; audiendam, quidquid illa in Concilijs Generalibus determinaverit, & si quid est in Controversia ex obscurioribus Scripturæ locis, non standum proprio judicio, nec judicio privati cœtûs, sed explicationi Ecclesiæ, pag. 35. cùm Articulos, quos Lutherus, putans esse abusus, negaverat, ut Missæ Sacrificium, bona Opera, Invocationem Sanctorum, Orationem & Oblationem pro defunctis, quos tota (ait Author) Ecclesia inter Græcos, Russos, Æthiopes, Indos, Abyssinos, tot Sæculis tenuit, exceptis solis Protestantibus, in Concilio Trident. approbatos esse, pag. 47. deduxisset, ad quod etiam Protestantes (ait idem Author pag. 46.) humanissimè per Salvum Conductum fuerunt invitati, cum sufficientissima ab omni dolo securitate, qui Salvus Conductus ter fuit repetitus: cùm Rom. Pontificem à tota Ecclesia Catholica, attestantibus id universim SS. Patribus, pro Successore Petri habitum, Cathedramq; Ecclesiæ Rom. communissimè olim, & nunc Cathedram Apostolicam, Cathedram Petri, à SS. Patribus vocatam, Romanumq; Pontif. Caput Ecclesiæ visibile, Caput omniũ Fidelium, Pastorem gregis universi, Vicarium Christi, Pastorem Pastorum, Petram & Crepidinem Ecclesiæ Catholicæ, rectæ Fidei Fundamentum, ex ijsdem SS. Patribus & Concilijs Gener. pag. 79. docuisset: cùm Quæstiones, quæ in implicita Fide continentur, non esse explicatas in primis quatuor Concilijs, cùm verò illas aliqua hæresis negat, debere se Ecclesiam explicare in Concilijs sequentibus, & illam hæresim condemnare, & sic debebit se explicare usq; ad finem mundi, & exortas hæreses condemnare, pag. 84. probâsset: cùm hæc, & multa alia, in suo Libro, ex S. Scriptura & SS. Patribus, in favorem Ecclesiæ Romanæ adduxisset Author Tubæ, ad omnes Protestantes sic pag. 22. ait: Quare ergo cum illis nunc non „ unimur in terris, cum quibus unionem speramus beatam in Cœ- „ " lis?

" lis? Idem repetit pag. 23. Et pag. 20. ait: Cum Ecclesia Rom. " necesse est uniri, quæ nos Filios Ecclesiæ Catholicæ per Episcopos " & Missionarios à Sede sua, nostrosq; Majores à Paganismo ad " Christianam Fidem genuit, in qua salvos factos nulli dubitamus, " ex hac Matre sumus fratres facti Filij DEI per Baptismum, inter " quos semper sit necesse concordia & unitas, quod DEO bonum & jucundũ. (a) Ex his, & multis alijs, quæ Author Tubæ habet in Libro suo, jam tandem fortè intellexisti, Benevole Lector, quid ille intendat, nempè, sub prætextu Distinctionum, vult suaviter reducere Protestantes, Calvinistas, & omnes separatos, ad Ecclesiam Cathol. Roman. Cùm enim præcipuos Articulos, inter Catholicos & Protestantes sensu Catholico admisisset, semper in Ecclesia Catholica ita creditos, clarè ostendit Protestantibus, quòd eadem Ecclesia Cathol. explicaverit se in Concil. Tridentino, quos ab initio semper ita credidit, & fuerunt Articuli impliciti quò ad se, licèt non quò ad nos, nullà illos negante hæresi, quos primò Lutherus negavit. Quis enim non videt, quòd Protestantibus hæ minimè faveant Distinctiones. Cùm enim proposuisset in hoc suo Libro, dogmata controversa inter Catholicos & Protestantes, pro quorum compositione, ut ipse ait pag. 66. *solùm pacis, & unitatis, & concordiæ gratiâ, pro Dei gloria, & animarum salute, proponimus amicas nonnullorum Fidei Articulorum controversorum compositiones*, nota Lector, non vocat abusus, sed Fidei Articulos, *non ut ex abundantia* (ait ille) *sensus asseramus, aut propriâ authoritate definiamus, &c. aut novitatem Religionis inducamus, &c. sed ut doctioribus ansam demus ulteriùs inquirendi, & ad amicabilem Controversiarum compositionem permovendi, quò ita ad unitatem Ecclesiæ ac pacem, cum bono DEO pacis Auctore perveniamus.* Ponit ergo eâdē pag. & sequ. duas sentētias, unã affirmativam, alteram negativam. Affirmativa est propriè Catholica, & secundùm hanc nullo modo negari possunt, quia sic semper credita sunt. Negativa est propriè Protestantium, quam partim tenent, partim imputant Catholicis. Vel sic: Distinguit Author controversa dogmata per duos sensus; unum affirmantem, alterum negantem. Sensus affirmans, quo concedi debent, est verè Catholicus, semper in Ecclesia retentus. Sensus negativus est Protestantium, quem vel ipsi tenent, vel Catholicis imputant: ut v. g. An sola Fides justificet? hanc Author ponit Distinctionem. Non justificat in adultis, benè agere occasionem habentibus. Nam & fidelis tenetur non tantùm

(a) Hoc idem habet Christian. Dreierus in ultimo Scripto ante mortem, cujus Titulus: Operis de una Cathol. Ecclesia Delineatio; ait ille: *Sed & tempus est, ut tandem respiciant a Romana Ecclesia separati, maximè, qui aliquando ei subfuerunt, ut, si fieri possit, redeant ad unionem ejus.*



tùm

tùm credere, ſed & benè agere, & Charitatem habere, juxta illud S. Pauli 1. Corint. 13. *Si Charitatem non habeam*, & Jacobi 2. *Fides ſinè bonis Operibus mortua eſt.* Ibidem adducit ad marg. plures SS. Patres. Sola autem juſtificat originaliter ſeu inchoativè, fundamentaliter & radicaliter in pueris; at non juſtificat completivè & conſummativè in adultis. Quis non videt, quòd non de fide puerorũ, ſed adultorum procedat quæſtio; in adultis enim negavit Lutherus, bona Opera abſolutè neceſſaria ad ſalutem, non in pueris, quia ſunt incapaces illorum. *Alia Controverſia.* An bona Opera ſint meritoria gratiæ & vitæ æternæ? Reſpondet. Poſſe mereri vitam æternam unito Chriſto, & per Chriſtum, & ejus gratiam: nam opera noſtra, dona ſunt Chriſti. Nihil enim eſt noſtrum, quod non juvante DEO faciamus. Non mereri gratiam, quâ juſtificamur, quia prima gratia non cadit ſub meritum, nec Opera noſtra poſſe mereri vitam æternam ex ſe, & quidem ab homine non conſtituto in gratia. Hoc idem & Catholici tenent. Sed abſolutè negatum eſt, bona Opera poſſe mereri vitam æternam. Et imputatum eſt Catholicis, quaſi ipſi tenerent, ſinè Chriſto, & ejus gratia, bonis Operibus, tanquam proprijs, poſſe mereri juſtificationem & vitam æternam, & Catholici dicunt, hanc ſententiam eſſe Pelagij hæreſim. *Alia Controverſia.* An homo habeat liberum arbitrium ad bonum ſupernaturale? Reſpondet. Habet in ſtatu gratiæ, per adjumenta DEI, viribus Divinæ gratiæ adjutus. Non habet ex proprijs viribus naturæ corruptæ, extra ſtatum gratiæ. Sed liberum arbitrium totaliter negavit Lutherus, ut ſuperiùs patuit, cùm librum edidit de ſervo, non de libero Arbitrio, & dixit, quòd liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, & titulus ſinè re, & Sathanâ Magiſtro in Eccleſiam veniſſe hoc nomen, Liberum Arbitrium. *Alia Controverſia.* An invocandi ſint Sancti? an Imagines & Reliquiæ illorum honorandæ? Reſpondet ſeu diſtinguit Author: Non invocandos tanquam Redemptores, quod ſoli convenit Chriſto; invocandos tanquam amicos DEI, modo proportionato, pro faciliori exauditione. Similiter Imagines & Reliquias venerandas, non honore DEO debito, ſed illis proportionato. At hæc Controverſia totaliter negata fuit, quòd nullo modo Sancti invocandi ſunt, nec ullus Catholicorum unquam hoc non ſolùm docuit, nec dixit quidem, quòd Sancti tanquam Redemptores invocandi, vel quòd cultu DEO debito, Imagines vel Reliquiæ illorum venerentur. Sed hoc imputavit Lutherus Catholicis, & dixit,

Papistæ MARIAM, DEUM constituunt, quod est à veritatè nimis alienum. Pro hac Controversia sic tenenda, adducit Author Tubæ plurimos SS. Patres singulorum Sæculorum, pag. 71. & 72. & 73. adducit & suos Authores, ut Urban. Regium, & Dreieri sententiam, quòd sic liceat orare: *S. Petre, S. Paule, ora pro nobis.* Vide Discursum de Invocatione Sanctorum, pag. 372. & seq. *Alia Controversia.* In Eucharistia verum repræsentari Sacrificium: Conceditur; & datur incruentum, non autem cruentum. Sed in hac Controversia, quis non videt, quòd non de cruento, sed de incruento Sacrificio quæstio inter Catholicos & Protestantes procedit; cùm non cruentum, quod semel est absolutum in Cruce, sed incruentum totaliter negavit Lutherus, quod fit in commemorationem cruenti.

Possent & aliarum Controversiarum, (ait Author Tubæ) ut potè de Cœlibatu, de Potestate Episcoporum, de Confessione Auriculari, hoc modo Compositiones afferri. Ergo simili distinctione admittit Author Confessionem Auricularem & Cœlibatum, & hæc absolutè negata sunt. Cùm autem hæc, & alia plura, admittat Author Tubæ sub his Distinctionibus, ostendit clarè, non fuisse abusus, nec additamenta, sed dogmata implicitè semper credita, nullâ illa negante hæresi. Et hoc pag. 82. expressit, dum ait: *Non sufficit, Ecclesiam incusare additamentorum, vel diminutionum, sed probare necesse est, & convincere.* Et pag. 11. ait: *Quare hæreticorum est, addere semper aliquid Fidei, neq; cuivis privato concedendum, ut Ecclesiam insimulet additionis vel diminutionis in Fide, eo ipso Ecclesia prostituta hæreseos condemnatur, contra quam Christus promisit, non prævalituras portas inferi, & Apostolus vocavit illam columnam veritatis. Aliud est additamentum, aliud explicatio veteris Fidei. Explicatio alicujus Articuli Fidei Apostolicæ, non est additio rei novæ, sed veteris, & implicitæ rei dilucida expositio. Ecclesia enim Catholica sensim, ut homo ætate, temporisq; progressu proficere debuit, post sublatos Doctores Apostolicos, in Fidei doctrina, & Traditione Scripturæ ac Patrum, ut hæresibus ingruentibus, disertè magis, ac explicatiùs exponeret, quæ anteà implicitè credidit, &c. illud omninò profectui illius adscribi putamus.*

Advertit hoc Lutherus, & videns, multos per se ab Ecclesia Cathol. Rom. posteà etiam à seipso avulsos, & in turpissimas abijsse hæreses, ut Anabistas, Kwakeros, Memnonistas, Socinianos, & alios, quos & nunc Lutherani pro hæreticis habent, solitus dicere, ut patet in Præfat. Tom. 1. & Tom. 2. Jen. fol. 9. & Serm. Conviyal. fol.

fol. 10. *Pergraves mihi fuerunt istæ cogitationes: tu solus purum, atq; emaculatum DEI Verbum habes? cæteri omnes eo destituuntur? Quod Christiana Ecclesia decrevit, totq; annos credidit, tu impugnas, &c.* vide reliqua suprà pag. 32. & seq. Undè autem tam graves angustiæ & timores de æterna damnatione accesserunt Luthero, hanc veritatem accipe, & apprehende, humane Lector. Fuit Lutherus, ut omnibus notum est, Speculativæ Theologiæ Lector, ut de ipso testatur Lindanus, Episc. Ruremund. in suo libello Dubitantij, de quo inter alia sic ait: Martinus Lutherus &c. Islebiensis &c. Doctor „ Theol. Erfordiæ creatus, magnas in Catholica Ecclesia Christi per „ Saxoniam dedit turbas. Novas enim, variasq; per illud tempus „ quæstiones, non tam ingenij confidentiâ, aut doctrinæ præstantiâ, „ quàm contentionis studio, rixandiq; libidine, jam annos aliquot „ in Aristotele, & illius ætatis Sophismatibus, haud infeliciter exer- „ citatus, spargere aggrediebatur non solùm Wittembergæ, sed eti- „ am Heldebergam cursitabat, vanissimum gloriæ quæritandæ man- „ cipium, disputariens, atq; Themata valvis figens, de libero Arbi- „ trio, de Operum meritis, de Indulgentijs, de Pœnitentia, &c. ac „ illo inprimis Articulo Symboli, *Credo remissionem peccatorū*, quem „ ut sensu novo, atq; alijs inaudito, veteribusq; ignoto, &c. ubi de- „ pravâsset &c. Et inferiùs ait: Illud ergo novæ doctrinæ genus, „ cùm magnâ ingeniosi ostentatione, maximâq; jactaret verborum „ contentione Lutherus, &c. Hucusq; Lindanus. Ergo Lutherus „ fuit exercitatus in Aristotele, in Sophismatibus, ob ingenij ostentationem, non autem ita fuit exercitatus in Theologia Dogmatica, in SS. Patribus, & alijs, quæ spectabant ad Fidem, quod sic ex ipso Luthero manifestè ostendo. Agens Lutherus de Purgat. in Comment. in Gen. Cap. 42. Tom. 4. fol. 114. ex Kirchero fol. 844. ait: *Quòd si Augustinus, aut alij ex Patribus aliter sentiunt, sciamus, eos legendos cum iudicio, nec Articulos Fidei ex Patrum dictis & sententijs faciendos.* Ex hoc dicto Lutheri patet manifestè error illius, quòd ipse hoc nescierit, quòd Ecclesia Cath. Rom. nunquam facit Articulos ex dictis Patrum, sed illorum testimonijs utitur, tanquam incorruptis testibus, & suis Doctoribus, quos *posuit DEUS ad regendam Ecclesiam*, quòd illa dogmata, quæ hæretici negant, implicitè credebantur semper ab initio, prout & modò creduntur. Secundus locus Lutheri, prodit ignorantiam illius. Ait ille in Cap. 15. Actor. *Incerta sunt Concilia, neq; fidendum est illis; nullum enim unquam purum fuit, quin*

Grascina fol. 18 Cath. Præscr. lib. 4

ad Ephes. 4

Fidei

Fidei aliquid addiderit, vel detraxerit. Ex hac ignorantia finxit sibi Lutherus abusus, quasi Ecclesia in Concilijs novos Articulos condat, cùm se contra hæreticos in illis explicat, ut superiùs ostendimus. Cùm ergo Lutherus ex his falsis imaginationibus, de prætensis abusibus arguebatur, & impugnabatur, ad confirmandos suos errores, recurrit ad SS. Patres, & varios Catholicos Authores. Sed minimè invenit, quod optabat; sed magis omnia contra se. Et sic magis de rebus Fidei informatus, quàm anteà, cùm in Aristotele magis, quàm dogmatibus exercitatus fuerit, ut Lindanus ait, cæpit timere sibi, & alijs æternam damnationem, dicens: *Quod Ecclesia Christiana decrevit, totq́; annos credidit, tu tanquam falsum evertis.* Et Author Tubæ ait pag. 20. quòd hæc verba sæpiùs ante mortem repetebat, nempè, quando jam meliùs fuit informatus de rebus Fidei, & veritate Ecclesiæ Catholicæ Romanæ.

Discursus Authoris.

Pag. 86.

☞ QUòd pacta & transacta attinet, quibus nostræ Ecclesiæ à Romana, invicem à se avulsæ sunt, deplorandam dico magis esseistam avulsionem, quam quidem injuria tristissimorum tum temporum malè suasit. &c.

Discursus Theol.

De Recessu Protestantium ab Ecclesia Cathol. Rom.

CLarius Author Tubæ dicere debuit, quòd ab Ecclesia Cath. Rom. recesserint ipsi, ob causas superiùs assignatas, nempè prætensos abusus, qui non fuerunt abusus, sed dogmata, semper in Ecclesia Cathol. Rom. implicitè credita, & Articuli, quos tota Ecclesia inter Græcos, Russos, Æthiopes, Indos, Syrios, &c. (ut ipse Author his verbis fatetur pag. 47.) tenuit unanimiter tot Sæculis, exceptis solùm Protestantibus, approbati. Unde ex ipsis Authoris verbis patet, quòd soli Protestantes recesserint à tota Ecclesia, & illos Articulos rejecerint, quos tot Sæculis tota Ecclesia unanimiter tenuit, & si hoc poterant facere, præsertim ad unius persuasionem. Nec tempora incusanda, sed potiùs talia subjecta, quæ hanc divulsionem fecerunt,

cerunt, ob cauſas ſuperiùs aſſignatas ab Authore. Ait enim pag. 3: *Schiſmata, prout & hæreſes, aut gloriæ cupiditate, aut arrogantiâ, aut voluptatum libidine ſunt introducta, aut ſimilibus alijs de cauſis, invidiâ ſcilicet, contentionis ſtudio, odio, item curioſitate.* Examinet quilibet veritatem amans, ſi iſtæ cauſæ non inveniantur in hac ſeparatione, & facilè agnoſcet veritatem, ſi cauſæ ſeparationis juſtæ fuerunt, quæ non propter DEUM inceptæ fuerunt, ut ipſemet faſſus ſit, qui hanc fecit ſeparationem, dicens: *Hæc cauſa ſicut non propter DEUM incepta eſt, ita nec propter DEUM finietur.* Sed audiamus ipſosmet hanc ſeparationem non approbantes, quam tamen fecerunt. Lutherus illa verba explicans, *Alter alterius onera portare*, ait: *Qui indoctos, inutiles, iracundos, ineptos, difficiles, moroſos dedignantur, habere ſocios vitæ, ſed quærunt humanos, ſuaves, benignos, quietos, & ſanctos homines: hoc eſt, volunt non in terra, ſed in paradiſo; non inter peccatores, ſed inter Angelos; non in mundo, ſed in Cœlo vivere, &c. Nam cum Sponſa nolunt eſſe lilium inter ſpinas, nec cum Hieruſalem in medio Gentium poſita, nec cum Chriſto dominari in medio inimicorum, &c. Proindè talium ſocietatem, ut boni faciant, nihil aliud faciunt, quàm ut peſſimi omnium fiant, quod tamen non credunt, quia propter charitatem fugiunt germanum officium charitatis, propter ſalutem fugiunt verum compendium ſalutis. Eccleſia enim tunc fuit optima, quando agebat inter peſſimos; horum enim onerum tolerantia mirè rutilavit eius charitas. &c. Alioquin, cur non Moyſes quoq; reliquit duræ cervicis populum? cur non Eliſæus & Prophetæ, Reges Iſraël idololatras? Conſequens eſt, quòd Bohemorum diſſidium à Romana Eccleſia nullâ poſſit excuſatione defendi, quin ſit impium, & Chriſti omnibus legibus contrarium, quia contra charitatem, in qua omnes leges fundantur, perſtat. Nam hoc, quod unicè allegant, ſeſe timore DEI & conſcientiæ feciſſe, ne inter malos Sacerdotes & Pontifices viverent, hoc eos maximè omnium accuſat. &c.* Quod ergo Lutherus in Bohemis reprehendit, hoc ipſe fecit, & ſuam ſeparationem ab Eccleſia Catholica Romana in illis expreſſit, & ita clarè, ut illi quadrent illa verba Chriſti ex Evangelio: *De ore tuo te iudicâſti.* Idem in declarat. quorundam Artic. ait: *Attamen neq; hæc, neq; alia cauſa ulla tam grandis eſt, nec eſſe poteſt, ut ab Eccleſia illa ſeparatio, aut diſceſſio ulla fieri debeat. Immo quò peiùs res ibi habet, tantò magis accurrendum & adhærendum eſt: per ſeparationem enim & contemptum non fit meliùs. nec dimittendus ſit DEUS propter diabolum, nec vitandi reliqui*

contra ſe hoc dixit Lutherus.

boni propter turbam pravorum, immo propter nullum peccatum, aut malum quodcunque excogitari aut nominari potest, debet rescindi charitas, nec spiritualis unitas dividi. Et in Epist. ad Anabaptist. Tom. 1. Jen. p. 320. *Sacramentarij propterea merum panem & vinum habere volunt, in despectum Papæ, arbitrantes, se hoc pacto rectè subvertere posse Papatum. Profectò frivolum est hoc fundamentum, supra quod nihil boni ædificaturi sunt. Hoc enim pacto negare eos oportet, totam quoque Scripturam Sacram nos facere oporteret. Sic & Vetus Testamentum nos dimittere oporteret, ne quid ab infidelibus Judæis haberemus. Stultitia est hoc totum. Nam & Christus in gente Judaica invenit Pharisæorum & Scribarum abusus, non tamen propterea totum rejecit, quod illi habuerunt & docuerunt.* Calvinus lib. 4. Instit. cap. 1. §. 18. (quem etiam citat Author Tubæ pag. 26.) sic ait: *Sub Prophetis in plebe, in Magistratu, in Sacerdotibus omnia usque adeò corrupta erant, ut non dubitet Isaias æquare Hierosolymam Sodomæ & Gomorrhæ. Religio partim contempta, partim contaminata, in moribus passim referuntur furta, rapinæ, perfidiæ, cædes, & similia scelera. Neque tamen propterea aut novas Ecclesias sibi erigebant, aut nova Altaria extruebant Prophetæ, in* ☞ NB. *quibus separata Sacrificia haberent, sed qualescunque essent homines, quia tamen reputabant, Dominum apud eos Verbum suum deposuisse, & cæremonias instituisse, quibus illic colebatur in medio impiorum cœtu, puras manus ad illum extendebant. &c. Nihil ergo eos retinebat, quò minùs discessionem facerent, quàm servandæ unitatis studium.* Idem Calvinus lib. 4. Instit. cap. 1. §. 10. ait: *Dissensionem ab Ecclesia DEI & Christi abnegationem esse, quò magis à tam scelerato dissidio cavendum est, nec ullum atrocius crimen fingi potest.* Idem Sect. 10. *Quòd si Religio SS. Prophetis fuit ob plurima & maxima scelera non unius aut alterius hominis, sed propemodùm totius populi, se ab Ecclesia alienare, nimium nobis arrogamus, si protinùs audeamus ab unione Ecclesiæ deficere, ubi non omnium mores, vel nostro iudicio, vel Christianæ Professioni satisfaciunt. Jam Christi & Apostolorum Sæculum quale fuit? neque tamen impedire potuit desperata illa Pharisæorum impietas, & quæ tum passim regnabat, dissoluta vivendi licentia, quin iisdem Sacris in populo uterentur. &c. Si quem parùm movent Prophetæ & Apostoli, ille saltim Christi authoritati acquiescat.* Et post pauca discessionem ab Ecclesia, *superbam* vocat *obstinationem, & sacrilegam præsumptionem, quam sibi furor pravus assumit.* Author Tubæ pag. 83. citat Melanchtonem sic loquentem: *Concordiam Ecclesiasticam, tam sanctam nobis esse de-*

debere,

bere, ut ad eam conservandam, non tantùm iisdem verbis, sed & syllabis eiusdem Fidei Capita exprimenda esse. Et tamen idem in Apolog. Conf. August. pag. 222. fatetur, quòd Schisma fecerit, & se cum suis divulserit ab illis, qui existimantur ordinarij Episcopi; cùm tamen alibi dixerit: *Meo certè iudicio, magna est temeritas, dogmata facere non consultâ Ecclesiâ veteri.*

Simulato animo hac dixit Philippus, ut non adverterent se separatos.

Habes ergo veritas Catholica, confessionem adversariorum tuorum, de discessione ab Ecclesia, quàm sit deploranda, ex enormi crimine, non ex aliqua injuria temporum, proprio ore confessi sunt, & tamen illam fecerunt: habetis & vos, qui separati estis per illos, testimonium illorum de hac separatione, quam verbis quidem reprobârunt, factis verò in toto illam amplexati sunt, ut vos non adverteretis, quò deducti estis. Verbis quidem dictum est vobis, Nequaquam moriemini, sed facto aliter factum est vobiscum, cùm ampliùs non communicatis Orbi terrarum. S. Cyprianus de Schismate, Serm. 5. de Lapsis sic ait: *Peccatores sumus, peccatores esse nos libenter agnoscimus. Sed numquid sanctiores hi sunt, qui discesserunt à nobis? numquid minus in eorum vita vitiorum & flagitiorum cernere licet? numquid quorundam ex iis, quæ vocant ipsi coniugia, castiora sunt, quàm nostrorum Sacerdotum Cœlibatus? Deindè verò, an non extremæ cuiusdam dementiæ fuerit, sic Sacerdotes, Episcopos, & Monachos odisse, ut ipse te reddas illis deteriorem, nec illos tamen efficias meliores? nullum est enim vitium, hæresi aut Schismate deterius. Congerantur in unum Sacerdotum luxus, libido, ambitio, avaritia, & quidquid prætereà criminum est, omnem hanc vitiorum lernam una superat hæresis aut Schisma.*



Nota Cælibatū.



S. Augustinus Psal. contra partem Donati Tom. 7. par. 4. lib. 2. contra Gaudent. cap. 3. Tom. 7. par. 267. ait: Ab hac „ ergo vera, germanaq; Catholica, quæ Domini luce perfusa per „ Orbem terrarum, radios suos porrigit, &c. quæ causa vobis fuerit „ exeundi? cùm interrogamini, nihil justum invenitis, prorsùs ab „ hac Ecclesia exitum vestrum nulla purgatione probabilis excusa- „ tionis abluitis. Quid enim dicitis, nisi necessitas compulit, ut justi „ relinqueremus injustos. Respondet vobis Scriptura Divina: *Fili- „ us malus ipse se iustum dicit, exitum verò suum non abluit.* Exitum, „ inquit, suum; utiq; illum, de quo dixit Apostolus Joannes, *Ex no- „ bis exièrunt.* Omninò non abluit, non defendit, non excusat, non „ purgat. Et offendit te nescio quis, sive malus, sive ut tu putas, ma- „ lus, si, ut tu fingis, malus, & deseres tot bonos. Author Tubæ „

pag. 25. adducit Crocium, qui cap. 4. N. 1. de Schismate sic ait: *Schisma præbet multis occasionem Atheismi amplectendi.* Quod verissimum est, id accidere omnibus, qui extra Ecclesiam Catholicam per Schisma se posuerunt. Contemptâ enim semel Ecclesiâ verâ Catholicâ, per falsas persuasiones, nullibi vident Ecclesiam veram, cùm quilibet cœtus dicat, apud se veram esse, & cùm sint propè infiniti, unus aliam condemnat hæresi, ut patet ex ipsismet seipsos condemnantibus, quid sequitur nisi desperatio, cùm vel omnes cœtus sunt vera Ecclesia, vel nullus. Quòd autem omnes cœtus sint Ecclesia vera, nimis absurdum per se patet, nec eget probatione, cùm hoc sæpiùs inculcatum & probatum sit passim, ita, ut apud cordatos Catholicos nihil veritatis talis Propositio habeat. Et hoc idem expressit Author Tubæ loco citato, dum ait: *Quin & Christianos reddit perplexos visis Schismatibus, ut neutris credant.* Cùm ergo Protestantes recedentes ab Universali Ecclesia, posuerint se in pluribus Schismatibus, etiam inter se in multis discrepantes, varios assumpserunt errores, & cum his unusquisq; voluit inire concordiam cum Ecclesia Cathol. Romana, judicet unusquisque, si taliter concordia sequi potuit, cùm ipsimet inter se non sint hucusq; concordes. Judicet & hoc, num injuriæ temporum sit adscribendum, quod ipsis Diffidentibus fatentibus, per contemptum Ecclesiæ Universalis, propriâ voluntate, propriâ superbiâ & malitiâ instigantibus deliberatè incæperunt, ad finem utiq; pessimum perduxerunt.

Discursus Theolog.

De vera concordia & salvificis combinationibus inter Ecclesiam Cathol. Rom. & omnes Protestantes.

Lutherani, Calvinistæ, & alij Diffidentes, non intellectis intentionibus Catholicæ Ecclesiæ Romanæ, plura imputant Catholicis, de quibus nec cogitant Catholici, sed cum illis pariter damnant, & omnes abusus reijciunt, quos nunquam & Ecclesia approbat, imò quantum potest, impedire, & auferre conatur; tamen per hanc sinistram imputationem, & abusus simplicium, plures abhorrent ab Ecclesia Cathol. Rom. vide suprà pag. 305. & sequ. Si placet, pro bono pacis, & felicis unionis, aliqua in praxi ponamus, quæ sunt vera Ecclesiæ Cathol. Rom. dogmata, & quæ Diffidentes imputant.

Pri-

Primò hæc Regula Generalis Ecclesiæ Catholicæ in omnibus esto: Nihil est de Fide Catholica, nisi quod revelatum est Verbo DEI, per Ecclesiam in Concilijs Generalibus probatis, explicato ex sensu aut praxi Universalis Ecclesiæ, semotis consequentijs. Omne quod tale est, de Fide Catholica est: quod tale non est, de Fide Catholica non est. De Fide Catholica dicimus, quia saniores & probabiliores opiniones Doctorum Scholasticorum, ut opiniones sequimur, & à Fide secernimus, & nisi ea de Fide Catholica dicimus, quæ sub anathemate Ecclesia credere præcipit. Incipiamus ab honore & intercessione Sanctorum, & cultu Imaginum, à quibus tantoperè Dissidentes abhorrent. Lutherus in Postilla ad Evangelium Dominicæ Incarnationis ait: *Papistæ Virginem MARIAM, DEUM constituunt.* Calvin. lib. 3. Instit. cap. 20. §. 22. objicit Catholicis, quòd invocent Sanctos, planè ut Deos, & habere Deos plurimos. Daillæus lib. de Imaginibus 3. cap. 1 pag. 268. & lib. 3. cap. 4. p. 329. ait: Quod ad Imaginum spectat venerationem, in quo propriè nodus est quæstionis, &c Romani prætendunt, adorandas vel venerandas religiosè Imagines. Et pag. 376. 378. ait: Cultu aut servitio Religioso, adoratione Latriæ analogicè, cultu & servitio Analogico, ei qui debitus est eorum objectis. En hallucinatos hos omnes! en sinistras imputationes! Videamus nos genuinam Professionem Fidei Catholicæ. Constanter teneo, &c. Sanctos unà cum Christo regnantes, venerandos atq; invocandos esse, eos orationes DEO pro nobis offerre, atq; eorum Reliquias esse venerandas. Firmissimè assero, Imagines Christi, ac Deiparæ, nec non aliorum Sanctorum, habendas & retinendas esse, atq; eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Conc. Trid. Sess. 25. in quo additur: Quoniam honos qui exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illæ repræsentant, ut per Imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus; & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Nulla mentio hîc, quòd Catholici MARIAM, DEUM constituant, quòd Sanctos velut Deos colant: nulla mentio Latriæ Analogicæ, servitij Religiosi. Nihil horum Fidei Cathol., licèt Scholastici de honore secundario inter se disputent, contineamus nos intra terminos Fidei Cath. & habebimus plures consentientes debitũ honorẽ Sanctis, sicut concedit Lutherus in Comment. super Magnificat, sicut con-

Sicut concedit Academ. Regiomontana. Vide supra pag. 422

concedit Daillæus pag. 376. qui autem negant honorem & interceſſionem Sanctorum, deducant negatum clarè ex Scriptura pura, vel expoſita per SS. Patres in Concilijs Generalibus, quòd nec liceat Sanctos invocare: qui autem negabant honorem & invocationem Sanctorum, oſtendimus, fuiſſe Julianum Apoſtatam, apud Cyrill. lib. 6. contra eundem; Manichæos, apud S. Auguſt. lib. 3. contra Fauſt. cap. 4. Vigilantium, apud S. Hieron. in Vigilant.

Videamus aliam hallucinationem, ſatis notam omnibus Diſſidentibus, quam imputant Catholicis, quòd Eccleſia Cathol. Rom. hucusq; nihil docuerit, nec docet modò de Fide Mediatoris, quaſi non propter Chriſtum, ſed propter dignitatem Operum noſtrorū, acciperemus remiſſionem peccatorum. Meſtreſatius lib. contra Me-
" rita, 1638. pag. 7. ait: Si dicas, remunerationem debitam eſſe de
" rigore juſtitiæ, & propter condignitatem Operis, quod Eccleſia
" Romana tenet de remuneratione Operum regenerationis. Jam
" verò &c. Et pag. 12. Quæſtio eſt, an capacitas hæc conſtituat ve-
" rum meritum condignitatis, & rigoris juſtitiæ. En hallucinatio Meſtrezatij! eo prætextu, quòd Scholaſtici de prædictis opinionibus probabilibus diſputant, ille doctrinam Fidei Catholicæ eſſe putat. Sed videamus doctrinam Eccleſiæ Cathol. Rom. Sacerdotale Romanum inter alia hæc habet ad infirmum, cùm ad mortem diſponi-
" tur: Credis, quòd Dominus noſter JESUS Chriſtus pro noſtra
" ſalute mortuus ſit, & quòd nullus ex proprijs meritis, vel alio
" modo ſalvari poſſit, niſi in meritis Paſſionis ejus? In Profeſſione
" Fidei Catholicæ hæc legimus: Si quis dixerit, hominis juſtificati
" bona Opera ita eſſe dona DEI, ut non ſint etiam bona ipſius juſti-
" ficati merita, aut ipſum juſtificatum bonis Operibus, quæ ab eo
" per DEI gratiam, & JESU Chriſti Meritum, cujus vivum mem-
" brum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æter-
" nam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit conſecuti-
" onem, atq; etiam gloriæ augmentum, anathema ſit. Conc. Trid. Seſs. 6. Can. 32. Nulla hîc confidentia in proprijs meritis, ſinè Chriſto, & dicunt Catholici, qui ſinè Chriſto confidit in proprijs meritis, eſſe hæreſim Pelagianam: nulla hîc mentio rigoris, juſtitiæ, nec condignitatis Operum, ſolùm quòd ſint verè merita, gratiâ DEI, & Merito JESU Chriſti fiunt. Hæc eſt doctrina Catholica, reliqua ſunt opinionis Scholaſticæ, in qua varia placita opinantur. Contineamus nos intra terminos Fidei Catholicæ, & habebimus plures aſ-
ſenti-

sentientes; assentiet & Mestrezatius, cùm benè intelliget sententiam Catholicam, nam pag. 25. idem cum Catholicis sentit, dum ait: Agnoscimus, bona Opera esse DEO grata, eaq; obtinere vitam æ- ,, ternam, & solùm volumus, quòd eam obtinent ex benignitate, ,, gratia, bonitate, & misericordia DEI. Et sic Nomen meriti, & ,, merendi, eo sensu, quem in lingua Latina habet. Qui autem dicunt, Opera bona, gratiâ DEI & Merito JESU Christi facta, non respici à DEO, probent hoc ex Scriptura pura, vel in Concilijs Generalibus probatis exposita.

Tertiam hallucinationem de Primatu Romani Pontificis videamus. Blondellus lib. de Primatu in Ecclesia, pag. 16. ait: Sedes ,, Romana sibi attribuit infallibilitatem, & omnem potentiam Mo- ,, narchicam, Jure Divino, in totam DEI Ecclesiam. Et Synodus ,, Gapensis Anno 1603. ait: Quandoquidem Roman. Episcopus eò ,, se extulerit, ut se Deum nominaverit, velit adorari, & omnem ,, potentiam in Cœlo & in terra sibi attribuere, nundinas animarũ ,, exercere, pedibus calcare, &c. Credimus, & tenemus ipsum pro- ,, priè Antichristum. En gravem calumniam! eamq; scissionis cau- ,, sam. In Professione verò Catholica hæc solùm de Rom. Pontifice habentur, quod verum est: Sanctam, Catholicam, & Apostoli- ,, cam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem & Ma- ,, gistram agnosco, Romanoq; Pontifici, Beati Petri Apostolorum ,, Principis Successori, ac JESU Christi Vicario, veram obedientiam ,, spondeo. Nulla hîc mentio, quòd se Deum nominaverit, quòd velit adorari, quòd sibi omnem attribuat potestatem in Cœlo & in terra, nisi quia Petro dicitur in Evangeli, *quodcunq; ligaveris in terra, erit ligatum in Cœlis*, cujus est Romanus Pontifex in Cathedra Apostolica Successor. Sicophantarum hæ sunt calumniæ, eò graviori dignæ pœnâ, quòd deplorandæ scissionis Ecclesiæ, tot animarum perditionis, perturbationis Regnorum, bellorumq; sint causæ. Tollantur hæ calumniæ, contineamus nos intra terminos, nec plus, nec minus concedamus potestati Rom. Pontificis, quàm quæ ei conceduntConcilia Generalia, quæ concedit Antiquitas, quæ concedunt SS. Patres, cætera silentio obvolvamus. Nam & Blondellus rediens ad se, in decursu Voluminis, multis testimonijs probat, Primatum in Ecclesia semper de facto viguisse à tempore Apostolorum, pag. 511. Et pag. 107. ait: *Roma potuit tantum, quàm Sedes Apostoli Petri, quem Antiquitas Caput Collegij Apostolici agnovit, considerari, tanquam Caput à*

Con-

Concilio Chalcedonensi Can. 28. quòd Ecclesia Romana semper habuit Primatum. Undè advertens Author Tubæ Pacis plurimas has hallucinationes Diffidentium, & sinistras imputationes Catholicis, proposuit omnes materias controversas inter Catholicos & Diffidentes, ut benè perspectas doctrinas Catholicorum habentes, redeant ad gremium Matris suæ, undè per varios astus suorum Antecessorum avulsi sunt, licèt se multi (sed falsò) in eadem Ecclesia manere existimant, ut Covellus in defensione Hookeri pag. 68. dum ait: *Romanenses de Familia JESU Christi esse, libenter agnoscimus, dum autem nos reformamus, non nos ab Ecclesia (uti sperandum est) segregamus, in qua antè fuimus, & in eadem manemus, quemadmodum & Romanenses.*

Alij affirmant, posse salvari in Ecclesia Cathol. Romana, & hoc tenent Protestantes Theologi, ut Author Tubæ pag. 22. ostendit. Audiamus Daillæum de hac re longius discurrentem, pag. 72. qui ait: *Nec bonus Christianus, nec civis tolerandus, nec sanæ mentis habendus, qui credens, se posse consequi salutem in Ecclesia Romana, vivit nihilominùs extra eius Communionem, numquid enim mali non foret Christiani scissionem facere, absq; ulla necessitate, ab his, qui servituti Christi se addixerunt? numquid mali civis non foret, secedere voluntariè, & absq; ulla ratione, à Religione proprij Principis, cui complacere in omnibus, quæ conscientiæ nostræ sensus non impetunt, tenemur? numquid deniq; sanæ mentis non esset, partes sequi, in quibus infausta secundùm carnem sunt omnia, nullo expectato secundùm spiritum emolumento.* Audite, obnixè rogo vos, omnes Diffidentes, erigite aures, quis Catholicus meliùs dicere potuit, quis veritatem magis enucleare potuit, sicut hic vester Daillæus? benè, optimè, æquo Judice Daillæo, quilibet ex vobis potest credere, se consequi salutem in Ecclesia Cath. Rom. Sed scitis quomodo? rejectis omnibus falsis imputationibus, calumnijs, & intellectis benè dogmatibus, ea credatis, quæ sunt de Fide per Ecclesiam Cathol. in Concilijs Generalibus explicata, reliquâ debitâ veneratione, ut Filios Ecclesiæ decet, suscipienda. Secundam veritatem agnovit hìc Daillæus. dum ait: *Numquid enim mali non foret Christiani, scissionem facere, absq; ulla necessitate ab his, qui servituti Christi se addixerunt?* Judicate vos, si fuit ulla necessitas, hanc scissionem facere ab Ecclesia Cath. Romana: judicabitis, nullam fuisse, si æquo animo omnia examinetis, cùm ipsemet Lutherus fassus sit, modicam habuisse causam, nempè propter paucos abusus, cùm in nullo Articulo Fidei Ecclesiæ apud nos dissentiunt, ab

Eccle-

Eccleſia Cath. Romana, undè graves poſteà ſæpiùs paſſus eſt conſci-entiæ torturas, dum in Præfat. libri de Abuſu Miſſæ ait: *Quàm ſæpè mihi cor palpitavit, meq́; coarguit, tu ſolus ſapiens, cæteri omnes errent; quòd ſi tu erres, tot in errorem ſeduces perpetuo ſupplicio condemnandos.* Et Serm. Conviv. fol. 10. *Pergraves mihi fuerunt iſtæ cogitationes, &c. quod Chriſtiana Eccleſia decrevit, & tot annos credidit, tu impugnas, & tanquam falſum evertis.* Vide plura alia ſuperiùs pag. 84. Sic multorum aliorum aperuit ora Clementiſſimus Deus, ut veritatem dicerent, ut vos reducerent ad Matrem Eccleſiam, ad capeſsendum in ea vitam æternam. Sic omnes materiæ controverſæ, ſi benè examinabuntur ad normam ſuperiùs poſitam, Proteſtantes & Calviniſtæ vix aliquam habebunt cauſam, non redeundi in gremium Matris ſuæ. Pro hac ergo ſincera confeſſione conſequendæ ſalutis in Romana Eccleſia, Daillæo, & fortè pluribus alijs idem tenentibus, aliam ſinceram confeſſionem reponimus, licet fortè minùs gratam, maximè pertinacibus, ex motivo tamen charitatis dicimus, neq́; in cœtu Lutheri, neq́; Calvini, neq́; aliorum, poſſe conſequi ſalutem extra Romanam Catholicam Eccleſiam aliquem, & ſatis clarè per totum librum probavimus, & adhuc probabimus.

Diſcurſus Theol.

In quo ponuntur Motiva credibilitatis Fidei Catholicæ Romanæ, ex quibus manifeſtè cuiq́; patet, doctrinam Fidei Cathol. Romanæ contrariam, non eſſe credibilem.

PRimò ſciendum, hæreticos confiteri, doctrinam à Chriſto & Apoſtolis traditam, eſſe veram, in quo cum Catholicis conveniunt. Item conveniunt in hoc, quòd Fides Chriſti debeat eſſe una, juxta illud ad Epheſ. 4. *Unus Dominus, una Fides.* Item fatentur, hanc Fidem debere eſſe puram ab omni falſitate: nam doctrina, quæ procedit à Chriſto, neceſſariò debet eſſe in omnibus vera & infallibilis, ut doctrina à DEO procedens, qui eſt ipſa Veritas. Undè neceſſario ſequitur, inter omnes doctrinas, quæ nomine Chriſti exiſtunt, unam tantùm eſſe veram, quæ DEI eſt, & à DEO procedit, alias verò falſas. Hæc tam ſunt certa, ut non indigeant probatione, nec negari

nisi temerariè possunt ab homine, à recta ratione deficiente. Difficultas autem est, quia unusquisq; cœtus hæreticorum contendit, suam doctrinam esse veram, quam Christus & Apostoli tradiderunt, & miraculis confirmârunt. Ut ergo ostendamus, omnes doctrinas incredibiles esse, exceptâ unicâ, quam docet Ecclesia Cath. Romana, aliqua Motiva Ecclesiæ Rom. & Signa hæresis breviter adducemus.

Primum Motivum. Ecclesia Cath. Rom. docet unam semper Fidem, quia docet Fidem eandem, quam docuit Ecclesia quingentorum vel sexcentorum annorum, quam hæretici agnoscunt pro vera, quòd autem eandem Fidem doceat, patet. Nam eosdem Articulos explicitè vel implicitè credendos proponit; implicitos cùm negaverint hæretici, explicavit se contra illos in Concilijs Generalibus, ut in Nicæno contra Arium, &c. in Ephesino contra Nestoriū, in Chalcedon. & consequenter in alijs, & illas hæreses condemnavit, ut clarè patuit superius. E contrà verò omnes cœtus extra Ecclesiam Cathol. Rom. vel antiquas hæreses reassumpserunt, vel novas excogitârunt; etiam hoc satis superiùs probavimus. Undè fit, ut doctrinæ hæreticorum, summa sit mutabilitas, & inconstantia, quæ maximè repugnat veræ Fidei. Tribus autem modis hæc inconstantia contingit: Primus est, quia author hæresis sæpè in uno loco contrarium illius affirmat, quod priùs dixerat per incogitantiam, vel inadvertentiam, quod in novis hæreticis maximè notatum est. Secundò, aliquando mutant opinionem, quam priùs tenuerant, quod est apertum signum opinionis humanæ, non veræ Fidei, juxta doctrinam S. Pauli ad Galat. 1. ferè per totum. Tertiò, frequentiùs contingit, ut post exortam hæresim, statim dividatur in plures, per varietatem discipulorum, quod repugnat etiam unitati Fidei, de qua varietate & divisione doctrinæ inter hæreticos, multa leguntur in SS. Patribus, & in Historijs, & præsertim videri potest S. August. lib. 1. de Bapt. cap. 6. de Agone Christiano cap. 29. & de peccatorum meritis cap. 34. ubi ad Pelagianos inquit: *Priùs apud se ipsi consentiant, & ita fiet, ut à nobis nulla ex parte dissentiant.* Sic etiam dixit Tertull. lib. de Præscript. hæreticorum: *Dum sibi adversantur, Fidem nostram confirmant.* Plura habet Irenæus lib. 1. cap. 5. & cap. 21. & S. Cyprian. lib. 4. Epist. 2. S. Ambros. lib. 5. de Fide cap. 4. & videri potest Epistola Agathonis Papæ in VI. Synodo Action. 4. & Tarasij in VII. Synodo Act. 1. Refert etiam Sozomenus lib. 9. Hist. cap. 5. multos hæreticos propter hanc varietatem & inconstantiam doctrinæ,

quod inferiùs clarè patebit.

NB.

NB.

NB.

næ, ad Fidem Catholicam rediiſſe. Ratio autem hujus inconſtantiæ eſt, quia hæreſis non fundatur in Spiritu DEI, ſed in proprio judicio, & ideò, ſicut inter Philoſophos invenitur hæc Diviſio Sectarũ & Opinionum, ita etiam inter hæreticos, de quo videri poteſt S. Auguſt. Serm. 11. de Verbis Apoſtoli, & Serm. 18. de Civit. DEI cap. 41. & Niceph. lib. 4. Hiſt. cap. 29. NB.

Secundum Motivum. Eccleſia Cath. Rom. docet verbum ſanum & irreprehenſibile, ut monet Apoſtolus ad Tit. 2. quod in Nota Eccleſiæ Sanctæ ſuperiùs probavimus, quæ doctrina ſana & irreprehenſibilis convenit cum Sanctitate. Neq; dicas, quòd multa ſcandala & peccata inter Catholicos inveniantur, nam Eccleſia hos non approbat, ſed tollit, & prohibet, per quod multorum odia Principum & Regum ſibi comparavit. Peccata autem & ſcandala indè proveniunt, quòd non ſolùm Sanctos, ſed & peccatores comprehendat, doctrina autem hæreticorum ordinaria eſt reprehenſibilis, nec eſt ſana, quia ſemper aliquà miſcet, quæ etiam rationi naturali non ſunt conſentanea, quod notavit in antiquis hæreticis Irenæus lib. 1. & 2. & Epiphan. hæreſ. 26. & 27. S. Auguſtinus Epiſt. 50. Maximè verò invenitur hic defectus in hæreticis noſtri temporis: tollunt enim liberum arbitrium, quod eſt fundamentum moralis bonitatis & honeſtatis, & DEUM faciunt Authorem peccati, & negant neceſſitatem bonorum Operum, affirmantquè, DEUM non imputare peccata credentibus; unde ex hac doctrina ſequitur, aperiri portam ad omnia nefanda: nam multi non vitabunt rapinas, latrocinia, adulteria, homicidia, cùm credant ſibi non imputanda pro peccatis, hæc manifeſtè pugnant contra omnem rationem & honeſtatem, etiam judicio gentilis hominis. Non eſt ergo verbum illorum irreprehenſibile, & conſequenter non poteſt eſſe ſanum, quia nec ad ſanitatem animæ confert, neq; eſt ſibi conſtans, nec proportionem, aut ſoliditatem habet honeſtatis, cujus ratio propria eſt, quia nullam habent hæretici credendi regulam, præter humanam conjecturam, quæ ordinariè eſt juxta uniuſcujuſq; affectum, & indè fit, ut ex iiſdem rebus habentibus, eandem DEI authoritatem æquè propoſitam, ſeu æqualiter credibilem, quædam credant, alia non credant, ſolùm, quia ipſis ita videtur, vel quia unum eſt conſentaneum eorum affectui, & non aliud, ut notavit Epiphan. Hæreſ. 47. ubi admiratur, quàm inconſtanter omnia dicantur, & fiant apud hæreticos, de quo videri poteſt Epiſtola S. Athanaſii ad Liberium, & S. Augusti-

gustinus lib. 7. Tripart. cap. 3. Hinc etiam notant SS. Patres aliud Signum hæreticæ doctrinæ, quod est mutilare Scripturam, & eam proprio arbitrio interpretari, vel potiùs corrumpere, quoties enim ita urgentur aliquo testimonio S. Scripturæ, ut illi respondere non possint, magnâ facilitate negant, librum illum esse Canonicum, sicut modò hæretici negant, libros Machabæorum 1. & 2. esse Canonicos, quia ex illis manifestè probatur Purgatorium; & alij negant Epistolam Jacobi, quia ex illa convincitur necessitas Operum: atq; ita fit, ut proprio arbitrio, conjecturâ, vel affectu admittant, vel negent libros Canonicos, per quod destruitur tota certitudo & constantia Fidei, de quo videri potest Irenæus lib. 1. cap. 29. & lib. 3. cap. 20. & 22. Aliquando verò, & sæpiùs evertunt S. Scripturas per falsas interpretationes, ut figuratè intelligendo, quæ in proprio sensu ab Ecclesia & SS. Patribus intellecta sunt, sicut fecit Calvinus in verbis Consecrationis. Undè rectè dixit Irenæus Hær. 5. *Coguntur multa malè interpretari, quia unum nolunt benè intelligere*; de quo etiam S. August. lib. de utilitate credendi cap. 3. & 28. cont. Faust. cap. 22. & Epiphan. Hær. 44. Tandem adnotari, doctrinam Christi fieri maximè credibilem, ex efficacia ejus, ad convertendas animas. Contrarium ergo notant SS. Patres & Catholici Doctores in doctrinis hæreticorum; nam ordinariè non convertunt animas ad Christum, neq; hoc intendunt, sed pervertunt credentes in Christum, & hoc maximè procurant. Ratio autem est, quia non habent Verbum DEI potens, & efficax ad convertendas animas, sed habent verbum merè humanum, quod est aptum ad pervertendum, quia ordinariè docent ea, quæ placent sensui, & affectui humano, de quo videri potest S. Gregor. 8. Moral. cap. 2. undè sæpiùs obscura loca S. Scripturæ vel SS. Patrum pro suis erroribus adducunt, vel indirectè probant, ut superiùs ostensum est de Traditionibus vel bonis Operibus, quod etiam Manichæis exprobrabat S. Augustinus.

Tertium Motivum. Quod hæretici negare non audent, nec possunt, etsi vellent, quòd in Ecclesia Cathol. Romana sit Fides Catholica. Hoc Argumento S. Augustinus contra Epist. Fundament. cap. 4. ex solo nomine Catholicæ probabat contra hæreticos suæ Fidei veritatem. Dicitur autem Catholica Fides, quia universalis, hoc enim vox illa Græca, Latinè significat: debet autem Fides Christi esse universalis, tempore, loco, & personis, quia Ecclesia Christi, ex quo fundata est, universalem temporis durationem postulat, juxta illud:

illud: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*; & pro toto mundo fundata eſt, & pro omnibus gentibus, juxta illud: *Euntes in mundum univerſum, docete omnes gentes*; & alibi: *Prædicabitur Evangelium hoc in univerſo mundo.* Ergo Fides hujus Eccleſiæ, iisdem modis univerſalis eſſe debet. Quod ergo ſpectat ad univerſalitatem temporis, rectè colligitur ex dictis, non inveniri in hæretica doctrina, quia non habet illam antiquitatem, quæ ad hanc univerſalitatem neceſſaria eſt, id eſt, ut poſt Chriſtum nullo tempore defecerit: & hoc ſatis eſt, ut non ſit Catholica. Quod verò ſpectat ad univerſalitatem loci & perſonarum, conſtat, ordinariè hæreſim in quodam peculiari loco vel gente verſari, & non habere eam univerſalitatem, quam Eccleſia Cathol. Romana poſtulat.

Hoc Argumento preſſi hæretici, fingunt, Fidem Rom. Cathol. antiquam, per aliqua tempora veram duràſſe, nempè ad Annum 500. vel 600. poſteà defeciſſe, & latuiſſe uſq; ad tempora Lutheri. Sed quæ indè abſurda ſequuntur, nemo non videt. *Primò.* Si Fides vera latuit per mille annos uſq; ad Lutherum, ergo homines per id tempus erant ſinè vera Fide, nec ſalvabantur. *Secundò.* Summa injuria per hoc figmentum infertur DEO, quia per id tempus fuerunt manifeſtæ innumeræ hæreſes, ut Mahometiſmus, Arianiſmus, Neſtorianiſmus, Pelagianiſmus, & ſola vera DEI Fides latere debuit uſq; ad Lutherum. *Tertiò.* Unde conſtat Luthero, & alijs hæreticis, quòd eandem veram Fidem poſt mille annos excitaverint, & non aliam novam? cùm ipſi Authores, Lutherus & Calvinus, glorientur de novitate, ut ſuperiùs oſtendimus. Si antiquam quo fundamento probant, quomodo eis innotuerit, quâ viâ ad illos venerit, & ſi venerit, apud quem ſit vera? ſi apud Lutherum, vel apud Calvinum, vel apud Confeſſioniſtas, vel Socinianos, vel Anabaptiſtas, vel Memnoniſtas? cùm hi omnes gloriantur de vera apud ſe Eccleſia: quibus hoc miraculis probant? cùm illa ſæpiùs patrare voluerunt in teſtimonium ſuæ doctrinæ, ut Lutherus & Calvinus; ſi nova? de qua novitate ſæpiùs gloriabantur. Hic error fuit antiquorum hæreticorum, quibus reſpondet S. Hieron. Epiſt. 68. *Quisquis aſſertor es novorum dogmatum, quæſo te, ut parcas Romanis auribus, parcas Fidei, quæ Apoſtoli voce laudatur.* Et infrà ait: *Uſq; ad hunc diem ſinè iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit. &c. cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod anteà neſcivimus.* Vel ſi urgent apud ſe veram Fidem, quæ non poteſt eſſe niſi Catholica, id eſt univerſalis, oſten-

dant apud se talem, quòd sit universalis, tempore, & loco, & personis, quia talem fundavit Christus, juxta illud: *Euntes in universum mundum prædicate Evangelium*; & alibi: *Prædicabitur Evangelium hoc in universo mundo.* Undè si non possunt apud se prædicti cœtus hanc universalem Fidem, quæ sola est vera, ostendere, etsi eandem negant in Ecclesia Cathol. Romana, sequitur, non esse veram Fidem DEI in mundo. Consequenter frustrà dicitur in Symbolo Apostolico, *Credo Ecclesiam Sanctam Catholicam*, cùm non Catholica Ecclesia, sed particulares cœtus sunt apud Lutheranos, Calvinistas, & alios.

Quartum Motivum. Quòd Fides Romana sit Apostolica. Nam sicut de ratione veræ Ecclesiæ est, ut sit Apostolica, ut habetur in Symbolo Apost. ita est de ratione veræ Fidei, ut sit Apostolica, tum quia vera Ecclesia per veram Fidem constituitur. Ex dictis autem constat, Fidem quam profitemur, esse Apostolicam, quæ est sola Catholica, id est universalis, quæ sola reducitur ad Christum & Apostolos, per perpetuam successionem Romanorum Pontificum, à Petro usq; ad præsentem Rom. Pontificem: hanc successionem nunquam probare potuerunt hæretici, quem defectum illis SS. Patres sæpiùs exprobrabant, ut in Nota Ecclesiæ Apostolicæ ostendimus; è contrà verò ijdem SS. Patres hanc Successionem Apostolicam in Romana Ecclesia defendebant, & Romanos Pontifices pro legitimis Apostolorum Successoribus agnoscebant, ut superiùs ex Nota Ecclesiæ, quòd sit Apostolica, patuit: hæretici verò omnes, non habent veros Pastores, sed illos, qui vel seipsos à se deceptis intruserunt, vel Reges & Magistratus illos instituerunt. Hæresis verò indè dignoscitur, cùm initium illius notatur, & tempus. & locus, ubi & cum paucis incepit, cum contradictione multorum & Author hæresis, à quo ordinariè nominantur.

Quintum Motivum. Credibilitatis Authoritas testificantium SS. Patrum de doctrina Ecclesiæ Romanæ, quæ tam est nota hæreticis, ut veritate convicti audeant dicere, errârunt Patres, aliàs contumeliosis verbis illos affecerant, ut coram plebe minuerent authoritatem illorum, cum in illo maximè deficiant hæretici, quod notârunt Patres in illis, cùm ipsimet authores hæresum, cum paucis similibus à se deceptis, testantur de suis erroribus; cùm verò prædicti authores hæresum sint ordinariè dediti vitijs, ideò fide indigni, maximè autem duci solent spiritu superbiæ: undè S. Augustin. lib. de Pastoribus cap. 8. *Una* (inquit) *superbia omnes illos genuit.* Sæpè etiam du-

NB.

cuntur

cuntur avaritiâ, ut de Simone Mago legimus Act. 8. & S. Cyprian. Notat. lib. 1. Epist. 4. & videri potest lib. 4. Epist. 9. & Epiphan. Hær. 25. aliquando verò concupiscentiâ, & voluptate ducuntur, ut notat S. Hieron. Epist. ad Ctesiphontem, & Vincent. Lirinensis contra profanas vocum Novitates. Quæ omnia, & alia plura complectitur S. Paulus 2. ad Timoth. 3. dicens de hæreticis: *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, & intra corrupti mente, & reprobi in Fide.* Similia habet Epist. 1. Cap. 4. quæ loca ponderat S. Cyprianus dictâ Epist. 4. lib. & Epist. etiam 6. & videri etiam potest S. Gregor. lib. 3. Moral. cap. 17. His accedit, quòd regulariter initium hæresis sumitur ex aliqua humana occasione, ut ex indignatione aliqua propter dignitatem non obtentam, vel aliquid simile, quod in antiquis hæreticis notat Euseb. lib. 7. Histor. cap. 33. & Nicephor. lib. 4. cap. 4. 7. & 20. & lib. 6. cap. 3. De novis autem hæreticis, & præsertim de Luthero, nota est Historia, de qua videri potest Coclæus in Actis Lutheri An. 1517. & Hosius lib. 1. contra Brentium. Est etiam nota & notabilis Historia Henrici VIII. Regis Angliæ, & similes. Accedit denique, quòd doctrina hæretica non habet majorem authoritatem à Sequacibus, quàm ab authore: tum quia discipuli Doctoris hæretici, nec meliores, nec doctiores solent esse Magistro, & ad minimum nullum habent judicium insignis sanctitatis, quæ in Doctoribus Ecclesiæ Rom. Cath. inventa est, quod maximè in hæreticis nostri temporis verum habet, quia non solùm Evangelicam perfectionem non sequuntur, verùm etiam illam condemnant, & reprobant, Consilia perfectionis abnegantes: tum etiam, quia doctrina hæretica dici non potest, in suum testimonium habere consensum populorum, quia licèt interdum plures per illam pervertuntur, nihilominùs (ut dixi) ipsi inter se non consentiunt, & prætereà major pars Orbis Christiani illi resistit: tum denique, quia nullum habet signum supernaturalis doctrinæ, aut Divini auxilij, quia nec Prophetiam habent, nec miracula, ut jam dicam.

Sextum Motivum Credibilitatis sumitur ex Divinis & miraculosis Operibus, quibus DEUS ipse quasi subscribit tali doctrinæ, quæ maximè necessaria sunt, quando doctrinam, quæ ut supernaturalis proponitur, incipit introducere, ut indicavit S. Augustin. lib. 10. de Civitate DEI cap. 8. Doctrina autem hæretica, nova est, ut dixi, & ab ipsis hæreticis ut supernaturalis venditatur, & tamen in illius confirmationem, nullum miraculum exhibent. Signum ergo est, non

esse

esse Divinam, quia ordinarius modus providentiæ Divinæ est, doctrinam suam confirmare miraculis, præsertim, quando prædicari incipit: quod suprà monstratum est de doctrina Ecclesiæ Catholicæ. Immo, ait S. August. lib. 22. de Civit DEI cap. 8. non solùm in principio Ecclesiæ, sed etiam in progressu ejus, hanc doctrinam veris miraculis confirmari, quod usq; ad nostra tempora factum esse conspicimus, & in tot Historijs legimus, ut non nisi impudenter negari possit. Atq; hinc factum est, ut hæretici sæpiùs miracula edere, vel potiùs ostentare voluerint: facilè autem intellectum est, illa esse falsa, & conficta, de quo aliquid videri potest in VI. Synod. Act. 15. & Epiphan. Hær. 65. & Tertull. de Præscr. Hæretic. De novis hæreticis superiùs dictum est, quòd illi etiam voluerunt facere miracula, in testimonium suorum errorum, sed loco illorum confusionem reportârunt.

Hæc omnia inconvenientia & errores hæreticorum indè procedunt, quia hæretici solam S. Scripturam pro infallibili Regula & norma Fidei habent, illam tamen, prout cuiq; placet, ad suos errores confirmandos explicant, in quo quàm gravissimè peccant, nemo non videt, quod sic ostenditur ab Authoribus Catholicis, præcipuè à R. P. Hacki in suo Scrutinio:

Quæritur ex Lutheranis, Calvinistis, Zwinglianis, Confessionistis, Socinianis, Anabaptistis, & alijs pluribus cœtibus, vel habent Fidei suæ certam & indubitatam Regulam seu normam, vel non habent? Si non habent, ergo nec veram, nec certam Fidem habent, cùm Regula seu norma Fidei est fundamentum, & quasi primum principium Fidei, sinè quo quæcunq; Fides vel falsa, vel nulla Fides, ut per se patet. Si habent dictam Regulam seu normam Fidei, producant illam. Respondent omnes superiùs citati, Verbum DEI scriptum, seu S. Scripturam se habere pro Regula seu norma Fidei: omnes enim pro suis erroribus S. Scripturam adducunt.

Quæritur Secundò ex uno cœtu, v. g. Lutheranis: Hæc quam sibi adscribunt Regula Fidei, scilicet Verbum DEI scriptum: vel est solis Lutheranis serviens, & illis solis appropriata, cum exclusione aliorum cœtuum superiùs nominatorum, ab illis diversorum in Fide, quos Lutherani reijciunt, & erroris, immo hæresis damnant, vel non est illis solis serviens? Si non est illis solis serviens, sed etiam alijs diversis cœtibus à Lutheranis, Ergo Lutheranorum Fides non est sola & unica vera Fides, nec sola & unica vera Christi Ecclesia,

clesia, sed etiam aliæ Fides, præter Lutheranorum, erunt veræ Fides & Ecclesiæ Christi: siquidem eidem fundamento & principio, nempè S. Scripturæ, tanquam Fidei Regulæ innituntur, estq; hæc Regula illis appropriata, æquè ac Lutheranis. Ergo ulteriùs hæ à Lutheranis diversæ Fides erunt simul veræ & falsæ. Falsæ, quia eas tanquam falsas reijciunt, erroris q; ac falsitatis damnant, anathematizant, nec ullam cum ijsdem Fidei communionem habent, nec habere volunt. Erunt verò simul veræ, æquè atq; illa, quia eandem Regulam pro Fidei fundamento & primo principio habent, adeòque exindè consequitur quædam nullitas illarum Religionum, ex Contradictionis implicantia.

Quòd si verò dicant, Verbum DEI scriptum non esse alijs Religionibus, à Lutherana diversis, normam & Regulam Fidei, sed solis illis, scilicet Lutheranis, servientem & appropriatam, incumbit Lutheranis onus id probandi certo, infallibili, seu Apodictico Argumento; siquidem Calvinistæ, Sociniani, Anabaptistæ, seu Memnonistæ, Quakeri, &c. quin & antiquæ hæreses, Verbum DEI scriptum pro unica Fidei norma & Regula habent, ut SS Patres testantur. Augustinus lib. 1 contra Maximum in princip. item lib. de Nat. & Grat. cap. 19. item lib. de Hæres. cap. 41. item lib. contra Adimantum, Manichæi discipulum, & Basilius lib. de Spiritu S. c. 25. & 29. Concil. Chalcedon. Act. 1. Athanas. Orat. 2. contra Arianos, Hilar. lib. 5. & 11. de Trinit. Theodoret. &c.

Respondebunt Lutherani, illis solis hanc Fidei Regulam convenire, & nulli alteri Sectæ: siquidem illi soli ex eadem veros, & eidem Regulæ conformes Articulos Fidei, de DEO, de Christo Domino, de Sacramentis, de Fide, de Operibus, deq; cæteris rebus deducunt, quod alij haud faciunt.

Verùm è contrà est. Hoc ipsum Lutheranis probandum manet: siquidem eodem modo & jure dicunt Calviniani pro se, Sociniani quoque, ac Anabaptistæ, & Quakeri, immo & veteres hæretici, quòd illi veros, atq; eidem Regulæ conformes Articulos Fidei, de DEO, de Christo Dño, de Sacramentis, de Fide, cæterisq; rebus deducant, qui tamen Articuli pleriq; toto Cœlo dissident ab Articulis Lutheranorum, ex eadem S. Scriptura deductis. Igitur

Quæritur Tertiò ex Lutheranis: An habeant certum & infallibile, ac irrefragabile Argumentum, quo demonstrent ad oculum omnibus prædictis à se dissidentibus Sectis, quòd illi soli ex S. Scri-

ptura, tanquam illorum unica Fidei Regula, suos Fidei Articulos rectè & infallibiliter, conformiterq; ad eandem Fidei Regulam deducant: id verò non faciant ab illismet diſſidentes Sectæ? Si non habent, ergo fruſtrà, & ſinè ratione id aſſerunt; ſi autem habent, quodnam illud eſt?

Reſpondebunt, quòd illi ſoli verum S. Scripturæ ſenſum & interpretationem habeant, quia ad S. Scripturam exponendam, adhibent Regulas rectæ interpretationis, ut v. g. de Cæna Domini Lutherani dicunt, quòd ſit Sacramentum Novæ Legis, in quo Caro Chriſti cum pane ſumitur: Calviniſtæ non Carnem ſumi, ſed figuram Carnis, alij alias adferunt plurimas interpretationes, licet Calvinus in hoc fuerit varius, ut in Diſcurſu de Euchariſtia oſtendimus. Modò quæritur ex Lutheranis, vel Calviniſtis, & alijs cœtibus, quo Argumento demonſtrabunt hiſce omnibus & ſingulis, quòd illi malam habeant S. Scripturæ interpretationem & applicationem ad Articulum de Cæna Domini, malamq; aliorum Scripturæ locorum collationem, jam autem ipſi ſoli habeant rectam & infallibilem?

Recurrent fortè ad Originarios textus fontesvè, ad radices Sacrarum linguarum, ac etiam ad hos Calviniani, Sociniani, cæteriq; refugiunt. Provocabunt ad legitimas conſequentias & illationes, vel ad ſpiritum, ſeu in ipſis Scripturis latitantem & hærentem, ſeu privatum per interna uniuſcujuſq; criteria; & illi æquè ad hunc, atq; ad illas appellabunt: quòcunq; ſeſe vertant, veſtigia prementes, aut etiam præcurrentes habebunt adverſarios.

Quapropter tali omnes Diſſidentes franguntur Argumento: Vel neceſſe eſt, ut certo & evidenti, ſeu Apodictico Argumento probent, quòd S. Scriptura ſit illorum, v. g. Lutheranorum ſolùm, nec aliorum certa & infallibilis Fidei Regula; & hoc quidem nunquam præſtabunt: quidquid enim pro ſe attulerint, illud etiam aliæ diſſidentes ab ijs Sectæ in ſuum derivabunt uſum, ſuiq; juris facient, nec certò & evidenter convinci poterunt, quòd malâ aut nulla Fide, dictum jus ſibi uſurpent. Vel ſi id non poſſunt probare, neceſſario conſequitur, illas Sectas, quas damnant & reijciunt, æque eſſe veras, atque ſuam; ſiquidem æquali jure ſua dogmata ex communi Regula Fidei probant, adeòq; exindè ſequetur quædam nullitas in Fide, ob manifeſtam implicantiam contradictionis in adjecto, ut vocant. Sic etenim erunt omnes veræ Evangelicæ Chriſti Fides, quia omnes eâdem infallibili Regulâ utuntur, ex eaq; ſua dogmata & Articulos dedu-

deducunt, & nulla erit, quia dum una ſe veros Articulos Fidei legitimè deducere, ex illa Fidei Regula ſibi adſcribit, id altera negat, nullaq; demonſtrare poteſt infallibili Argumento, quo altera non poſſit legitimè uti, Scripturam S. de Jure ſuæ potiùs Fidei Regulam eſſe, ſibiq; ſoli eam competere, nec ulli alteri. Qua in re quanta ſit implicantia contradictionis, nemo non videt.

Quod ſi Diſſidentes tantum contradictionis abſurdum admittere nolunt, aliud neceſſariũ conſequens neceſſe eſt admittant. Nempè, quòd præter Scripturam detur alia Regula Activa, regulans, ut ita dicam, S. Scripturam, ad hoc vel illud regulatum, hoc eſt Fidei Articulum. Ratio eſt, cùm enim ſint Correlativa, Regula Regulans Regulatum, unumq; ſinè altero (quæ natura Correlativorum eſt) eſſe nec concipi poſſit, cùmq; ſimul & ſemel Regula & Regulans, ſeu quæ applicetur & applicet illam, ut ita dicam, paſſivam Regulam S. Scripturam, non poſſit eſſe S. Scriptura ipſa, & ſola, ut jam demonſtratum eſt, & inſuper, ſi quisq; prudens rem penitùs ſincerè, ſinè ullo fuco aut dolo conſideret, agnoſcet, quòd dum omnes & ſinguli ſolam S. Scripturam, Fidei ſuæ Regulam & regulantem aſſerunt, reverà ipſimet ejusdem ſunt, quodammodò Regulæ regulantes, ſeu applicantes, & dirigentes illam, Scripturam ſcilicet explicando, & applicando ad hos vel illos Fidei Articulos, aliter & aliter quisq; pro ſuo genio & ingenio. Hinc eſt, quòd in Chriſtianitate tot ſint ortæ Sectæ, nec erit finis illarum, ſicut nec eſt finis ingeniorum in S. Scriptura rimantium & ſcrutantium, illamq; pro libitu ſuo interpretantium. Cùm igitur non poſſit ſola S. Scriptura ſimul & ſemel eſſe Regula & Regulans, ideò omninò neceſſe eſt, ut præter S. Scripturam, tanquam Regulam Paſſivam, admittatur Activa, ſeu alius Regulans, qui nimirùm dictam Regulam, id eſt S. Scripturam, applicet ad hoc vel illud Regulatum, ſcilicet Articulum Fidei; adeòque qui ſit ſimul interpres ſensûs Scripturæ, Judex Controverſiarum Fidei certus & infallibilis, atq; easdem dirimens, & componens infallibili decretoriâ ſententiâ, aliàs neceſſariò ſequitur dicta nullitas omnium diſſidentium Religionum Neo-Evangelicarum.

Si enim omnes & ſingulæ S. Scripturam pro ſuæ Fidei unica Regula & Judice admittant, conſequens eſt, omnes & ſingulas eſſe Evangelicas & Orthodoxas. Etenim unaquæq; non aliam rationem ſuæ Fidei adfert, quòd ſit verè Evangelica, quàm Scripturam: nulla alio principio probat, quòd purum Verbum DEI prædicet, quod legitimè

gitimè Sacramenta administret, quòd legitimè vocatos Ministros habeat, quòd Symbolum seu Confessio suæ Fidei sit Orthodoxa, quòd item Catechismus orthodoxus, quòd jus habeat Ecclesiam reformandi, & sexcenta alia, quæ in Fidei quæstionibus adferri possent, quàm hoc unico principio, S. nimirùm Scripturâ, quia scilicet est conformis Regulæ & Judici credendorum Scripturæ, quia est ex Verbo Dei scripto sumpta, quia concordat cum S. Scriptura, &c. Hoc enim dicunt Lutherani, hoc Calvinistæ, hoc Sociniani, hoc Mennonistæ, hoc Quakeri, hoc Confessio Evangelica purior, hoc dicebant & veteres rejecti ab Ecclesia hæretici, ut suprà innui.

Undè sequitur, quòd uni eidemq; soli principio ultimo resolutorio S. Scripturæ innitentes præfatæ Sectæ, sunt simul veræ & falsæ in ratione Fidei. Sunt veræ, ut quælibet earum de se supponere vult: sunt falsæ, quia ex eodem principio Scripturæ toto Cœlo sibi opposita & contraria credunt. Adeòq; per consequens vel nullam esse Fidem in Orbe terrarum, vel Ecclesiam esse Chimæram, (qualis mons in Africa varijs coopertus bestijs & monstris denominatur) Monstrum quoddam horribile, tot diversissimis Religionibus, in essentia credendorum, coadunatis tamen in unum, permittiq; posse Licentiosissimum Libertinismum, quo liberum cuiq; sit, tenere Fidem quam vellet, siquidem omnes ex uno principio essent veræ.

Si horres tam horrendum, & refugis utrumq; contradictionis extremum, necesse est, ut agnoscas, quòd aliqua sit Fides, quæ de facto debet esse vera, & verè Orthodoxa, nec potest esse alia nisi Catholica, id est Universalis; illa, inquam, quæ sese equidem in eodem DEI Verbo fundat, at quod utramq; æquè complectitur paginam, Scriptam nimirùm & Traditam; verbo, quod & calamo Scribæ velociter scribentis, & vivæ, atq; animatæ vocis oraculo loquitur. Verbo, quod se non solâ sinit mortuam circumscribi literâ, sed & vitali voce de aure in aurem audiri, & velut de manu in manum tradi exambit.

Certum est enim, apud omnes unamquamq; rem in eadem principia, causas, rationesq; formales resolvi, ex quibus componitur seu constituitur. Igitur & Fides, & quivis Articulus Fidei resolvi debet in ea principia, causas, & rationes, ex quibus constituitur, adeòque datur aliquod ultimum resolutorium Fidei.

Porrò hoc resolutorium Fidei, nullo modo est solum illud principium, à Diffidentibus assumptum, nimirùm S. Scriptura &
Spiri-

Spiritus Sanctus, (ad quem ultimatè plerumq; recurrunt) ut suprà ostensum est.

Hinc itaq; Fides necessariò in hæc duo Principia resolvi debet, quod signum est, ex eisdem etiam constitui; nimirùm: Primum principium est formale intrinsecum, omnibusq; notum, Dictio, Locutio, seu Revelatio DEI, Veritatis primæ & essentialis, & hoc aliter dicitur Regula Fidei: Secundum formale quidem, sed extrinsecum motivum, magisq; notum, qui illius intrinseci explicativum, applicativum, & declarativum (quod nos aliàs Regulam activam, vivam, animantem, seu Regulantem dicimus) est, videlicet Ecclesia Catholica. Hoc ipsum ita ostendo. Omnis Articulus Fidei potest resolvi in hanc argumentationem, quam in se includit, saltim virtualiter. Statuamus v. g. hunc Fidei sic Articulum: DEUM esse Unũ in Essentia, Trinum in Personis, est credendum. Hunc Articulum Fidei resolves: Omne quod DEUS, Veritas prima & essentialis, revelavit, (adde, si placet, ad tollendam æquivocationem, etiam in Verbo Scripto) est de Fide verum, adeóq; credendum, tenendum, Atqui DEUM Unum in Essentia, Trinum in Personis, DEUS, Veritas prima & essentialis, revelavit in Verbo Scripto, Ergo DEUM Unum in essentia, Trinum in Personis esse, est de Fide verum, adeòque credendum. &c.

Major Propositio est tam Orthodoxis, quàm heterodoxis certissima, adeóq; nec ulteriùs probanda, quia ex ipsis terminis nota. Minorem probabis, v. g. illo 1. Joan. 4. Textu: *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*; item Matth. ult: *Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. &c* Sed quia hæretici, tam antiqui, quàm recentes, ex his verbis S. Scripturæ Trinitatem non agnoscunt, ut Ariani, Photiniani, Sociniani, Sabelliani, Mennonistæ, Trideitæ, aliter atq; aliter; Orthodoxi verò Catholici ex hoc loco S. Scripturæ per Tres, Trinitatem Realem distinctarum Personarum: per Unum, Unitatem Essentiæ & Naturæ Divinæ intelligunt. Hinc Orthodoxis manet demonstrandum, quòd illi soli dicta verba benè & legitimè intelligant, cæteri secùs. Et ad hoc quidem demonstrandum, non sufficit ad solam S. Scripturam, ejusq; interpretationem, aut spiritum privatum, ejusq; criteria recurrere: nam heterodoxi ad eadem omnia recurrunt, suosq; illorum quivis privatos eruit sensus, adeóq; nondum tolletur dubium, necdum cessabit controversia, adhuc sub

Judice lis erit. Potiùs igitur dicta Propositio Minor resolvenda erit in aliud Principium formale motivum, extrinsecum, magisq; notũ, atq; illius Principij formalis intrinseci applicativum, explicativum, declarativum; nempè in Ecclesiam Catholicam, tanquam Magistram, Interpretem, & Regulantem. Quod tali modo facies:

Hoc idem probat Chr. Dreierus. Vide suprà pag. 211. & 12 & seq. & tanquam infallibilem Regulam Fidei Cath. adducit, quâ deficiente, necesse est Schismata & hæreses multiplicari.

Omne quod Ecclesia Cathol. revelâsse in S. Scriptura DEUM intelligit, confitetur, & docet; DEUS Veritas prima revelavit in Scriptura, adeòq; est credendum.

Atqui DEUM Unum in Essentia, Trinum in Personis, in dicto Joannis Textu, alijsq; Ecclesia Cathol. intelligit, confitetur, ac docet.

Ergo DEUM Unum in Essentia, Trinum in Personis, DEUS Veritas prima revelavit in Scriptura.

Si revelavit, ergo est credendum: quia omne, quod DEUS Veritas prima revelavit, est credendum, siquidem illud revelatum esse in dicto Scripturæ loco, Ecclesia docet & proponit. Et hic terminus esto immotus cunctis. Vides, hîc illud primum Fidei Principium resolvi in aliud tanquam magis notum, scil. Ecclesiam, tanquam illius declarativum, explicativum, & applicativum, ad dictum de S. Trinitate Articulum Fidei, tanquam Regulatum? Undè si ab utrinque, tam à nobis, quàm à Dissidentibus, Major Propositio admittatur, tanquam certa & infallibilis, facilè omnis Fidei Controversia cessabit, nec jam lis sub Judice erit. Etenim concessâ Majore, suâpte naturâ, consequitur & Minor, & Conclusio tanquam certa. Nam DEUM Unum in Essentia, Trinum in Personis, ex allatis, alijsq; pluribus Scripturæ locis deducere Ecclesiam Catholicam, constat ex Concilijs, SS Patribus, & Doctoribus Ecclesiæ, ac deniq; unanimi, perpetuaq; ac universali consensione Orthodoxorum, si paucos excipias heterodoxos, qui suo proprio sensui & arbitrio innitentes, segreges ab Ecclesia facti, ac proindè pro hæreticis habiti. Porrò Ecclesiam Cathol. in Concilijs, SS Patribus, unanimiq; ac perpetua, & universali consensione, ex Scriptura Trinitatem Personarum deducere.

Modò iterum quæritur ex Lutheranis & Calvinistis, alijsq; qui Trinitatem credunt nobiscum & agnoscunt, vel admittunt hoc Principium formale motivum extrinsecum, magisq; notum, atq; illius prioris Principij formalis intrinseci, applicativum, explicativum, declarativum, nempè Ecclesiam Cathol. ejusq; authoritatem, quæ in assisten-

assistentia Spiritûs S. est Magistra, Interpres, & Regulans, & admittunt illam Majorem authoritate Conciliorum, SS. Patrum consensu firmatam, quæ talis fuit: Omne quod Ecclesia Cathol. DEUM revelâsse &c. ut suprà. Si admittunt hanc unam, debent omnes alias similes ejusdem Ecclesiæ Propositiones admittere in alijs Fidei Articulis, & in hæc duo Principia resolvere, cùm ex eodem Principio alios Articulos nobiscum credunt, ut: Spiritum S. esse DEUM, Processionem ejusdem Spiritûs S. à Patre & Filio, Duas Naturas in Christo, Beatissimam, quòd sit Mater DEI; si non admittunt, quomodo Arianorum, Sabellianorum, Trideitarum, &c. &c. varias interpretationes de Trinitate, vel potiùs errores effugient?

Ex his clarè patet, quomodò soli Catholici, Articulos Fidei cùm resolvunt in auctoritatem Ecclesiæ Cathol. & Conciliorum, SSq; Patrum consensum, resolvunt illos consequenter in auctoritatem Divinam, cùm Ecclesia Cathol. Concilia Generalia, & SS. Patres, habeant continuam assistentiam Spiritûs S. *contra quam non prævalebunt portæ inferi.* Dissidentes verò omnes in solam S. Scripturam resolvunt, quam pro libitu suo explicantes & regulantes illam, prout cuiq; placet, per spiritum privatum, qui alius est Lutheranorum, alius Calvinistarum, & alius aliorum plurimorum cœtuum.

Discursus Theol.

De Motivis, propter quæ debent relinqui privati Cœtus omnium Protestantium.

EXpendamus causas, si justæ fuerint, quare Populi Germaniæ, Angliæ, Hollandiæ, recesserunt ab Ecclesia Cathol. Rom. Primò in Germania, primam recessûs Protestantium causam fuisse gravem Lutheri iram & offensionem in Pontif. Romanum, quòd in prædicatione solemni Indulgentiarum Apostolicarum æmulis assumptis, ipse Lutherus neglectus; placuerunt ipsi Indulgentiæ, quas prædicare ambiebat, & non semel prædicabat; placuit Fides Ecclesiæ Romanæ, quam semper tenuit, & publicè prædicavit; displicuit suæ personæ contemptus, qui illum in furias egit, ut illum vindicaret, omnia in Ecclesiam probra excogitanda & evomenda erant, undè ipsemet fassus est: *Hæc res non propter DEUM incæpta est, nec propter DEUM finietur;* nempè, propter lucrum temporale, quod spera-

ſperabat Lutherus ex quæſtu Indulgentiarum non modicum proventum, quem poſteà & ſibi, & Suis conceſſit per amplam indulgentiam, injciendi manus in bona Eccleſiaſtica & ſupellectilem.

In Anglia invaſit Henricum VIII. Angliæ Regem, libido repudiandi legitimam Conjugem, & ducendi Bolenam. Obſtat Pontifex Regis libidini, anathematis pœnas intentat, quas ut effugiat Rex, & Bolenam retineat, excutit jugum Pontificis, advocat hoſtes Eccleſiæ Romanæ, opima illius ſuis aſseclis in prædam exponit. Res mira, per tot Sæcula in toto Regno, ſicut in alijs, Fides Romana ut Sancta & vera colebatur & defendebatur, & ideò Anglia Sancta, ob Fidem Sanctam paſſim dicebatur, & ecce, ſubitò in Germania ob quæſtum Luthero ſubreptum, in Anglia ob libidinem Regis in Bolenam, contra Jura Divina & humana, proclamata eſt erronea. Simili prorsùs modo & causâ hæreſis Batavica exordium habuit, niſi quòd in Anglia Regis in Pontificem, in Belgio Principis in Hiſpanos offenſio, hæreſis cauſam miniſtravit. Illi ergo, qui ob prædictas cauſas receſserint ab Eccleſia Cathol. Romana, imaginantur ſe eſſe in nova quadam, de qua ignorant, inter tot vix numerabiles Sectas, ubi hoc tempore ſubſiſtat, aut ubi delituerit per mille annos, ab Anno quingenteſimo, quo defeciſſe Eccleſiam veram fingunt, usq; ad Lutherum An. 1517. reſuſcitatam ſomniant, ſcilicet per Lutherum, Zwinglium, Calvinum.

Hanc tamen Eccleſiam imaginariam, volunt omnibus adeò notam eſſe, licet dicant inviſibilem, ut quisq; debeat relictâ Eccleſiâ Romanâ ad eam convolare, cùm illam ignorent ubi ſit, nam vident ſuos cœtus penè infinitos, ætate, numero, authoritate, exiles, & vix in aliqua parte conſpicuos, tamen præ omnibus ſapere Majores ſuos docere, & totam antiquitatis ſapientiam, authoritatem illi cedere debere, dicunt enim, errârunt Patres etiam illorum 500. annorum. Sic Lutherus & Calvinus. Ergo ſi errârunt SS. Patres & Eccleſiæ Doctores, *quos Spiritus S. poſuit regere Eccleſiam DEI*, quomodo non debuit errare Lutherus & Calvinus? ergo vana eſt Fides Lutheri & Calvini, cùm illam habeant à SS. Patribus, quos fingunt erráſſe: undè ſpretis SS. Patribus, pro Regula Fidei ſuæ & intelligentia Scripturarum, proprij capitis ſenſum ſubſtituunt. Sic non mirum, quod non habeant unam Fidem, ſed in tot Sectas ſcindi, nec de neceſſarijs ad ſalutem fundamentum inter ſe invenire: quo pacto ergo poterunt coram DEO & Tribunali illius excuſationem ſuæ pertinaciæ locum invenire?

ad Epheſ. 4

Jactant

Jactant quidem, ſuas Sectas cum Græca Eccleſia ſemper convenisse. Sed fruſtrà. Nam Græca Eccleſia ad annum circiter 869. cum Eccleſia Romana conjuncta fuerat, quo tempore nec de Luthero, nec de Calvino ſomniatum eſt; nec modò etiam Græci Lutheranos & Calviniſtas pro Fratribus agnoſcunt, nec unquam agnoverunt, immo in ſuis Scriptis illorum errores fortiter oppugnârunt, ut patet ex Cenſura Confeſſionis Auguſtanæ, quam Jeremias Patriarcha Conſtantinop. multis erroribus refertam repudiavit. Nam Eccleſia Græca, licèt receſſerit ab Eccleſia Romana, tamen multos cum Eccleſia Romana tenet Articulos, ut v. g. Sacramenta, Miſſæ Sacrificium, Interceſſionem Sanctorum, veram & realem præſentiam Chriſti Domini in Euchariſtiæ Sacramento, ſub ſpeciebus panis & vini, vide ſuprà pag. 484. Confeſſionem Sacramentalem, Orationem pro defunctis, Jejunium Quadrageſimale, Monachatū, &c. Miſera hæc concordia cum Græcis, cùm hæc omnia Proteſtantes rejiciant. Miſera ſanè, cùm Matrem ſuam dereliquerint, nullibi terrarum pro Fratribus agnoſcuntur, nec ipſimet ſibi ſunt Fratres, in tot Sectas & Schiſmata diviſi. Politicam tantùm quandam inter ſe habent concordiam, cùm ſæpiùs dicant Lutherani, mallem fieri Papiſta, quàm Calviniſta; & Calviniſtæ dicunt, mallem fieri Papiſta, quàm Lutheranus.

Hæc quicunq; legis, redi ad mentem ſanam, intra in veritatis Sacrarium, audi ſinceros primitivæ Eccleſiæ Doctores, ex quorum doctrina ſalus tua æterna dependet, acquieſce Judicibus primævis quingentorum annorum, quos veridicos non ſemel Lutherus & Calvinus agnovit, licèt coram indocta plebe, ad illam decipiendam, & ſeipſos firmandos, contumelijs affecerint, quos non dubitas per rectam Fidem ſalutis metam apprehendiſſe; è contra verò erroneam Novatorum viam reijce, quam Antiquitas ignoravit, quæ habet cum omnibus Sectis antiquis commercium, quam Sacrarum literarum Oracula condemnant, quam ratio ipſa præcipitem ad æternam damnationem, ut jam per totum librum vidiſti, oſtendit. Sed dices: Miniſtri noſtri alia, quàm Patrum libri clamant. Sed quid indè? neſcis, quòd Veritas non eſt clamoroſa. Numquid & Lutherus non clamavit? quid Calvinus, quid Zwinglius, quid Carolſtadius contra Lutherum? immo ipſimet contra ſeipſos nonnè clamârunt? Sed audiſti, & legiſti, quàm indigna clamârunt. Neq; Miniſtri ſunt Doctores tui, quos DEUS nullo modo poſuit ad regendam Eccleſiam,

sed deceptores, & ipsi seipsos intruserunt. Scis quare? quia contra Ecclesiam Cathol. Rom. magno stipendio, & amplis Ecclesiæ possessionibus, copioso auro & argento Ecclesiæ conducti sunt: his familiam sustentant, uxores suas ornant, filias elocant, pro familia sua, non pro salute tua laborant; tuam verò salutem negligunt, credas quidquid velis? salveris vel condemneris? parùm, vel nihil curant, modò spolijs Ecclesiæ Catholicæ fruantur, & habeant suam temporalem commoditatem. Nec dubito, quin multi hæc contra suam conscientiam faciunt, quæ illos sæpiùs ut rabidus canis mordeat; attamen sic pereunt in his angustijs manentes, ex una tortura ad aliam infelices transferuntur. Non dubito etiam, quòd multi sint, qui Veritatem Catholicam agnoscant, tamen ob varios respectus, & humanas rationes, puta timorem, pudorem, respectum Parentum, Consanguineorum, suas hæreses deserere nolunt: at major præ his omnibus debet esse respectus, salus animæ tuæ.

Antilogiæ Lutheri in materia Fidei.

Quæ omnes Protestantes in plurimas Sectas diviserunt: nam Lutherus, cùm apud illos æqualem habuerit auctoritatem, tam affirmans, quam negans eadem dogmata, alij negativa, alij affirmativa de ijsdem rebus, illius secuti sunt placita, & qui secuti sunt negativa, quare etiam non affirmativa? nam utrumque ex ore illius processit.

1. Septem ponenda Sacramenta. Lutherus de Potest. Papæ.
Tantùm tria sunt Sacramenta pro tempore ponenda. Luth. de Captivit. Babil.
Duo tantùm sunt Sacramenta. Lutherus ad Waldenses.
2. Baptismus omnia peccata remittit. Luth. in Capt. Bab. de Bapt. In puero post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum simul & Christum conculcare. Luth. in Assert.
3. Confirmatio est Sacramentum. Luth. de Potest. Papæ.
Mirum, quid illis in mentem venerit, quòd Sacramentum Confirmationis fecerint. Luth. de Captiv. Babil.

4. In Sacramento Altaris non est panis & vinum, sed species panis & vini. Luth. in Serm. de Eucharist.
Thomistica doctrina est, transubstantiari panem & vinum. Luth. de Captiv. Babil.

5. Sicut panis & vinum transubstantiatur, ita & nos in Spirituale Corpus transmutamur. Luth. in Serm. de Eucharist.
Impius & blasphemus est, si quis dicat, panem transubstantiari. Luth. lib. contra Regem Angliæ.

6. Missas pro vivis & defunctis valere, tota approbavit Ecclesia. Luth. de 10. Præceptis.
Impijssimus usus est in Ecclesia, persuaderi, Missam esse opus bonum & Sacrificium. Luth. de Captivit. Babil.

7. Sacerdotes honorandi sunt à Subditis. Luth. in Decalog.
Nullum est in Novo Testam. Sacerdotium. Luth. de Capt. Babil.

8. Confessio Auricularis in Ecclesia, etsi ex Scriptura probari non possit, utilis tamen est, immo & necessaria. Luth. de Capt. Babil.
Nos fatemur, in Papatu &c. veras Claves in remissionem peccatorum. Luth. Epist. ad Anabapt.
Confessio Auricularis est fictio hominum. Luth. de 10. Leprosis.

9. Matrimonium in Ecclesia DEI Sacramentum est. Luth. de Potestate Papæ.
Matrimonium &c. merum ludibrium factum est. Luth. de Capt. Babil.

10. Ordo in Ecclesia Dei Sacramentum est. Luth de Potest. Papæ.
Sacramentum Ordinis Ecclesia ignoravit, inventumq; est ab Ecclesia Papæ. Luth. de Captiv. Babil.

11, Extrema Unctio Sacramentum est. Luth. de Potest. Papæ.
Si usquam deliratum est in Extrema Unctione, nunc præcipuè deliratum est. Luth. de Captiv. Babil.

12. Si potestas Papæ non esset à DEO, nec Jure Divino, tam diu subsistere non potuisset. Luth. de Potest. Papæ. NB.
Certus sum, Papatum Regnum esse Babylonicum.

13 Vita Christiana credere & diligere, at diligere nihil est, nisi benè facere. Luth. de 10 Leprosis
Sola Fides Christi necessaria, quâ justi simus, cætera liberrima, neq; præcepta amplius, neq; prohibita. Luth. ad Galat. Cap. 2.

14. Ecclesia errare non potest. Luth. de 10. Præceptis.

15. Ideò positi sunt Canones Patrum, ut dirigant populum. Luth. in 10. Præcepta, cap. 5.
Neq; Papa, neq: Episcopus, neq; ullus hominum habet jus unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem. Luther. de Captivit. Babil.

16. Rectè conclusi, Meritum Christi thesaurum esse Ecclesiæ, & Sanctorum meritis juvari, certum est. Luth. Conclu. 10. contra Eckium.
Pro meritis S. Petri, ne unum quidem obulum darem, ut me adjuvarent, quia se ipsum juvare non potest. Luth. in Art. 4. 9. 6.

17. Contra veritatem Apostolicarum Veniarum qui loquitur, sit ille anathema & maledictus. Luth. in Resolut.
Indulgentiæ nihil sunt, nisi Rom. Pontificis imposturæ. Luth. de Captivit. Babil.

18. Non solùm credo, sed etiam certissimè scio, Purgatorium esse. Luth. in Disput. Lipsiensi.
Tutius est, totum Purgatorium negare. Luth. de abrogan. Miss.

19. DEUS nobis liberam voluntatem contulit, cur tu illam liberam non permittis? Luth. in explicat. Orat. Dominicæ.
Liberum Arbitrium figmentum est in rebus, seu titulus sine re: Sed omnia, ut Wiclephi Articulus Constantiæ damnatus rectè docet, de necessitate absoluta eveniunt. Luth. in Assert. Art. 26.

20. Sæpè nullus vir in Concilio est, qui Divinum Spiritum vel modicum olfecerit, sicut contingit in Concilio Nicæno, ubi de uxoribus Sacerdotum agebatur. Luth. in Serm. Attendite à falsis Prophetis.
Concilijs nihil derogo. Sed omnium fuit Sanctissimum Nicænum. Luth. in Disput. Lipsienti.

Calvini Antilogiæ.

Etiam Calvinistæ per hanc contradictoriã doctrinam Calvini de eadem re, in multiplices Sectas scissi sunt.

1. Verbo DEI nulla impossibilitas objicienda. Calvin. ad C. 1. Luc.
Istud somnium de potestate absoluta in DEO, quam Scholastici introducunt, execranda blasphemia est. Calv. ad Cap. 23. Isaiæ.
Etiam ex defectu Omnipotentiæ Divinæ, negat Corpus Christi in SSmo Sacramento.

2. Nomen JESU Christi venerandum esse, ita reputanda est nobis in hoc nomine Divina Christi Majestas, ut reverentiam apud nos obtineat, quæ unico debetur & æterno DEO. Calv. ad Matth. Cap. 1.

Plus

Plus quàm ridiculi ſunt Sorbonici Sophiſtæ, qui ex præſenti loco, *ut in nomine JESU omne genu flectatur*, genu flectendum eſſe colligunt, quoties nomen JESU pronunciatur. Calvin. ad Cap. 2. Epiſt. ad Philip.

3. In Sacra Cæna miraculum agnoſcimus, quod & naturæ fines, & ſensûs noſtri modum exuperat, dum Chriſti vita nobis fit communis, & ejus Caro nobis in alimentum datur. Calvin. Tract. de Concordia ineunda.

Negat verò contra Aſseclas Lutheri miraculum, quod ſibi, ait, fabricant, quo ſublato evaneſcit DEUS cum ſua Omnipotentia. Calvin lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 24.

Vide plures Antilogias Calvini apud varios Catholicos Authores. Vide etiam Diſcurſum Theolog. de reali præſentia Chriſti in Sacram. Euchariſtiæ. pag. 465. 466. quàm clare & affirmat, & negat Chriſtum in Sacramento Euchariſtiæ.

Depravatio Scripturæ à Luthero.

1. In Epiſt. 2. Petri 1. Fratres magis ſatagite, & per bona Opera certam vocationem veſtram faciatis; Lutherus eraſit hæc tria verba, *per bona Opera*, ut oſtenderet, ſolam Fidem neceſſariam ad ſalutem.

hæretici eradebant ex Scripturis, ſi quid illis contrarium fuit, vide ſuprà S. Hieron. p. 233. circa med.

2. Epiſt. ad Rom. Cap. 30. Arbitramur hominem juſtificari per Fidem; Lutherus addidit *ſolam*, ut excluderet bona Opera: & cùm de hoc reprehenderetur, reſpondit: Sic volo, ſic jubeo.
3. Marci 14. & Luc. Cap. 22. Hoc eſt Corpus meum; pleriq; Sectarij imprimunt, Hîc eſt Corpus meum.
4. Joan. 6. Ego ſum Panis vivus; cum Calvino ſubſtituunt, loco vivus, vivificans.
5. Jacobi Cap. 5. Confitemini alterutrum peccata veſtra; ipſi ponunt, confitemini peccata veſtra erga invicem.
6. Ad Hebræos Cap. 13. Honorabile Connubium in omnibus; ipſi mutant, inter omnes: ut defendant, Matrimonium licitum omnibus, ut Sacerdotibus, Monachis, & Monialibus.
7. Epiſt. ad Epheſ. Cap. 5. Sacramentum hoc magnum eſt; ipſi ponunt, Secretum hoc magnum.
8. Epiſt. 2. ad Theſſalon. Cap. 2. Tenete Traditiones; ipſi ponũt, tenete documenta.
9. Epiſt. 1. ad Corint. Cap. 9. Numquid non habemus poteſtatem muli-

mulierem Sororem circumducendi? Lutherus Sorore minimè contentus, addidit, in uxorem.

In Anglia mutatio libri authentici publicarum precum, quem sibi ab initio pro puro Verbi DEI, & Fidei suæ instrumento Lutherana Secta proposuit. Nam in prædicto libello sub Rege Eduardo & Regina Elisabetha, pro vera Scriptura legebatur Tobiæ Cap. 5. 6. & 8vum, Danielis Cap. 14. & quædam ex 18. ex Ecclesiast. Cap. 46 non pauca. Hæc autem omnia, aliaq; sub Jacobo Rege eadem Ecclesia ex libro publicarum precum tanquam apocrypha, penitùs expunxit, uti apertè ostendit examen libelli publicarum precum prælo datum An. 1610. pag. 30. Cùm ergo Ecclesia Anglicana, quod pro Verbo DEI habuit, postea tanquam apocrypha rejecerit; cùm Lutherus & Calvinus & ad invicem, & cum alijs uterq; pugnavit, truncando, addendo, depravando Scripturas, uti res & occasio exigebat accommodandi se hominibus, tale de illis potest formari Argumentum:

Non potest ex DEI Spiritu ille loqui, qui vel semel in doctrina Fidei sibi & alijs contradicit. Sed tales fuerunt Lutherus & Calvinus, qui ad invicem sibi contradicebant, & uterq; contradictoria asserebat. Ergo non potest Lutherus & Calvinus loqui ex Spiritu Divino. Si enim in illis contradictio & depravatio Scripturarum reperiatur, in cæteris omnibus tota Scripturæ Fides evanescit, cùm ipsi maximè Scripturam ubiq; crepent: non autem potest veritas fundari in depravata & truncata Scriptura. Adde, quòd Lutherus sæpiùs pro sua doctrina timuit æternam damnationem, dicens: *Quam sæpè mihi cor palpitavit, tu solus sapiens, &c. quod Christiana Ecclesia decrevit, totq; annos credidit, tu tanquam falsum evertis.* Ergo non Spiritus DEI, sed purè Fides humana fuit Lutheri & Calvini, cùm Calvinus etiam fuerit discipulus Lutheri.

Fides purè humana fuit Lutheri & Calvini

Confirmatur. Illa Religio est falsa, quæ continet hæreses ab Ecclesia primitiva damnatas, quam dicunt veram fuisse quingentorum annorum: atqui moderni cœtus Lutheri & Calvini continent hæreses ab Ecclesia primitiva damnatas. Ergo

Minor probatur. Nam Lutherus & Calvinus docent, bona Opera non esse necessaria ad salutem, sed sufficere solam Fidem, & ad hoc depravavit S. Scripturam, eradendo hæc tria verba, *per bona Opera*, & addendo *solam*. At hæc fuit etiam hæresis Simonis Magi teste S. Irenæo lib. 1. cap. 20. & Eunomianorum, olim ab Ecclesia damna-

damnatorum circa An. 350. teste S. August Hær. 54.

Lutheri & Calvini doctrina est, Traditiones reijciendas. & solum Scripturam recipiendam. Eadem hæresis à primitiva Ecclesia damnata est in Ario, Nestorio, Eutychete, Dioscoro, teste S. August. lib. 1. contra Maximum cap. 2. & hos Lutherani & Calvinistæ habent pro hæreticis.

Lutherus & Calvinus negant Sacramentum Pœnitentiæ & Confirmationis; doctrina hæc tanquam hæretica, in Novatianis olim ab Ecclesia proscripta, teste S. Cypriano lib. 4. Epist. 2.

Docet Lutherus & Calvinus, olim visibilem Ecclesiam, posteà perijsse, & illam in suo cœtu tantùm esse; scilicet apud Lutherum, Calvinum, Zwinglium, & alios plures, qui ex Luthero & Calvino prodiêrunt. Sed etiam hic fuit error Donatistarum, teste S. August. de Unit. Eccles. cap. 12.

Docet Lutherus & Calvinus, Venerationem Sanctorum & Reliquiarum, Imaginem Christi, aut Sanctorum, esse idololatriam. Idem asserebat Vigilantius hæreticus, teste S. Hieronymo, & olim Iconomachi, ab Ecclesia damnati, teste Cedreno & Nicephoro de Iconomachis. Sed contrà est: Actor. 19. legimus, quomodo sudaria & semicinctia à corpore Pauli deferrentur ad languidos, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. En quomodo DEUS his prodigijs ostendit, se velle per Reliquias Sanctorū beneficia hominibus conferre, morbos curare, dæmones expellere, eo ipso declarat, se velle in illum finem Reliquias illas in pretio & honore habere. Si credis Scripturæ, lege illam Actor. Cap. 19.

Negat Lutherus & Calvinus, pro defunctis orandum; observandum Jejunium Quadragesimale, aut aliud ab Ecclesia præscriptum. Idem negârunt olim Aetiani hæretici, teste S. Epiphan. & S. August. de Hæresibus cap. 53.

Quid clarius, quàm quòd hæreses olim damnatas, Lutherus & Calvinus docuerunt & renovârunt, & quidem plerasq; ante tempora S. August. annorum 400 cùm tamen ipsi fateantur veram & primitivam Ecclesiam annorum 500. quæ has hæreses damnavit. Cùm ergo Ecclesia vera Sectas prædictas & errores damnavit, damnatos resuscitavit Calvinus & Lutherus, prout Serenissimus Princeps Georgius, Dux Saxoniæ, in sua Relatione de Luthero ad oculum ostendit. Deinde, Calvinus recipit Apocalypsim, ut librum Canonicum, & reijcit bona Opera, quæ sæpissimè recommendat liber Apocalypsis, ut legenti cuiq; patet: Lutherus illum reijcit.

Di-

Dilemmata contra Sectarios.

Quæritur: Vera Christi Ecclesia, estnè fallibilis, an infallibilis? Si respondeat, est infallibilis; quomodo ergo est falsa Ecclesia Romana, quæ ab initio fuerit vera Ecclesia, ut ipsi concedunt. Si dicat, esse fallibilem; undè ergo constat, Lutheri Ecclesiam non esse falsam, si Ecclesia vera possit esse fallibilis, & à Fide deficere, cùm etiam & Calvinus, & Zwinglius, & Servetus, & multi alij dicant, apud se veram Ecclesiam.

2dum. Ecclesia Cath. Romana, à qua Lutherus & Calvinus accepit Scripturam Sacram, vel fuit tum temporis vera, vel falsa? Si dicat, fuisse veram, damnandus est Lutherus, & Calvinus, & omnes asseclæ, quòd à vera Ecclesia recesserint. Si dicat, fuisse falsam, quomodo constat Luthero & Calvino, quòd habeat veram, & non falsam Scripturam, cùm eam à falsa Ecclesia acceperit; quomodo gloriari possunt, quòd purum Verbum DEI habeant?

3tium. Donum miraculorum, vel est certum signum Ecclesiæ, vel non est. Si dicas, non esse certum signum, accusas Christum fraudis, qui miracula pro signo certo & indubitato proposuit Marci 16. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur &c. &c.* Deindè, quomodo ipsum Christum Filium DEI, quomodo Apostolos ut certos veræ Fidei præcones admittes, si omnia omnium temporum miracula excludes, debebis negare, verum DEI cultum fuisse in Synagoga, quem DEUS per miracula Prophetarum, & multa signa probavit; hîc certò vacillabis, hîc prima fundamenta Fidei convelles, & ad quendam atheismum inclinabis. Si miraculorum notam, ut certum Fidei veræ fundamentum non admittes, insultabunt tibi Pagani, insultabunt Judæi & Turcæ, quòd falsam habeas Fidem, cùm miracula reijcias. Si autem admittas, donum miraculorum certum signum veræ Ecclesiæ, jam clarum erit, solam Ecclesiam Romanam Cath. esse veram, in qua sola, sicut in primitiva, sic in moderna patrantur miracula. Deindè, non possunt Lutherani & Calvinistæ negare, quòd miracula non sint manifestæ Notæ veræ Ecclesiæ; nam Lutherus & Calvinus voluerunt probare veras suas Ecclesias per miracula. Lutherus voluit liberare à dæmone possesam mulierem, in signum veræ suæ doctrinæ: sed frustrà. Nota multis hæc Historia. Voluit nomine Nasenum submersum ad vitam revocare, teste Cochlæo: sed frustrà, teste Staphilo, qui huic actioni interfuit,

terfuit, & testatam reliquit in libro, qui inscribitur, *Absoluta Responsio.* Etiam Lutheri Asseclæ, teste Cochleo, prænunciârunt diem Judicij brevi futurum ad Annum 1533. Calvinus etiam, teste Bolesco, induxit quendam Brulæum nomine, ut se fingeret mortuum, quem cùm vellet ficte suscitare, verè mortuus apparuit, in pœnam fraudis.

Aliud evidentissimum documentum, ad deserendos privatos omnium Dissidentium Cœtus, ex principijs illorum probatur.

Omnes Protestantes hoc unicum pro Fidei fundamento assumunt principium, *quòd scilicet solum Verbum DEI scriptum, seu sola S. Scriptura sit adæquata & sufficiens Regula seu norma, Judexq; Fidei seu credendorum, exclusâ Ecclesiæ Catholicæ Magistrâ, auctoritate & Traditione illius, exclusis Concilijs probatis, SS. Patrum testimonijs consensu perpetuo firmata populorum.* Hâc Fidei Regulâ contra Catholicos pugnant Lutherani, Calvinistæ, Sociniani, Anabaptistæ, Quakeri, ex hoc unico principio, velut fonte, suas unusquisq; cœtus Confessiones, & Symbola Fidei, & Articulos cudunt & conficiunt, tam sibi, sicut Cœlum cum terra, Ortus cum Occasu propinquos. Quæritur ex illis: Si una omnium & singularum, Regula, norma, & Judex Fidei sola S. Scriptura, quod quidem omnes concedunt, dicant, cur non omnium ac singularum eadem Confessio? cur non ijdem Articuli Fidei? cur non eadem Fides omnium ex eodem principio, sed diversæ Confessiones, & Fides plures, & diversi Fidei Articuli, in quibus se ad invicem condemnant & anathematizant: numquid Spiritus S. ut S. Scripturæ Author sit, sibi contrarius? num quod in una Fide affirmat, in altera negat, pluresq; diversas omnibus cœtibus dictat? Pulchrè quidam in hæc absurda ait:

Vna Fides cùm sit, qualem tenuêre Parentes,
Cur nunc tot Fidibus luditur una Fides?
Vnus cùm Fidei sit Iudex Pagina Sacra,
Cur sunt tam multæ, non sinè lite, Fides?

Author Tubæ, suprà pag. 47. vers. 9. ait, quòd Lutherani & Calvinistæ Socinianos, Anabaptistas, Quakeros, & alios (non autem se

ipsos) habent pro hæreticis Sed quòd contra omnem rationem id faciant, nemo non videt: nam si eodem principio, eâdem Regulâ, id est solâ Scripturâ omnes utantur, imò Ariani, Macedoniani, Eunomiani, Pelagiani, Valentiniani, Marcionistæ, Donatistæ (vide suprà pag. 298. & seq.) hoc principio, hâc Regulâ utebantur, non video, quomodo ipsi non incurrant notam hæresis, vel si hæretici nolunt vocari, non deberent esse hæretici, Sociniani, Anabaptistæ, Quakeri, & alij, imò & antiqui hæretici, ut Ariani, Macedoniani, & alij, ut suprà, cùm hi omnes non sensum Scripturæ secundùm explicationem SS. Patrum & Conciliorum, sed Scripturam crepabant pro suis hæresibus, cùm secundùm omnes SS. Patres, veritas Catholica non in legendo Scripturas, sed in intelligendo consistat, ut fusè in Discursu de Traditionibus ostendimus; & hoc est tam clarissimum, ut etiam Christianus Drejerus, Theologus Regiomont. habet, aliàs apud Suos (ut illum vocat Author Tubæ pag. 44. N. 3.) Doctor & Summas Theologorum in Prussia, vide illius sententiam suprà pag. 239. & seq. conformem Ecclesiæ Cath. Romanæ, contrariam verò hæreticam, quæ solâ Scripturâ nititur, secundùm proprium cujusq; sensum, quam si omnes Protestantes effugere volunt, & emergere ex tenebris hæresum, saluberrimam, imò sanissimam, & verè orthodoxam doctrinam ejusdem Christ. Drejeri sequantur, vide illam suprà pag. 211. & seq. aliter (ex charitate Christiana dicimus) cæco modo, & sine omni ratione operabuntur salutem suam, imò certissimam sibi causabunt æternam damnationem, cum Socinianis, Anabaptistis, Quakeris, & alijs antiquis hæreticis, si eodem principio & Regulâ cum illis in credendo procedent, & hoc est tam clarum, ut est clarum, esse Solem in Cœlo, quod sic clariùs ostendo. Peccavit Lutherus, volens sub prætextu Reformationis tollere Cathol. Ecclesiam, per eadem punitus, cùm adhuc vivens vidit alios sibi contrarios Reformatores, suamque Reformationem tolli, aliâ Zwinglio Calvinisticâ Reformatione, uterq; iterum, tam Lutherus, quàm Calvinus, puniti sunt novis Arianis, Servetianis, Socinistis, Menno Anabaptistis, qui ex eadem Scriptura alias illis contrarias Reformatorias confessiones effecêre. Dicent Lutherani, nos id meritò objicimus Romano-Catholicis: idem Quakerus Schewen oggerit Lutheranis & Calvinistis. Peccavit Lutherus & Calvinus, quòd Traditiones Ecclesiæ repudient, quòd præter duo aut unum rejciant cætera Sacramenta Ecclesiæ, tot Sæculis sacrosanctè habita; item Confessio-

Quomodò Veritas Catholica à falsitate hæretica dignoscitur, vide suprà pag. 186.

fessionem Auricularem, Missæ Sacrificium, Altaria, Orationes, Processiones, Vitam castam & cœlibem Sacerdotum & Monachorum, &c. quæ omnia erant antiquæ Ecclesiæ: per eadem puniuntur Lutherus & Calvinus per Quakeros, cùm hi ijsdem recalcitrent, nullas admittentes Traditiones, imò etiam & Baptismum pro Traditione humana habent, atq; ideò eum ut humanam Traditionem reijciunt, non duo, sed nec unicum Sacramentum agnoscunt, Templa, Orationes, Cantum in Templis, Sacerdotium, Confessionem; Præsentiam Sacerdotum in contrahendis Matrimonijs prorsùs reijciunt, Magistratum nullum admittunt, nec Spiritualem, nec Sæcularem, ita ut quisq; sit sibi Sacerdos, quisq; Rex, quisq; omnia. Hæc igitur & similia profundiùs trutinanti, occurrent plura, per quæ DEUS punit Reformatores Ecclesiæ Cathol. Romanæ, Lutheranos & Calvinistas, adeò, ut jam ijs non sit opus Romanam Ecclesiam oppugnare, siquidem jam altero Sæculo in ea oppugnanda laborant, nec tamen expugnare possunt, cùm Christus dixerit: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Potiùs itaq; omnia arma, tam offensiva, quàm defensiva, vertant in Quakeros, in hæc absurda, & si zelum habent Ministri & Prædicantes erga salutem animarum, exerant vires potiùs erga hocce hominum genus, quod sensim ad nullitatem Fidei, imò ad Atheismum devolvitur. Verùm nihil efficient, si solius Scripturæ armis & telis utantur, etenim ijsdem sese defendunt & oppugnant hostes suos Lutheranos & Calvinistas Quakeri. Nemo ergo non videt, quanta mala subsequuntur inter Dissidentes, in gravissima materia Fidei, cùm ex eodem principio & Regula, Sacramenta Ecclesiæ alij probant, alij negant, & alia omnia, ut suprà patuit. Quæ ergo est certitudo Fidei inter Dissidentes & salutis æternæ, prudens & benevolus consideret Lector. *Matth. 16*

Discursus Authoris.

Pag. 27.

MElanchton in Epist. ad Walden. pag. 280. ait: Similitudo Rituum, qui ab hominibus instituti, nequaquam necessaria est: neq; dissimilitudo & varietas Rituum & Cæremoniarum disjungere debet mentes nostras. Confessio Argent. cap. 14. ait: Modò nihil impium jubeant. Confessio Helvet. in Præfat. Art. 17. ait: Diligenter docemus, in quo potissimùm sit sita veritas & unitas Ecclesiæ, ne teme-

temerè Schismata excitemus, & in Ecclesia foveamus, sita est non in Cæremonijs & Ritibus externis, sed magis in veritate & unitate Fidei Catholicæ.

Discursus Theolog.

De vera concordia, in quo consistit inter Ecclesiam Cathol. Rom. & Protestantes, quantum attinet ad Ritus & Cæremonias.

CErtum est. *Primò* Multa esse, in quibus nobiscum adversarij conveniunt. Fatentur enim, aliquas Cæremonias necessarias esse ad Sacramentorum administrationem, præter Cæremonias, quibus continetur Sacramentorum essentia. *Secundò* Dicunt, eas Cæremonias esse adhibendas, quæ habent in Scriptura mandatum vel exemplum, ut Orationes, gratiarum Actiones, Exhortationes, Psalmodias; ista enim fuisse in usu Apostolorum, ut patet ex 1. Corint. 14. & 1. Tim. 2. *Tertiò* fatentur, Ecclesiam posse statuere de his Cæremonijs, quæ habentur in Scripturis, certum ordinem & modū, quæ servari debent, ne fiat confusio. Ita Lutherus lib. de pijs Cæremonijs, & lib. de Formula Missæ. Calvinus lib. 4. Instit. cap. 10. §. 14. Chemnicius in Exam. 2. Part. pag. 171. Deniq; idem probant omnes eorum Agendæ, quas singulæ ferè Ecclesiæ illorum particulares habent. Item Lutherus loco cit. Confess. August. Art. 14. & 26. & Philipp. in loc. cit. de Cærem. & Illyricus in Apolog. pro Confess. Antverp. cap. 10. Et communiter Lutherani fatentur, posse Ecclesiam instituere aliquas Cæremonias, ad eruditionem, & splendorem, & ordinem Ecclesiæ, modò absit obligatio & opinio cultûs. ☞ Calvinus verò lib. 4. Instit. cap. 10. §. 11. dissentit ab his omnibus, & dicit, nullo modo id licere. Idem sentire videtur Brentius in Confess. Wittemberg. Cap. de Cæremon. cum Calvino, licèt fuerit Lutheranus. Idem & Chemnicius satis apertè docet cum Calvino contra Lutherum, pag. 166. Philippus verò tantoperè videtur defendere Cæremonias, ut non dubitaret dicere pag. 22. in Art. 21. Confess. August. *Apud nos magna ex parte veteres ritus diligenter observantur. Falsa enim calumnia est, quòd omnes Cæremoniæ, omnia vetera instituta, in Ecclesiis nostris aboleantur.* Nota Lector, dum Philippus dicit, magna ex parte veteres ritus observantur, & falsam

calumniam, quòd omnes Cæremoniæ, omnia vetera inſtituta aboleantur, fatetur Philippus, quòd aliquos veteres ritus, vetera inſtituta rejecerint Veteris Eccleſiæ: quâ authoritate verò aliquos veteres ritus, vetera inſtituta Veteris Eccleſiæ rejecerint, aliquos retinuerint, & quare hos, & non alios, vel non omnes, cùm tam illi, quos rejecerint, quàm illi, quos obſervant, unius Veteris Eccleſiæ fuerunt, & æquè omnes SS. Patres practicârunt & approbârunt, quisq; judicet. Ergo antiquam Eccleſiam accuſant erroris, cùm illius veteres ritus & inſtituta rejecerint, aliqua retinuerint. Et in his etiam obſervandis aliquibus veteribus ritibus & inſtitutis, quæ ſervari dicit Philippus in ſuis Eccleſijs, teſtes appello ipſos Proteſtantes, ſi ita eſt, ſicut dicit Philippus, ſi obſervantur veteres ritus & Cæremoniæ, de quibus reliquerunt teſtimonia Veteres, Tertullianus, Baſilius, Epiphanius, Auguſtinus, & alij Veteres SS. Patres & Scriptores, de quibus inferiùs.

His præjactis, ponitur Catholica Sententia. Cæremonias aliquas Chriſtus vel Apoſtoli inſtituerunt, quas ex nulla Scriptura, ſed ex ſola Traditione habemus. Hæc probatur fusè à Catholicis Authoribus, cùm de Cæremonijs ſingulorum Sacramentorum agunt; vide Bellarm. Tom. 3. Controverſias generales de Sacramentis. Probatur 1. Corint. 11. *Cætera cùm venero, diſponam*, tamen nihil poſteà ſcripſit de ritu Sacramenti Euchariſtiæ, de quo ibi agebat Apoſtolus, neq; credendum eſt, eum non præſtitiſſe, quod promiſerat. Undè S. Auguſt. Epiſt. 118. affirmat, inter alias Apoſtolorum Leges unam fuiſſe, ut Euchariſtiam jejuni ſumeremus, idq; cum alijs ritibus, quos Eccleſia ſervat. Et Act. 15. *Præcipiens cuſtodire Præcepta Apoſtolorum & Seniorum.* Et Cap. 16. *Tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & Senioribus.* Et 2. Theſſalon. 4. *Scitis, quæ Præcepta dederim vobis per Dominum JESUM.* Ex his clarè patet, aliquos ritus & Cæremonias ordinâſſe, & reliquiſſe Apoſtolos Fidelibus, ut etiam patet de Signo Crucis. Nam plures SS. Patres paſſim affirmant, armandam & muniendam Signo Crucis frontem, contra omnes inſidias dæmonum. S. Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 27. multa enumerat, ac primò Signum Crucis, quæ ab Apoſtolis inſtituta, ad nos ſolâ Traditione, non ſcripta venerunt. Undè & Lutherus, videns tam multos Veteres Patres teſtari de Signo Crucis, voluit in ſuo Catechiſmo, pingi Signum Crucis in fronte & pectore baptizandi, & abrenunciationem Sathanæ in Agenda Saxonica admittit;

Vide plures SS. Patres de Signo Crucis pag. 394

Si pingi Lutherus juſſerat Crucem, cur Signũ ejus rejecerunt Poſteri illius?

mittit; etiam Exorciſmum in Baptiſmo, quem Calvinus lib. 4. In-
NB. ſtitut. cap. 19. §. 24. ut inanem ridet. Sed ridet potiùs Veterem
An. 398 Eccleſiam, & Concilia illius: ridet Carthaginenſe Quartum,
An. 319 Can. 7. Laodicen. Can. 26. ridet SS Patres, & Veteres ferè omnes: Juſtinum, qui in Dialog. cum Triphon. ait: *Illi per nomen JESU Christi adjurati à nobis, parent*; Tertullianum in lib. de Corona Militis; Cyprianum, in lib. ad Demetr. qui ait: *O ſi audire eos & videre velles, quando à nobis adjurantur & torquentur*; Prudentium, Dionyſium, Nazianzenum, Cyrillum, Catech. 1. qui ait: *Suſcipe cœleſtem theſaurum, & in Exorciſmis ſtudioſe verſare*; Ambroſium, Optatum, Auguſtinum, qui lib. 6. contra Julian. cap. 2. ait: *Eccleſia filios Fidelium non exorcizaret, nec exſufflaret, ſi non eos de poteſtate tenebrarum, à Principe mortis erueret*. Et quâ ratione hæc ridet Calvinus? cùm ad ſolum Auguſtinum, tanquam fidelem omnis Antiquitatis teſtem, Lectores remittit. Cyprian. lib. 2. Epiſt. 3. Aquam vino miſcendam, ipſum Chriſtum inſtituiſſe; ex eo S. Auguſt. lib. 3. Doctr. Chriſt. cap. 21. & multa alia in SS. Patribus inveniuntur, quæ non habentur in ulla Scriptura, de quibus S. Auguſt. Tract. 1. in Epiſt. Joan. Tom. 9. pag. 289. ait: *In his quippè rebus nihil certi ſtatuit Scriptura Divina, mos populi DEI, vel inſtituta Majorum pro Lege tenenda ſunt; de quibus ſi diſputare voluerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbrare, orietur interminata luctatio*. Nonnè hæc Prophetico Spiritu dixit S. Auguſtinus de hæreticis noſtris temporibus, qui omnia rejiciunt vetera, & ipſis ſolis ut credatur, contendũt.

Secunda Sententia. Poteſt Eccleſia inſtituere Cæremonias, non ad juſtificandum à peccatis mortalibus, ut hæretici Catholicis falsò imputant, ſed ad alios ſpirituales effectus. Probatur exemplo Apoſtolorum, qui Actor. 15. novam Cæremoniam inſtituerunt, undè vocatur dogma Apoſtolorum Act. 16. quia fuit nova Cæremonia Apoſtolorum, ut Gentiles abſtinerent à ſanguine & ſuffocato; & ibidem dicitur: *Tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & Senioribus*. Præterea ſuperiùs oſtendimus, multa alia inſtituiſſe Apoſtolos, quæ non habentur in Scripturis. Hanc veritatem agnovit Wigittus, in Defenſ. dum ait: *Cujus dogmatis à tempore Apoſtolorum initium neſcitur, illud non novum, aut ſecundarium, ſed ab Apoſtolis traditum cenſendum*, quorum incorrupti ſunt teſtes SS. Patres. Nonnè illis ſecuriùs credendum, de quibus ſcribunt, ſicut tradita invenerunt, quàm hæreticis, qui nuper mundo apparuerunt,

& ex aliorum hæreticorum libris ista sumpserunt, in multis secum non convenientes. Mutârunt etiam Apostoli diem Sabbati in diem Dominicum; instituta sunt Festa Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, quæ nobiscum celebrant tam Lutherani, quàm Calvinistæ, quamvis hæc non habeantur in Scripturis; nec diem Sabbati cum Judæis, sed nobiscum diem Dominicum celebrant, quamvis sit expressum in Scriptura: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.* Tum ab initio Ecclesiæ, singulis ætatibus celebrata suntConcilia, quæ semper plurimos Canones ediderunt de varijs ritibus & Cæremonijs conservandis, ab Apostolis traditis, quibus moderna Ecclesia utitur ad gubernationem sui: & hæc ratio, quare modò non fiunt tam sæpe Concilia, quia Ecclesia habet sufficientes Canones & Regulas in omni materia primitivæ Veteris Ecclesiæ, ad gubernationem sui, primitivam autem Ecclesiam damnare, vel ejus Concilia, manifestam esse insaniam, quæ potiùs Gentili alicui, non Christiano convenit, quia hæc contumelia in Spiritum Sanctum, in Apostolos & SS. Patres refunditur, qui ejusmodi ritus instituerant, & utebantur illis.

Confirmatur ex Sacramentis à Christo institutis, quibus sunt annexæ Cæremoniæ, ut etiam adversarij concedunt, tum, quia nunquam prohibuit Christus, addere Cæremonias ad Sacramenta commodiùs administranda, cùm etiam adversarij novas sibi ordinaverunt, & aliquas retinuerunt antiquas, ut patuit de Luthero, in formanda Cruce in fronte pueri, Exorcismo, & inferiùs patebit de Calvino. Immo cùm Christus paucissimas Cæremonias instituerit, nec tradiderit modum, quo ministrari deberent, sinè dubio reliquit id providentiæ Pastorum & Ecclesiæ, ut rectè docet S. August. Epist. 118. Et ipse Christus Joan. 16. *Adhuc multa vobis habeo dicere, sed non potestis portare modò; cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Sinè dubio, quòd Spiritus S. docuerit Apostolos omnem veritatem, quæ necessaria erat ad conservationem & gubernationem Ecclesiæ. Undè Actor. 20. dicitur: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI.* Et 1. Corint. 14. Apostolus ait: *Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant in vobis.* Prælati verò potestatem habent statuendi, ut omnia honestè, & secundùm ordinem fiant, cùm habeant potestatem regendi Ecclesiam, ad hoc positi à Spiritu S. Episcopi, qui præsunt in sollicitudine, ad Rom. 12. Hâc potestate usus Apostolus, 1. Co-

II. Corint. 3. dum ait: *Hæc absens scripsi, ut non præsens durius agam, secundùm potestatem, quam dedit mihi Dominus*; hâc etiam potestate usus, quando excommunicavit Corinthium incæstuosum. Et S. Petrus Ananiam & Saphiram punivit morte, ob non observantiam legis Ecclesiasticæ, Act. 5. Undè Apostolus ad Rom. 13. ait: *Ideòq; necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Et ad Rom. 13. *Non est potestas nisi à DEO, quæ autem à DEO sunt, ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*

Probatur tandem. Quia Ecclesia si non posset instituere Cæremonias, nullo modo ordo & uniformitas servaretur in Ecclesia. Et hoc patet in omnibus Sectis, quæ nullum habent inter se ordinem & uniformitatem, ex defectu talis institutionis Cæremoniarum, undè quisq; pro suo libitu facit, vel non facit eas, & tamen I. Cor. 14. mandat Apostolus, *ut omnia honestè, & secundùm ordinem fiant.* Et hæc ratio Calvinum movit, ut Cæremonias suas voluerit lege firmari. Nam lib. 4. Instit. cap. 10. §. 27. ait: *Dissolvi suis nervis, & deformari, ac dissipari Ecclesiam, si unicuiq; liceat mutare Cæremonias.* Et §. 31. ait: *Liberâ quidem conscientiâ debere servari Cæremonias, sic tamen, ut non contemptui habeantur, nec supinâ negligentiâ prætereantur.* Et infra ait: *Non esse crimen, si per imprudentiam aut oblivionem aliquid omittatur*; ubi indicat, esse crimen, si per contemptum, vel crassam negligentiam omittantur. At idem Ecclesia Cath. Rom. de suis Cæremonijs docet, hæreticos verò omnes constat Cæremonias Ecclesiæ per contemptum omittere, quia illam non audiunt. Videant ergo, quid vel ex ipsorum ore illis est imputandum.

Probatur insuper. *Primò.* Cæremoniæ sunt utiles, ut oriuntur ex interna, pia affectione & devotione, ita etiam illam conservant, augent, nutriunt, ut docet S. August. lib. de Cura pro Mort. cap. 5. & Epist. 119. cap. 11. & lib. 9. Confess. cap. 6. Et ipsi hoc experimur, cùm intramus Basilicas, ornatas & mundas Crucibus Sacris, Imaginibus, & Aris ornatis instructas, devotionem facilè concipimus: item cùm intramus Templa hæreticorum, ubi nihil est nisi mensa lignea ad Cænam, videmur ingredi magis domum profanam, quàm domum DEI. *Secundò* Utiles sunt, cùm non solùm affectû, sed etiam intelligentiam juvant Cæremoniæ, ut docet S. August. Epist. 119. cap. 7. & præsertim rudibus sunt Cæremoniæ loco Scripturæ, *Tertiò.* Utiles sunt, quia juvant memoriam, nisi enim quotannis expri-

exprimeremus varijs Cæremonijs Domini Nativitatem, Apparitionem, Paſſionem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, facilè exciderent ex memoria tam ſingularia beneficia, quæ nobis repræſentamus in Solennitatibus Nativitatis, Reſurrectionis, &c. quas etiam adverſarij obſervant. *Quartò* Quia exercemus fidem contra diabolum, quando munimur ſigno S. Crucis, vel aquâ benedictâ utimur, proteſtamur eâ Cæremoniâ, tantam vim eſſe S. Crucis, nos certò credere, quòd pellat dæmones, quod multiplici experientiâ compertum eſt; contra verò infidelem vel Turcam, magis profiteor fidem, cùm veneror Crucem, quàm ſi dicerem, me eſſe Chriſtianum. *Quintò.* Conſervamus Religionem: id enim Cæremoniæ præſtant, ne Religio vileſcat, & contemnatur, & pereat. Nam excellentia Religionis noſtræ præcipua, quia ſpiritualis eſt, nec facilè perſpicitur à nobis, quia corporei ſumus, ideò non proponuntur nuda myſteria, ſed veſtiuntur & ornantur, ut externam quandam majeſtatem ſenſibus objiciant. Undè S. Auguſt. lib. 19. contra Fauſt. cap. 11. ait: *Nullam Religionem, ſive veram, ſive falſam, poſſe ſinè Cæremonijs conſiſtere.* *Sextò.* Diſtinctio Catholicorum ab hæreticis per Cæremonias. Nam Sacramenta ſunt quidem ſymbola quædam, quibus diſcernimur ab infidelibus, tamen ab hæreticis vix per Sacramenta diſtingui poſſumus ſaltim aliqua, ut Baptiſmum; ſed per Cæremonias optimè diſtinguimur ab hæreticis. Hoc enim tempore Signum Crucis, Jejunium Quadrageſimale, abſtinentia à carnibus Ferijs Sextis, Aqua benedicta, Quatuor Tempora Jejuniorum, tres Miſſæ in die Nativitatis à quolibet Sacerdote celebrandæ, Cœlibatus, Monachatus, Horæ Canonicæ, Conſecratio Templorum, & multa alia, quæ etiam Centuriatores agnoſcunt, fuiſſe in primitiva Eccleſia in uſu & praxi, ſunt optima ſigna & argumenta contra hæreticos, quòd eandem Eccleſiam nunc habent Catholici cum primitiva. Undè Epiphanius in fine librorum, contra omnes hæreſes recenſuit Cæremonias Eccleſiæ, ut indicaret eas, velut quasdam Notas, quibus Eccleſia ab omnibus Sectis diſcernitur. Ideò hæretici ſemper acerrimè pugnârunt, & pugnant contra Cæremonias, nam per has dignoſcuntur à Catholicis. Sunt etiam Cæremoniæ in ſuo ordine meritoriæ, & placent DEO: quia omnia opera virtutum DEO placent, & apud DEUM ſuo modo præmium merentur, ſi fiant, ut oportet, cum Fide & Charitate. Sunt etiam Cæremoniæ opera Virtutum: ſunt Actus ſimul Religionis, & alicujus virtutis imperatæ à DEO, ut Obedientiæ, Miſericordiæ.

apparet, quòd antiqui hæretici impugnabãt Cæremonias.



NB.



diæ. Placent etiam DEO Fides, Spes, Charitas, Devotio vel Oratio, & omnis Actus bonus interior, ergo etiam placebunt Actus superiores, qui sunt effectus interiorum, partim sunt necessarij ad interiores, ut patet Exod. 17. cùm Moyses oraret, necessariò debuit levare manus, nam cùm demitteret manus, vincebatur populus; ergo ad illam interiorem orationem necessaria fuit Cæremonia externa, elevatio manuum, quæ apparet, quia placebat DEO; nam vincebat populus DEI, cùm elevaret manus Moyses. Ipsa etiam naturalis ratio docet hominem, qui constat animâ & corpore, debere DEUM honorare & colere, & animo per actus interiores, & corpore per exteriores, id est summo modo, cùm sit bonum esse, ut etiam ipse mandat: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc est maximum & primum mandatum* Atqui corpore & animo magis colit DEUM, quàm ille, qui tantùm animo. Et S. Cyprian. Serm. de Orat. Domin. ait: *Cogitemus, nos sub conspectum* DEI *stare, placendum est Divinis oculis & habitu corporis, & modo vocis.* Etiam ipse Christus dedit exemplum, cùm levaret oculos ad Cœlum, & manus ad benedicendum, & procidendo in faciem, & genu flectendo in oratione. Ergo cùm Cæremoniæ sunt utiles, & tot bona præstant Fidelibus, possunt institui ab Ecclesia, quæ semper bonum providet.

Matth. 22

Quamvis autem Cæremoniæ aliquando oppugnabantur, vel in dubium aliquæ vocabantur, semper tamen ab Ecclesia sunt conservatæ, quæ ex Spiritu Sancto & credebantur. Prima Dissensio fuit ob Cæremonias Legales, quæ dissensio sopita est ab Apostolis, Act. 15. Secunda dissensio fuit de die Paschatis, & tanti fecit hanc Cæremoniam Ecclesia, ut Victor I. Papa & Martyr, totam Asiam separare voluerit ab unitate Fidelium, quòd nollent Asiatici in ea re parere, testatur Eusebius lib. 5. Hist. cap. 25. Deindè Concil. Nicænum I. propter istam quæstionem potissimùm etiam convenit, ut scribunt Epiphan. Hær. 70. & S. Athanas. in Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ, ubi etiam addit, Concil. Nicænum disertis verbis imperâsse, ut omnes obedirent. Et Concil. Antiochenum, paulò pòst celebratum, excommunicavit Can. 1. eos, qui legem Concilij Nicæni de Paschate non servant. Et à Patribus habiti sunt pro hæreticis, qui eam Cæremoniam diverso modo servare voluerunt, ut patet ex Epiphan. Hær. 50. S. August. Hær. 29. & Theodoret. lib. 3. de Fabulis Hæreticorum. Alia dissensio fuit de ritu Baptismi, an hæretici verè

verè baptizarent? & ob hanc Cæremoniam multa habita ſunt Concilia: tandem habiti ſunt pro hæreticis Donatiſtæ, quòd non parerent Eccleſiæ definitioni, Euſeb lib. 6. Hiſt. cap. 3. & S. Auguſt. in magna parte Tom. 7. Pòſt aliæ fuerunt diſſenſiones, de delectu ciborum, de temporibus jejuniorum, de diebus feſtis, peregrinationibus, Vigilijs, alijsq; Cæremonijs, ob quas numerati ſunt inter hæreticos Encratitæ, apud Epiphan. Hær. 46. Auguſt. Hær. 23. deindè Manichæi, qui plurimas Cæremonias Eccleſiæ reijciebant, apud S. Auguſt. lib. 20. contra Fauſtum cap. 3. & 4. deindè Euſtatiani, apud Socratem, lib. 2. cap. 33. tum Aeriani, apud Epiph. Hær. 75. & Auguſt. Hær. 53. tum Vigilantius, apud S. Hieron. lib. cont. Vigilant. indè Petrobruſiani, apud S. Bernardũ Epiſt. 240. indè Waldenſes, apud Guidonem in Summa de Hæreticis.

Ad hæc omnia reſpondent adverſarij: Non negare ſe, quin aliquibus Cæremonijs DEUS poſſit coli & debeat, ſed id negare, Cæremonijs ab hominibus inventis: DEO enim non placet ullus cultus, quem ipſe non inſtituit, aut cui non dederit teſtimonium Verbo ſuo. *Reſpondetur Primò.* Non requiritur, ut in particulari DEUS approbaret cultum Cæremoniarum, ſed ſufficit, quòd in genere placuerit. Nam placuit illi cultus Abel, Gen 4. & tamen nulli hoc præcepit DEUS: placuit elevatio manuum Moyſis cùm oraret, licèt hoc etiam non præcepit: placuit Votum Virginitatis B.V. MARIÆ, ut ſuperiùs oſtendimus, & tamen nullibi hoc præcepit DEUS: placuit, quando rigavit Magdalena pedes Chriſti, & terſit capillis, cùm illi poſt hanc Cæremoniam dimiſſa ſunt peccata, & tamen hoc nullibi præcepit in particulari DEUS; immo nulla conſuetudo erat apud Judæos ungendi pedes, niſi caput, ut ipſe Salvator Luc. 7. teſtatur: *Oleo caput meum non unxiſti, hæc autem unguento unxit pedes meos*; & tamen laudavit Chriſtus has Cæremonias, dicens: *Lacrymis rigavit pedes meos, capillis ſuis terſit, non ceſſavit oſculari pedes meos, propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa*; & Marci 14. *Venit mulier, habens alabaſtrum unguenti pretioſi, effudit ſuper caput eius, &c. Bonum Opus operata eſt in me*; licèt hæc non mandavit Chriſtus, tamen laudavit. S. Hieronymus Vigilantio calumnianti, quòd Cæremoniæ ex ritibusGentilium inEccleſiam introductæ ſunt, ſic reſpondet: *Quòd ſi aliqui propter imperitiam & ſimplicitatem ſæcularium hominum, vel certè Religioſarum fœminarum, de quibus verè poſſumus dicere, confiteor, zelum DEI habent, ſed non ſecundùm ſcientiam,*

am, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid indè perdis? Conquestus quondam & Apostolus, quòd periret unguentum, sed Domini voce correctus; neq; enim Christus unguento indigebat, nec Martyrés lumine Cereorum, & tamen illa mulier in honorem Christi hoc fecit, devotioq; mentis eius recipitur. Deindè Calvinus lib. 4 Instit. cap. 10. § 30. probare volens, genuflexionem in oratione esse bonam, immo & Divinam, adducit illud 1. Corint. 14. *Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant in vobis*, dicit, geniculationem esse bonam & Divinam, quia in genere indicatur à Paulo, in illo decoro, quod præscribit in oratione. At hoc modo omnes Cæremoniæ Cathol Rom. Ecclesiæ sunt bonæ & Divinæ, nam indicantur in genere à DEO, & probantur, ut superius ostensum, licèt non sint imperatæ in particulari; geniculatio enim nullibi, osculum pedum Christi, & tersio eorundem capillis, nullibi in particulari imperata. Ergo. Deindè in hoc testimonio S. Pauli, non magis includuntur omnes Cæremoniæ, sicut geniculatio, nam omnes honestè, & secundùm ordinem fiunt. Ergo. Si Calvinus admittit geniculationem bonam & Divinam, debet admittere omnes Cæremonias. Cùm enim DEUS jubet obedire Præpositis in genere, jubet servare omnes leges Ecclesiæ, quarum non paucæ sunt de Cæremonijs. ℟. *2dò.* Lutherus in suo Catechismo, vult pingi Signum S. Crucis in fronte & pectore baptizandi. Idem admittit Exorcismum, quem ridet Calvinus. Illyricus non audet rejicere abrenunciationem Sathanæ, Cent. 1. lib. 2. cap. 6. col. 497. Chemnicius in 2. Par. Exam. pag. 219. examinans Can. 7. de Baptismo, fatetur, inter baptizandum proponendam esse abrenunciationem. Idem ferè omnes Lutherani docent, ut patet ex Agenda Saxonica. Hîc quærunt Catholici, in qua Scriptura hæc inveniunt? & si non inveniunt in Scriptura has Cæremonias, quare accusant Catholicos, quòd illi utantur Cæremonijs, quæ non habentur in Scripturis. *Secundò* quærunt Catholici, quis Lutherum, Chemnicium, Illyricum constituit Judices, ut Cæremonias Ecclesiæ Cathol. pro libitu suo alias recipiant, alias reijciant, cùm omnes unius Ecclesiæ sint, de quibus æqualiter SS. Patres testantur, ut omnibus patet? Ecclesia verò parem fidem meretur, tam de his, quas recipiunt, quàm illis, quas reijciunt. Iterum quærunt Catholici, quare suscipiunt Lutherani Baptismum parvulorum, cùm nihil sit de eo in Scripturis, & solùm duo Patres de illo testantur, Origenes & S. Augustinus, ut Chemnicius agnoscit in 5. gen. Tradit. & tamen quamvis & hi duo

Patres,

Patres, & plures alij, teſtentur de alijs ritibus, tamen reijciant illos? Reſpondeant ad hoc Catholicis, immo & Anabaptiſtis, ex quibus ſemper hoc argumento triumphant Anabaptiſtæ. Deinde objiciunt Catholici Calvino, quòd ipſe novas præſcripſerit Cæremonias, & veteres rejecerit. Nam Calvinus in libello de formula Sacramentorū miniſtrandorum, præſcribit *Primò*, ut infans adferatur ad Baptiſmū die Dominico, vel alio, cùm populus ad Concionem convenit, & coram populo Baptiſmus fiat. *Secundò*, ut qui infantes adferunt, interrogentur, an ſpondeant ſe infantes illos, cùm adoleverint in doctrina Fidei inſtituturos, & ſponſione factâ pergatur in Baptiſmo. *Tertiò* ut nomen imponatur infanti. *Quartò*, ut forma Sacramenti pronuncietur linguâ patriâ. *Quintò*, ut recitetur Symbolum Apoſt. Oratio Dominica, aliæq; preces. At nihil horum in Scriptura inveniet, quare ergo accuſat Catholicos, quòd illi utantur extra Scripturam antiquis Cæremonijs, à primitiva Eccleſia per Traditionem acceptis, cùm ille novas, extra Scripturas, propriâ auctoritate inſtituit? Quòd autem veteres Cæremonias primitivæ Eccleſiæ ſuſtulerit, patet ex propria illius confeſſione. Ait enim Tract. de Reform. Eccleſ. *Accuſamur temerariæ & impiæ novationis, quod omninò quidquam auſi fuerimus, ex antiquo ſtatu in Eccleſia movere.* Et lib. de form. Sacram. adminiſtrand. ait: *Non ignoramus, plerosq; minorem in modum offenſos fuiſſe, quòd cùm multa in hoc genere ab uſu iam multis Sæculis recepto, aliena à vobis inducta ſunt* Et iterum ait: *Non ignoramus, alijs in locis adhiberi alias Cæremonias quàm plurimas, quas vetuſtiſſimas eſſe minimè diffitemur. &c. Sinè ulla Religione viſum eſt, eas tolli, atq; aboleri oportere.* Et ſi hoc Calvinus facere potuit, cujusq; rectum judicium appello, cùm Eccleſia Cathol. Rom. ritus & Cæremonias habeat quasdam ex S. Scripturis decerptas, quasdam ex antiqua Traditione Apoſtolorum derivatas, & primis Sæculis obſervatas, quasdam ab Eccleſia pro ratione temporum inſtitutas, de quibus ſic S. Auguſtinus: *Tempora variata ſunt, non Fides* Sic v. g. adhibetur inſufflatio, Cæremonia antiquiſſima, de qua Joan. 20. de illa S. Auguſt. lib. 6. in Julian. cap. 2. ſic ait: *Id tu commemorare timuiſti, tanquam ipſe à toto Orbe exſufflandus, ſi huic exſufflationi, quâ Princeps huius mundi à parvulis ejicitur foràs, contradicere voluiſſes.* Et tamen Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 19. hanc Cæremoniam inſufflationis exſufflavit, quod quilibet mirari debet, cùm hæc Cæremonia habuerit Authorem ipſum Chriſtum Dominum Joan. 20. *Hæc*

NB.

cùm dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum S. Sed videamus, quibus modis persuaserunt Lutherus & Caluinus, alijq; populo, ut reijcerentur antiquissimæ Cæremoniæ Ecclesiæ Cathol. Rom. & suas novas substituerunt, retentis aliquibus antiquis. Duos modos præcipuos adinvenerunt Lutherus & Calvinus, ut in odium adducerent Cæremonias Ecclesiæ. Primus, multa finxerunt de Catholicis, quasi illa tribuerent Cæremonijs. Primò, quasi asserant Catholici, retinendos ritus, qui pugnant cum Verbo DEI. Secundò, quòd Papa possit immutare Christi instituta. Tertiò, quòd sit peccatum mortale, & anathemate dignum, mutare vel minimum de his Cæremonijs. Hæc Chemnic. Idem habet Calvinus in Antidoto. Idem Chemnicius in 2. Part. Exam. pag. 157. asserit, quòd Concilium Trident. approbaverit ritus quoscunq; ab hominibus excogitatos, licèt absurdissimos. Sed qui vult videre, quàm sit hoc falsum, legat Concilium, quomodo non approbat, nisi ritus ab Ecclesia universali receptos, de quibus S. Aug. Epist. 118. ait, *disputare de illis, esse insolentissimæ insaniæ.* Quòd aliquibus Cæremonijs tribuamus efficaciam Sacramentorum, ut Cereo Paschali; simile quid habet Lutherus ult. Hom. de Baptis. ubi ait, *Catholicos putare, aquam benedictam, & similes res consecratas esse Sacramenta.* Item, quòd præferamus Cæremonias nostras ipsis Christi Sacramentis. Item, per has Cæremonias homines justificari, & in Christi locum quodammodò successisse, ita Calvinus lib. 4. Instit. cap. 10. §. 15. Sed qui vult hæc splendida agnoscere mendacia, legat, & revolvat Catholicos Doctores: nullus enim hoc dicit, sed quilibet contrarium tenet. Secundus modus fuit illorum, ut adducerent in odium Cæremonias Ecclesiæ. Particulares defectus & abusus particularium hominum & Ecclesiarum, mirè extenuârunt coram plebe, & extenuant, quos etiam Ecclesia tollit, damnat, & extirpat, quantùm potest, ipsi ex hoc universalem Ecclesiam arguunt. Quare autem non omnes rejecerunt Cæremonias? ideò, ne proderent suam deceptionem: si enim omnes rejecissent, vix habuissent sectatores sui, sed cùm aliquas retinuerunt, dixerunt illas veras & pias, & quas rejecerunt, finxerunt falsas, ut eò difficiliùs inter verum & falsum quisq; dignoscere posset, ut veritas cum falsitate confunderetur, cùm omnes Cæremoniæ unius & ejusdem Ecclesiæ sint, cujus constituerunt se judices, ipsi potiùs judicandi, quòd Ecclesiam non audiant. Non sinè causa præscripsit modum Lirinensis, cognoscendi fraudes hæreticorum, Legis autho-

ritate in ſenſu univerſalis Eccleſiæ, & Traditione Eccleſiaſtica. Vide quæ diximus ex hoc Authore in noſtro Diſcurſu, ad Diſcurſum Authoris Tubæ, pag 44. poſt medium.

Præcipua Calvini Objectio. Lib. 4. Inſtit. cap. 10. §. 2. ait Calvinus: *Apoſtolus 1. Cor. 7. ne una quidem in re laqueum injicere auſus eſt, proſpiciebat enim, quantum vulnus infligeretur conſcientijs, ſi earum neceſſitas illis imponeretur, quarum relicta eſſet à Domino libertas.* ℟. Abutitur S. Scripturâ Calvinus, cum illâ utitur ad tollendas Cæremonias, quâ Apoſtolus uſus eſt ad conſulendam Virginitatem, ut cuiq; legenti hanc Epiſtolam patet. Apoſtolus enim ibi agit de Continentia Virginali, quam Dominus ipſe non imperavit, ſed conſuluit. Idem facit Apoſtolus, at non eadem ratio aliarum rerum, de quibus nihil Dominus in particulari præſcripſit, ſed reliquit Eccleſiæ. *Qui vos audit, me audit; & qui non audierit Eccleſiam.* Unde idem Apoſtolus 2. ad Theſſal. ult. ait: *Si quis non obedit verbo noſtro, per Epiſtolam hunc notate, & ne commiſceamini cum eo.* Ergo Apoſtolus, ſecundùm Calvinum, laqueum injecit Theſſalonicenſibus; & ipſe Calvinus injecit laqueum, quando ſuas novas à ſe excogitatas Cæremonias voluit ſancire legibus, lib. 4. Inſtit. cap. 18. §. 27. Sic novæ Calvini Cæremoniæ laqueum non inijcient, & veteres univerſalis Eccleſiæ inijcient. Act. 15. Apoſtoli impoſuerunt onus Gentibus abſtinendi à ſanguine & ſuffocato, & tamen hoc Chriſtus Dominus liberum reliquit. Ergo & Apoſtoli injecerunt laqueum conſcientijs, ferendo hanc legem. *Notandum*, quòd præcipua iſta ſit Objectio Calvini contra Cæremonias, ad quas oppugnandas abuſus eſt Scripturâ.

Secunda Objectio Calvini, qui § 12. ait: *Romanenſes partim ex Gentilium delirijs ſibi deſumpſerunt exemplum, partim Simiarum more temerè imitati ſunt veteres Judaicos ritus.* ℟. Sicut Synagoga fuit vera Eccleſia, & in illa vera Religio, vera Sacrificia, verum Sacerdotium, ad quod per unctionem Sacerdotalem conſecrabantur DEO filij Aaron, per Circumciſionem etiam initiabantur Judæi, & conſecrabantur DEO, ut eſſet populus ejus, quæ licèt imperfectior fuit, quàm Baptiſmus, tamen fuit bona, quæ non ſolùm figura fuit Baptiſmi, ſed etiam res ipſa, ad initiandos & conſervandos homines DEO illo tempore. Sicut & Sacrificia, non ſolùm figura erant noſtri Sacrificij, ſed etiam erant vera Sacrificia. Sic & alij ritus Judaici erant boni, ſed Chriſtum venturum prænunciantes. Noſtri item ſunt boni, ſed ab ijs diverſi, & perfectiores, ſicut perfectior eſt Eccleſia, quàm

Syna-

Synagoga, partim, quia sunt in memoriam rerum præteritarum, partim ad significandam futuram gloriam. Nec mirum videri debuit Calvino, si nostræ Cæremoniæ habent aliquam similitudinem cum Judaicis, nam illæ figuræ erant nostrarum Cæremoniarúm, ut 1. ad Corint. 10. indicat Apostolus. Quod attinet ad imitationem Gentilium, quasi imitarentur illos Catholici; hoc argumento usi sunt Manichæi contra Catholicos, apud S. August. lib. 20. contra Faust. cap. 4. & Vigilantius, apud S. Hieron. in lib. contra Vigilant. Manichæos verò fuisse hæreticos, nemini dubium, & quidem tales, quòd Solem istum materialem putaverunt Christum Dominum, & non solùm hominibus, sed & pecoribus videndum putaverunt, ita testatur de illis S. August. Tract. 34. in Joan. Si ergo horum hæreticorum licitè usus sit Calvinus argumento contra Catholicos, judicet quisque. Certum est, quòd habent suos ritus, & Gentiles, & Judæi, & Catholici, sed cum hac differentia, quæ est inter sacrum & sacrilegum, inter pietatem & impietatem. Sicut etiam habebant Sacrificia Judæi, habebant & Gentiles; sed illa fuerunt pia & religiosa, illa idololatrica. Sic respondet S. August. Manichæis, & S. Hieron. Vigilantio, ad hoc argumentum Calvini. Vide Lector, quales habuit Calvinus Parentes, cùm illorum utatur argumentis: qui potiùs more Simiæ, usus est rejectis Cæremonijs Ecclesiæ antiquæ, ne deprehenderentur in sua deceptione, novas suas Cæremonias instituit. Et quamvis ille provocavit ad Primitivam Ecclesiam, hoc subdolè fecit, ne adverterent homines, se esse separatos ab antiqua Ecclesia, cum qua ille nihil commune habuit, ut patet ex multis; inter alia, cùm reprehendit verbis contumeliosis S. Melchiadem Papam & Martyrem, qui floruit An. Dñi 300. Cùm enim Calvinus in Antidoto Concilij Trid. Sess. 7. Can. 2. dixisset, *Olei mentionem qui faciat, nemo est ex Veteribus.* Nos contrarium ostendimus, cùm de Sacramento Confirmationis ageremus. Citavimus enim pro Confirmatione Concilia duo, inter quæ Constantinopolitanũ I. Can. 7. Generale II. & SS. Patres, tam Græcos, quàm Latinos, plus quam triginta, inter quos cùm Calvinus S. Melchiadis hæc verba de Confirmatione citâsset, nempè, *In Baptismo regeneramur ad vitam, in Confirmatione armamur ad pugnam,* ita Calvinus de S. Melchiade Martyre loqui-
NB. tur: *Os Sacrilegum, tunè pinguedinem fœtore duntaxat anhelitûs tui inquinatam, & verborum murmure incantatam, audes Christi Sacramento opponere, & conferre cum aqua verbo DEI sanctificata? At pa-*

rùm

rum hoc ipsum erat tuæ improbitati, &c. Hæc sunt Sanctæ Sedis responsa, hæc Apostolici tripodis Oracula. Objicit ergo Calvinus improbitatem S. Martyri. Os Sanctum illius, vocat Sacrilegum, & Ironicè Sanctam Sedem vocans, reprehendit Cathedram Petri. Quid ille habuit cum antiqua Ecclesia commune? cùm Virum Sanctum, & Martyrem inclytum, tam contumeliose tractat, cui major fides danda est, quàm mille Calvinis, de quo sic S. August. Epist. 162 loquitur: *Qualis ipsius Beati Melchiadis ultimò prolata est sententia, quàm innocens, quàm integra, quàm provida, quàm pacifica* Et infrà ait: *O Virum Optimum! ò Filium Christianæ Pacis! ò Patrem Christianæ Plebis!* Vide Lector, quàm diversum sit judicium S. Augustini & Calvini de S. Melchiade, & cogita, quid Calvinus promeruit suâ contumeliâ in S. Martyrem, si vel micam habuit Antiquitatis, ad quam ficto animo provocabat, ne sui errores agnoscerentur. Unde & alios SS. Patres, plus quàm triginta, debuit ita censurare, & Concilium II. Generale, quia satis clarè de Confirmatione loquuntur, inter quos S. Augustinum adduco, ad quem Calvinus remittit Lectores, tanquam ad fidelissimum, atq; optimum testem Antiquitatis. Sic S. August. lib. 2. cont. lit. Petil. cap. 104. loquitur: *In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus* Ergo & Confirmatio est Sacramentum, & S. Melchiades Vir optimus, & Pater Christianæ plebis, testante S. Augustino, cùm Calvinus ad illum remittat, tanquam ad optimum & fidelissimum testem Antiquitatis, & Calvinus se prodidit, nihil commune habuisse cum Ecclesia Christi, quæ trecentorum annorum fuit. Undè meritò à quolibet, qui animæ suæ salutem amat, reijciendus. NB.

Alia Objectio Calvini §. 10. & 15. *Dominus Matth. 15. reprehendit Traditiones hominum.* ℟. Et hìc Calvinus multum laboravit detorquendo Scripturam, cùm Dominus Judæos reprehendat de inutilibus Traditionibus, ut erat illa, non lotis manibus manducare panem, Calvinus detorsit illam ad populum Christianum, ut patet cuiq; legenti Evangelium. Adducit ibidem Calvinus illud Isaiæ 29. *Frustrà colunt me mandatis hominum;* quomodo hic locus potuit arguere Christianos, cùm illi necdum erant tempore Isaiæ? Undè apparet clarè debilitas argumentorum Calvini contra Cæremonias, cùm tam impropriè arguit contra illas. Et sic ordinariè abutuntur S. Scripturâ ad suos errores, ideò nec admittunt Traditionem Eccle-

 siasti-

siasticam, ne seducti ab illis advertant genuinum sensum Ecclesiæ, consequenter errores illorum. Sic & SS. Patrum similiter obscuras sententias pro suis erroribus citant, & cùm SS. Patres contra illos clarè loquantur, tunc dicunt, errârunt Patres, quod ferè commune est Calvino & Luthero.

Alia Objectio Calvini. §. 15. ait: *Quid commendationis habent Opera, id totum habent obedientiæ intuitu, quam solam DEUS respicit.* ℟. Mirum debet videri omnibus, quomodo Calvinus recommendet obedientiam, cùm ille nullo modo voluit obedire, nec mandatis DEI, cùm dixerit, *impossibile est complementum Legis pro hac vita*; nec Ecclesiam, nec SS. Patres, sed sibi soli vult credi, hoc solum sanctum, quod exit ex capite Calvini. Secundò ℟. Falsum esse, quod dixit Calvinus, etiam testimonio ipsius: nam non præcepit DEUS Calvino, ut novas Cæremonias excogitaret circa Baptismum, nam in nulla Scriptura leguntur, & tamen fingit Calvinus, illas placere DEO. Non præcepit DEUS Sacrificium Abel; non præcepit manus Moysi levare in oratione; non præcepit Magdalenæ rigare lacrymis pedes; non præcepit voluntariam paupertatem; & tamen illi hæc omnia placuerunt. Non præcepit Virginitatem, & tamen dicit Apostolus 1. ad Corint 7. *Qui non nubit, meliùs facit*; & *Beati pauperes spiritu.* Non præcepit geniculationem, & tamen Calvinus dicit eam bonam & Divinam.

Alia Objectio Calvini. Ait ille: *Apostolus docet, non esse petendam ab hominibus doctrinam de vero cultu.* ℟ Ergo nec à Calvino, cùm & ille fuerit homo, cùm institueret novas Cæremonias, rejectis veteribus; non esse petendam ab his hominibus, qui antiquas Cæremonias tollant, & novas instituunt, qui Ecclesiam non audiunt, qui SS. Patres contumelijs afficiunt, qui ab Ecclesia universali miris fraudibus & dolis homines separant ad partem suam, ad suos privatos cœtus, & dant illis occasionem æternæ damnationis, à talibus non est petenda doctrina, atqui tales homines fuerunt Lutherus, Calvinus, Melanchton, & alij innumeri. Ergo sed ab Ecclesia petenda doctrina. Nam qui Ecclesiam non audierit, erit sicut Ethnicus & Publicanus; à Prælatis Ecclesiæ petenda: nam Luc. 10. dicitur, *Qui vos audit, me audit.*

Ex his patet Responsio ad Discursum Authoris Tubæ pag 27. Melanchtoni, Confessionibus Saxonicæ, Wittemberg. Argent. Helvet, Stoicæ, non esse securam separationem ab Ecclesia universali, ob

ob ritus & Cæremonias ab Eccleſia univerſali receptas, & longo uſu
firmatas, tum quia ſemper hæretici contra Cæremonias pugnabant,
tum quia Eccleſia primitiva ex defectu obſervantiæ rituum & Cære-
moniarum pro hæreticis declarabat, ut ſuperius patuit: tum quia
omne Schiſma, quacunq; ex cauſa fit, eſt crimen graviſſimum, quod
fit ex defectu charitatis & inobedientiæ: per hoc enim Schiſmaticus
differt ab hæretico, quia Schiſmaticus ſolùm non obedit Eccleſiæ, li-
cèt credat omnia, quæ credit Eccleſia; hæreticus verò ultra inobe-
dientiam, quando diſcredit aliqua dogmata, vel etiam unum, quæ
ſub anathemate credenda ex Concilijs præcipiuntur, hæreticus eſt.

Diſcurſus Authoris.

Pag. 20.

NOn vult ullo modo, ut Eccleſia Auguſtanæ Confeſſioni addicta
ſeparetur ab Eccleſia Romana, ſed urget tolerantiam utriusque
partis, immo conformitatem & conſenſionem, quia in nullo Articu-
lo Fidei Eccleſiæ Auguſtanæ Confeſſio ab Eccleſia Cathol. Romana,
ſed tantùm ratione paucorum quorundam abuſuum in vulgaribus
ritibus diſcrepat. Hæc ſunt (ait Author Tubæ) verba Auguſtanæ
Confeſſionis. Subſumit Author: Sanè ob abuſus ac ritus vulgares,
tam noxium fovere Schiſma in Eccleſia Chriſti Catholica, non eſt
homine Chriſtiano dignum; nam Canones Eccleſiaſtici ubiq; eos-
dem ritus non poſtulant, neq; ſimiles omnium Eccleſiarum ritus fu-
erunt. &c. Et pag. 35. ait: Si ex obſcurioribus Scripturæ locis
Controverſia definienda, non ſtandum proprio judicio, nec judicio
cœtûs particularis, cujus judicium fallere poteſt, ac falli. Sicquè ex
ipſo Authore patet, quòd Confeſſio Auguſtana, ut privata, putabat
eſſe abuſus, cui non licebat tam noxium fovere Schiſma in Eccleſia
Chriſti Catholica. Probat hoc Author longo Diſcurſu pag. 26. ex *Vide ſuprà pag.*
S. Auguſtino ibidem. Et pag. 20. adducit Lutherum in Colloq. *181. Verſ. 1e*
Conviv. ut de Sacram. fol. 211. apparet, ſic loquentem: *Itaq; omnes*
meæ Diſputationes, Scriptiones, & Actiones, ſunt contra abuſum Pontificis.
Tota diſſenſio eſt de quibusdam abuſibus, qui ſinè auctoritate in Eccleſia *Putabat abu-*
irrepſerunt; cùm Eccleſiæ apud nos de nullo Articulo Fidei diſſentiant *ſus, quæ per*
ab Eccleſia Catholica, tantùm pauca quædam abuſus omittant. Sic pa- *Traditionem*
tet, quòd nec Lutherus potuit verè judicare, ut non falleretur, cùm *Eccleſia accepit*
judicium Lutheri fuit judicium privatum, ut per ſe patet; Eccleſia *ab Apoſtolis.*

 verò,

verò, quam ille vocat Catholicam, non potuit potiùs falli, ob continuam assistentiam Spiritûs Sancti, cùm vox illius est vox Spiritûs S. ait Author pag. 65. ubi ostendit, judicium Ecclesiæ anteferendum judicio privato, quod fuit Lutheri. Et pag. 22. adducit Dreierum sic loquentem: *In Ecclesia Romana esse Fidem Catholicam in sensu Catholico, adeóq; in Romana Ecclesia posse quemq; salvari, qui in Fide Romana & charitate permanet. Quare* (ait Author) *cum illis nunc non

NB. unimur in terris, cum quibus unionem beatissimam speramus in Cœlis?* Et pag. 23. adducit Regem Angliæ Jacobum sic loquentem: *Pontificios verè antiquæ Catholicæ & Apostolicæ Fidei fundamentis adhæresce-

Vide suprà pag. 79. §. 10 à fine. re.* Et affirmante Covello in Apolog. Hoockeri &c. Ostendit, quantum malum sit Schisma, quomodo pugnat cum DEO Patre, Filio,

Vide suprà pag. 180. & seq. & Spiritu S. &c. præbet multis amplectendi Atheismum, & hoc maximè videtur competere omnibus primariè hæresiarchis, quod illum amplexati sunt, cùm tam indigna omni homine Christiano de DEO, de Christo Domino tenuerunt, patrârunt, & alios ad hoc induxerunt; & illam auro notandam sententiam S. Augustini p. 25. adducit, sic loquentem contra Gaudent. cap. 3. Tom. 7. pag. 267. *Ab hac ergo vera germanaq; Catholica, quæ Domini luce perfusa per Or-

Vide suprà pag. 181. bem terrarum radios suos porrigit, &c.* Quæ verò illa sit Catholica Ecclesia, quæ Domini luce perfusa per Orbem terrarum radios suos porrigit, ramos suos per universum copiâ ubertatis extendit, facilè illam quisq; agnoscet, si sano mentis oculo illam scrutabitur.

Discursus Theol.

Quomodo Augustana Confessio sit conformis Ecclesiæ Cathol. Romanæ, & qualiter noluit separari ab Ecclesia Catholica Romana.

IAm ex superiore Discursu patuit, quòd nec Confessio Augustana, nec Lutherus, potuerunt rectum judicium ferre de abusibus, absque eo, quòd non fallantur. Nam Confessio August. est particularis cœtus, prout convenit cum alijs similibus cœtibus, de quibus sic ait Author Tubæ pag. 58. *Libri Symbolici nostri particularis Ecclesiæ Confessionem proponunt gradu inferiore, quippè minorum Sæculorum consensu approbatam, adeò Judex, Norma, & Regula non sunt, sed aperta quædam Confessio.* Solius ergo Ecclesiæ universalis est judicium absq;

errore,

errore, ut ſuprà patuit. Nec etiam Lutherus, quia (ait Author Tubæ pag 35.) ſi ex obſcurioribus Scripturæ locis Controverſia definienda, non ſtandum proprio judicio Reddit rationem pag. 29. dum ait: *Sanè maior debet eſſe certitudo Fidei Catholicæ, quàm eſt ingenij scientia humani, etiam doctiſſimi.* De Luthero verò ſic ait Eraſmus: *Lutherus privatus, nuper natus cum ſuis amicis, in quibus nec tanta eſt conditio, nec tantum ingenium* Et ipſemet Lutherus lib. de Poteſt. Papæ ait: *De nullo privato homine certi ſumus, habeat nec ne revelationem Patris; Eccleſia autem ipſa eſt, de qua dubitare non licet.* Hoc dictum contra ſe, tanquam privatum, dixit Religioſus tribus Votis DEO obſtrictus. Et Calvinus ait, Lutherum imparem cauſam incepiſſe ſuis viribus. Si Lutherus ſeriò dixit, quòd propter prætenſos abuſus Pontificis, idq; ut ipſe ait paucos, diſcrepat ab Eccleſia Cathol. Romana, oſtendit, nullam habuiſſe cauſam ſeparationis: quis enim juſtam dicet ob paucos abuſus? Si ſimulatè dixit, aliud dicendo, aliud faciendo, ut multi ab initio putarent, ſe non eſſe ſeparatos ab Eccleſia Cath. Romana, videat, quòd omnis ſimulatio & fictio non placet DEO, ne dicam mendacium. Sic Lutherus, negando Invocationem Sanctorum, Miſſæ Sacrificium, bona Opera neceſſaria ad ſalutem, liberum arbitrium, &c. cum antiquis hæreticis taliter voluit concordiam Auguſtana, rejectis ſcilicet his omnibus, quæ Eccleſia tenuit, vide ſuprà pag. 242. quæ fuerunt dogmata ſemper in Eccleſia Cathol. Rom. implicita, quò ad ſe licet, non quò ad nos, tamen ſemper in Eccleſia credita, cùm illa nulla hæreſis negâſſet, ipſe finxit abuſus Pontificis, quaſi hæc Pontifex propriâ auctoritate inſtituiſſet, ad comprobandum ſuum intentum, ſcrutatus eſt S. Scripturam, SS. Patres, quid de his ſentiant: ſed de his magis & meliùs, quàm anteà informatus, & quaſi ſcrupulo ductus, ſuum revocat errorem, paucos vocando abuſus. & hoc (ait Author Tubæ pag. 20.) ſæpiùs repetebat, ut in Colloq. Conviv. ut de Sacram. fol. 211. apparet. Quod autem hæc dogmata implicitè ſemper in Eccleſia credita, conjecturaliter vocaverit eſſe abuſus Pontificis, oſtendit hoc anguſtiata conſcientia Lutheri, quæ hæc verba ab illo extorſit, Tom. 2. Jen. fol. 9 in Præfat. libri de abuſu Miſſæ: *Quàm ſæpè cor mihi palpitavit, meq; coarguit, &c* Ergo Lutherus, reclamante conſcientiâ, impugnabat dogmata, quæ Eccleſia tot annis credidit.





hoc dictum Lutheri deberent omnes Proteſtãtes apprehendere.

Vide ſuprà pag. 191 Selneccerũ, quid de Synodis ſentiat, in quibus explicantur implicita dogmata.

Vide ſuprà pag. 550 & ſeq.

 Diſcur-

Discursus Theol.
De Confessione Augustana.

VIdeamus ea, quæ adducit Author Tubæ pag. 20. dicens: Hæc sunt verba Augustanæ Confessionis Art. 21. Eam videlicet *non discrepare a Romana Ecclesia, nisi ratione paucorum abusuum in vulgaribus ritibus.* His verbis videtur seipsam Confessio Augustana accusare, & condemnare, quòd non habuerit coram DEO justam causam separationis ab Ecclesia Cath Rom. si tantùm propter paucos abusus. Sed sciendum, tam ex Authoribus Catholicis, quàm adversæ partis, ut ex Osiandro, & Joan. à Lasco, quòd August. Confessionis fuerit Auctor Philippus Melanchton, qui cùm convolaverit ad Lutherum, fuit aliquo tempore illius amicus, sed non in omnibus; cùm enim illi aliqua dogmata Lutheri displicuerint, recedens à Luthero, novam Augustæ scripsit, ut inferiùs ostendemus, & composuit Confessionem: quæ autem illi displicuerint, inferiùs dicemus.

In quibus autem Confessio Augustana dissentit ab Ecclesia Cathol. Rom. videamus, cùm illa dicat pag. 22. Art. 22. *Nihil deesse, quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana. &c.* Et eâdem pag. in Præfat. de Abusibus ait: *Cùm Ecclesiæ apud nos de nullo Articulo Fidei dissentiant ab Ecclesia Catholica, tantùm paucos quosdam abusus omittant.* Hìc notandum occurrit, si propter paucos abusus potuit Confess. August. dissentire ab Ecclesia Romana. In quibus tamen partim dissentit, partim imputat Catholicis, clarè ostendit Bellarm. Tom. 3. de Controver. Christianæ Fidei, in suo judicio de libro Concordiæ, quem ediderant Lutherani. In hoc suo Tom. 3. notat varios errores, & sinistras imputationes Catholicis, à fol. 1171. usq; ad fol. 1224. ad quem locum pro plena informatione Lectorem ideò remittimus. Et ipsi hujus Authoris eò libentiùs & frequentiùs utimur testimonijs, quò evidentiùs sciamus, Bellarminum suam laudem & commendationem singularem suæ doctrinæ & rectæ probationis, disputationis, & distinctionis inter verum & falsum, habere apud præcipuos adversæ partis: & certè, nemo id negare potest, quòd æstimationem apud omnes mereri debeat, cùm adversarios habeat, tam disertos sui Encomiastes. Et primus quidem, non ignotus apud multos, Wittakerus Epist. Dedic. " lib. de Verbo DEI sic ait: Bellarminus tanquam Athleta invi-

" ctissimus,

ctissimus, à suis celebratur, quo cùm nemo nostrûm congredi au-
sit, cui respondere nullus possit, quem vincere, si quis se posse
speret, ab his insanus habeatur. Idem Wittakerus in Præfat. Di-
sput. de Verbo DEI, ad Wilhelmum Cæcilium ait: De quo (sci-
licet Bellarmino) cùm meam Vir honoratiss. opinionem quære-
res, respondi, quemadmodum sensi, me illum judicare Virum sa-
nè doctum, ingenio felice, judicio subtili, lectione multiplici præ-
ditum, qui soleret etiam apertiùs ac simpliciùs agere, quàm reli-
qui consueverunt Papistæ, & argumentum presſiùs urgere, & ar-
ctiùs ad causam adhærescere, sic enim homo eruditus in Scholis,
& Controversias ex instituto tractans, in argumento totus missis
circumitionibus, atq; ambagibus, versari, hærere, dubitare debuit.
Idem Præfat. 2. ad Lectorem duplic. adversùs Staplet. ait: Bel-
larmini quidem agnosco, quemadmodum in Controversiarum
Præfat. scripsi, felix ingenium, subtile judicium, lectionem mul-
tiplicem. Secundus etiam non postremus, quia apud suos Præce-
ptor multorum annorum, Franciscus Junius, quàm prolixus est in
commemorandis ejusdem Bellarmini laudibus, paginasq; multas
implet in Præfat. suarum in Bellarminum Notarum, ex quibus
pauca adferam. Ait itaq; Junius: Reverà ardua multa in isto O-
pere instituto, ac velut pilatas acies agmine facto oportet homini
occurrisse, cùm in tantis rebus argumentisq; accuratè & condi-
gnè Scientiam à DEO multiplicem desiderari putaverit, ut hære-
ticos non unius generis, sed varia variorum examina strenuè unâ NB.
acie prosterneret. Quapropter, cùm gratias illi ago & habeo ma-
ximas, quòd tantū spatij sui labore, in accumulando & coagmen- NB.
tando vasto illo Controversiarum & Disputationum Corpore con-
sumpserit, tum ab omnibus bonis Christianisq; debere judico. Ac NB.
eorum quidem omnium, quæ verè & sanctè adversùs hæreses ab
illo dicta sunt, laudem justam ut præcerpamus, aut diminuamus,
neq; est viri boni & Christiani officium, neq; est nobis animus,
aut unquam fuit. Etenim quidquid bonum, verum, sanctum, &
justum est, cùm à DEO sit, id tanquam à DEO oportet accipi, at-
que asservari, ac non superciliosè attendi, per quos, aut etiam
quomodo nobis offeratur bonum, verum, sanctum, justum, ho-
mini semper thesaurus justus est. &c. Hæc de ijs, quæ rectè Bel-
larminus scripsit, bonâ fide profiteor, æquo animo censeo, & bo-
nos mecum sensuros confido. Cùm ergo tantam laudem meru-

erit

erit Bellarminus apud illos, qui fuerunt quasi multorum Chrysippi; ex eodem Bellarmino, de Confessione Augustana pauca ex multis adducimus, monitum verò Francisci Junij ut Lector observet, obnixè rogamus, nempè, ut si quid Bellarminus non ad placitum fortè multis de Confessione Augustana scribat, modò rectè, & ut se res habet, ex veritate scribat. Nam sæpè hominibus ex naturali infirmitate accidit, ut ex affectu personarum, errores illarum ament, & Sanctos esse velint, & veritatem respuant. Viri ergo sensati debet esse judicium, non dedignari illa, quæcunq; dicuntur, sed videre, & judicare, si rectè, & ex veritate dicuntur, quamvis minimè placeant, modò vera dicantur. Sic nec Confessio Augustana & Apologia illius, licèt suis sectatoribus magis ex personarum affectu, quàm ex veritate placeat, à multis tamen erroribus excusari non potest, vel ex solis sinistris imputationibus, quas imponit Catholicis. Qui hunc gravem errorem illius non solùm videre, sed etiam palpare velit, legat Confessionem Augustanam cum sua Apologia, & Catholicos Authores, videbit, quàm sit alienum à veritate, quæ Confessio Augustana Catholicis imponit, & tamen multi his tanquam veris credunt, & illis nituntur, existimantes hæc vera esse, quæ sinistrè Catholicis Confessio Augustana & Apologia imponit. Et si à Wittakero & Francisco Junio Bellarminus meretur hanc laudem, quòd verè ac sanctè multa contra hæreses scripserit, etiam suam laudem ab illis deberent habere Hosius Cardinalis, Baronius, Cajetanus, Polus, Roffensis, Waldensis, Gravina, Becanus, Morus, Cochlæus, & multi alij, quorum Opera si revolverit Lector, non erit absq; commodo animæ suæ. Quòd autem dicit Franciscus Junius loco citato de Bellarmino, quòd illa Capita doctrinæ, in quibus à vero aberrant, dissident, aut instabiles sunt Pontificij, in unum compegit, atq; concinnavit; hoc nimis difficile probandum erat Junio: nam in ijs, quæ sunt de Fide, nunquam Pontificij dissident, aut sunt instabiles, quia semper publicam Ecclesiæ doctrinam tenent, in illis verò inter se disputant, quæ acumen ingenij contra hæreticos exercent, ut magis ingenia sua ad propalandas fraudes hæreticorum expolient; in dogmatibus verò Fidei nunquam hallucinantur, sicut hæretici, qui unusquisq; è suo cerebro privatas propositiones hodiè tenet, cras iterum negat. Nunc ex multis pauca adducimus. Idem Bellarminus eodem Tomo fol. 1186. adducit pag. 18 in Art. 20. Confess. Falsò accusantur nostri, quòd bona Opera prohibeant. Sed contrarium patet

patet ex Luthero, qui Serm. de Piscatione Petri ait: *Quantò scelerátior es, tantò cit iùs DEUS gratiam infundit.* Et infrà: *Si veneris cum magnis saccis operum plenis, deponere oportebit, alioquin non poteris penetrare*, Idem Lutherus Serm. de Novo Testam. ait: *Caveamus à peccatis, sed maximè ab Operibus bonis & legibus, solùm promissionem DEI attendamus; ipsa enim brevis est perfectio, nec aliqua lex requiritur, nec opus, immo legem præscindit & opus.* Et Calvinus lib. 3. cap. 15. §. 1. ait: *Evangelium eo à Lege differt, quòd operibus non alligat iustitiam, sed in sola DEI misericordia collocatur.* Colloquium Altenburgense hæc habet: *Ad Sathanam spectant Christiani cum omnibus bonis operibus, precari verò oportet, ut in Fide sinè bonis operibus omnibus ad finem usq; constantes perseveremus, adeò necessaria illa non sunt, ut etiam ad salutem incommodent, sintq; perniciosa.* Hoc etiam dicebat Eunomius, testis est S. August. lib. de Hæres. cap. 54. & Simon Magus, testis S. Irenæus lib. 1. cap. 20. Vide Discurs. nostrum superiùs de bonis Operibus, ubi contraria sententia est verè Catholica, ex S. Scriptura & SS. Patribus probata, Fidem sinè bonis Operibus mortuam esse. Pag. 22. in Art. 21. habetur: *Non esse a Sanctis auxilium petendum, eò, quòd sit unus Intercessor Christus & Mediator, qui dedit semetipsum in redemptionem pro multis.* (in editione Geneven. ultimæ Edit. Biblio. addiderunt hoc nomen *Solus*; Lutherani tamen & Angli continuerunt se ab hoc additamento *Solus*.) Nec ullus Catholicorum hoc etiam dixit, ut Sancti sint mediatores per modum redemptionis, sed longè inferiori modo, ut in Discursu de Invocatione Sanctorum probavimus. Deinde, Concilium Chalcedonense Generale IV. fuit Concilium Cathol. Ecclesiæ, quod adversarij non negant, & tamen hoc Concilium habet Act. 11. hæc: *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* Pag. 22. in Art. 21. Confess. ajunt: *Apud nos magna ex parte veteres ritus diligenter observantur. Falsa enim calumnia est, quòd omnes Cæremoniæ, omnia vetera instituta in Ecclesiis nostris aboleantur.* Testes appellamus omnes Lutheranos & Calvinistas, si omnes Cæremoniæ, omnia vetera instituta in Ecclesijs eorum observentur, de quibus passim Veteres Patres mentionem faciunt. Si observatur ante Baptismum abrenunciatio diabolo, & pompis ejus: si observantur oblationes pro defunctis: si observatur signaculum Crucis in fronte ad omnem progressum, quia hæc Tertullianus in lib. de Corona Milit. inter Ecclesiasticas Cæremonias enumerat: si observatur Signum Crucis, benedictio

dictio aquæ Baptismatis, benedictio Olei unctionis, benedictio ejus qui baptizatur: si observantur verba Invocationis, dùm ostenditur Eucharistia, &c. nam hæc inter ritus Ecclesiæ ponit S. Basilius, lib. de Spiritu S. ad Amphilochium: si observatur consecratio aquæ per signum Crucis, de qua meminit S. August. lib. 6. cont. Julian. c. 40. si observatur Unctio, de qua idem lib. 2. Quæst. Evang. cap. 40. si observatur Chrisma, quo ungimur post Baptismum, de quo idem lib. 15. de Trinit. cap. 26. si observatur signum Crucis, quo benedicitur Chrisma, & quo signamur in fronte, dum Sacramentum Confirmationis accipimus, &c. &c. Pag. 23. in Art. de Conjugio Sacerdotum ajunt: *In Germania primùm ante annos quadringentos Sacerdotes vi coacti sunt ad Cœlibatum* Vide totum contrarium suprà in Discursu de Cœlibatu, & Tom. 3. Bellarm. fol. 1190. & sequent. Pag. 29. in Art. de Confess. ajunt: *Anteà immodicè extollebantur Satisfactiones, Fidei verò & Meriti Christi, ac iustitiæ Fidei, nulla fiebat mentio.* Sed vide totum contrarium in libris omnium Catholicorū, in quibus & Fides passim prædicatur, non quidem mortua sinè bonis Operibus, sed quæ operatur per Charitatem, secundùm Apostolum, & virtus Sacramentorum, & ipsarum Satisfactionum, ad Meritum Christi refertur, tanquam ad primum principium, sinè quo nihil valent omnia. Undè manifestum est, quòd Sacramenta Ecclesiæ, & omnia bona, habent originaliter virtutem ex Passione Christi, & absq; illa sunt omnia nihil, & digna gehennâ. Pag. 34. in Art. de Votis Monasticis ajunt: *Augustini tempore Monasteria erant libera Collegia, posteà corruptâ disciplinâ, ubiq; addita sunt Vota.* Vide totum contrarium in Discursu de Cœlibatu & Votis Religiosis. Pag. 59. in Apolog. Art. 2. Philippus ait: *Ad eundem modum loquitur Augustinus, qui ait: Peccatum in Baptismo remittitur, non ut sit, sed ut non imputetur.* Vide contrarium in Discursu de Concupiscentia, ubi ostendimus, concupiscentiam in regenerato, si prava voluntas non adsit, non esse peccatum, licèt maneat concupiscentia in illo. Hanc Catholicam sententiam ex S. Scriptura, & Concilijs, & SS. Patribus ostendimus; contrarium verò antiquum fuisse errorem. Sic enim clarè loquitur S. August. Tract. 41. in Joan. *Numquid, quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas?* Et lib. 6. contra Julian. cap. 5. ait: *Omni peccato carent iustificati, non omni malo.* Et ipse Philippus in Colloq. Wormat. ingenuè fassus est, in discussione Confess. August. Art. 2. malè hunc locum ex August. citatum.

Dein-

Deindè hæc ſententia cum lumine naturali convenit: quis enim di- cet, niſi inſipiens, quòd illa concupiſcentia offendit DEUM, quam non vult, ſed patitur regeneratus in corpore ſuo: peccatum enim eſſe non poteſt, niſi ſit voluntarium, ſecundùm eundem S. Auguſt. & alios SS. Patres. Sed illi fecerunt concupiſcentiam peccatum, ut liberiùs peccarent, ut ſuperiùs oſtenſum eſt in Diſcurſu de Concu- piſcentia. Pag. 62. in Apolog. pro Art. 4. ait Philippus: *Damnant Auctores Confeſſionis Auguſtanæ, quòd affirmamus, homines Fide conſequi remiſſionem peccatorum, & Fide in Chriſtum iuſtificari.* ℟. Non damnãt Auctores Confeſs. Auguſt. quòd Fide dicamus juſtificari, ſed quòd ſolâ Fide mortuâ, ſed Fide, quæ per Charitatem operatur. ut ait A- poſtolus ad Galat. 5. Vide Diſcurſum de bonis Operibus ſuperiùs. Ibidem ait Philippus: *Antonius, Bernardus, Dominicus, Franciſcus, & alij SS Patres, elegerunt certum vitæ genus.* Hîc iterum Philippus vi- detur laudare & approbare vitam Monaſticam, cùm vocat Sanctos; & illi omnes Monachi fuerunt, & Patres Monachorum Vota Reli- gioſa Obedientiæ, Caſtitatis, & Paupertatis obſervâſſe, & alijs ob- ſervanda reliquiſſe. Pag. 112. in Apolog. ait Philippus: *Propter Chriſtum placent bona Opera; ſed illi ubiq; excluſo Chriſto docent, me- reri Juſtificationem opera Legis.* ℟. Ne unus quidem ex Catholicis hoc dixit, ſed omnes docent, & eſt verè Catholica ſententia, ſinè Chri- ſto nullius momenti eſſe opera noſtra, & nihil aliud merentur, niſi gehennam. Pag. 129. in Apolog. ait: *Sed fortaſsè adverſarij ſic po- ſtulant definiri Eccleſiam, quòd ſit Monarchia externa ſuprema totius Or- bis terrarum, in qua oportet Rom. Pontificem habere poteſtatem &c. con- dendi Articulos Fidei, abolendi Scripturas, &c.* ℟. Non condit Rom. *apertiſſima calumnia.* Pontifex novos Articulos, ſed Eccleſia explicat ſe in Concilijs Gene- ralibus contra hæreticos, cùm illi aliquos negent Articulos implicitè creditos, ut ſe explicavit contra Arianos per verbum *Homouſion*, con- tra Monothelitas de duabus in Chriſto Naturis, nec etiam abolet Scripturas, ſicus abolevit Lutherus Epiſtolam S. Jacobi, ad Hebræ- os, & Apocalypſim, (quas Calvinus cum tota Antiquitate agnoſcit pro Canonicis.) Condidit etiam novos Articulos, ut quiſq; credere teneatur, ſe eſſe juſtum, licèt in omni opere bono peccet; Eccleſi- am non eſſe audiendam; non dari liberum arbitrium; Sanctos non invocandos; licèt alibi contrarium dixerit, eſſe invocandos, &c. Pag. 130. in Apolog. in Art. 10. ait: *Decimus Articulus approbatus eſt, in quo confitemur nos ſentire, quòd in Cœna Domini verè & ſubſtanti-*

aliter adsint Corpus & Sanguis Christi, & verè exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur pane & vino his, qui Sacramentum accipiunt. R. Hic error gravis est, & contrarius Ecclesiæ Cathol Rom. quæ semper credidit, non esse Corpus & Sanguinem cum pane & vino, sed transmutari, vi verborum Christi, panem & vinum in Corpus & Sanguinem Christi. Vide superiùs Discursum nostrum de Reali præsentia Christi in Eucharistia. Pag. 200. in Apol. Art. 21. ait Philippus: *Neq; reliqui veteres Scriptores ante Gregorium fecerunt mentionem invocationis.* Vide contrarium in Discursu de Invocatione SS.

De Confessione Augustana quid alij senserint audiamus. Osiander de Confessione hac hæc ait: *Confessionem autem hanc Philippus ipse scripsit, penes quem etiam est interpretandi potestas, &c.* vide sup. pag. 489. Joannes à Lasco similia habet de Confessione Augustana, vide Hosij lib. 1. de Hæresibus nostri temporis, fol. 444. & fol. 445. Missa fuit August. Confessio ad Jeremiam Patriarcham Constantinopolit. ut ferret judicium, quid sentiret de illa, qui Censuram illius remisit. Author Tubæ pag 58. ait: *Libri Symbolici nostri particularis Ecclesiæ Confessionem ponunt gradu inferiore, &c. adeoq; Judex, Norma, ac Regula non sunt* Hoc idem dicendum est de Confessione Augustana. Nam sicut isti *Libri ubi sunt recepti?* (ait Author Tubæ pag. 59.) *num apud Græcos? num apud Syrios? num apud Armenios? num apud Æthiopes? num apud Russos & Moschos? num apud Pontificios? num apud Calvinistas?* idem dicendum de Confess Augustana, quam multa Regna & populi ignorant. Si ergo sine Confessione August. Ecclesia consistere non potest, sequitur, quòd Ecclesia toto Orbe terrarum interierit, quod est hæresis Novatianorum, nam contra illam *Portæ inferi non prævalebunt.* Conformiter ad hæc verba Authoris Tubæ, Bellarminus Tom. 3. in suo Judicio de libro Concordiæ, fol. 1178. hæc habet: In Præfatione Concordiæ, atq; adeò in ipso principio Præfationis hæc habentur de Confessione August. quòd in totum Orbem terrarum sparsa ubiq; percrebuerit, & in ore & sermone omnium esse cæperit. Sed totum contrarium est verissimum & palpabile. Nam ex tribus partibus Orbis terræ, duæ Asia, atq; Africa, ne nomen quidem Augustanæ Confessionis audierunt, in Europa, quæ tertia pars est, Græcia, Italia, Hispania, quid sit Augustana Confessio, omninò ignorant. Gallia ac Britannia, partim à Catholicis, partim à Calvinistis inhabitantur, quorum illi Confess. August. apertè repudiant, illi solo nomine reci-

Vide suprà pag. 490

Matth. 16

piunt:

piunt: quanquam novam hanc in Confessione Concordiam Cal „ vinistæ ne quidem nomine amplectuntur. Sola restat Germania, „ eaq; non tota, in qua sese fama Confess. August. dilatet. Nam in „ Germania plurimi Zwingliani & Anabaptistæ inveniuntur, qui „ Confess. August. nunquam receperunt. Quid? quòd initiò nec „ in parte Germaniæ Confessio August. locum habere potuit: nam „ eo ipso anno, quo Augustæ nata est, Augustæ quoq; extincta „ quodammodò est. Siquidem à Theologis Catholicis refutata, & „ ab Imperatore Carolo V. publicè damnata fuit in generali recessu, „ cui damnationi subscripserūt Electores quinq;, Ecclesiastici Prin- „ cipes 30. Sæculares 33. Abbates 22. Comites & Barones 32. „ Civitates liberæ & Imperiales 39. cùm ipsi Confessioni solùm „ subscripserunt Elector unus, Principes sex, Civitates undecim. „ Undè meritò Philippus lib. 1. Epist. in Epist. ad Joan. Obernbur- „ gerum ita scribit: *Non delector recordatione Comitiorum Augusta-* „ *norum, in quibus tristi ac atroci sententiâ damnati sumus.* Nec so- „ lùm Augustæ Confessio vix dum nata, extincta sit, sed etiam in „ duobus Archivis ita sepulta. ut per totos annos 40 lucem non „ viderit. Confessio enim Germanica in Cancellaria Moguntina, „ Latina verò in Bruxellensi longissimo tempore delituerunt, atq; „ iterum singulis propè annis edebantur aliæ atq; aliæ, quæ cùm o- „ mnes Confess. August. titulum præ se ferrent, tamen & verbis, „ & sententijs, cùm inter se tum ab illa prima plurimùm dissentie- „ bant. Itaq; gloriosum illud Encomium August. Confess. quod in „ totum Orbem terrarum sparsa ubiq; percrebuerit, ita interpre- „ tandum videtur Confess. Augustana, id est, Confessionis falsum „ nomen gerens Confess. Augustanæ, per totum Orbem terrarum, „ id est in quodam angulo Septemtrionis, ubiq; sparsa percrebuit, „ id est, in aliquot Oppidis Germaniæ audiri cæpit. Hucusq; Bel- „ larminus. Certum est, quòd Philippus in conscribenda Augustana Confessione usus est multiplici astu, ut eò faciliùs plures ab Ecclesia Cathol. Rom. separaret, posuit aliqua, in quibus cum Catholicis convenit, dixitque, se in nullo Articulo dissentire ab Ecclesia Catholica, tantùm ob paucos abusus; & contrarium patuit superiùs, ut de Cæna Domini, de Invocatione Sanctorum, de Cœlibatu, de libero arbitrio, quod semel negavit, aliâ vice concessit: & hoc de industria fecit, ut non terreret illos, quos separavit, ut putarent, se non esse separatos ab Ecclesia Catholica ob paucos abusus, finxit, se ser-

vare omnes Cæremonias & vetera instituta, in Art. 21. Confession. Idem de Missæ Sacrificio fecit, cùm tamen sciverit Philippus, Missæ Sacrificium ab ipsis pene Apostolis in usu fuisse, totâ Antiquitate, SS. Patrum testimonijs comprobante; scivit ex ipso Luthero, qui lib. de Capt. Babil. ait: *Missa creditur passim esse Sacrificium, quod offertur DEO, accedunt his dicta SS. Patrum, tot exempla, tantusq; usus per Orbem constanter observatus.* Idem lib. de abrog. Missa ait: *Magnum est certè, tot Sæculorum consuetudini, tantæ multitudinis sensui, tantorumq; auctoritati reluctari.* Scivit ex Calvino, qui lib. 4. Instit. cap. 18. §. 12. ait: *Non est, cur ullâ hominum auctoritate, vel annorum præscriptione patiamur nos moveri.* Et §. 18. ait: *Hâc de Missæ sententiâ inebriatos esse omnes Reges & populos, à summo usque ad infimum.* Et tamen idem ipse Calvinus in Epist. ad Sadelot. Card. quem etiam Author Tubæ pag. 8. citat, sic ait: *Omnes suos conatus esse, ut restituat illam Ecclesiæ faciem, quæ fuit apud Græcos tempore Chrysostomi, Basilij M. & apud Latinos tempore Cypriani, Ambrosii, Augustini, ita ut Scripta eorum testantur.* Quomodo ergo voluit Calvinus restituere veterem Ecclesiæ faciem, cùm nullâ vult auctoritate hominũ vel temporum moveri? Nonnè hîc etiam patet Calvini astus? qui finxit, se Veterem venerari Ecclesiam, & tamen Veteris Ecclesiæ sustulit Sacrificium, cùm SS. Patres à Calvino adducti, Chrysostomus, Basilius, Ambrosius, Augustinus, offerebant Missæ Sacrificium, ut clarè patet ex Discursu de Missæ Sacrificio. Scivit etiam benè & Philippus de Liturgijs SS. Apostolorum, Petri, Jacobi, Marci, Hierosolymitana, Æthiopica, S. Ambrosij, quæ vocatur ad hodiernum diem Ritus Ambrosianus, S. Basilij, S. Chrysostomi, qui de Missæ Sacrificio sic ait: *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio.* S. Cyrillus Hierosol. Catech. 5. Mystag. sic ait: *Pro omnibus oramus, qui inter nos vitâ functi sunt, maximum credentes esse animarum iuvamen, pro quibus offertur obsecratio Sancti illius, & tremendi, quod in Altari positum est, Sacrificij.* Alios SS. Patres vide in Discursu de Missæ Sacrificio. Advertens hæc omnia Philippus, ne offenderet animos illorum, quos separaverat sub prætextu paucorum abusuum ab Ecclesia Cathol. Rom. quòd tum rem antiquam, & SS. Patrũ testimonijs firmatam, Missæ Sacrificium si palàm eliminâsset, vix enim habuisset aliquem Sequacem sui in tam evidenti errore negationis Sacrosancti Sacrificij, finxit, se Missam venerari, & ait: *Retinetur enim Missa apud nos, & summâ*

summâ reverentiâ celebratur; & ut magis suum astum celaret, addidit hæc: *Servantur & usitatæ Cæremoniæ ferè omnes, præterquam quòd Latinis Cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ.* Quis crederet, Philippum loqui de alia Missa, quàm de illa, quæ illo tempore celebrabatur, quam non solùm asserit retineri, & cum summa reverentia celebrari, sed etiam graviter conqueritur, quòd Sui de hoc accusentur, quasi illam aboleant, cùm omnes Cæremoniæ observentur, (ait ille) excepto, quòd Cantiones germanicas misceant: quis non credidisset Philippo, quòd ille retineat Missam, prout illo tempore celebrabatur, & tamen aliud dicit in August. Confessione, aliud fecit, nam Missæ Sacrificium eliminavit. Si non est verum, appello fidem omnium Confessionistarum, si in ipsorum Ecclesijs Missæ Sacrificium offertur, sicut ab initio Ecclesiæ, sicut tempore S. Augustini, Chrysostomi, Ambrosij, Basilij, sicut tempore ipsius Philippi offerebatur. Credibile est, hunc Articulum Confess. August. unum ex illis fuisse, de quibus, teste Hospiniano pag. 2. Histor. An. 1541. recognovit, postmodùm ipse se aliquos ex prædictis Articulis Augustæ condidisse, ambiguos, & flexiloquos, atq; ad occasiones accommodandos. Obscuros etiam, penes quem etiam (ait Osiander) fuit interpretandi potestas. Et Calvinus Epist. 32. de eodem Melanchtone & Bucero tradit, eos formulas de Transubstantiatione condidisse ambiguas & fucosas. Siccinè vobis, Confessionistæ, Lutherani, Calvinistæ, vobis tribus, & inter se non convenientibus, locutus est Dominus, non etiam SS. Patribus, non Concilijs, non toti Ecclesiæ, quæ constanter à primordijs suis retinuit Missæ Sacrificium, ipsis etiam fatentibus adversarijs? Siccine ad vos primùm pervenit Verbum DEI, quod Ecclesiam tantoperè latuit? Siccinè vos primi, qui post tot Sæcula Ecclesiam Christi Verbo DEI, sed secundùm vos explicato, vobis solùm, & non alijs, revelato ab idololatria vindicatis? Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia, Job. 12. Ad rem nostram S. Hilarius lib. de Trinit. *Ignosce Omnipotens Deus, quia in his nec emendari possum, sed commori possum, tardè mihi hos pijssimos &c. doctores ætas nunc huius Seculi protulit, serò hos habuit Fides mea.* Cui unquam mortalium in mentem venire potest, nisi insano, Christum, qui est Veritas & Charitas, tam diù passurum fuisse, dilectam Sponsam suam Ecclesiam in tam abominando errore circa Missam tot Sæculis hærere, nisi dicat aliquis, illam Ecclesiam à tempore Apostolorum, & tempore Chrysostomi, Basilij, Augustini, Am-

Videte astum, quo separati estis à Matre Vestra.

Ambrosij, in qua Missæ sicut & modò celebrabantur, non fuisse veram Ecclesiam. Sed sufficit nobis ostendisse, Missæ Sacrificium semper fuisse in usu, ex SS Patribus, etiam ex adversarijs, Luthero, Calvino, & Melanchtone, qui ob dignitatem & antiquitatem illius, non ausus est illam publicè tollere, sed finxit, se illam venerari. Cùm non opponunt Ecclesiæ nostræ aliam tunc meliorem, sed solùm Verbo DEI, suo sensu intellecto, volunt ipsam Ecclesiam judicare. Quibus respondet S. Augustinus lib. de utilit. creden. cap. 3. *Non audiamus, hæc dico, hæc dicis, sed audiamus, hæc aiut Dominus*, per SS. Patres & Ecclesiam. Idem cap. 14. *Vos autem, & tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium est, quoniam neminem in auctoritatem præfertis.* Quòd autem novus sit Lutherus cum alijs, patet ex ipsomet, qui in Locis Commun. Clas. 5. cap. 15. pag. 50. de Sacram. ait: *Sinè nobis, & ante nos, nihil erant.* Idem Epist. ad Argent. An. 1527. ait: *Christum vobis primò vulgatum dicimus.* Idem Tom. 7. fol. 271. *Evangelium abundè per me prædicatum est, ut ne Apostolorum quidem temporibus adeò insonuerit.* Calvinus in Epist. 141. pag. 263. ait: *Absurdum est, ut postquam discessionem à toto mundo facere conati sumus, inter ipsa principia alios ab alijs dissilire.* Mornæus in Præfat. Myster. ait: *Nostra Reformata Ecclesia, cùm & pusilla, & nupera sit.* Melanchton in Apolog. Art. 6. pag. 222. agnoscit, *quòd Schisma fecerit, & se cum Suis divulserit, qui ex stimantur ordinarij Episcopi.* Cùm ergo hi omnes Schisma fecerint, & divulserint se ab ordinarijs Episcopis, & cùm fuerint vel Sæculares Sacerdotes, vel Religiosi, nulli Episcopi, ex defectu Ordinationis, non habent Sacerdotes veros, undè sequitur, nec Sacrificium offerre, nec Corpus & Sanguinem Christi conficere poterant, nec conficiunt. Non ergo verificatur, quod dixerat Philippus, in nullo Articulo Fidei discrepare Confess. Augustanam: nam hæc apparenter dicta sunt, ut non terrerentur illi, cum quibus Schisma fecerit, ut ille ait, & se divulserit ab ordinarijs Episcopis, usus est hac in parte antiquo astu, de quo sic Gregor. Nazianz. Epist. 1. ad Cledonium ait: *Homines isti perniciosa sua dogmata simplicioribus animis per alios versutiores & sceleratiores infundunt, sed quòd nos in eadem opinione & sententia esse mentiuntur, hamum suum hâc escâ circumtegentes, atque hoc fuco & prætextu, cupiditatem suam nefariè explentes.* Idem Philippus in Apolog. eodem Art. 18. vocat Catholicos, Pelagianos, cùm ait: *Quid interest inter Pelagianos & adversarios nostros?* Pelagianismum verò

intolerabilis superbia.

NB.

objicit

objicit ex sinistra imputatione, imponendo Catholicis, quòd opera sinè Spiritu S. facta, mereantur gratiam & justificationem, quod nullus Catholicorum unquam docuit: qui vult experiri veritatem, videat omnes Catholicos Theologos. Pro hac duplici gravi contumelia possemus parem reponere contumeliam, sed quia solùm veritatem, & bonum animarum, in Schismatibus & hæresibus miserè pereuntium, præ oculis habemus, malum pro malo non rependimus, sufficit indicâsse, ista non cohærere, cum Antichristo & Pelagianis velle Philippum concordiam facere. Sed longè alium titulum dederat Romano Pontifici, Leoni X. Lutherus, dum ait: *Beatissime Papa, prostratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero, cum omnibus quæ sum & habeo, vivifica, occide, voca, revoca, approba, & reproba, ut placuerit. Vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis & loquentis audiam.* Ista certè valdè diversa, Beatissimum Papam vocare, & vocem Christi in eo præsidentis agnoscere à Magistro Luthero, & à discipulo Lutheri Philippo, vocari Antichristum. Sed in alio loco etiam ipsemet Philippus, aliter locutus est, in Ep. Theol. Ep. 74. *Episcopus Romanus omnibus Episcopis præsidet, & hanc politiam Canonicam nemo puto sapiens improbat, aut improbare debet, &c. Monarchia enim Pontificis Romani in hunc finem, meo quidem judicio, utilis est, ut unitas doctrinæ servetur* Imò & Lutherus in Loc. Commun. 1. cap. 35. pag. 105. ait: *Cùm DEUS voluerit habere Ecclesiam Catholicam per totum Orbem, necesse fuit, unum aliquem populum, imò unum aliquem Patrem istius populi unius eligi, ad quem, & suos posteros, spectaret totus Orbis, & fieret unum ovile, & sic ex omnibus gentibus in infinitum, variatis moribus tamen, unica fieret Ecclesia.* Istam verò concordiam finxit etiam Philippus, ne offenderet illos, quos separavit ab Ecclesia Cathol. Rom. ut putarent, se non esse separatos, prout & modò multi putant. Patet hoc ex ipso Authore Tubæ, qui pag. 22. citat Covellum in defensione Hookeri pag. 68. sic loquentem: *Romanenses de familia JESU Christi esse, libenter agnoscimus, dum autem nosmet reformamus, non nos ab Ecclesia (uti sperandum est) segregamus, in qua antè fuimus. In Ecclesia fuimus, & in eadem manemus, quemadmodum & Romanenses.* Sed quàm sit hoc verum, quòd in Ecclesia maneant, ex sequenti Discursu patebit. Similiter & Lutherus simili arte usus est, dicendo, *In nullo Articulo Fidei nostræ Ecclesiæ discrepant ab Ecclesia Catholica, tantùm pauca quædam omittunt.* Si hoc verum est, quare tam pauci abusus prætensi in maximos ex-

quis Catholicus majorem veritatem potuit fateri? sicut fassi Melanchtō & Lutherus contra seipsos.

☞ *Falsa & æternam inducens damnationem suppositio.*

creverunt? quare ex tam parva scintilla tam magnum ebullivit incendium tot hæresum in tota Europa, ut jam numerari non possint. Sed hæc fingenda erant, aliàs nunquam traxissent tot homines, si palàm suos errores manifestâssent: si autem verum dixerunt, non habuerunt justam causam recedendi ab Ecclesia Cath. Rom. ob paucos abusus. Non ergo potest verificari, quod ait Author Tubæ p. 21. *Certè, si causas ponderemus, quare conscripta sit Augustana Confessio, non fuit potior ac prior, quàm ut una, sincera, ac vera Religio colatur, & servetur, ut quemadmodum sub uno Christo sumus, ita in una etiam Ecclesia Christiana, per quam Romana intelligitur.* Nam ut patuit in conscribenda Confess. Augustana, multos commisit errores Philippus, ut homo privatus, non solùm cum Ecclesia Cath. Rom. sed etiam cum seipso non consentiens, licèt hæc simulato animo dixerit, ad non terrendos illos, quos separaverat, quòd in nullo Articulo discreparet August. Confess. ab Ecclesia: quomodo enim ipse errare non debuit, cùm ipsemet de Carolstadio & Luthero scribens ait: *Meo certè judicio, magna est temeritas, dogmata facere, non consultâ Ecclesiâ Veteri*, quod utinam in scribenda Confess. August. servâsset, nunquam tot errores commisisset. Et Author Tubæ pag. 41. adducit Lirinensem sic loquentem: *Proinde nullus Episcopus, quisquis ille sit, sibi assumere debeat Primatum Magisterij in docendo, quasi ipsi soli, priâ Antiquitate rejectâ, credendum sit in explicatione Scripturæ, pro decisione Controversiarum.* Hoc dictum quadrat Philippo, qui non Episcopus, sed homo sæcularis, & privatus fuit. Eundem Philippum adducit Author Tubæ pag. 83. sic loquentem: *Concordiam tam sanctam nobis esse debere, ut ad eam conservandam, non tantùm ijsdem verbis, sed & syllabis eiusdem Fidei Capita exprimenda esse.* Quare ergo sic non fecit, sicut docuit Philippus? Causam superiùs manifestam dedimus, quia propter astum hæc dixerit.

Hamus pro simplicibus.

Discursus Theolog.

Ob quas rationes Augustana Confessio recessit in aliquibus à Luthero, testimonijs Dissidentium probatur.

Vide pag. 481 circa finem & seq.

CUm Samuel Werner in sua Disputatione ex Augustana Confessione probet realem præsentiam Christi in Eucharistia post consecrationem, licèt cum hoc errore, quòd sit cum pane, contra mentem

tem Magiſtri ſui Lutheri, qui Serm. de Euchariſt. ait: *In Sacramento Altaris non eſt panis & vinum, ſed ſpecies panis & vini*, quamvis Lutherus varius in hoc fuerit, ſicut in omnibus, ut jam ſuperiùs ad oculum oſtendimus: modò reſtat videndum, ut ſuprà promiſimus, in quibus Melanchton à Luthero receſſerat cum ſua Auguſtana Confeſſione. Videntur tria primaria puncta fuiſſe, in quibus ſibi fuerunt contrarij. *Primum*, circa Confeſſionem & Communionem. Lutherus in Conc. de digna præparat. ad Sacram. Euchariſt. habita Anno 1518. ait: *Optima diſpoſitio eſt, non niſi ea, quâ peſſimè eſt diſpoſitus; & è contrario tunc peſſimè eſt diſpoſitus, quando optimè eſt diſpoſitus*, contra illud expreſſum S. Pauli 1. ad Corint. cap. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* Et S. Auguſt. Tract. 26. in Joan. *Fratres &c. innocentiam ad Altare portate.* Et lib. de Capt. Babil. cap. de Euchar. edito An. 1520. ait: *Verbum Divinæ promiſſionis huius Sacramenti, cùm exhibeat remiſſionem peccatorum, ſecurè accedit, quicunq; peccatorum ſuorum vexatur ſive morſu, ſive titillatione.* Confeſſio autem Auguſtana contrarium tenet Luthero, dum in Cap. de Confeſs. ait: *Apud ſuos non ſolere porrigi Corpus Domini, niſi anteà exploratis & abſolutis.* Et in Cap. de Miſſa ait: *Nulli admittuntur ad Sacramentum, niſi anteà explorati & auditi.* *Secundum.* Lutherus Serm. de Piſc. Petri ſic ait: *Quantò ſceleratior es, tantò citiùs Deus gratiam infundit.* Ibidem: *Debemus cum ſolo Iſaac venire, id eſt cum Fide; ſervos & aſinos, hoc eſt opera, deorſùm dimittere oportet.* Et in Serm. *Sic DEUS dilexit mundum*, ait: *Cæterùm, qui operibus onerati ſunt, ij non poterunt penetrare, ſcil. per anguſtam viam ad Cœlum.* Confeſſio verò Auguſt. pag. 18. Art. 20. contrarium ait: *Falsò accuſantur noſtri, quòd bona opera prohibeant.* S. Hilarius in Matth. in Comment. Cap. 6. reſpondet in Spiritu Luthero: *De noſtro igitur eſt beata illa æternitas promerenda, præſtandumq; eſt aliquid ex proprio, ut bonum velimus, malum omne vitemus, toto affectu Præceptis Cœleſtibus obtemperemus.* Vide multa ſimilia ſuprà in Diſcurſu de bonis Operibus. *Tertium*, & quidem primarium, præcipuusq; Articulus Lutheri, & omnium optimus, ut ipſe dixit, Summaq; rerum illius, in quibus Melanchton ab initio cum Luthero conveniebat, non dari liberum arbitrium in homine, revocavit tamen, dari in locis poſterioribus, dicens: *Concedendum eſt, quòd Scriptura Apoſtolica tribuat homini, etiam nunc poſt lapſum, libertatem aliquam deligenda ea,*

Contradictio in re graviſſima.

Melanchtonis sententia de Luthero, negante liberum arbitrium.

quæ sunt subjecta rationi Et infrà ait: *Hæc Manichæa imaginatio, quæ videlicet libertatem & contingentiam tollit, horribile mendacium est, & ab hoc errore mentes abducendæ sunt, & docendæ, agere aliquid liberum arbitrium* Et meritò Melanchton ait hæc, nam Simon Magus & Manichæi negabant liberum arbitrium, ut clarè superiùs in Discursu de libero arbitrio ostendimus. Lutherus verò, licet in Visitatione Saxonica concessit liberum arbitrium in Civilibus, nunquam tamen in Spiritualibus suam sententiam revocare voluit, sicut & illam horrendam & impiam, quòd sit Author peccati DEUS. Patet hoc clarissimè ex quadam Epistola, data Rinteli ad Wittembergens. Theologos, die 18 Decembr. An. Dñi 1663. quæ est in Folio impressa, cujus principium tale est: *Salutem, & Gratiam, & Pacem à DEO Patre, per Filium ipsius JESUM Christum, in veritate non minùs quàm charitate.* Secundus Titulus: *Viri Reverendi, plurimùm Amplissimi, Excellentissimi Domini Fautores &c. sincerè colendi* Hæc Epistola est Latino-Germanica, in duas columnas, Latinam & German. in qualibet pagina divisas impressa, cujus Epistolæ facies sunt 222. Subscriptio talis: *Dab. Rinteli die 18. Decembr. An. 1663.* Inscriptio talis: *Viris plurimùm Reverendis, dignis omni fide, studióq; devinctissimis, Decano, & reliquis Doctoribus ac Professoribus Collegij ibidem Theologici.* Hæc Epistola sic incipit: *Si nec lacessiti, nec ullâ urgente causâ has ad vos & alios &c* Hujus Epistolæ authenticum impressum penes me servo Ex hac Epistola non ex odio, (quod DEUS avertat) sed ad intentum materiæ propositæ de libero arbitrio, etiam ex charitate Christiana, quâ ad invicem nobis obligati sumus; nec proferrem hæc, nisi scirem, multos fructum indè percepturos aliquem, cùm adverterint, recessum Lutheri & Calvini ab Ecclesia Cathol. Rom. non fuisse ex DEO, cùm de illo tam indigna senserint & docuerint; tum ut probem, quòd Lutherus nunquam revocaverit sententiam suam de libero arbitrio, aliqua ex hac Epistola ad hoc probandũ de verbo ad verbum excerpsi. In Colloquio Casselano disputantibus Rinteliensib⁹, objecta est hæresis Nestoriana Calvinistis à Wittembergensibus, ut habetur fol. 17. ℣. 20. sic: *Neq; cur Nestorianæ hæreseos crimen magnoperè diluamus coram vobis, &c.* Et fol. 9. num. 3. *Non uni heterodoxiæ Calvinianæ, sed pluribus exitiosis dogmatibus, cumprimis in summo Fidei Articulo de Persona Christi, nos nostram attemperâsse sententiam.* Et fol. 25. num. 4. ajunt: *Grandem nobis dicam scribunt Domini Wittembergenses, quòd Calvinianorum errores universos* pro

Inter Bezam & Iacobũ Andrea, Mompelgarti duravit 8. diebus, tempore Wilhelmi Sexti, Hassiæ Landgravij Principis, Hersfeldiæ Comitis

pro talibus, qui fundamentum fidei & ſalutis minimè attingant, ſalvâq; fide in Eccleſia tolerari poſſint declaraviſſemus, non cum Calvinianis, certè non cum omnibus, quos vulgus ita appellat &c. Eſto à fundamento Fidei in nonnullis deflexerit Calvinus, quod duriores eius phraſes & ſententiæ præ ſe ferunt, &c. Et fol. 27. dicunt, *Nihil eos de Calviniana* σκολιοδοξίᾳ *remiſiſſe, imò craſſioribus Sectæ ſuæ erroribus è Zwinglij & Calvini favillis reſuſcitatis patrocinari.* Reſpondent: Habemus nos tamen clariſſimis compertum notis, non probare ipſos omnia Calvini ſeu verba, ſeu placita, explicant ipſum, excuſant in multis, defendunt, at ductum ex nomine ipſius nomen reſpuentes, produnt, ſe non κατὰ πάντα ipſum ſequi, non ſuæ appellare Authorem doctrinæ. Suſpectus eſt noſtris Doctoribus, inviſusq; inter alia duabus portentoſis opinionibus, quæ vel à naturali diſcrepantes ratione, quâlibet pejores hæreſi ſunt. Altera eſt ſic: Diſſerentis de origine peccatorum ſic decernentis, ut nihil abeſſe videatur, quin ea ad Deum Authorem referat, noſtri ne ad eundem offendant ſcopulum, peccata permittente DEO, non approbante, non volente, fieri docent. Hanc ipſe quaſi inani quæſitam effugio diſtinctionem reijcit & refellit: *Abſurdum* (inquit) *videtur, volente & iubente DEO excæcari hominem, qui mox cæcitatis ſuæ pœnas daturus eſt. Tergiverſando itaq; effugiunt, DEI tantùm permiſſu, non etiam voluntate hoc fieri, ipſe verò palàm ſe facere pronuncians, effugium illud repudiat &c.* Ita Diſput Inſtit. lib. 1. cap. ult. §. 1. & mox Satanæ, ac profligatiſſimorum hominum horrenda & impia facinora, quaſi DEO Authore deſignata allegat. Hoc blaſphema in DEUM impietate infeſtum dogma, quàm amoliuntur à ſe, quàm execrantur Marpurg. &c. Altera non ſanior opinio eſt diſſerentis de æterna Electione & Reprobatione, & ea ad Supralapſariorum, quos vocant, peſtilentiſſimum errorem recidit. Statuunt illi, DEUM adeò prorsùs abſolutâ voluntate hominum, quos conditurus eſſet, alios ad vitam, „ alios ad mortem prædeſtinâſſe, ut neutrobi ulla humana facta & „ merita, neq; bona, neq; mala, adeòq; ne ex reproborum quidem „ parte, voluntarium Adami lapſum, & indè propagatum in poſte- „ ros peccatum, quaſi citra ordinationem ſuam eventura prævide- „ rit, & præſuppoſuerit, adeòq; quos reprobavit, eos non tantùm „ ad mortem & interitum, ſed ad peccatum ipſum, quo morti & „ interitui redderentur obnoxij, ordinâſſe, & condidiſſe; in Sum- „ *ma, omnes voluiſſe eſſe, & feciſſe peccatores. &c.* Ab hoc errore vix eſt

Verſ. 5 NB.

Verſ. 8 ibid.

☞

Pejores hæreſi, duas Propoſitiones Calvini judicârunt Theologi Rintelienſ.

ibidem circa medium.

Alteram Calvini, pejorem hæreſi ſententiam, oſtendunt Rintelienſes, ibid. in fine.

fol. 28. Verſ. 23

Judicium Rintelensium de Calvino.

est ut vindicari queat Calvinus, quem vel Hypotheses suæ redarguunt. Si enim DEUM Authorem peccati facit, qui potest aliter, quàm ut homines quoq; ad peccatum prædestinatos esse dicat, & manifesta in hanc sententiam sunt ejus verba. Instit lib. 3. cap. 21. & 23. & multa ipsius dicta adducunt ad confirmandum ipsius horrendum placitum, nempè quòd sit DEUS Author peccati. Post hæc fol. 29. Hæc ille ibi & alia id genus plura §. 6. & 8. Horremus ad dogmatis impietatem, & trepidamus, &c. quanquam nec tam damnare audemus Calvinum, quàm dogma ejus detestamur, & stygio, quo dignum est, orco devovemus, &c. Si verò Calvinum quoq; & ejus asseclas, quòd tam portentoso hærent errore, promiscuè damnandos censeamus, quo colore, quo remedio, quâve excusatione utemur, ne eâdem damnatione involvamus &c. Martinum Lutherum & Philippum Melanchtonem, qui inquirentibus ejusdem erroris plurima in Scriptis suis argumenta præbent, &c. quin DEUM æquè cum Calvino, Authorem peccati fecerint, & hominem omni libertate exuerint, non dubitari potest. Inspicientibus Lutheri librum de servo arbitrio, Tom. Wittemb. 2. insertum, quàm dura, quàm horrenda in conspectum dant verba? *Non est in manu nostra,* (ait pag. 498.) *DEI voluntatem mutare, multò minùs resistere, quæ nos vult induratos, quâ voluntate cogimur, esse indurati, velimus, nolimus*; & pag 496. & paulò antè reijciens interpretationes, quibus solemus excusare DEUM, ne ipse sit Author & culpa nostræ indurationis; tandem concludit pag. 493. *Stante ergo illâ DEI voluntate, sinè qua nihil fit, & dato, quòd liberum arbitrium nihil boni velle potest, frustrà dicitur, quidquid dicitur pro excusando DEO, & accusando libero arbitrio*; Semper enim dicit liberum arbitrium, *Ego non possum, & DEUS non vult, &c.* Et de Juda proditore scribit p. 497. *Si præscivit DEUS, Judam fore proditorem, necessario Judas fiebat proditor, nec erat in manu Judæ aliter facere. &c.* Nihil ab ipso dissentiens Philippus, Cap. 8. Comment. in Epist. ad Rom. ait: *Non minùs Judæ proditionem, quàm Pauli conversionem, DEI esse opus.* Idem in Locis Commun. primar. edit. quos Lutherus Præfat. in suum de Servo Arbitrio librum non solùm immortalitate, sed Canone quoque Ecclesiastico dignos prædicavit, libertatem humanam & contingentiam rerum planè negat, tanquam ex Prædestinationis decreto, omnia inevitabili necessitate fiant. &c. Et fol. 32. *Hic est Fidei summus gradus*, (Lutherus citato loco pag. 467.) *credere justum, qui suâ*

cùm hæresis aliqua damnatur in Ecclesia, simul & Author illius.

Lutherus, Calvinus, Melanchton, DEUM Auctorem peccati fecerunt, testimonio Theologor. Rintel.

in fine.

ſuâ voluntate nos neceſſariò damnabiles facit, ut videatur delectari cruciatibus miſerorum, & odio potiùs, quàm amore dignus. &c. Et fol. 33. Item pag. 487. *DEI Incarnati eſt flere, deplorare, gemere ſuper perditione impiorum, cùm voluntas Maieſtatis ex propoſito aliquos relinquat, & reprobet ut pereant &c.* Id genus duriſſimarum locutionum plenus eſt totus ille de Servo Arbitrio libellus, &c. Nulla medela ubiq; ſe prodebat intentio penitùs evertendi libertatem humani arbitrij. &c. Et jam finiens librum ait: *Ego verò hoc libro non contuli, ſed aſſerui, & aſſero.* Et fol. 37. *Hæc ſtudioſè & accuratè* (ait) *ſic monere & tradere volui, quia poſt meam mortem multi meos libros proferent in medium, & indè omnis generis errores & deliria ſua confirmabunt. Scripſi autem inter reliqua, eſſe omnia abſoluta & neceſſaria* &c. Et pag. 38 ajunt: Miramur, hæc retractantis aut emollientis verba putari eſſe, quibus tamen nihil tantoperè ait &c. *Magis ac magis confirmet. Scripſi* (ait) *omnia abſoluta & neceſſaria, negatâ humani arbitrij libertate.* Et fol. 40. Abſolutum decretum planè ejuravimus, &c. Saltim horridum illud, & impietati affine dogma de Prædeſtinatione ad peccatum, exuerunt penitùs & profligârunt, adeò, ut ne [illegible]lerandum id quidem ampliùs cenſeant. &c. *Hactenùs synodus* (Dordracena) *laude digna cenſeri debet, quòd tales blaſphemias, quæ in Zwinglij, Calvini, Bezæ, (Lutheri,) Piſcatoris, & aliorum libris reperiuntur,* (DEUM ſcilicet in electione reſpexiſſe hominem nondum lapſum, imò nondum conditum) *tam apertè damnat. Danda autem eſt opera modernis Calvinianis, ut præſtent conſtantiam in iſta vera piaq; ſententia piè aſſerenda, & conſtanter retinenda, & defendenda.* Cumprimis autem nos vehementer lætabamur, cùm Marpurgenſes quàm ab eo errore alieni eſſent, &c. cùm non ſe DEUM Authorem peccati habere, non lapſum primorum Parentum, nec reproborum peccata, DEI prædeſtinationi imputare aſſeverarent. &c. At Wittembergenſes, neſcimus quibus rationibus, quâve ſuſpicione ducti, eos in Zwinglij, Calvini, Bezæ, (Lutheri,) & aliorum Supralapſariorum ſocietatem adſcribunt, tanquam & primos Parentes ad lapſũ, & reprobos ad peccatum, abſolutâ DEI voluntate ordinatos eſſe ſtatuant. Horror ſubit animos noſtros, quotiès tam fœdi dogmatis renovatur memoria. Hucusq; verba deprompta ex Epiſtola Rinteli data ad Wittembergenſes Theologos, ex qua clariſſimè patet, nunquam revocâſſe Lutherum ſuum impium dogma, ſed in hoc errore mortuum eſſe, quem etiam & Philippus ab initio (ut patuit ex hac Epi-

inſignis blaſphemia in Chriſtũ.

Luthero competit hic illud S. Auguſt in Pſal. Enarrat. 48. Et cùm illi nolunt corrigi, Deum volunt depravari. *Et illud:* Exiſtimâſti iniquè, quòd ero ſimilis tui. *Pſalm. 49*

Ejurant horridum dogma Lutheri, Theol. Rintelienſes.

NB.

Epistola) cum Luthero tenuit, in Locis Com. An. 21. cùm ait: *Usurpata est vox liberi arbitrij, à Divinis litteris ac sensu alienissima.* Et alibi: *Quandoquidem omnia, quæ eveniunt, necessaria, nulla est arbitrij nostri libertas.* Sed revocavit illum in locis posterioribus, dum ait: *Concedendum est, quòd Scriptura Apostolica tribuat homini, etiam nunc post lapsum, libertatem aliquam deligendi ea, quæ sunt subjecta rationi.* Et infrà ait: *Hæc est Manichæa imaginatio, quæ videlicet libertatem & contingentiam tollit; horribile mendacium est, & ab hoc errore mentes abducendæ, & docendæ sunt, agere aliquid liberum arbitrium* Et in Locis de Causa peccati ait: *Est hæc pia & vera sententia utráq; manu, & veriùs toto pectore tenenda, DEUM non esse causam peccati, nec velle peccatum.* Et sic Melanchton rectè dixerit Manichæam imaginationem, cùm etiam Manichæus negaverit liberum arbitrium, imò & Simon Magus, ex Clemente lib. 3. Recognition. Undè facilè colligendum, quòd Melanchton à Luthero in primo & optimo Articulo (ut Lutherus ait) recessit ab eo, & Confess. Augustanam composuit, ubi liberum arbitrium acriter defendit, pag. in Apolog. 195. Art. 18. dum ait: *Habet humana voluntas libertatem in operibus & rebus deligendis, quas ratio per se comprehendit. &c. Potest loqui de DEO, exhibere DEO certum cultum externo opere, seu iustitiam operum, &c. potest continere manus à cæde, ab adulterio, à furto* Et contra Joannem Eckium ait: *Pleriq; alij non rectè detrahunt voluntati hominis libertatem.* Et in Epit. Moral. Philoso. ait: *Stoicas illas de Fato, seu Vallæ absurdas imaginationes, quæ propter Divinam gubernationem adimunt libertatem voluntati, fugiamus.* Undè meritò Lutheri & Calvini dicta horrenda, & blasphema dogmata illorum, Theologi Rinteli vocârunt, & profligârunt, ibidemq; portentosas opiniones judicârunt, fol. 27. quæ vel à naturali discrepant ratione, suntquè, ut illi dicunt, pejores hæresi; meritò, inquam, prædicti Theologi pro talibus hæc blasphema dogmata declarârunt: nam ultra hoc, quòd omni naturali rationi repugnent, nulla enim gens, quæcunq; illa sit, & DEUM sive verum, sive falsum agnoscat, unquam illi quòd sciam adscribit, quòd sit Author peccati, & perditionis hominum, & ideò odio magis, quàm amore dignus. Horrenda sanè! nam primum mandatum magnum est tam in Vet. quàm Novo Testam. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, &c* Sacra etiam Scriptura tam Veteris quàm Novi Testam. in multis locis hoc ipsum ostendit, colendum, adorandum, venerandum DEUM, non

Protheus Melanchton.

meritò Theologi Rinteli hæc dogmata Lutheri impia profligârunt, nam Lutherus videtur Patronum assumpsisse dæmonum & damnatorum contra DEUM his blasphemijs.

autem

autem odio habendum, ut v. g. Isaiæ 6. *Seraphim stabant, &c. & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS exercituum.* Et Psalm. 53. *Justus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Ibidem: *Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.* Et Psalm. 140. *Justus Dominus in omnibus viis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis. &c. &c.* Et passim S. Scriptura Vet. & Novi Testam. hæc Encomia tribuit DEO. Undè videtur convenire Luthero & Calvino illud Psalm. 49. *Existimâsti iniquè, quòd ero tui similis*; & Ecclesiast. 3. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ tibi præcepit DEUS, illa cogita semper: in pluribus operibus eius ne sis curiosus, non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. &c. Plura enim sunt super sensum hominum, &c. Multos quoq; supplantavit suspicio illorum, cor durum malè habebit in novissimo, & qui amat periculum, peribit in illo, &c. & pravus corde in illis scandalizabitur*; & Prov. 25. *Scrutator Maiestatis opprimetur à gloria*; & ad Rom. 11. *Noli altum sapere, sed time.* Undè meritò Author Tubæ pag. 3. vocavit ejusmodi homines, *inauguratos Sanctissimæ Trinitatis Secretarios, familiarissimos, qui res non determinatas determinant*, imò *fluctuantes Epicuri doctrinæ* vocantur. Quis magis secretorum DEI fuit conscius, quàm Apostolus Paulus, qui raptus fuit ad tertium Cœlum, & arcana verba audivit, & tamen nihil simile de DEO protulit, imò contrarium Luthero & Calvino, *Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis*, 2. Cor. cap. 1. Sed isti homines jam præsenserunt pro suis factis condignam futuram mercedem, ideò DEUM taliter jam in hac vita tractare cæperunt suis portentosis & blasphemis dogmatibus, ut Theologi Rinteli in sua Epistola ad Wittemberg. Theologos fol. 27. ut suprà testantur.

Discursus Authoris.

De Augustana Confessione. Pag 25. Num. 5.

Citat Author Tubæ Confessionem Augustanam sic: Reverà non habent, si causas ponderemus, quare conscripta sit Augustana Confessio, non fuit potior ac prior, quàm ut una, sincera, ac vera Religio colatur & servetur, ut quemadmodum sub uno Christo sumus, ita in una etiam Ecclesia Christiana, per quam Romana intelligitur, à qua in nullo Fidei Articulo dissentire se dicit, & ad quam 

appellârunt Principes Protestantes, in unitate & concordia vivere possumus. Ob id Principes & Auctores Confessionis Augustanæ, sunt mandato Cæsaris obsecuti, inter primos Augustæ ad Comitia adfuêre, Confessionem August. obtulêre, parati fuerunt de tolerabilibus modis ac via amicè conferre, ut quantùm honestè fieri potest, conveniant cum Romana Ecclesia, & re inter partes citra odiosam contentionem pacificè agitatâ, dissensio dirimatur, ad veram Religionem & concordiam reducatur, quod ardentissimis votis à DEO petiverant. Nullo modo detractarunt, quod ad Christianam, quæ cum DEO & bona conscientia fieri posset, conducere queat, ob id condescendunt in Generale Concilium, quod Pontifex Maximus cum Cæsare Carolo V. emissis literis, primo quoq; tempore congregavit, imò ad id debito modo provocantes appellârunt, quam appellationem nunquam deserere voluerunt. Similiter Anno 1537. in Conventu Schmalcaldico 5. Martij itidem protestati sunt de discordia, cum voto, ut universalis & pia concordia constitueretur cum Romana Ecclesia, &c.

Discursus Theolog.

In quo discutiuntur ea, quæ Author Tubæ in Discursu superiori de Confessione Augustana dixerit.

BEnevole Lector, suppono de probitate tua, quòd veritatem & rectum judicium amas, cùm nihil sit DEO gratius, cùm ille solus sit verax, & omne mendacium execratur, dicens: *Os, quod mentitur, occidit animam*, Sap. 1. Ibidemq; sic nos hortatur ad justitiam: *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* Et Psal. 57. *Recta judicate filij hominum, nam salvos facit rectos corde DEUS Judex justus*, Psal. 7. Et Psal. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Undè & te Judicem Responsionis meæ constituo ad superiorem Authoris Tubæ Discursum, humiliter à te petens, ut patienter illam legas, & quamvis fortè tibi non omnia ad gustum erunt, noli indignari, quousque rem ex integro non intelligas, & audias utramq; partem, illiq; tam huic, quàm alteri benevolam præbeas aurem, quod vel maximè in recto & justo Judice requiritur, ut nec huic, nec illi faveat parti; neque personarum, sed causæ justæ & veritatis sit indefessus Patronus, quod mihi de tua probitate polliceor. Et si fortè non omnia, nec omni-

omnibus placebunt inferiùs dicenda, liberum cuiq; erit diluere Objecta, & ita directè respondere ad ea, ut cujusq; judiciũ convincant.

Bellarminus, ut superiùs vidimus, à Wittakero & Francisco Junio, præcipuis Calvinistis, satis laudatus, ex quorum recommendatione non incongruum erit adducere, quæ ad finem Tomi 4. de Gratia, in suo judicio de Libro Concordiæ, edito à Lutheranis, de Augustana Confessione fol. 1179. habet. Confessio (ait) Lutheri, in multis ab Augustana dissentit, cùm tamen eodem anno 1530. edita sit, neq; credibile videtur, meliùs Lutheranos, quàm ipsum Lutherum, quæ sit Lutherana doctrina scire potuisse. Nam si Lutherus non fuisset, nec Confessio Augustana fuisset. Articulus Lutheranæ Confessionis undecimus habet, Quòd Confessio privata debeat esse libera; Confessio autem Augustana in Cap. de Confessione dicit: Apud nos non solere porrigi Corpus Domini, nisi anteà exploratis & absolutis. Et Cap. de Missa sic ait: *Nulli admittuntur ad Sacramentum, nisi anteà explorati, atq; auditi.* Dicit ergo Confessio Lutheri, Confessionem liberam debere esse; Confessio August. necessariam omninò, & tamen utraq; Confessio, tam Lutheri, quàm Augustana, nec liberam, nec necessariam modò exercet. Undè apparet, utramq; variatam, cùm modo non explorati accedunt ad Mensam, tam apud Lutheranos, quàm Confessionistas. Item Articulus 16. Confess. Lutheran. vult, Missam præ omnibus abominationibus esse abrogandam; Confessio verò August. in Cap. de Missa: Falsò (inquit) *accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summâ reverentiâ celebratur.* Si hoc verum est, quare inter Articulos Smalcaldicos pag. 281. hæc habentur: *Abroganda meritò Missa est*; si abroganda est, quomodo summâ reverentiâ celebratur? vel si abrogata est, quare aliud dicitis, aliud facitis? quomodo abrogatam cum summa reverentia celebratis? Sed dicent, Oblationem Corporis Dominici pro vivis & defunctis à se abrogatam, Eucharistiæ verò distributionem retineri. At Ecclesiæ vestræ non accusantur, quòd Eucharistiæ distributionem aboleant, sed quòd Sacrificium Missæ, quod omnibus Sæculis per totum Orbem celebrabatur, è medio tollant, illud nempè Sacrificium, quod SS. Apostoli & SS. Patres cum primitiva Ecclesia celebrârunt, & de illo velut uno ore testantur, ut in Discursu de Missæ Sacrificio probavimus. Potuitnè privatus homo, ut fuit Melanchton, illud tollere, & adhuc tali astu, aliud dicendo, aliud faciendo? quis crederet,

tam honorificè loqui de Missa August. Confessionem, & tamen illam è medio tollere? Sed hâc æquivocatione usus est Author Augustanæ Confessionis, ne homines separati ab Ecclesia Cathol. Rom. offenderentur tam temerario ausu, quem si advertissent, vix aliquē sectatorem sui habuisset August. Confessio. Astus autem Augustanæ Confessionis fuit hic, ut Essentiam Sacrificij, quæ fuit antiquissima, reijceret, & Accidentia, quæ fuerunt recentiora, retineret, ut eluderet incautos & simplices, superiùs ostendimus quomodo. Osiander testatur, quòd hanc Confessionem scripserit Philippus Melanchton, de quo sic loquitur idem Osiander apud Osium lib. 1. de Hæresibus nostri temporis, fol. 445. *Confessionem autem hanc Philippus ipse scripsit, &c.* Surius in Commentario brevi rerum in Orbe gestarum pag. 190. scribit, Philippum Melanchtonem sæpiùs hanc Confessionem

Vide suprà pag. 489 vers. ult.

" mutâsse, &c. Et inferiùs ait: Nam de ipsis quoq; Sacramentis, " per quæ in nos Divina gratia, ceu per canales quosdam derivatur, " tam est ille Melanchton in sua Confessione lubricus & ambiguus, " & primò quidem velit esse duo tantùm, deindè in alia editione " tria ponat, porrò in extrema quatuor enumeret Sacramenta. " Idem pag. 191. habet: Occasionem dedit Melanchton, dum il- " lam Confessionem subindè recoquit, adeò, ut Lutherani quoque " nonnulli Melanchtonem gravissimè incusent, nec pati velint, ut " Calviniani, Zwingliani, & quidam alij ad Confess. Augustan. ad- " mittantur. Idem pag. 498. ait: Initio Anni 1557. Joannes à " Lasco Polonus, Sacramentarius, Scripto edito conatus est testatū " facere, Zwinglianum dogma non discrepare ab August. Confess. " Philipp. Melanchton eam Confessionem subindè mutavit, & tan- " dem etiam Zwinglianis fenestram aperuit, cùm alioqui etiam te- " status esset de Cœna Domini, magis sibi placere Zwinglij, quàm " Lutheri doctrinam, immo etiam conquestus est quandoq; de Lu- " theri tyrannide, quam diu passus esset. At prima Confess. Augu- " stanæ editio, quam Cæsari Augustæ Protestantes exhibuerunt An. " 1530. nullâ ratione admittit dogma Sacramentariorum. Idem " Surius pag. 540. scribit: Fuit Melanchton admodùm familiaris " Sacramentarijs, quippè à quorum dogmate non valdè abhorreret. " Joannem Crispinum ad edenda denuò Oecolampadij Scripta hor- " tatus est. Bullingero & Calvino de rebus suis sæpe scripsit famili- " ariter: multis Studiosis author fuit, ut Tigurum & Genevam se conferrent. Calvinus verò de Melanchtone scribit Epist. 32. quòd

Formulas de Transsubstantiatione condiderit ambiguas & fucosas, ut ipsemet postmodùm recognovit, teste Hospiniano pag. 2 Histor. An 1541. se aliquos ex prædictis Articulis Augustæ condidisse ambiguos & flexiloquos, atq; mutandos, & ad occasiones accommodandos. Undè sicut nonnulli Lutherani de hoc illum accusabant, sic multi diversarum Sectarum illum sibi vendicabant, quòd illorum dogma sequeretur. Undè vulgo Cothurnus Germaniæ appellatus, nam ultra alia quoties ille sententiam de libero arbitrio mutaverit, unâ vice illud concedendo, aliâ negando. Florimundus de Orig. hæresis scribit de illo: Cùm illi morienti mater assisteret, quam à Fi- „ de Catholica abduxerat, & requireret ab ipso, per DEUM vivum „ adjurans illum, ut sibi in illa ultima hora diceret, quæ Religio me- „ lior foret, an hæc, ad quam eam induxerat, an Catholicorum? re- „ spondit clarâ voce ab omnibus intelligibili: *Hæc plausibilior, illa* „ *securior.* Wolfgangus Agricola Concione de Matrimonio: Joanni „ Bartholomæo à Velbergk suasisse dicitur, ut in veteri Catholica „ precandi ac communicandi ratione persisteret, sibi vehementer „ dolere, addens, &c. si istum laborem revocare posset, sed nunc se „ nimis profundè causæ immersum, nullum regressum invenire. „



Melanchtonis angustia.

Sed videamus ultrà Confess. Augustanam, quomodo & in aliis contraria sit doctrinæ Lutheri, qui in Assert. Art. 36. ait: *Liberū arbitrium est figmentum in rebus, & titulus sinè re, quia nulli est in manu sua, quidpiam cogitare boni vel mali.* Melanchton hæc scribit: *Cùm Dux Saxoniæ perciperet multa contra Religionem effreni licentiâ, etiam in suis Ditionibus geri instituit visitationem, &c.* Eam visitationem Melanchton scripsit Latinè, non plenè Lutherìcè in nonnullis, quæ plus ibi pœnitentiæ, & doctrinæ Legis, & timoris DEI tribuere visus est, quàm Lutheri Evangelium patiebatur. Atq; adeò libertatem arbitrij, quam in locis cum Luthero pernegaverat, asseruit. Sic præcipuus Author Confess. August. in præcipuo Articulo, in Summa rei defecit à Luthero ad Catholicam Ecclesiam, & cùm Melanchton fecerit mentionem Manichæorum, nulli dubium est, quòd Manichæi & Wiclefus ideò negârunt liberum arbitrium, ut illis liceret perpetrare quæcunq; vellent scelera, affirmantes, non habere libertatem abstinendi ab illis.

Vide supra pag. 364.

Surius ad An. 1528 pag. 162.

Artic. 20. pag. 18. Confessionis ait: *Falsò accusantur nostri, quòd bona Opera prohibeant.* Si seriò dicit de bonis Operibus, quod illa exercere jubet Confess. August. contraria est Luthero; nam ille

Serm. de piscatione Petri ait: *Quantò sceleratior es, tantò citiùs DEUS gratiam infundit.* Et in Serm. *Sic Deus dilexit mundum*, ait: *Si veneris cum magnis saccis operum plenis, deponere oportebit, alioquin non poteris penetrare.* Undè discipuli Lutheri in Colloquio Alten-
" burgensi hæc statuerunt, dicentes: Ad Sathanam spectant Chri-
" stiani, cum omnibus bonis Operibus. Precari verò oportet, ut in
" Fide sinè bonis Operibus ad finem usq; perseveremus. Adeò illa
" necessaria non sunt, ut etiam ad salutem incommodent, sintquè perniciosa. At Eunomius hæreticus hoc idem docebat, testis est S. August. lib. de Hæresibus, cap. 54. imò Simon Magus, teste S. Irenæo, lib. 1. cap. 20.

Art. 21. pag. 22. ait: *Apud nos magna ex parte veteres ritus diligenter observantur.* Utrum hoc verum sit, legantur SS. Patres, ut S. Basilius, Epiphanius, Augustinus, Tertullianus, & alij Veteres, qui de varijs ritibus scripserunt, & conferat cum illis Ecclesias Protestantium, si retinent illos, ut v. g. Missæ Sacrificium, quod est non tam præsentis, quàm primitivæ Ecclesiæ, ut clarè ostensum est in Discursu de Missæ Sacrificio.

In Art. de Confessione, pag. 29. ait: *Anteà immodicè extollebantur Satisfactiones, Fidei verò, & Meriti Christi, ac justitiæ Fidei nulla fiebat mentio.* At contrarium legitur in omnibus libris Catholicorum, ubi docent, ne unico quidem excepto, Fidem radicem esse nostræ justificationis, sinè qua impossibile est placere DEO, & omnia referuntur ad Meritum Christi, sinè quo omnia opera digna gehennâ. Hæc est perpetua Catholicorum sententia.

Pag. 45. Art. de Potestate Ecclesiastica ait: *Facilè possent Episcopi legitimam obedientiam retinere, si non urgerent servare Traditiones, quæ bonâ conscientiâ servari non possunt.* Hìc clarè fatetur Philippus cum sua Confessione legitimam obedientiam Episcopis, à quibus se subtraxerunt propter Traditiones. At Ecclesia Cath. Rom. & ejus Episcopi non tales Traditiones, quales expressit Melanchton, sed Divinas & Apostolicas servare jubet, ut Baptismum parvulorũ, ad quem probandum, Melanchton nolens volens confugere debuit ad Traditiones cum Luthero contra Anabaptistas, nec illis satisfecit. Nam Anabaptistæ Melanchtoni, & omnibus Protestantibus sic objiciunt: Dicitis, quòd Ecclesia Romana in multis Traditionibus suscipiendis erravit, & in hac una non erravit. Quis vos Judices constituit Ecclesiæ? ut dicatis, Ecclesiam in alijs errâsse, in hac una non

errâsse.

errâsse. Quo probatis hæc? nisi quia ipsi soli ita sentitis; posito enim errore Ecclesiæ in multis Traditionibus, ut dicitis, non potestis probare, quòd in hac unica de Baptismo non erravit, cùm æqualiter illa ex SS. Patribus, & Traditione Ecclesiastica, omnes suas Traditiones probat, pluribus Patribus, & Baptismum solùm duobus, quæ impudentia vestra, ut plures Patres pro libitu vestro rejiciatis, & solùm duorum pro Baptismo acceptatis Traditionem. Unde nisi Philippus & Protestantes fateantur, quòd Rom. Cath. Ecclesia in nulla Traditione, quam pro legitima habet, suscipienda erravit, nunquam argumentum Anabaptistarum evadent, quia nunquam probabunt, quòd in hac non erravit, si dicent, in alijs errâsse. Servare jubet Symbolum Apostolorum, quod in nullis Scripturis habetur, & alia, quæ per Traditionem accepit Ecclesia, tum à Christo, tum ab Apostolis, quorum testes sunt omni exceptione majores SS. Patres. Si enim Philippus natus fuisset tempore Apostolorum, & continuò adstitisset Ecclesiæ, notâssetq; omnes Traditiones, adhuc sub dubio lis esset, si credendum esset Philippo ob ea, quæ jam dicta sunt de eo, & adhuc dicentur; multò magis, cùm natus fuerit paulo ante annum 1517 fuitq; etiam subjectus erroribus, sicut alij homines, nec in multis sibi constans, quis magis credet Philippo, quàm auctoritati SS. Patrum, auctoritati Ecclesiæ, quam tanti æstimavit S. Augustinus, ut non sit veritus dicere: *Evangelio non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ commoveret.* Deindè videat Lector, qui hæretici in primitiva Ecclesia oppugnârunt Traditiones, & facile intelliget, cujus doctrinam sequitur Philippus. Vide Discursum de Traditionibus. *Vide suprà pag. 297. & seq.*

Pag, 52. in Apol. Art. 4. Philippus Sanctos vocat, Antonium, Bernardum, Dominicum, Franciscum; per quod destruit seipsum & Confessionem Augustanam. Nam hi SS. Patres, si sunt Sancti, judicio Philippi, veram Fidem habere debuerunt, quia *sinè Fide impossibile placere DEO*, & Sanctum esse. Deindè hi SS. Patres non solùm Monachi, sed multorum Monachorum Patres fuerunt, Vota perpetua Obedientiæ, Paupertatis, & Continentiæ coluerunt, Romano Pontifici perpetuo adhæserunt, S. Franciscus in suo testamento Fidem Romanæ Ecclesiæ suis Religiosis imperavit, S. Dominicus & S. Bernardus Missas assiduè celebrârunt, Venerationem Sanctorum, & omnia quæ observat Rom. Cath. Ecclesia, perpetuo coluerunt, Et quia S. Bernardus singularem laudem meretur, tum à Luthero,

thero, Calvino, tum ab Augustana Confess. qui omnes Sanctum illum vocant, quid ipse senserit de Invocatione Sanctorum, ex multis pauca adducimus. Serm. 2. super Evang. *Missus est*, ait: In periculis, in angustijs, in rebus dubijs, MARIAM cogita, MARIAM invoca. Et Serm. qui est de aquæ ductu, ait: Totis præcordiorū affectibus & votis omnibus MARIAM veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per MARIAM. Et Serm. de B. MARIA, qui incipit, *Signum magnum*, ait: Opus est mediatore, ad Mediatorem istum, nec alter nobis utilior, quàm Maria.

Falsa imputatio. Pag. 259. in Apolog. ait Philippus: *Sancti in locum Christi subrogantur, & impiè coluntur.* Sed contrarium patuit ex superiùs adductis testimonijs Sanctorum, quod Sanctorum honor in Christum redundet, secundùm illud: *Quidquid ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Et Christus ipsemet honoravit Sanctos, cùm illos amicos suos vocaverit. Et ex Litanijs Catholicorum aliter patet, ubi dicitur: Sancta Trinitas, unus DEUS, miserere nobis. JESU Christe, Fili DEI vivi, miserere nobis. Sancta MARIA, ora pro nobis. Sancte Petre, ora pro nobis.

NB. *Matth. 25* *Joan. 15*

Mendaciū. Pag. 268. ait Philippus: *Cultus Sanctorum plenus est apud eos manifesta idololatria.* Superiùs patuit, quòd Philippus vocaverit S. Bernardum Virum Sanctum; patuit etiam, quòd S. Bernardus utebatur intercessione Sanctorum, quomodo ergo S. Bernardus committebat idololatriam in invocatione Sanctorum, si fuit, secundùm testimonium Philippi, Vir Sanctus? At hæc gravis calumnia non solum Catholicos tangit, sed etiam Lutherum, qui agnoscebat invocationem Sanctorum, ut testatur Author Tubæ Pacis, pag. 71. qui ait: Consentiunt, id est Invocationi Sanctorum, Lutherus de præparat. ad mortem, & Epist. ad Erphordienses, & Epist. ad Georg. Spalatinum, qui in purgat. quorundam Artic. de intercessione Divorum ait: Cum tota Christiana sentio Ecclesia, & judico, Sanctos esse honorandos, & invocandos; quis enim potest contradicere his, quæ adhuc hodiernâ die mirabiliter & invisibiliter apud Divorum Sepulchra operatur DEUS. Tangit hæc calumnia & Oecolampadium, cujus Scripta edenda suasit Joanni Crispino Melanchton, ut testatur Surius pag. 540. Tangit Dreierum, quem citat Author Tubæ pag. 73. Sic Dreieri est sententia, quòd liceat orare, *S. Petre, S. Paule, ora pro nobis.* Tangit Minister. Tripol. ad Regentes Prussiæ, 18. August. 1656. Et Bernard. à Sanden, Theol. Regiomont.

☞ NB. ☞

giomont. in Theſ. Succ. CXXII. de Angelis, Q. 21. *Sancte Angele Cuſtos, ora pro me,* quæ nihil impij continet. &c. Cùm autem ,, Sancti Angelis ſint ſimiles in Cœlis, cur talis cultus, quem defer- ,, re poſſumus Angelis, ipſis denegabitur. Tangit ultimatè hæc calumnia Theologos in Academia Regiomontana, qui Liturgias Veteres approbant, in quibus eſt Invocatio Sanctorum. Hæc omnia habet Author Tubæ pag. 73. Si ergo hi omnes non patientur, ſibi à Philippo hanc irrogari calumniam, quòd ſint idololatræ, cùm agnoſcant Invocationem Sanctorum, quomodo Catholici non debent conqueri de hac calumnia, quòd non intellectâ Philippus ſententiâ Catholicorum, auſus eſt, contra omnem charitatem tam gravem inferre injuriam. Si enim Philippus benè perſpectam ſententiam habuiſſet, nunquam hæc objeciſſet. Et tamen quàm multi hâc ſiniſtrâ imputatione decepti ſunt, & decipiuntur, nempè quòd Catholici in Invocatione Sanctorum committant idololatriam. Non ſinè cauſa Author Tubæ pag. 64. hæc ſcribit: Plurimi ſunt, in quibus diſ- ,, ſentimus ob homonymiam hujus vel illius vocabuli. Plurimi ob ,, non ſatis diſcuſsas rationes, & intentiones aſsertorum, v. g. Arti- ,, culi de Purgatorio, de Euchariſtia ſub una ſpecie, de Indulgentijs, ,, ſunt ferè omnibus Proteſtantibus errores, at non errores Roma- ,, no-Catholicis. Hîc maximè indagandum, quo animo hæc vel illa ,, dicantur, &c. cùm hæc ſententia, quam Proteſtantes erroneam ,, judicant, ſit ſententia tot, tantarumq; Eccleſiarum in Occidente, ,, ubi tot pij, conſcientioſi, tot ſalutis æternæ amantes, tot eruditi ac ,, magni Viri inveniuntur. Nos poſſumus addere, & in Oriente Ec- ,, cleſiæ, nam & Orientales Invocationem Sanctorum agnoſcunt. Undè ſi Philippus benè intellexiſſet ſententiam Catholicorum in Invocatione Sanctorum, nunquam objeciſſet idololatriam, quæ non ſolùm Catholicos, ſed etiam & Lutherum, & ſuperiùs nominatos Proteſtantes afficit.

NB.

NB.

NB.

Pag. 255. in Apol. ait: *Nemo neſcit, vitam Monaſticam recens excogitatam eſſe.* At nos contrarium in Diſcurſu de Votis Monaſticis oſtendimus ex SS. Patribus. Sed & Magdeburg. Centuriat. Cent. 4. Cap. 6. col. 464. An. 300. à Salvatore adventu ponunt initium Monaſticen. Monachatum, qui nunc eſt, à tempore S. Benedicti initium ſumpſiſſe omnes Lutherani admittunt, cùm videant, extare & ſervari Regulas, quas ille reliquit, & habitari Monaſteria vetuſtiſſima, quæ ille fundavit; S. Benedictus autem floruit circa An. 400.

" Calvinus lib. 4. Instit. cap. 13. §. 15. ait: Non sic hodiè à Sancta
" illa Antiquitate Monachos degenerâsse dico, quin aliquos in suo
" grege bonos habeant. Nota Lector, Antiquitatem, Sanctitatem,
& bonitatem reperiri in Monachis, testimonio Calvini. Vide eun-
" dem de Viduis §. 18. scribentem: Cùm fuerint perpetui
" Cœlibatus, eas peccâsse, fidem Ecclesiæ datam fallendo. Luthe-
" rus in Propos. A. D. 1520. & seq. edit. ait: Ad libertatem perti-
" net, sese posse perpetuo Voto, aut cuicunq; Legi subdere. Talis
" fuit Bernardi Religio, & omnium, qui feliciter Religiosi fuerunt.
Si feliciter Religiosi fuerunt, veram Fidem habere debuerunt, quia *sinè Fide impossibile est placere DEO*, in qua vera felicitas & gratia Dei fundatur. Mirum ergo est, quòd Philippus etiam suorum oppugnat sententias, cùm ille negat & vituperat vitam Monasticam, quam illi laudant, antiquamquè, sanctam, bonam, & felicem affirmant. At *non debet discipulus esse super Magistrum suum*, Matth. 10. Quæ laus erit Magistro, si discipulus negat, quod ille affirmat, acsi unum & idem esset, negare & affirmare.

Pag. 263. in Apolog. ait: *Suas Traditiones longè accuratiùs servari postulant, quàm Evangelium.* Et quare Philippus vel unicum Catholicum Authorem non produxit, qui ita doceret, quia nullus hoc habet. Postulant servari Traditiones, sed Divinas & Apostolicas, de quibus nullum sit dubium, quòd tales sint, sicut non dubitat Philippus de Baptismo parvulorum, de SS. Evangelijs, quòd quatuor sint, non plura, nec pauciora, & horum, non aliorum Evangelistarum. Vide Discursum de Traditionibus. Interim audiat S. Bernardum, quem pro Sancto agnoscit, qui Epist. 174. ad Canonicos Lugdun. ait: *Ego quæ accepi ab Ecclesia, securiùs teneo & trado.* Sic & Catholici non suas, sed quæ acceperunt ab Ecclesia, securi tenent, & tradunt Traditiones, quas mandat tenere Apostolus 2. ad Thessalon. 2. & SS. Patres illarum sunt testes, omni exceptione majores.

Pag. 22. in Art. 21. Confess. ait: *Hæc ferè summa est doctrinæ apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse, quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, quatenùs ex Scriptoribus nota est.* At in multis discrepat, ut ostensum est, Confessio August. etiam cum Primitiva Ecclesia in Invocatione Sanctorum. Nam Concilium Ephesinum & Chalcedonense, quæ illi Orthodoxa non negant, Act. 11. ait: *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* Nec de ipsa Ecclesia, nec de Primatu Ecclesiæ, nec de Justificatione, nec de Sacrificio, nec

de

de Sacramento Eucharistiæ, & alijs Sacramentis consensus. Sed hæc fingenda erant, ad decipiendos miseros idiotas. Nam si apertè dixisset Philippus, quòd in multis discrepet ab Ecclesia Rom. Cath. paucos habuisset sectatores suæ Confessionis. In Præfat. Confess. ad Carolum V. pag. 6. habetur: *Offerimus in hac Religionis causa, nostrorum Concionatorum doctrinam, & nostram Confessionem.* Et pag. 222. in Apolog. Philippus fatetur, quòd Schisma fecerit, & se cum Suis divulserit ab illis, qui existimantur ordinarij Episcopi. Quis ergo misit istos Concionatores? non Episcopi, cùm ab illis Schisma fecerit, & *Spiritus S. commisit Episcopis regere Ecclesiam DEI*, Act. 20. & Apostolus ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* ab ordinarijs Episcopis non sunt missi, quia ab illis fatetur Philippus Schisma fecisse, ergo fatendum est, quòd à seipsis in Schismate missi sunt, de quibus Jerem. 14. dicit DEUS: *Non misi eos, nec præcepi eis, &c. seductorem cordis sui prophetant vobis.* Si enim Lutherus ad Senatum Mulhusinũ, ut examinaret unum Ministrum pro una & altera Concione, scripsit his verbis: *Accersat ad se Senatus, etiam præsente omni populo, si fieri potest, & quærat ex eo, quis eum huc miserit, aut vocaverit ad docendum, &c.* Hoc Argumento utuntur Catholici non solùm contra istos Concionatores ex Schismate prodeuntes, sed etiam contra ipsum Lutherum, Calvinum, Melanchtonem, & alios omnes: nam isti omnes ab ordinarijs Episcopis se exemerunt, & nunquam auditam doctrinam in Ecclesia Cath. Rom. prædicârunt, contrariam, & in multis diversam inter se; proindè miraculis confirmare necesse erat, & de facto voluerunt facere miracula, sed res non successit, & fraus multis apparuit hominibus, ita, ut præ pudore aliò migrandum erat.

Et hi Concionatores undè venerunt? quis misit illos?

Vide suprà pag. 164 post med.

Pag. 195. in Apol. Art. 18. ait: *Sed quid interest inter Pelagianos & adversarios nostros, cùm utriq; sentiant, homines sinè Spiritu S. posse &c. mereri gratiam & iustificationem operibus, quæ ratio per se sufficit sinè Spiritu S.* Sed gravis hæc nimis à Philippo facta est Catholicis injuria, vel ex non intellecta sententia Catholicorum, vel ex sinistra imputatione. Nam nullus Theologorum Catholicorum id docuit unquam, quòd opera sinè Spiritu S. facta mereantur gratiam & justificationem, immo omnes Catholici hanc sententiam tanquam hæreticam reprobant & reijciunt.

Non ergo verificatur, quòd Confessio August. in nullo Articulo Fidei dissentiat ab Ecclesia Cath. Romana, nam hæc tantùm ap-

parenter dicta sunt, & hæc fuerunt quasi hamus, quo multi separarentur ab Ecclesia Cath. Rom. ad August. Confessionem, nec adverterent se separatos, quomodo ergo cum his, & alijs multis erroribus (quos vide apud Bellarm. in libro Concordiæ) una & sincera coleretur Religio, & fieret concordia inter Ecclesiam Cath. Rom. & Confess. Augustanam. Scribit Bellarminus in fine Tom. 4. quòd suo tempore ediderint librum Concordiæ Lutherani cum Ecclesia Catholica, sed in illo aliquos notabiles notavit errores. Primus error fuit: *Quòd Christus non solùm ut homo, sed etiam ut DEUS, fuit obediens Patri.* Qui error destruit penitùs veram Divinitatem & æqualitatem Christi in Divinis, quam Symbolum Nicænum contra Arianos asseruit, vide fol. 1172. Secundus error: *Quòd Christus perfunctus fuerit munere Mediatoris & Pontificis, non solùm per humanam Naturam, sed etiam per Divinam*, vide fol. 1173. Tertius error: *Quòd Natura humana Christi sit ubiq; verè & realiter*, vide fol. eodē. Vide alios errores sequentibus folijs. Et si Zwinglius, vel Calvinus, vel Oecolampadius, vel Carolstadius, vel Osiander, vel multi alij, qui à Luthero mox recesserunt, & propria unusquisq; sibi placita scripserunt, voluissent concordiam facere, nunquam suos dimisissent errores. Nam & illi, sicut Lutherus, sicut Melanchton, suis ingenijs fidebant, nec se inferiores putabant, quid tum consilij erat cum tali concordia? judicet, qui sanum judicium habet, quomodo cum his erroribus concordiam Melanchton facere potuit, qui & Ecclesiæ Cath. Romanæ, & Magistro suo, & sibi contrarius in multis fuit, qui uno loco dicit, se concordiam summo studio concupisse cum Ecclesia Romana, à qua dicit in nullo Articulo dissentire ab illa; in alio loco dicit, sedere Antichristum in Ecclesia DEI, Catholicos esse Pelagianos. Quomodo non dura Catholicis? quando vident manifestè, quòd multa non cohærent cum veritate, alij verò & sumpti sunt ex libris antiquorum hæreticorum, multi in Oecumenicis Concilijs condemnati errores iterum resuscitati, quod videntes & ipsi Protestantes Principes, illam unicam Ecclesiam in tot Sectas indies scindi, omnes ritus ac cæremonias tolli, sanguine & cæde multa Regna & Provincias repleri, pessimas hæreses indies augeri, tanquam ad unicum remedium in Ecclesia Rom. Cathol. semper practicatum, ad Concilium Generale confugerunt. Sed frustra. Nam conditiones inauditæ positæ sunt, ad nihil in Concilio unquam concludendum: nempè, ut ex sola Scriptura disputaretur, ut decisivum votum haberent

rent Sæculares in Concilio, nempè, ut illa dogmata semper in Ecclesia credita implicitè, quæ Lutherus finxerat abusus Pontificis, reijcerentur, & tam Lutheri, Calvini, quàm Zwinglij, Serveti, &c. licèt hi omnes sibi fuerint contrarij, placita approbarentur, de quibus suprà. Ergo horum omnium approbandæ erant sententiæ, cùm omnes ex Verbo DEI defendebant errores suos. sicut Arius in Concilio Nicæno ex sola Scriptura suum errorem defendere volebat. Nonnè ille, & alij hæretici idem fecissent, quorum hæreses in primitiva Ecclesia nunquam damnatæ fuissent, si secundùm suum sensum disputâssent ex sola Scriptura, & votum decisivum in Concilijs cum Episcopis habuissent? Cum his & alijs plurimis erroribus Melanchtō in Præfat. Conf. August. ait: *Orant DEUM, ut dissipatas Ecclesias adspiciat, & in concordiam perpetuam reducat.* Cui concordiæ minimè adhæsissent divulsi à vera Catholica Ecclesia, cum tot suis erroribus manifestis suprà demonstratis, & inferiùs demonstrandis, quos cùm plures adverterint, redièrunt in gremium Matris Cathol. Ecclesiæ. Sed non fuit efficacior modus alicujus concordiæ inter Ecclesiam Catholicam & Protestantes, quàm hic, si Lutherus ad gremium Ecclesiæ redijsset, quem cum quanta sollicitudine & charitate, varijs modis Mater Ecclesia revocabat. Ex multis brevem accipe Historiam, *quam ex Commentario Surij rerum in Orbe gestarum, & alijs Authoribus fide dignis accepimus, qui ex ipsis Originalibus Lutheri ea desumpserunt*, nec ullo modo negari possunt, quin hæc, quæ sequuntur, in suis libris non habeat Lutherus. Et quamvis brevitati consulentes, compendiosiùs ea, quæ sunt magis scitu digna, ex Surio depromimus, tamen genuinum Historiæ sensum observantes, ea ad trutinandum Lectori apponimus, ut ex his, quæ Lutherus egit, scripsit, & dixit, Lector deveniat, quid sentiendum de doctrina illius. Sed fortè hæc non omnibus placebunt, maximè illis, qui dogmata Lutheri sequuntur: attamen non pro his solùm, sed pro omnibus in genere scribimus, cùm multò plures alieni sint à doctrina Lutheri, pauci verò, qui placita Lutheri in toto sequantur; & inter hos paucos sunt etiam viri sensati, docti, salutem animarum suarum amantes, pro his vel maximè hoc Opus exhibemus.

Ut autem Surij veridica appareat Relatio de Lüthero & factis illius, præmitto brevem ex Serenissimo Principe Georgio, Duce Saxoniæ, Relationem de Luthero, cujus Serenissimus Princeps, Landgravius Turingiæ, Marchio Misniæ, &c. optimè noverat omnes acti-

ones, quo motivo, quo fine recesserit ab Ecclesia Cathol. Romana, quid docuerit, qualia dogmata illius fuerint: tum Botheri, Benesij, & aliorum probatorum Authorum. Sic memoratus Serenissimus Princeps in literis ad Lutherum, datis 28. Decemb. An. 1529. quarum tenor ex Germanico Tomo 9. Wittemb. pag. 231. Latinè apud Ulenbergium in Vita pag. 290. Scribit itaq; inter cætera hæc memoratus Serenissimus Princeps:

Accedit quoque, Wittembergæ velut asylum quoddam instituisti, quo Monachi & Moniales furtis infames confugiunt, & à te suscipiuntur, postquam Ecclesias & Monasteria nostræ Ditionis expilârunt, ut Wittemberga ceu castrum quoddam sit, aut commune perfugium Apostatarum Ditionis nostræ. Nec ullas unquam Romanus Pontifex, Sanctissimus Dominus Noster, indulgentias concessit, quas tanti æstimes, quin majores deberi putes Wittembergensibus tuis, ob raptum Sacrarum Virginum, quas è Monasterijs nostris ad te perduxerunt, qua de re nihil dubitamus. Interim, in quas illæ miserias & calamitates per te sint conjectæ, quàm certo damnationis periculo expositæ, satis est manifestum. Et infrà: Affirmare præterea possumus, non admodùm nobis curæ esse tuum Evangelium, cùm illud à Summis Orbis Christiani Capitibus reprobatum non ignoremus. Hoc unum pro virili curavimus, ut ne à nostris susciperetur. Ut autem hoc caveremus, causam nobis dederunt mali fructus, quos ex eo provenisse constat. Non enim tu, vel quispiam alius negare potest, quin blasphemiæ in DEUM, in Venerabilem Eucharistiam, in Sanctissimam DEI Genitricem, omnesq; Sanctos, ex tua doctrina, ceu fonte quodam promanârint. Per te enim, tuosq; discipulos, renovantur veteres hæreses, quas Ecclesia quondam anathemate notavit, honestus DEI cultus omnis, ad eum modum vastatur, ut à Sergij temporibus nihil simile factum constet. Jam verò quando plura sunt admissa Sacrilegia, & incestus perpetrati cum Sacris Virginibus, quàm ab eo tempore, quo tuum istud Evangelium innotuit? quando plures in Magistratu auditæ sunt seditiones, quàm ex Evangelio tuo prodiêrunt? quando ad hunc modum spoliatæ sunt ædes sacræ? quando furta, quando rapinæ plures contigerunt? quando Wittembergæ tot fuerunt excucullati Monachi, & profugæ Moniales, quàm nunc sunt? quando maritis ademptæ sunt uxores, alijsq; traditæ, ut nunc sub Evangelio tuo fieri videmus? quando plura commissa sunt adulteria, quàm ab eo tempore, quo

tu

ſu ordinâſti, ut ſi mulier ſuo viro fœcundari nequeat, divertat ad alium, ab eoq; ſuſceptam prolem marito educandam obtrudat? utq; viro ad eundem modum viciſſim agere liceat? Hos nimirùm fructus peperit tuum Evangelium, quod cùm ſub ſcamno deliteſceret, in lucem protuliſti. Et benè quidem illi nomen hoc indidiſti, quòd ſub ſcamno latuerit, atq; indè ſit à te productum. Bonum foret profectò, ſi etiam nunc ſub ſcamno jaceret. Nam ſi quod alterum huic ſimile producas, nullum certè ruſticum ſub obedientia retinebimus. Si tale voluiſſet Evangelium Chriſtus, non tam frequenter inculcâſſet illud: *Pax vobis.* Petrus etiam & Paulus non dixiſſent obediendum eſſe Magiſtratui. Igitur hi ipſi fructus in cauſa ſunt, ut ab Evangelio doctrinaq; tua vehementer abhorreamus. Interim Evangelio Chriſti volente DEO adhærebimus, eiq; propugnando, corpus, animam, facultates, exiſtimationem, omnia noſtra lubentes impendemus: adjuvante nos DEI gratiâ, in qua fiduciam habemus collocatam. Et paulò pòſt: Licèt nos indigni ſimus, ad quos hujusmodi Viri (id eſt, qualis fuit Moyſes ad Pharaonem miſſus, Samuel ad Saul Regem, Nathan ad Davidem, JoannesBaptiſta ad Herodem, Ananias ad Paulum, Philippus ad Eunuchum) mittantur; viſitamur tamen ordinariè. DEO ſit laus, perViros bonos,qui nobis DEI Verbum annunciant, unàq; cohortantur, ut in Eccleſia Chriſti permaneamus. Hos ſequimur, quantùm per gratiam ſuam largitur Deus. Quòd ſi tuos Apoſtolos audiamus, qui pleriq; ſunt Apoſtatæ, hanc certè doctrinam apud eos non inveniemus. Docemur enim, quod Apoſtatæ pervertunt Scripturam Sacram, & ore perverſo gradiantur, & Salomon eos deſcribit, quod in te proh dolor! verum eſſe deprehendimus. Et paulò infrà: Quia verò cor habes mulieribus addictum, ad nobilem illam te peccatricem adjungo, ex qua ſeptem dæmonia Chriſtus ejecit. Cum hac proſterne te ad Chriſti pedes, & ut idem faciat, Evam tuam hortare. Ita fiet per DEI gratiam, ut Monachus à Moniali rurſùs ſeparetur, nec impedimento tibi ſit illud: *Quod DEUS coniunxit, homo non ſeparet;* tuum enim Matrimonium non à DEO, ſed ab inimico tuo ſancitum eſt. *Qui non eſt mecum,* inquit Dominus, *contra me eſt.* Igitur, quia uterq; veſtrûm interpoſito juramento Caſtitatem vovit, videte, quam vobis ipſi libertatem ademeritis. Quid roboris habet oratio tua contra dæmonem, non inquirimus. Certè, quòd hactenùs conſervavit te DEUS, nec terra te cum Dathan & Abiron vivum abſorbuit, vel ex eo de-

pre-

prehendas, infinitam esse DEI misericordiam. Si verò perges ut cœpisti, nec quicquam de machinationibus tuis remittes, metuendum est, ne tarditas supplicij, pœnæ gravitate compensetur. Hæc Orthodoxus Princeps.

Relatio de varijs Gestis & Revolutionibus Germaniæ, & alijs Regnis & Provincijs, in materia Religionis, Authore Bothero, Benesio.

Destructio inclytæ Provinciæ Germanæ initium habuit à vanitate, ne dicam à malitia Desiderij Erasmi, nati in Civitate Hollandiæ dicta Guda, sed educati Roterodami. Fuit hic homo ingenij inconstantis, aptus ad jocos & conversationes sæculares, legit multa & varia, facilis ad loquendum & copiosum sermonem. Hæc talenta dum in malum convertit, causârunt magnum detrimentum Religioni Christianæ, etenim ultra nugas & facetias, quas ediderat sub titulo Moria, scripsit etiam inter alia unum librum Colloquiorum, in quo irridet, & ex parte vocat in dubium Constitutiones & Cæremonias Ecclesiasticas, irridet Theologos, & ubi potest, illudit Religiosis & vitæ Monasticæ illorum. &c. Hi libri illius divulgati per Academias & Scholas Germaniæ, (ubi etiam & publicè leguntur illius Colloquia) dispersi per omnes status hominum. Et cùm homo pronior ad malum, quàm ad bonum, nil fuit, quod magis & fortiùs inhæserit animis hominum legentium, sicut hæ facetiæ & joci, quibus ille carpit vitam & mores personarum Spiritualium, irridet Cæremonias Ecclesiasticas, Castitatem, Vota, & totum id, quod erat apud Christianos simplex & devotum. Convertit animum posteà ad censuram plurium SS Patrum, taxando Scripta illorum. Incepit etiam scribere Commentaria in Evangelia, cum tali audacia & libertate, quasi Ciceronem vel Terentium explanaret. Et sic monstravit se humanistam vel Grammaticum in materijs Theologicis, & Theologum in Sæcularibus, in utrisq; Sophistam, dignus illo Versu, quem dixerat Martialis: *Vis dicam quid sis? Magnus es ardellio.* Ad extremum dicebat & scribebat sic: Quòd Lutherani venerabantur illum, & Zwingliani habuerunt illum pro suo Confidente; licèt horum omnium, quamvis serò, pœnituit ipsum, ut videre est in Relatione Surij. Tali astu ademit omnem æstimationem & reputationem omnibus rebus Sacris, quando illas in jocos & derisum deduxit, vel pro-

proſtituit, ſtravit viam Martino Luthero, qui illas poſtmodùm conculcavit & deſtruxit. Undè commune illud proverbium emanavit per totam Germaniam: *Eraſmus innuit, Lutherus irruit; Eraſmus dubitat, Lutherus aſſeverat; Eraſmus parit ova, Lutherus excludit pullos.* Et illud alterum: *Vel Lutherus Eraſmizat, vel Eraſmus Lutherizat.* Lutherus cæpit elevare caput contra Eccleſiam Dei An. 1517. Principium & occaſio fuit Invidia, quòd Indulgentiæ conceſſæ à Leone X. Papa, ad publicandum commendatæ alteri Ordini, non ſuo. Commovit hæc res ad talem rabiem Joannem Sulpitium, Vicarium Generalem Ordinis, & memoratum Martinum Lutherum, Lectorem Ordinarium Wittembergæ taliter, ut omnia perverterent. Prima arma Lutheri fuerunt maledictiones, quibus carpebat ſermonibus & Scriptis ſuis in omni loco, & quâlibet occaſione omnes Spirituales augebant illius ſermonem, mores diſſoluti, & vita corrupta perſonarum Eccleſiaſticarum, præcipuè, quòd convertebant proventus & bona tradita à Majoribus noſtris in laudem DEI & ſubſidium pauperum, in pompam & vanitatem &c. Sic Lutherus laxaverat habenas maledictionibus, ut etiam Joannes Wigandus in libro impreſſo An. 1566. ſub titulo, *de Bonis & Malis Germaniæ*, multum doleat. quòd poſt mortem illius maledictio tam citò remiſſa fuerit. Et quoniam mendacium comitem habet omnem impietatem, ideò difficile creditu, qualibus mendacijs, impoſturis, convicijs, falſis delationibus, inſarcinavit ſuas Conciones & Scripta coram ignara plebe, volens enim diffamare jam Spirituales, jam Religiones, jam Papam, jam Epiſcopos, mentiebatur ſinè pudore, nec curabat quidquam, etiamſi contrarias ſibi res ſæpiùs diceret. Ideò Joannes de Ethemberga (ut de alijs non dicam) in duabus tantùm confutationibus, quas ille collegit, de aliquibus primarijs illius Articulis convicit illum in 874. falſitatibus. Juvabant illum in hac virulentia ad maledicendum Poëtæ, homines vix utiles ad Fidem, & mores Chriſtianos, Oratores quoq; non minùs & Pictores, qui colores ſuos aptabant impietati Lutheri, cæperunt pingere Sacerdotes & Epiſcopos, tanquam lupos, dæmones, dracones, & ejuſmodi ſimilia. Ejuſmodi imaginibus, cùm malum creſcit, & citò dilatatur, impleverunt exnunc Bibliothecas, & alias venales Officinas, loca privata & publica, & ſic nihil aliud audiebatur, nec cantabatur aliquid aliud per Civitates & plateas, niſi cantilenæ turpes, læſivæ perſonas Spirituales; homines etiam videndo ubiq; perſonas depictas, & coloribus adumbratas,

bratas, ad inſtar animalium, & ejusmodi, quæ exprimebant certam malitiam, & fraudes Spiritualium. Conſequenter brevi tempore ſeducta fuit terra Germaniæ, & citò receſſit à via, quam illi monſtraverat Chriſtus. Illis mendacijs & convicijs, quibus Lutherus denigrabat famam Papæ, & vitam Spiritualium, & ſanctitatem Eccleſiæ Romanæ, juvit ad perfidiam mala opinio, quam habent Germani de Gente Italica, propterea datâ hâc occaſione fingebat, quaſi ſub prætextu Indulgentiarum publicatarum à Leone X vellent illos ſpoliare pecunijs. Non minùs juvit ad dilatandam hæreſim, quia Lutherus ſupra modum extollebat poteſtatem Sæcularem, & præponebat impudenter Eccleſiaſticæ, quâ arte comparavit ſibi amicitiam apud aliquos Magnates, &c. Ut etiam captaret benevolentiam Caroli V. Cæſaris, & aliorum Principum Germaniæ, dedicavit illis unum libellum in An. 1520. in quo contendebat monſtrare, quod Papa & Epiſcopi deberent ſubjacere poteſtati Cæſaris, & quod hanc ſubjectionem omnibus viribus ab illis deberent exigere. Sed nil magis erat, quo ſibi animum & applauſum apud homines compararet, quàm doctrinâ omnem libertatem ad omnia ſuadente. Etenim ſciens ille, naturam eſſe corruptam, & mores illo tempore depravatos in omni ſtatu, non tradidit Hæreſes Speculativas vel Subtiles, quæ indiguiſſent ſubtilitate ingenij, ſed ad proportionem capacitatis illorum, hoc eſt, Materiales & Carnales; ſuſtulit totaliter Continentiam, Jejunia, Votum Caſtitatis, diſciplinam Chriſtianam, dedit libertatem Monialibus, ut nuberent, Monachis, ut ducant uxores; ademit poteſtatem Papæ & Epiſcopis, poſteà Dominis & Officialibus Sæcularibus. Homines ergo audiendo tam ſuavem ſuo appetitui, tam gratam carni doctrinam, cum alacritate ſuſceperunt illam; nihil enim facilius, quàm navigare cum aqua, ſed contra aquam, hic labor, hoc opus. Difficile eſt, abnegare ſemetipſum, & acceptâ Cruce imitari Chriſtum, ſicut ipſe præcepit: *Si vis perfectus eſſe, tolle Crucem tuam, & ſequere me.* Et tamen Lutherus tam fuit audax & inverecundus, diſputabat & ſcribebat, confidendo naturæ & moribus illo tempore corruptis, acſi non cum hominibus haberet negotium. In libro de abroganda Miſſa ad Fratres dicit, *ut fortiter agant, etiamſi contra conſcientiam, quia ego etiam idem feci in multis occaſionibus.* Alibi dicit: *Altercabam cum conſcientia per decem annos.* Alibi: *Cùm omnia argumenta ſuperâſſem per Scripturas, hoc unum cum ſumma difficultate & anguſtia vix ſuperavi, Eccleſiam non eſſe audiendam.*

hoc medio etiam Mahometes traxit multitudinem ad ſuam Sectam.

dam.

dam. In una Disputatione, Lipsiæ quam habuit cum Joanne Eckio, cùm ipsum monerent, ut modestiùs ageret, respondit: *Neq; propter DEUM hæc res cœpta est, neq; propter DEUM finietur.* In libro de Missa angulari scribit, quòd diù disputâsset cum dæmone, & quòd ad extremum vicerit ipsum suis rationibus, propter quas debuit tollere Missam; & tamen cum ejusmodi, & talibus millenis, invenit tales, qui illi addicti, & suscipiebant doctrinam ejus: Tantum potest Caro & Concupiscentia illius. Sed quid dicemus de potestate, quam Lutherus tradebat Laicis, & omnibus, ut appropriarent sibi bona & proventus Ecclesiasticos? ad hæc concessit illis injicere manus in Calices, Cruces, Reliquiaria aurea & argentea: jussit spoliare & destruere apparatus, Sanctas Imagines: jussit appropriare sibi domos & fundos Ecclesiasticos, Abbatias, Episcopatus, in bona hæreditaria Sæcularibus: modicumnè hoc fuit incitamentum? Et quamvis ob memoratas causas tam citò progressum fecit hæresis Lutherana, non defuerunt brevi hostes istius hæresis, ut compleretur illud dictum Prophetæ, de Christo & Ecclesia illius: *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Etenim An. 1525. surrexit contra Lutherum Ulricus Zwinglius, renovator hæresis Berengarianæ, & cum ipso juncti sunt Oecolampadius, & Carolstadius, capitales hostes Lutheri; inter quos tentârunt concordiam Bucerus, posteà Calvinus, inventor novæ Cœnæ. Et sic hi & alij, suis impietatibus laceraverunt Ecclesiam DEI hæresibus, quas suscitârunt. Tentârunt sæpiùs concordiam Lutherani cum Zwinglianis, sed semper frustrà, & cum majoribus discordijs, quàm anteà. Celebrârunt unum Conciliabulum Marpurgi, ad affectationem Philippi, Landgravij Hassiæ, tamen nihil factum, quò minùs convenirent secum de Cœna. Imò Lutherus interdixit conversationem Civibus Francofordiensibus cum Zwinglianis, & Zwinglius in Epistola ad Eslinenses, vocat Lutherum & Lutheranos delirium patientes, & fanaticos. Et in responsione in librum Lutheri de Sacramento & Confessione, multum laborat contra illum, tanquam contra falsum Prophetam, &c. & desertorem Christi; ad extremum tanquam contra Antichristum loquitur. Lutherani verò vocant semper Zwinglianos, Spiritus illusorios, Populum Phræneticum, desperatum, Servos dæmonis, Janiceros Sathanæ, Apostolos Luciperi, Filios Belial, Receptaculum dæmoniorum. Joachimus Westphalus in Apologia contra Calvinum, fecit non modicum Capitulum de maledictione Calvini; & certum, quòd nihil sæpiùs in

libris illius occurrit, quàm appellare Lutheranos, homines sinè cerebro, genus Gigantum, bestias crudeles, & similia. Convenerunt secundâ vice, ut in his desperatis rebus aliquod invenirent medium concordiæ, in Anno 1534. Constantiam, & in An. 1536. Wittembergam, sed semper infectis rebus. Hucusq; Botherus.

Idem Author inferiùs dat rationem evidentem, quare Principes Germaniæ tam brevi tempore recesserunt à Fide Rom. Catholica, & susceperunt alij Lutheranam, alij Zwinglianam, Calvinianam, alij aliam, quam enarrat his verbis: *Principes Lutheranæ & Calviniana Fidei occupant Abbatias, & Episcopatus tenent, tanquam sua Paterna hæreditaria bona, & ex parte tradunt illa Successoribus per modum hæreditatis. &c.*

Idem habet Author Tubæ. Vide suprà pag. 622

Relatio de vita & gestis Calvini.

R. P. Kwiatkiewicz in Fascino decept. 8 Prateolo, Marcossius, de Vitis &c. Hæretic. Tit. Calvinista.

Calvini, quæ origo, vita, doctrina, mors, paucis offero. Calvinus (teste Westphalo in Apologia) è cujusdam Sacrificuli Matre concubina natus, è fori rabula repentè Theologus, Regis Galliæ jussu ad mortem damnatus, Regij Magistratûs manus subdolè effugit. Genebrardus. Prateolus hæc inquit: Calvinistæ à Joanne Calvino nostri Sæculi summo hæresiarchâ, Picardo natione, Patriâ Noviduneńsi dicti sunt. Hunc à Patria sua ob vitæ improbitatem exulâsse, scribit Antonius Demochares de Missæ Sacrificio cap. 2. Eundem noverunt (inquit Joannes Racquerius lib. de Tentationibus) inter dissolutos suæ Urbis Viros dissolutissimum, inter inconstantes & fœdifragos inconstantissimum. Emersit autem circa An. Dñi 1534.

Et infrà Prateolus ait: Certè Calvino homicidij crimen objecit Servetus, quod cùm Symmistæ Genevenses ceu probrum suo Apostolo indignum elusissent, ille in Responso ad Articulos à Genevensibus sibi objectos, constanter affirmat: *Homicidam* (inquit) *dixi Calvinum verè, & Simonis Magi Sectatorem. Nega te esse homicidam, & actis publicis probabo.* Ad hanc criminationem Calvinus sua in refutatione ne gry quidem. Porrò Calvinus à Fide Apostata, anteà Canonicus Noviodunensis, teste Genebrardo, qui contra Sacros Canones Idolettam Buræam, loco Parochiæ Pontis Episcopi assumpsit, teste Beza in Vita Calvini. Nota, impudentia & scurrilitas in Luthero, Beza, Batavo, & similibus, patet in Colloquijs Mensalibus Lutheri, Versiculis Bezæ, & Oveni, in Floribus Calvinisticis, ubi nil

R. P. Kwiatkiewicz in Fascino decept. 8. ibidem.

occur-

occurret ferè, nisi Lupanar, Lenones, Stupra, &c. adeò ut reclamet Erasmus in Epistola ad Fratres inferioris Germaniæ: *Quæ malum ista Salacitas, undè tanta carnis rebellio in ijs, qui se iactant agi Spiritu Christi?*

Quoad doctrinam Calvini, quantis hæc blasphemijs pias aures feriat, horror est referre. &c. Atque proindè non est mirum, quòd Valentinus Gentilis (qui fuit discipulus Calvini) sua dogmata probet ex Alcorano Turcarum, teste Benedicto Aretio, Bernensi ministro, libr. 1. & 3. Historiæ Valentini Gentilis.

Discursus Theolog.

His & multis fraudibus hæreticorum cognitis, plures rediérunt in gremium Matris suæ Catholicæ Ecclesiæ, inter quos non postremus Iustus Calvinus Veterâ-Castrensis, anteà Calvinista zelosus, conversus ad Fidem Catholicam, sic in Apologia pro Romana Ecclesia, suam enarrat conversionem, quæ non injucunda & proficua Benevolo Lectori erit.

S. Augustinus, Catholicæ Ecclesiæ decus, & præsidium firmissimũ, cùm *diruptis & derelictis Manichæorum laqueis, veritati caput submisisset,* sibiq; ex præcepto Domini omne negotium dari sciret, ut *ipse conversus, confirmaret quoq; fratres suos,* Sectam illam varijs Scriptis non tam acerbè aut biliosè carpsit, quàm humaniter erudijt, & propositis veritatis falsitatisq; causis, flendo quasi, deprecando, & obtestando, ad salutem capessendam cohortatus est. Quâ diligentiâ suâ & lenitate omnibus posteris quasi regulam fixit, exemplumquè reliquit, tractandi adversarios suos, non biliosis invectivis, aut acerbis sarcasmis & exprobrationibus, sed amicâ, placidâ, & humili ostensione causarum, quibus veritas innixa, contrarios errores subsistere non patitur. *Magis enim,* inquit, *de correctione eorum, qui imprudentiùs fortaßè, quàm malitiosiùs hæresi adhæserunt, quàm de subversione cogitandum est. Et quanquam Dominus per servos suos regna subvertit erroris, ipsos tamen homines, in quantùm homines sunt, emendandos esse potiùs, quàm perdendos iubet. &c. Illi ergo in vos sæviant, qui nesciunt, cum quo labore verum inveniatur, & quàm difficilè*

Luc. 22

S. Augustinus contra Epist. fundamenti cap. 1

facilè caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri Solem suum. &c. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quibus suspirijs & gemitibus fiat, ut ex quantulacunq; parte possit intelligi DEUS. Postremò illi in vos sæviant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident.

Scripturus igitur ego, juvante Domino, Calvinianæ, quam vocant, Fidei Sectatoribus APOLOGIAM, meamq; ad Romanas partes secessionem, à sinisterrimis quorundam suspicionibus, & calumnijs vindicaturus, quanquam aliud illatæ mihi injuriæ, & clamor per Orbem sparsus, & multorum in angulis susurrantium, meamq; famam ementitis convicijs rodentium iniquitas suadere videbatur. Ne tamen malum pro malo rependens, in Christi disciplinam impingam, cumq; maledictis maledicus fiam, meum ita stylum temperabo, ut neq; mansuetudinis partes excessisse, neq; nimiùm etiam pertinaciæ quorundam concessisse videar. Quòdsi quædam fortè incautò verbula duriora (quod haud spero) exciderint, Illustrissimos Principes, ac Viros sapientiâ authoritateq; præditos obtestor, ne suis id personis asscribant.

Primùm autem, ne cui mirum videatur, quo pacto ego tanto quondam intervallo à Catholica Fide segregatus, tamq; diversis in studijs enutritus, præter omnium sententiam & expectationem, quasi cœlitùs mutatus, Romanam Fidem profiteri, eamq; ut Divinam ac Cœlestem prædicare, laudibusq; omnibus ac veneratione prosequi incipiam: præludij causâ præmittendum existimo, quæ me ratio ad istam mentem impulerit, quamquè nullâ temeritate aut præcipitantiâ, multò minùs pravâ aliquâ affectione, sed acerrimo conflictu, atq; insuperabilis veritatis vi, ac necessitate eò devenerim.

Annus jam agitur fermè decimus quartus, ex quo relictis pueritiæ studijs, Theologiam Sacram pro vitæ instituto amplexari cæpi: & eam quidem Theologiam, quæ Calvini & Zwinglij partes potissimùm sequens, tantum alias puritate Sectas, quantum linguâ, doctrinâ, & acumine superare nititur. De hac Fide mea semper existimatio honestissima fuit, atq; ejusmodi, esse eam quasi ex omnibus hujus perturbatissimi Sæculi Religionibus vivam quandam medullam, & purgatissimum succum. Qua de causa in eam non solùm acri studio per annos ampliùs quinq; Heidelbergæ incubui, verùm etiam,

etiam, quò ad plures fructus ejus pervenire, utq; tanquam verâ, atq; unicâ ſalutis viâ omnibus innoteſcere poſſet, meâ qualicunq; operâ publicè per annos novem geſtis muneribus efficere conatus ſum. Sed ut quod res eſt fatear, duo fuerunt ſemper, quæ hanc perſuaſionem meam quaſi exertâ manu petere, atq; aliquo etiam modo convellere videbantur. Prius eſt, Eccleſiæ Romanæ præ novis conventiculis Antiquitas, & digna promiſſionibus Novi Teſtamenti amplitudo, Catholicorum Virorum in DEUM & homines pietas, in dictisq; factisq; conſtantia: contrà novellorum Doctorum in oriendo obſcuritas, in docendo lubricitas & inconſtantia, in Eccleſijs extendendis anguſtia, in vivendo profanitas & mollities, in tractandis adverſarijs plus quàm barbara feritas, & ſcurrilis dicacitas, in pugnando infirmitas, deniq; in veritatis venditatione plus quàm Thraſonica ſinè teſte præfidentia Hæc etſi ſæpiſſimè animum vellicârunt, oculosq; latiùs aperire juſſerunt, tamen quia mores potiùs & corticem Religionis, quàm interiorem medullam concernere videbantur, facili excuſatione diluta evanuerunt Alterum igitur, quod tanquam graviſſimum telum mentem meam expugnavit, & ad Romanam Eccleſiam, tanquam à melioribus ſtantem partibus, rectiùsq; Scripturas Sanctas interpretantem, impulit, SS Patrum, S. Auguſtini inprimis, & S. Cypriani lectio eſt, à Divino Numine mihi clementiſſimè ſuaſa, & ad perpetuam animæ meæ ſalutem dexterrimè gubernata. Auguſtinum ex Patris Bibliotheca habebam, item Cyprianum, & nonnullos Patrum alios. Magnâ igitur confidentiâ Calvinum legens, *ad Auguſtinum, tanquam ad fideliſſimum, atq; optimum teſtem Antiquitatis, quin & Theologorum Coryphæum provocantem*, faciendum mihi putabam, ut ipſe quoq; ad ejus libros, tanquam ad illuſtre armamentarium confugerem, indèq; neceſſaria tela contra Jeſuitas & Lutheranos, quibus tum omne certamen indixeram, colligerem. Adeò igitur, quamprimùm Auguſtinum explico, benè inſtructam armaturam invenio, ſed non ad militiam Calvinianam. Omnia lædebant me, omnia vulnerabant, & Catholicis patrocinabantur. Quod miratus, Cyprianum capeſſo, an fortè ille æquior meæ cauſæ Sed omnia ſimiliter habebant: nihil hîc de noviter exorientibus reformatoribus, nihil de provincialibus anguſtijs, doctrina, regimen Eccleſiaſticum, ritus, omnia Romana erant, omnia Romanam Eccleſiam ſonabant, ejusq; perpetuam durationem, & à perfidia immunitatem, valentiſſimis argumentis aſtruebant. Hîc mihi

Lectio SS. Patrum neceſſaria hæreticis, ſi veritatem agnoſcere volunt & ſalvari.

Calvin. lib. 3. Inſtitut. cap. 3.

Certamen indixerat Lutheranis.

mihi cor palpitare, maléq; de nostris ominari. Quamvis enim Fidem meam humanis asservationibus non facilè concrederē, tamen & fraus Calvini me pessimè habebat, & tutiùs judicabam in controversis Fidei quæstionibus antiquissimos Patres sequi duces, qui vel coram Apostolos tanquam viva Scripturæ Commentaria audijssent, vel alioqui miraculis & doctrinâ clari, totius Ecclesiæ judicio dexterrimi semper Scripturarum interpretes habiti essent. *Qui deniq;* (ut Augustinus ait lib. 2. contra Julianum Pelagianum) *nullas nobiscum vel vobiscum amicitias attendissent, vel inimicitias exercuissent, neq; nobis, neq; vobis irati, neq; nos, neq; vos miserti essent, quod invenerunt in Ecclesia, retinuissent, quid didicerunt docuissent, quod à parentibus acceperunt, hoc filijs tradidissent.* Agitanti cogitationes istas, subsidio venit fortissimus Sæculi nostri Athleta Bellarminus, mentemq; longiùs in Catholicorum partes propellit. Hic enim tanquam Apelles quidam, longè venustiorem Ecclesiæ faciem depingens, & horribiles calumniarum maculas, quibus à Protestantibus conspurcata erat, eluens, nec non doctrinæ singula Capita accuratiùs explicans, & mussitantes contra hæreticos fortissimè repellens, id apud me effecit, ut quamvis diù multumq; reluctarer acerrimè, tandem tamen vel invitus in sententiam ejus transire, & manus veritati præbere coactus sim. Qua in re non postulo, ut fidem mihi quisquam gratis tribuat. Faciat, quæso, ipse periculum. Legat primò Patrem unum atq; alterum, evolvat Tertulliani præscriptiones adversùs hæreticos, Cypriani librum de unitate Ecclesiæ, itidem Augustini ejusdem argumenti contra Donatistas, necnon ejusdem Tractatum aureum de utilitate credendi ad Honoratum, quin & Vincentij Lirinensis Commonitorium, adversùs profanas hæreseon novitates. Tum his omnibus, quasi plenioris confirmationis causâ, adjungat Baronij Annales Ecclesiasticos, fidissimos Antiquitatis testes, Bellarmini disputationes accuratissimas, adeòq; curiositatis saltim causâ inquirat, quænam sit illa Fides prisca? quibus fundamentis nixa? à qua superiori Sæculo Majores nostri magna sua infamia defecerunt? & contrà, quam hodiè tam imperitè multi dicaculi ministri deblaterant? Fidem depono, si non multi (omnes enim asserere nolim, quia Fides non omnium est, neq; par etiam omnium in legendo dexteritas aut intelligentia) brevi sententiam mutaturi, & cum illis Donatistis apud Augustinum dicturi sunt: *Nesciebamus hìc esse veritatem, nec eam discere volebamus, falsis rumoribus terrebamur intrare Ecclesiam,* quos

SS. Patrum authoritas.

Bellarmini encomia.

Qui Patres legendi hæreticis.

Notent hæc omnes Dissidentes.

Epist. 48. ad Vincent.

quos falſos eſſe neſciremus, niſi intraremus. Gratias Domino, qui trepidationem noſtram abſtulit, expertos docuit, quàm vana & inania de Eccleſia ſua mendax fama iactaverit. Hinc iam credimus & illa falſa eſſe, quæ Authores huius hæreſis criminati ſunt, quando poſteri eorum tam falſa & peiora finxerunt. Sed ad Bellarminum redeo, Virum æternâ memoriâ digniſſimum, cui Dominus retribuat mercedem, quam pollicitus eſt ijs, qui errantes à via mala converterint & ad juſtitiam cohortati fuerint plurimos. *Daniel. cap. 12* Illi quanquam Leoni intrepido, imbelles quidam & timidi lepuſculi barbam vellicare, & conſarcinatis hinc indè centonibus, aureas ipſius diſputationes, ſi dijs placet, confutare aggreſſi ſunt. Quo eventu? quâ laude? vidi omnes, ac legi, vereq; teſtari poſſum, nihil vel ex Anglia, vel ex Gallia, vel ex Germania aut Belgio, in hoc genere editum, aut ſcriptum eſſe, quod ego non avidè coëmptum legerim, & privatâ collatione, vel indè etiam ſubſidium ſperans, cum cauſa & argumentis Bellarmini ſtudioſiſſimè contulerim. Sed bone DEUS, quàm frigida ac tenuia omnia! ἀμουσία τὸ πλέον μέρος, λόγων τε πλῆθος. *Laërtius in Cleobulo.* Alij convicijs Scenam ingreſſi, nomen tantùm & famam adverſarij lacerant, & de fraudibus ſcilicet Lectorem præmonent, ut quæ invicta occurrunt argumenta, fraudibus annumerentur. Alij tenuiter quæſtionem extremis quaſi digitis attingentes, nihil reponunt, niſi veterem crambem, & quod in quæſtione eſt, ſuâ authoritate, minutis intermixtis argutijs, tanquam imperatorio edicto confirmant, & vel Lectori invito obtrudunt. Novi quendam ex iſta Claſſe, quem ſæpè vix precibus adducas, ut præter argumentum generale, inſtantias vel minimo digittulo attingat, contentum, pompâ & minis aſseruiſſe, ſuam ſententiam eſſe veram, & quæcunq; dicantur contra, Sophiſticæ & Antichriſtianis fraudibus accenſenda. Cujus hominis ineptiæ ut clariùs pateſcant, quemadmodum & aliorum, ſuo id loco, DEO coadjuvante, teſtatum faciemus.





Nunc in viam redeo. ubi commemorare poteram, quæ prætereà abijciendi erroris mihi adjumenta acceſſerint. Sed ne prolixus ſim, Baronij quædam Scripta omitto, Stapletoni Diſputationes, Fabricij Harmoniam Auguſtanæ Confeſſionis prætereo, exterorum tantùm populorum conſenſum adjicio, in ijsq; præter Æthiopes, Ruthenos, Jeremiæ præſertim Patriarchæ Conſtantinopolitani judicium: quid Tubingenſium laceſsitu ante annos plus minùs viginti, de Auguſtana Confeſſione ſcripſit, quo certè plurimùm meam de *Cenſura Græcorum.*

Romana Ecclesia sententiam confirmatam esse fateor. Ita enim omnia in potissimis doctrinæ Capitibus conveniunt, ut mirer summopere, non eodem Patriarcham loco, quo Pontificem Romanum à Novatoribus haberi. Si enim unus Antichristus est, necesse est, & alter sit, quia nervum doctrinæ communem habent. Tantòq; magis dolenda est quorundam ex ipsis simplicitas, qui nescio quem cum Ecclesia Græca consensum adhuc somniantes, eumq; sibi falsò, à pecuniæ Cauponibus persuaderi sinentes, scriptis literis, & missis Catechesibus animum Orientis explorare non cessant. Itanè obliti sunt fatorum August. Confessionis? nesciunt quomodo excepta, & quàm graviter in Aula Patriarchæ comprobata fuerit? Abeant Tubingam, quærant, Crusius narrabit. Aut si piget viæ, Orationem Chytræi legant, quam de Statu Ecclesiarum in Græcia, Asia, Bohemia, &c. Francofurti edidit, ibi pag. 113. 115. 116. 129. 133. quædam ad hanc causam pertinentia invenient; præcipuè autem pag. 132. ubi ex Crusio Summam Censuræ pauculis hisce Aphorismis commemorat;

1. Nititur Patriarcha fortissimè demonstrare, Spiritûs Sancti ex solo Patre processionem.
2. Libero Arbitrio plus justo tribuit.
3. Per Fidem, & Charitatē, & Spem, justificari hominem contendit.
4. Septem Sacramenta ponit.
5. Sanctos defunctos, & MARIAM, DEI Genitricem, & SS. Angelos invocat, & Sacras eorum Imagines adorat, non Latriæ cultu, (soli enim DEO debetur) sed conjunctivè, seu respectu, non materiæ, sed Sanctorum, qui per materiam significantur; & affectione quâdam amicâ, & venerationem ac honorem erga Sanctos ostendente.
6. Pro Monasticæ Vitæ instituto, tanquam Angelica Conversatione propugnat.
7. Probationes ex Patribus & Synodis sumptæ sunt. &c.
8. Hortatur nos humaniter ad assensionem.

Hæc Crusio Authore, totius Censuræ Summa est; quam si quis integram nobiscum legerit, plura, & majora ad damnandam fidem novam inveniet: inprimisq; ista, quæ tanquam Colophonis loco, Patriarcha scribit, Responso tertio, pag. 350. Vide suprà pag. 490 vers. 12.

Et pag. 14. ait: Quid ergo? ut Summam dictorum faciam. His

His tot tantisq; Præceptoribus jam annos complures ufus, SS. Patrum aufpicijs de vera & genuina Scripturarum interpretatione monitus, de controverfis Quæftionibus Catholicorum, Difputationibus, rectiùs eruditus, de finceritate atq; integritate Romanæ Ecclefiæ manifeftiffimâ veritate convictus, de omnibus Fidei Capitibus, exterarum quoq; Ecclefiarum confenfu confirmatus. Jam dudum feci, & iterum facio DEO Duce judicium. Quotquot ab unitate & communione Romanæ Ecclefiæ, vel diverfæ Religionis inftituto, vel morum difciplinâ, & pacis vinculo feparati funt, extra Chriftum, & à Corpore ipfius, tanquam palmites à Vite præcifos arefcere, & æterno camino refervari.

Quotquot autem hanc Romanam Cathol. Ecclefiam (de qua tam multa falfa & odiofa paffim ab imperitis fparguntur, & à fimplicibus pernitiofiffimè creduntur) & fidei, & communionis virtute fequuntur, in vera, viva, & dilecta Chrifti Ecclefia effe, quam femel in hisce terris fundatam, firmiffimè contra portas inferorum defendit hactenùs, & in pofterum defenfurus eft: & in qua tanquam templo DEI falutaris Sacramentorum communio extat: in qua omnes hactenùs ab Apoftolicis temporibus electi, & fideles fuerunt, & ad quam deinceps omnes, tanquam ad Arcam Noe, contra æterni ignis diluvium confugere eft neceffe.

Et pag. 16. ait: Quid ergo ab hoftibus teftimonij habes Veritas Catholica, Sapientia Sancta? Plurimum profectò. Nam ut finè ambagibus arenam ingrediar, Zacharias Urfinus, Theologus Calvinianus haud ignobilis, magno apud fuos loco habitus, & multorum quafi Chryfippus, in Prolegomenis Explicationum fuarum Catecheticarum, cùm de κριτηρίοις Chriftianæ Religionis differit, ita differit, ut quafi fui oblitus, Catholicis arma fuppeditet robuftiffima, quibus ipfe & tota caufa Novatorum miferè juguletur. Nam attendat Lector, quæ ipfe pro Religione Chriftiana contra Judaicam, Turcicam, Ethnicam, adfert argumenta, an non juftiffimè à Catholicis, contra omnes omnium adverfariorum Ordines adhiberi & urgeri queant? Quod ut re ipsâ fiat perfpicuum, rationes Auctoris ordine fubducamus. Vide illas in ipfo libro Authoris (nam longum effet illas recenfere) à pag. 17. usq; ad pag. 74. quæ nulli, nifi Ecclefiæ Cath. Rom. competere, evidenter oftendit, ut Legenti clarè patebit.

Appono hîc Historiam ex memorato superius Surio, probato Authore, de dictis, Scriptis, & gestis Lutheri.

Antequam tamen nonnulla ex Surio adducamus, apponimus primò aliqua, pro pleniori informatione legentium, ex Præfatione Commentariorum illius ad Illustrissimum Principem Albertum, Comitem Palatinum Rheni, ad quem inter alia hæc ait: Feci ergo, quod rogatus eram, & ut non prorsùs lectu indigna scriberem, multorum doctissimorum hominum libros Historicos cursim perlegi, atque ex ijs non sine labore collegi, quæ possent Lectori aliquam adferre utilitatem. &c. Sed interim tamen ad me profertur, non deesse, qui dicant, parùm decuisse Carthusianum scribere Historiam, alios etiam, qui me putent plusculum indulsisse affectibus, nonnullos verò, qui me etiam maledicum vocent. Quibus omnibus ut brevissimè satisfaciam, nôrint primi, me non facilè hanc scribendi provinciam suscepturum fuisse, si vel ipsi eam suscipere, vel alios doctiores ut susciperent, adhortari voluissent. Porrò alij id certum habeant, me nihil aut odio cujusquam, aut amore scripsisse, secùs quam haberet rei veritas, quantum equidem scire potui; nec debet mihi vitio verti, si laudavi præclarè de Repub. Christiana meritos, & acriùs interim perstrinxi proditores & perditores inclytæ Germaniæ nostræ, quales sunt ij, qui sub prætextu Evangelij & puræ doctrinæ, teterrimos errores, & jam olim damnatas hæreses in Orbem invexerunt. Postremi autem, qui me maledicentiæ insimulant, desinant oro esse Schismatici desinant populum Christianum, Christi JESU pretioso Sanguine redemptum, in errores inducere, desinant atrocissimè & impijssimè lacerare ac proscindere Christi Catholicam Ecclesiam, Romanos Pontifices, Sacramenta & instituta Ecclesiæ, & id genus alia, desinant dicere bonum malum, & malum bonum, redeantq; ad pacem & unitatem Filiorum DEI, & tum sentient, me, etsi nonnunquam asperiùs scripsisse videar, tamen longè fuisse modestiorem, quàm res ipsæ poscere viderentur, &c. quanquam quò ad postremos attinet, qui maledicum vocant, possem facilè ostendere, si mea Scripta cum eorum Scriptis conferantur, illos se potiùs, quàm me perstringere voluisse, &c. cùm certissimè constet, & Lutherum ipsũ sæpè pugnantia docuisse, & Lutheranos inter se odiosissimè & pertinacissimè dissidere. Tum quoq; Philip. Melanch. Confessionem Au-

gust.

gust non semel mutâsse, atq; ab Illyrico discipulo suo, falsi insimulatum esse, & in ipsos quoq; Symmistas suos Lutheranos, acerbè sanè scripsisse, potiùsq; in doctrina Eucharistiæ ad Zwinglij, quàm Lutheri partes accessisse. Hæc, & ejus generis alia, cùm nos citra ullum mendacium, ex ipsorum editis libris proferimus, maledicos nos vocant & blasphemos. Cùm autem illi immaniter conspuunt & calumniantur etiam optimos & SS. Pontifices, Sacramenta & instituta Ecclesiæ Catholicæ, aliaq; similia, non solùm non maledici, sed etiam egregiè Evangelici videri volunt. Sed tamen utcunq; læviant & tumultuentur Viri optimi, veniet quandoq; dies, ut intelligant homines, quàm luculenter sub Evangelij ementita specie ipsis impositum & illusum adhuc sit ab ipsis. Atq; ut id faciliùs possint agnoscere, operam dedi, ut in meo hoc qualicunq; Commentario doctrinæ inconstantiam, fœdissimas antilogias, atrocissimas altercationes, & his similia multa, quæ in nostris Evangelicis dogmatistis & præconibus visuntur, diligenter Lectori ob oculos ponerem, & quædam etiam identidem inculcarem, ut magis moveant, & tenaciùs animis affigantur. &c. Pergemus DEO propitio hominibus ostendere malas artes, portentosam vanitatem, impias hæreses, turpissimas antilogias, immania aliorum in alios convicia, & id genus alia, &c. Nemo mirari debet, identidem à me perstringi Sleydanum, & ejus vanitatem non uno loco indicari. Expedit enim Lectori parùm perito, hominis malam fidem aperiri, ut caveat sibi ab infido Historico, qui in suis bellissimis Commentarijs sic Historiam texit, ut non nisi execrabilium errorum, damnatarum hæresum, seditiosorum dogmatum, & turbulentorum hominum, quales fuêre Lutherus, Zwinglius, Calvinus, &c. patronum agere velle videatur. Sed quomodo Sleydanus horum patrocinium agere potuerit, cùm sibi hostes perpetuo fuerint, & se ad invicem pro hæreticis condemnaverint, quod non est ignotum omnibus, idq; non sinè imperiti Lectoris multiplici pernitie, quando homo versutus Religionis negotium cum Historia ita permiscet, ut dum animum Lectoris & rerum infidâ plerumq; narratione, & multâ sermonis blandiloquentiâ & suavitate demulcet, unà instillet impios errores, & execranda dogmata. &c. Hanc malam Sleydani fidem probat superiùs Surius testimonijs duorum testium, omni exceptione majorum, Caroli V. Imperatoris, & doctissimi Numburgensis Episcopi Julij Pflugij, qui res Imperij probè cognitas haberent, & plerumq; præsentes interfuerũt

ijs, quæ à Sleydano narrantur, quas cùm perlegi audivissent, non semel exclamârunt: *Mentitur nebulo!* Prodesse autem certè hoc meo qualicunq; labore volui Lectoribus, præsertim parùm doctis, & imperitæ multitudini, quam isti suis mendacijs & præstigijs miserè evertunt. Atq; tametsi non desunt forsan, qui meam operam carpendam putent, tamen me plurimùm consolatur, quòd à multis bonis & doctis Viris &c. eam probari intelligam.

Ut autem Surius probaret, quæ de mala fide Sleydani, & infida ejus Historia dixerat, ipsis verbis in multis locis hoc ipsum ostendit. Et primò quidem pag. 91. sic ait: Verba Sleydani sunt hæc: *Leo X. Pontifex Romanus, ex Familia Medicea Florentinus, pro sua, quam in omnes Christiani nominis Ecclesias habere se putabat, quâdam usurpatione Maiorum potestate &c.* Primò quidem, non putabat Leo Pontifex, (quem Sleydanus Romanum vocat, Maximum pro suo candore non vult dicere) ad se pertinere curam omnium Ecclesiarum, sed ex Evangelio certus erat, dictum esse Petro ab ipso Christo, *Pasce Oves meas*; nec ignorabat, Rom. Pontificem esse Petri Successorem. Fortè non legerat Sleydanus illud Ambrosij in 1. Epist. ad Timoth. Cap. 3. *Cùm totus mundus DEI sit Ecclesia, tamen domus eius dicitur, cuius hodiè Rector est Damasus.* Deindè, non sibi eam usurpârunt Pontifices auctoritatem, ut Sleydanus aculeatè scribit, non sinè insigni tot Sanctissimorum Pontificum injuria, sed à Christo sibi demandatam, in totum Orbem Christianum, ubicunq; res postulavit, exercuerunt. Quod etiam ex Notis Ecclesiæ, & de Primatu S. Petri & Successorum illius, clarè patuit. Vel, si hæc Sleydanus ignoraverit, debuit discere vel saltim à Luthero, qui illam pro vera Ecclesia Christi agnoverat non semel, vide suprà p. 86. ℣. 11. & 21. & seq.

Splendidum mendacium.

Ioan. 21

Vide suprà pag. 609. & seq. & vide fidelitatē Sleydani.

Idem Surius pag. 102. de Sleydano hæc habet: Sleydanus scribit, *Lutherum significâsse Pontifici, eum sic esse affectum erga Romanam Ecclesiam, & ipsum quoq; Pontificem, ut nihil in eam moliri cogitet, tantam enim eius potestatem esse, ut præter unum Christum in rebus humanis nihil eâ sit excellentius.* Et post pauca ait Luther. *Se quodammodò ab adversarijs coactum, parùm reverenter illam atq; dignè tractâsse, velle autem commonefacere populum, ne suum imitentur exemplum.* Hoc quidem hac in Epist. (scribit Sleydanus) Lutherum significâsse Pontifici. Combina hæc si potes, Lector, cum superiori dicto Sleydani, qui non solùm contra totam Antiquitatem, tam SS. Patrum, quàm Conciliorum testimonia, sed etiam contra Lutherũ,



Cal-

Calvinum, & alios pugnare ſolus videtur, cùm Rom. Pontificem dicit, uſurpare ſibi poteſtatem. Ex his patet, quàm infidelis fuerit Hiſtoricus Sleydanus. Vide plura ſimilia de Sleydano apud eundem Surium. Cùm non ſuo Ordini, ſed alteri traditæ fuerint promulgandæ Indulgentiæ, ea res maximè offendit Lutherum. Surius verò in ſuo Commentario rerum in Orbe geſtarum, p. 93. ſic ſuam Hiſtoriam de Luthero exorditur: Et quia interdum non parvi abuſus ejusmodi evulgandis Indulgentijs ſeſe immiſcuerunt, indè ſumptâ occaſione Lutherus, primùm in Indulgentiarum immodicos quosdam & ſordidos ſuo duntaxat quæſtui ſervientes buccinatores acriter invectus eſt, datis ad Moguntinum Antiſtitem literis, in quibus &c. inter cætera ait: *Ubiq; Dominum difficultatem ſalutis denunciare, & Apoſtolum jubere, ſemper cum timore & tremore nos operari ſalutem noſtram*; & id genus multa alia, quæ Sleydanus tacet, quia videt, ea è diametro pugnare cum poſteriori doctrina Lutheri, quia poſteà non ſolùm cum timore & tremore, ſed nullo modo operari ſalutem docuit, ipſe amplam indulgentiam concedendo, & ſolùm credendo, Cœlum ſperare juſſit. Nota Lector, quòd Lutherus occaſionem ſumpſerit ex particularibus abuſibus hominum re ſacrâ malè utentium, non enim ille tunc Indulgentias, ſed abuſum Indulgentiarum reprehendebat, etiam Concilia Decretis ſuis ſæpiùs hos abuſus tollebant, ut in Diſcurſu de Indulgentijs oſtendimus, licèt poſteà contra ipſas Indulgentias Lutherus inſurrexerit.



Reflexio.

In ipſis hujus Tragœdiæ initijs viſus eſt Lutherus pleriſq; Viris gravibus & eruditis non peſſimo zelo moveri, planèq; nihil ſpectare aliud, quàm Eccleſiæ reformationem. &c. Scripſerat Leoni Pontifici literas in quibus hæc etiam ejus verba legebantur ſuperiùs citata, ſcilicet: *Quare, Beatiſſime Pater, proſtratum me pedibus T. B. offero, cum omnibus quæ ſum & habeo. Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit, vocem tuam, vocem Chriſti in te præſidentis & loquentis agnoſcam. &c.* Et p. 96. ait Surius: Eodem anno (ſcilicet 1518.) Maximilianus Cæſar ſcripſit Pontifici de turbis per Lutherum excitatis, oratquè, ut maturè rebus affectis opem ferat. &c. Pag. 97. Negotium illud mandatur Cardinali Cajetano. &c. Cardinalis Cajetanus multum egit, ut hominem ad ſanitatem reduceret, ſed id fruſtrà fuit. &c. Ut autem omnem à ſe ſuſpicionem hæreſeos amoliretur coram Cardinale, hanc ex ſcheda proteſtationem recitavit: *Ego Frater Martinus Luther proteſtor, me colere & ſequi Sanctam Roma-*

Surius pag. 95.

NB.

Aſtus Lutheri.

Romanam Ecclesiam, in omnibus meis dictis & factis, præsentibus, præteritis, & futuris. Quòd si quid contra, vel aliter dictum fuerit, pro non dicto haberi, & habere volo. Eâdem pag. dat Surius ad trutinam quoddam dictum Sleydani Lectori, ut de ejus tota Historia capiat conjecturam, quàm illa infida sit, & quomodo illi credendum, dum ait: Scribit Sleydanus: *Cardinalem virum doctissimum hoc tempore ita prædicâsse Pontificis dignitatem, ut eum omnibus Scripturis atque Concilijs anteponeret,* Quis verò unquam credat, illum Virum in Catholica Religione tam insigniter eruditum, ausum affirmare, Pontificem etiam Scripturis Divinis esse anteponendum, cùm certum sit, ea, quæ diviniitùs in Sacris Scripturis vel jussa vel vetita sunt, etiam Pontificem tum facere, tum cavere debere. Nimis molestum esset, id genus mendacia semper annotare, quibus ille Historicus libenter suam adspergit Historiam, ut Catholicis invidiam & odium, Luthero & Sectis gratiam & auctoritatem conciliet. &c. Pag. 98. Cardinalis hâc Lutheri protestatione acceptâ, &c. urgere perrexit, ut illa tria suprà dicta præstaret, quæ Surius superiùs pag. 97. expressit. At ille rursùs protestatur, *non se meminisse, quidquam à se dictum esse, quod cum Divinis literis, cum Patribus, cum Pontificum Epistolis Decretalibus, aut cum recta ratione pugnet* Cùm disputaret cum Eckio, monitus est à Consiliarijs Georgij Principis, ut se comiter & sedatè gereret, &c. respondit: *Neque propter DEUM hæc res cœpta est, neque propter DEUM finietur. &c.* Attamen in ipsa Disputatione &c. Catholicè dicere visus est, quam paulò pòst scripserit. Nihil derogatum voluit, neq; Rom. Ecclesiæ primatui & auctoritati, neq; Pontifici, ajebat, non Latinè modò, sed etiam Germanicè, se non impugnare, nec Christianè à quoquam impugnari posse primatum & obedientiam Romanæ Ecclesiæ.

Hæc, & similia alia multa, (ait Surius pag. 100.) siluit Sleydanus, aitquè, Lutherum negâsse primatum Ecclesiæ Romanæ; nam vidit, in ignominiam Lutheri cedere, si diversa sensisse scriberetur, quod tamen ille fecit sæpissimè. Prætereà damnavit Bohemos tanquam Schismaticos, non solùm credere, sed etiam scire se dixit, esse Purgatorium, in eadem Disputatione dum ait: *Ego, qui credo fortiter, imò ausim dicere, scio Purgatorium esse, facilè persuadeor, in Scripturis de eo fieri mentionem* Scripsit autem Lutherus Leoni Pontifici (ait Surius pag. 102.) literas, quarum ipse quoq; Sleydanus meminit, &c. commemorans, quid illæ continuerint. Ait enim, inter

cætera

cætera ſcripſiſſe Lutherum, *ſe quidem erga Rom. Eccleſiam & ipſum quoq; Pontificem ſic eſſe affectum, ut nihil in eam moliri cogitet, tantam enim eius Eccleſiæ poteſtatem eſſe, ut præter unum Chriſtum in rebus humanis nihil eâ ſit excellentius.* Et poſt pauca: *Se quodammodò coactum ab adverſarijs, parùm reverenter illam atq; dignè tractâſſe; velle autem commonefacere populum, ne ſuum exemplum imitetur.* Hoc quidem hac in Epiſtola ſcribit Sleydanus, Lutherum ſignificâſſe Pontifici. Et pag. 103. ait Surius: In Diſput. Lipſica cum Eckio ſcribit Sleydanus, *Lutherum negâſſe Primatum Rom. Eccleſiæ.* Quàm verò hæc inter ſe conveniunt, nihil præter unum Chriſtum eſſe Rom. Eccleſiâ excellentius, & tamen eam primam & præcipuam non eſſe?

Pag. 105. ait: Certè optimi quiq; & potentiſſimi Imperatores, Reges, & Principes, Pontificis Rom. dignitatem & auctoritatem non ſolùm nihil imminutam, ſed modis omnibus auctam potiùs, ſemper voluerunt Chriſtum DEUM in illius Vicario venerantes. Per hoc tempus Lutherus Scriptum edidit ad Carolum Cæſarem, & Nobilitatem Germaniæ, in quo inter alia &c. auſus eſt ſcribere, *Pontificis poteſtati non modò non obtemperare, ſed reſiſtendum etiam corpore, ſubſtantiâ, & viribus omnibus, Papam & Epiſcopos eſſe ſubiectos gladio Cæſaris,* & alia multa. Hæc contraria ſunt Scripturæ Divinæ, quæ in multis locis obedire jubet etiam diſcolis. Scripſerat Leoni Pontifici, nihil eſſe Rom. Eccleſiâ excellentius, præter unum Chriſtum in rebus humanis: modò dicit, Pontifici non eſſe obtemperandum, & ſubjectum eſſe gladio Cæſaris. Et illud ubi erit? quòd Chriſtus omnem reverentiam & obedientiam Prælatis Eccleſiæ & ipſe præſtitit exemplo, & docuit verbo, quamvis erant perverſi, qui ſederunt in Cathedra Moyſis, illos audire juſſit. Et Luc. 10. ait: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et hoc maximè notandum de Chriſto Domino, quòd nullibi Prælatorum Eccleſiæ doctrinam, ſive boni, ſive mali, cavere juſſit.

Ante Conventum Wormatiæ (ait Surius pag. 106.) edidit Lutherus aliquos libros mirabili vafritie, &c. captans doctrinæ & pietatis apud Lectores exiſtimationem, & erant in ijs libris non pauca, quæ quandam præ ſe ferrent pietatem. &c. Erant ſanè nonnulli etiam magnæ auctoritatis Viri, qui id genus Scriptis lectis putarent, eum zelo purgandæ domûs DEI, & inſtaurandæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ, hominesq; in Dei cultum & amorem inflammandi promoveri. NB.

Pag. 109. ait: Admiſſus eſt iterum in Cæſaris & Principum

conspectum, jussusq; est dicere, num libros agnosceret pro suis? & num vellet canere palinodiam? longâ primùm verborum ambage usus, &c. tandem dictum illi est, ut disertis verbis, non intricatis, animi sui sententiam exprommeret. Tum his verbis respondit: *Nisi convictus fuero testimonijs Scripturarum, aut ratione evidenti, (nam neq; Papæ, neq; Concilijs satis credo, cùm constet, eos & errâsse sæpiùs, & sibi ipsis contradixisse) victus sim Scripturis à me adductis, & capta conscientia in verbis DEI, revocare neq; possum, neq; volo quidquam, cùm contra conscientiam agere, neq; tutum, neq; integrum sit &c.* Hæc nimirùm pulchrè quadrant cum illis, quæ superiùs dixerat, se sequi in omnibus dictis & factis suis Romanam Ecclesiam, quâ nihil excellentius, præter unum Christum in rebus humanis. Principes his auditis, post aliquam deliberationem per Oratorem Cæsaris ita illi responderunt: *Non te decebat, Martine, tam parùm modesta responsio. Quid enim attinet semel benè tractata retractare, & iterum in disputationem vocare, ab Ecclesia & Concilio Constantiensi damnata, quæ tu rursùs excitas. Vis convinci Scripturis, sed in hoc ipso vehementer deliras, cùm de his iam pridem Ecclesia pronunciârit*; ille captam suam conscientiam repetens ait, se revocare non posse. Ita discessum est ex eo Confessu.

NB.
Omnes hæretici suos errores ex Scripturis secundùm suam explicationem defendebant.

Posterâ luce Cæsar suâ manu scripsit ad Senatum Imperij Ser-
« mone Burgundico. &c Non clàm Vos est, me genus ducere à
« Christianissimis Imperatoribus, ab illustri natione Germanorum,
« à Catholicis Hispaniæ Regibus, ab Austriacis Archiducibus, à Bur-
« gundorum Ducibus, qui omnes ad supremum usq; vitæ diem, se
« Fideles Romanæ Ecclesiæ declarârunt, semperq; Catholicæ Fidei,
« Sacrarum Cæremoniarum, Decretorum, Constitutionum, San-
« ctorum Morum, pro DEI honore, pro Fidei incremento, pro a-
« nimarum salute propugnatores Fidei; qui vitâ functi, Nobis ex
« naturæ instinctu, & jure quodam hæreditario, Sacra quæ diximus
« Catholica instituta, quasi per manus tradita reliquêre, ut eorum
« vestigijs insistamus, & in ijs etiam mortem oppetamus. Et Nos
« quidem, ut potè Majorum Nostrorum non fallaces imitatores,
« DEO Nos benè juvante, in hunc usq; diem eo pacto viximus.
« Itaq; stat sententia tueri & propugnare, quæcunq; tum Antecef-
« sores mei, tum ego ipse hucusq; observavi, id autem vel maximè,
« quod per Antecessores meos tam in Constantiensi, quàm alijs Sy-
« nodis sancitum est. Cùm vero in aperto sit, unum solùm Fratrem

« hallu-

hallucinari, privatâ opinione deceptum, quæ quidem cum totius Christianissimi sententia pugnet, tum eorum, qui ante mille annos Nos præcesserunt, quàm qui in præsenti vivunt, ea quæ præ se fert, Christianos omnes hactenùs semper in errore fuisse, eam ob rem planè deliberatum mihi est, Regna mea omnia, Imperium, Ditiones, Amicos, corpus, sanguinem, vitam, deniq; ipsam & animam impendere, ne improbus hic conatus longiùs progrediatur. &c. Quandoquidem ergo pertinax hesternâ die Lutheri responsum coram omnes audivimus, mentem ego meam Vobis aperio, pœnitere me, quòd tam diù distulerim contra hominem illum, ejusquè falsam doctrinam procedere, nec me posthàc audire illum velle, quidquid etiam allaturus sit: jubeo autē, ut quamprimùm ex mandati præscripto reducatur, caveatq; ipse ex publicæ Fidei ipsi data formula, ne palàm concionetur, neq; populo prava dogmata sua instillare pergat, ne deniq; ipsius operâ novi quippiam aut motus aliquis excitetur. Equidem sicut jam dixi, contra eum aut secùs contra notorium hæreticum, planè deliberavi procedere, simulq; à Vobis reposco, ut in isthac causa id statuatis, quod decet probè Christianos, & ut Vos facturos recepistis. Scripta meâ manu. 19. April. An. 1521.

NB.

NB.

Pag. 112 ait: Scripsit prætereà Lutherus in sua illa arce librum de abroganda Missa privata ad Fratres suos Wittembergenses, qui primi omnium Missas abrogaverant, quos hortatur, *ut in eo incæpto contra conscientiæ accusationem persistant, sicut & se in quibusdam fecisse* ait. &c. An non perspicuum est, omninò perire velle eos, qui tali homini, qui contra conscientiam suam se in plerisq; fecisse affirmat, auscultent. Pugnare enim contra conscientiam à malis deterrentem, quid est aliud, quàm rebellem esse lumini, nec velle obtemperare veritati, sed eâ contemptâ, eò conniti, ut liceat, quidquid libet. Deindè, coram Cæsare & Principibus non pridem contrarium dixerat, *Captâ conscientiâ in verbis DEI revocare neq; possum, neque volo quidquam, cùm contra conscientiam agere neq; tutum sit.* Et quamvis ipse contra conscientiæ accusationem in aliquibus se fecisse ait, tamen conscientia illum sæpiùs reprehendebat, ut ipse præ angustia fatetur, in Præfat. lib. de abusu Missæ Tom. 2. fol. 9. dum ait: *Quàm sæpè mihi cor palpitavit, meq; coarguit, &c.* ut sæpiùs suprà innuimus, vide pag. 32. Nota Lector, quantum malum, quantum tormentum conscientiæ, contra conscientiam aliquid facere:

NB. *Superius dixerat, contra conscientiam nihil agere posse.*

non dicit Lutherus, quòd illum conſcientia reprehenderit, quòd falſum impugnaret & everteret, ſed de hoc, quod Eccleſia Chriſtiana decreverit, totq; annos credidit, ille tanquam falſum everteret, & quòd ſolus contra omnes: ideò ſæpiùs cor illius palpitavit, & illum coarguit.

Reflexio. Mirum debet eſſe, quòd Lutherus tàm multos pertraxerit in ſuam ſententiam. Sed cauſa in promptu eſt. Videbat enim Lutherus illo corruptiſſimo Sæculo, ſecundùm Hiſtoricos, multos addictos fuiſſe ventri, potationibus, & varijs vitijs & luxurijs, ut eos ſibi alliceret, laxavit habenas ad omne malum, jejunia, preces, Vigilias, & alia pietatis exercitia docuit reijcienda, nempè illa, de quibus illum conſcientia ſæpiùs redarguebat, *quod Chriſtiana Eccleſia decrevit, totq; annos credidit.* Jam planè abjecerat illud, quod ad Moguntinum contra abuſum Indulgentiarum ſcripſerat, *ubiq; Dominum difficultatem ſalutis denunciare, & Apoſtolum iubere, ſemper in timore & tremore nos operari ſalutem noſtram*; & licèt hunc timorem & tremorem abjecerit Lutherus, tamen conſcientia illius illum non abjecit, ſæpiùs coarguendo, *Tu ſolus incæpiſti, tu ſolus tanquam falſum evertis, meliùs, ut hanc cauſam nunquam incæpiſſes.*

Surius pag. 115. ait: Henricus Angliæ Rex VIII. ſcripſit in Lutherum, &c. & Catholicæ Fidei defenſor appellatus eſt. Ibidem Surius ait: Scripſit Lutherus in libello ad Germanicam Nobilitatem, *Ariſtotelis Phyſica, Metaphyſica, Ethica, prorsùs aboleri debere*; ex hoc fonte hauſerunt doctrinam Carolſtadius & Melanchton, primus factus eſt agricola ruri Wittemberg., alter artem piſtoriam meditabatur, pleriq; adoleſcentes artium liberalium combuſtis libris, mechanica opificia complexi ſunt, &c. multis locis Scholæ clauſæ tenerentur annis aliquot. At Lutherus Wittembergam reverſus, &c. libro edito aſſeruit, Philoſophiam eſſe bonam in ſe. Sic ille homo in dictis & Scriptis ſuis varius & inconſtans, ſibiquè identidem planè contrarius fuit, quod neq; amici ejus unquam negare auſi fuerunt. Per id tempus etiam publicè pro Concione damnavit Fratrum ſuorum Auguſtenſium Miſſæ abrogationem, cùm id factum antè probâſſet. &c. Invectus eſt etiam in Angliæ Regem libro edito, inter cætera hæc ait: *Ego verò adversùs dicta Patrum, hominum, Angelorū, dæmonum, pono non antiquum uſum, non multitudinem hominum, ſed unius Maieſtatis æternæ Verbum. &c. Hîc ſto, hîc ſedeo, hîc maneo, hîc glorior, hîc triumpho, hîc inſulto Papiſtis, Thomiſtis, Henriciſtis, Sophiſtis, &c.*

omnes hæretici ſimiliter ſuos errores defendebāt ex Verbo Dei ſecundùm ſe intellecto.

&c. DEI Verbum est super omnia. Divina Maiestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ Germanicæ contra me starent, Sed licèt hæc dicat Lutherus, longè aliter clamat illius conscientia, & arguit illum, *Tu solus incæpisti, istâ tentatione sæpè usq; ad infernum demersus sum.* Hoc Verbo DEI etiam gloriatur Zwinglius, Calvinus, hoc Verbo & Anabaptistæ, & dicunt, se audacter hoc Verbo DEI judicaturos etiam Angelos, hoc Verbum DEI omnes in ore habent, quotquot recesserunt à Luthero, ergo isti omnes veram Fidem habent. Deindè Lutherus in Defensione Verbi Cœnæ Domini, de S. Augustino sic ait: *Meo sanè iudicio, post Apostolos Ecclesia non habuit meliorem Augustino.* Et Calvinus lib. 3. Instit. cap. 3. §. 10. ait: *Ex Augustino sumant Lectores, si quid de sensu Antiquitatis certum habere volunt.* Quæ est hæc mutatio Lutheri? qui modò mille Augustinos, & mille Cyprianos non curat, qui non mille, sed unicum Augustinum suo judicio post Apostolos meliorem in Ecclesia non solus, sed cum Calvino agnovit. *nimis superba iactantia.*

Pag. 117. ait: Addidit eodem libro: *Dogmata mea stabunt, & Papa cadet. &c.* Sed paucos hodiè, qui Lutheri dogmata per omnia sequantur, reperias, & tamen Papæ manet sua dignitas Luthero extincto, cum plerisq; dogmatibus suis multis in locis. Ad nostram rem Author Tubæ pag. 59. adducit Lutherum Tom. 2. Germ. Jen. 101. Epist. ad Antorp. sic dicentem: *Tot sunt inter nos Religiones, quot homines*; à morte Lutheri, quot extitêre Schismata etiam inter discipulos Lutheri, &c. Quid modò sentiendum de Ecclesia Protestantium, ipsimet bonâ conscientiâ & recto animo videant hæc, pro æterno bono animarum suarum. Ibidem pag. 117. in hoc libro se Evangelistam DEI vocat, in Prologo sic habet: *Doctrinam meam ego nolo iudicari à quocunque, nec ab Angelis omnibus, &c. Volo per eam & Angelorum quoq; iudex esse.* Et si certus est, quare illam toties mutaverit? quare pro illa timebat æternam damnationem? ut superiùs patuit, in nullo enim nec Propheta, nec Apostolo, nec Evangelista, similes horrores & angustias conscientiæ legimus. *Vide superiùs pag. 182. & seq. Vide & p. 223*

Pag. 132. An. 1524. ait: Circa hæc tempora scripsit Lutherus contra duo Cæsaris mandata, ubi ait, *Turcam decies esse & meliorem, & prudentiorem*, & Principes vocat *stolidos, fatuos, insanos, furiosos, & amentes moriones.* Et pag 133. ait: Erat frequens in ore Lutheranorum mala vita Cleri, &c. multorum animos in Clerum concitabant, nec eos movebant exempla bonorum, qui erant multi in

Clero, sed satis habebant invenisse, quod apud vulgus traducerent.

Reflexio. Considera Lector, quando Ecclesia etiam ab ipso exordio, cùm habuerit plures Sanctos in Clero, non habuerit etiam, qui minùs responderent suæ Vocationi, revolve Primitivæ Ecclesiæ varia Concilia, & invenies plures Canones contra exorbitantes Spirituales, & tamen Ecclesia fuit vera, quæ quando non habuit non solum Sanctos, sed etiam peccatores, ostende mihi, & eris apud me magnus Apollo. Numquid ipse Christus non dixerit, *non veni vocare iustos, sed peccatores*, & tamen Lutherus vel in hoc maximè profecit, exaggerando malam vitam Spiritualium, in quorum numero non est dubium, quòd fuerint multi boni & Sancti. Rectè S. Augustinus lib. 2 contra Gaudent. cap. 3. Tom. 7. pag. 267. *Ab hac ergo vera germanaq; Catholica, quæ Domini luce perfusa, per Orbem terrarum radios suos porrigit, ramos suos per universam terram copiâ ubertatis extendit, quæ causa vobis fuerit exeundi? cùm interrogamini, nihil iustum invenitis, &c.* vide suprà pag. 181. Idem supra Psalm. 64. *Multi enim ruperunt retia, & Schismata fecerunt, & foras exierunt, qui malos pisces inter retia captos, se nolle tolerare dixerunt, ipsi mali facti sunt.* Idem Tract. 3. in Epist. S. Joan. ait: *Tenemus hæreditatem Christi, illi eam non tenent; non communicant Orbi terrarum, non communicant universitati redemptæ Sanguine Christi.* Idem lib. 3. contra Cresc. cap. 11. *Si sola frumenta desideras, geme in labore agri, gaude in ipse horrei, tolera malos in communione Sacramentorum Christi.* Et Lutherus in Declar. quorund. Artic. ait, *quòd Romana Ecclesia sit à Deo præ aliys honorata. &c.* Nec ulla causa tam grandis est, ut ab Ecclesia illa separatio, aut discessio ulla fieri debeat, quod & in Bohemis maximè reprehendit, superiùs ostendimus pag. 128. Illos verò, qui erant multi boni Sacerdotes, sic traducebat, suis bonis operibus obscurare gratiam & Meritum Christi, fingens, illos sinè gratia DEI confidere suis meritis.

** Nota Lector, si reprehendis Vota Religiosa, condemnas Antiquæ Ecclesiæ Patres, qui ut plurimùm Monachi fuerunt, ut Augustinus, Gregor. uterq; Basilius, Benedictus, Bruno, Bernardus &c. si fateris veritatem, in Primitivæ Ecclesia viguisse Vota Religiosa, vide quid fecerit Lutherus, cùm sibi Monachus Monialem junxerit, cùm Apostolus 1. ad Tim. 5 ait:* Adolescentiores autem viduas devita, cùm enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

Pag. 144. An. 1525. ait: Hoc ipso anno in tanto Germaniæ luctu, tantâ omnium rerum perturbatione, inauditâ calamitate, Lutherus celebravit nuptias, junctâ sibi Virgine Sanctimoniali, * ut tandem toti Orbi terrarum testatum efficeret, quid jam pridem animo concupisset. Proh pudor! &c. publicè Professum perpetuam continentiam, paupertatem, obedientiam, jam pridem Sacerdotio initiatum, ausum esse tale facinus. Pag. 121. ait: Scripsit Lutherus librum de Vita Conjugali, ubi inter cætera ait, *omninò necessariû*

esse

eſſe omnibus rei Venereæ uſum, magis etiam quàm cibum, potum, ſomnum, &c. Atq; idcircò teneri Monachos, Moniales, poſt habitis Votis ſuis, nuptijs operam dare. At tamen idem Lutherus in Prop. An. Dñi 1520. & ſeq editis ait: *Ad libertatem pertinet, ſeſe poſſe perpetuo Voto, aut cuicunq; legi ſubdere. Talis fuit Bernardi Religio, & omnium, qui feliciter Religioſi fuerunt.* Apoſtolus 1. ad Timoth 5. ait: *Adoleſcentiores autem Viduas devita, cùm enim luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* Si Viduæ damnationem acquirunt per irritam primam fidem, quid de nuptijs Monachi cum Moniali ſentiendum. S. Auguſtin. in Pſalm. 75. ait: *Alius vovet relinquere omnia, &c.* vide ſuprà p.649.

Principalis cauſa Lutheri receßûs ab Eccleſia libido, ut illam expleret Antilogia Lutheri.



NB.

Pag 151. ait: Porrò ipſe Rex Angliæ reſpondit Luthero egregiè, &c. quibus in literis inter cætera improperat ei inceſtas nuptias, cum Virgine DEO dicata contractas, dum ait: *Olim apud Ethnicos Virgines Veſtales, ſi de ſtupro fuiſſent convictæ, vivæ humo obruebantur, & conſtuprator verberibus ad mortem uſq; demulctabatur.* Et ſi ſecundùm Apoſtolum 1. Corint. 6. *neq; fornicarij, neq; adulteri, &c. Regnum DEI poſſidebunt,* quid putandum de Sacrilegio, inter Monachum & Monialem tot annis commiſſo? Expende Lector, & cogita tacitus, quomodo DEO tales nuptiæ non diſplicuerunt, cùm ſint contra Fidem ſemel DEO datam, contra Veteris Eccleſiæ Statuta, quæ ſe obſervare dicant. Et Concil. Chalced. Can. 15. ſic ait: *Si quæ Virgo dedicaverit ſe DEO, ſimiliter Monachus, non licet eis nuptijs iungi; ſi verò inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati.* Si Proteſtantes, ut dicunt, admittunt Concil. Chalcedonenſe, debent habere Monachos pro excommunicatis, qui nuptijs juncti ſunt; vel ſi non admittunt, ipſi videant, quam fidem habent, ſi non admittunt Concilium Primitivæ Eccleſiæ.

Pag. 166. ait: Contra Sacramentarios Lutherus librum edidit, & ibi rursùs affirmat, quæ anteà negaverat, negat quæ affirmaverat. Negat enim, in Cæna Domini manere vinum, quod in libro de Capt. Babil. aſserit: iterum ait Cap. de Euchar. *Audacior factus ſum, & ſtabilivi tandem conſcientiam meam ſententiâ priore, eſſe videlicet verum panem & verum vinum;* cùm aliàs Epiſt. ad Argent. dixiſſet: *Si Carolſtadius &c.* vide ſuprà pag. 458. Melanchton libro de Ver. Corp. & Sang. Dñi ait: *Si ob rationes humanas Chriſtum neges eſſe &c.* vide ſuprà pag. 465.

Pag. 167. ait: Scripſit eodem anno Lutherus librum contra Con-

Concomitantiam, in quo quidam Catholicus Doctor collegit 134. sinistras imputationes. Cùm autem Lutheri Confessio de Cæna Dñi venit in manus Zwinglij & Oecolampadij, prolixè illi responderunt, &c. Neq; Bucerus se hîc mutum præbuit. Fuit certè, & est res mirabilis, quòd illi sublimes gigantes, qui se jactabant, in Germaniam, quâ tot Sæculis caruisset, lucem Evangelij invexisse, tam inter se odiosè digladiabantur, nec unquam convenerunt, & tamen ait Apostolus, *Non est dissensionis DEUS, sed pacis.* Quomodo possunt me

NB. isti docere, quid verum sit, cùm se ipsi vicissim in rebus gravissimis mendacij insimulant. Et hæc quidem non paucos permoverint, ut in hac mutua Lutheranorum & Zwinglianorum dissensione rem ac-

NB. curatiùs expenderent, adverterentquè, non posse eos veritatis esse præcones qui pugnantia docerent, atq; ob eam rem ad Catholicam Christi Ecclesiam se reciperent, relictis illorum varijs opinionibus, inter se pugnantibus. Appositè Theodoretus lib. 2. de curand. Græ. affect. ait: *Multimodas falsitatis semitas esse, si à veritatis regula recesseris. &c. Mendacium enim multiplex & varium, sed veritatis gratia simplex.*

Pag. 171. ait: Hoc etiam fuit inconstantiæ, quòd hoc quidem libro dehortatur à bello Turcico, dicens, id esse contra doctrinam

Astutia maliciosa. Christi, quæ dicit, Christianos non debere malo resistere, &c. cùm non longè antè in Visitatione Saxonica scripsisset, ejusmodi orationem seditiosam esse atq; intolerabilem, ex Pauloq; probâsset, Magistratus nostros gladio & bello Turcas arcere debere, nec Christum vetâsse unquam, immanitatem tyrannidemq; Turcarum repellere.

Pag. 181. ait: Habet enim in eo libello Erasmus inter alia multa, ut refert Sleydanus, nullum se novisse ex illis, nempè Evangelicis, qui non se ipso videatur esse factus deterior. Tantillum ex toto libro Sleydanus commemorâsse sat habuit, cùm ibi multò plura scripserit Erasmus de Evangelicis ejusmodi. Sed ideò alia multa siluit, cùm videret, se premi auctoritate Erasmi, quæ magna fuit apud multos.

Pag. 197. ait: Ubi obiter advertendum, Protestantium vel Lutheranorum Concionatores persuasisse Principibus, ut Concilium peterent, cùm Lutherus jam pridem omnia Concilia rejecisset. Hoc autem ideò fecerunt, ut viderentur æquitate niti, & multos in suam

Reflexio. partem traherent. Quare autem, cùm jam appropinquaret Concilium, conditiones pro Concilio inauditas, & nunquam in Ecclesia practi-

practicatas exhibuerunt? quia sciebant, à superioribus Concilijs Oecumenicis ipsorum pleraq; dogmata damnata esse. Hâc arte etiam usus est Lutherus, uno loco suscipiebat Concilia, ut traheret post se multos; alio loco reijciebat illa, ne dogmata illius apparerent damnata in illis. Ideò petijt liberum Concilium, nempè ut haberent votum decisivum Sæculares, id est, Lutherus, Melanchton, Calvinus, & alij, ut sic eluderet Concilia ritu Catholico celebranda, nec ejus errores condemnarentur, cùm non quod Concilium Episcoporum vellet, sed quod ipse vellet in Concilio, & quod alij, licet unusquisq; contrarium alijs proponeret, statueretur.

Pag. 200. ait: Mirè in eo libro invehitur in Satisfactionem, quæ tertia est pars Pœnitentiæ, quam ait Lutherus, sentinam esse tartari. &c. Cùm Catholici & Lutherani non possent convenire de Satisfactione, datum est negotium Cochlæo & Melanchtoni, ut quod ad rei compositionem faceret, adferrent. Protulit Cochlæus ex Septicipis cap. 31. quem Lutherus contra Indulgentias in Assert. 41. Articulorum scripserat, ipsius verba Lutheri, quibus sic ait: *Ecclesia Mater, pio affectu præventa manum DEI, castigat filios suos Satisfactionibus quibusdam, &c.* vide suprà pag. 448. de Satisfactione. Hæc Lutheri verba cùm Eckius recitâsset, Lutherani se invicem respiciebant. Porrò Melanchton rubore suffusus ait: *Scio hæc scripsisse Lutherum;* ultrà nihil addidit. Dux Fridericus ait, *Forsitan hæc Lutherus scripsit ante annos decem;* respondent Catholici, quid tum? nobis satis esse, hanc esse Lutheri sententiam. Mox Brentius & alij respondent, se non adesse, ut Lutheri Scripta defenderent, sed ut suam Confessionem assererent. *Protheus Lutheranus in asserendo & negando.*

Pag. 201. ait: Quidam amicus ex Luthero percunctatus est, cur in Epistola ad Romanos Cap. 3. germanicè vertisset, hominem *solâ* Fide justificari, cùm tamen verba Pauli id non haberent, & eo ipso ansam præberent Catholicis, ipsius versionem calumniandi; tum ille respondit: *Si Papista multa vult garrire de hac voce* sola, *ei confestim respondeto, Doctor Martinus Lutherus vult sic habere, aitquè, Papistam & asinum esse unum. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.* *intolerabilis superbia.*

Pag. 205. ait: Lutherus, qui aliquando docuerat, Turcis non esse resistendum, atrocissimis Christiani nominis hostibus, facilè consentit, immo & scripsit, in Cæsarem & Catholicos arma corripi jure posse. Et sequenti pag. probat Surius ex Sleydano, qui fatetur, Lutherum priùs docuisse, non esse resistendum Magistratui, deindè à

Jure-Consultis aliter edoctum, aliter docuisse & sensisse, & id quidem ex legibus Politicis. Itanè plus valent leges Politicæ (ait Surius) apud Lutherum, qui nihil recipere voluit, nisi quod sit in literis Divinis, cùm contrarium sit in illis ad Rom. 13. *Non est potestas nisi à DEO; qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*; & apud Lutherum plus valent leges Politicæ quàm Divinæ, quas à Jureconsultis discere debuit, qui anteà scripserat, doctrinam suam non esse suam, sed Christi, & de Cœlo esse.

Antilogia Lutheri.

Pag. 207. ait: Lutherus ubi rescivit, Cæsarem & Ordines Catholicos Imperij in extremis Comitijs Augustanis decrevisse, firmiter in antiqua Religione perseverandum, nec quidquam innovandum ad Concilij definitionem, edidit duos libellos, Glossam in putatitiũ Decretum Imperiale, & Præmonitionem ad Germanos, &c. in quorum utroq; bellicum canit & seditiones, &c. Pontificem & Principes Catholicos omnes non dubitat appellare proditores ac scelestos, variosq; nebulones, &c. In Glossa vult persuadere omnibus, Decretum Augustanum esse commentitium, ac falsò præferre nomen Cæsaris. Sed frustrà. Nam præter alia, tot Sigillis Principum & Procerum utriusq; Ordinis, Decretum illud obsignatum fuit; subscripserunt illi Decreto, sive per se ipsos, sive per Legatos, Cæsar ipse & quinq; Electores, Principes Ecclesiastici 30, Sæculares 23, Abbates 22, Comites & Barones 32, Civitates liberæ 39. Hoc Decretum miris ille modis exagitat. inter alia Ecclesiam vocat meretricem. Pulchra connexio cum illis, ubi superius dixerat, *Ecclesiâ Romanâ nihil excellentius, excepto Christo in rebus humanis.* De Communione sub utraq; specie contrarium docet, quam docuit anteà in Assert. Art. 16. *Ecclesiæ neq; fidem habendam, cùm extra Verbum DEI loquatur*, cùm tamen Christus Matth. 18. præcepit Ecclesiam audiendam, *& qui illam non audierit, sit sicut Ethnicus & Publicanus.* Et S. Apostolus 1. ad Tim. 3. vocat Ecclesiam *Columnam & firmamentum veritatis.* Et S. Irenæus, vicinus temporibus Apostolorum, lib. 3. cap. 40. ait: *Ubi Ecclesia, ibi & Spiritus, & ubi Spiritus DEI, illic & Ecclesia, & omnis gratia &c.* Sed Lutherus videns, Cathol. Ecclesiam suis Paradoxis contrariam docere & statuere, omnem illi authoritatem adimere voluit, ut solus audiretur. Multa deindè contumeliosè spargit in Missam & Cæremonias, nec veretur, Principes porcis comparare. Hîc patet, quàm verum sit illud, quòd August. Confessio dicat,

Reflexio.

Cui magis credendum? S. Scripturæ & SS. Patribus, an soli Luthero, neganti & affirmanti?

Reflexio.

dicat, Miſſam retinere, & omnes Cæremonias, & illam in ſummo honore habere. Si enim verum dicit, contraria eſt Luthero; ſi ſimulato animo, at omnis fictio non placet DEO.

Pag. 209. ait: Poſteà, ubi ad eum locum Decreti venit, ubi cavetur, ne deinceps quiſpiam doceat, *Solam Fidem absq; Charitate & bonis Operibus juſtificare*, in hæc verba prorumpit: *Dico ego Doctor Martinus Luther, Domini noſtri JESV Christi indignus Evangeliſta, quòd hunc Articulum* (Fides ſola absq; omni opere juſtificat coram DEO) *firmum atq; inconcuſſum permittere debet Romanus Imperator, Turcicus Imperator, Tartaricus Imperator, Papa, omnes Cardinales, Epiſcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Reges, Principes, Domini, totus mundus ſimul cum ſuis dæmonibus, atq; inſuper habebunt ignem tartareum in capita ſua, neq; grates ullas. Hic eſto meus Doctoris Lutheri inſtinctus*, Sed idem ipſe Lutherus in libr. Viſitationis ſcribit, *absq; pœnitentia nullam eſſe remiſſionem peccatorum*; ubi autem non eſt remiſſio peccatorum, ibi non poteſt eſſe juſtificatio. S. Auguſtin. Tract. 6. in Joan. ait: *Diverſarum gratiarum ſunt, non omnes paria merita habent, ſunt alij alijs ſanctiores, alij alijs meliores.* Vide Diſcurſum de merito bonorum Operum.

quintus Evangeliſta.

inſolens dictū Lutheri.



Quis unquam, obſecro, Prophetarum vel Apoſtolorum ſimilibus portentis verborum uſus eſt? & ſi in ſua ſententia tam obfirmatus fuit, quæ ſpes erat, aliquid cum illo tractandi in materia Fidei. Idem planè ſcripſerat ad Saxoniæ Ducem, libro contra falsò nominatum Ederum. Sic ait: *Sereniſſima Veſtra Celſitudo, ſi hactenùs ignoraverit, iam ſciat, me Evangelium meum non ab hominibus, ſed per JESUM Christum habens, ut poſſim me &c. Evangeliſtam nominare.* Sed quid dices Lector, cùm tibi plures ejusmodi Evangeliſtas oſtendam? quem ex his eliges libenter audiam. Zwinglius Tom. 2. in Act. Diſput. Tigur. fol. 609. ait: *Certò novi, doctrinam meam non aliud eſſe, quam Sacroſanctum verumq; Evangelium, quod Dominus &c. à me prædicare voluit*; & tamen iſti duo Evangeliſtæ perpetuum odium uſq; ad ſepulchrum inter ſe foverunt. Calvinus etiam, teſte Boleſco, ſolitus erat dicere, *Ego Propheta ſum, ego DEI Servus.* Et libro adversùs Weſtphalum, ſe magnum Prophetam appellat. Vis plures, non ſolùm recentes, ſed etiam antiquos Evangeliſtas, en habes illos. Montanus, teſte Theodoreto lib. 3. de Hær. vocabat ſe Paracletum; Sabellius, teſte S. Epiphan. Hær. 57. dicebat ſe Moyſen; Manichæus, teſte S. Auguſt. contra Epiſt. Manichæi cap. 5. ubi ſic

Reflexio.

ait: *Videamus, quid me doceat Manichæus, &c. Certè sic incipit: Manichæus Apostolus JESV Christi, &c. Non credo, istum Apostolum Christi, & quæro ergo, quis sit iste Manichæus? respondebitis: Apostolus Christi. Non credo, &c. promittebas enim scientiam veritatis, & nunc quod nescio, cogis ut credam.* Et infrà ait: *Multò quippè iustiùs & cautiùs facio, si Catholicis quoniam semel credidi, ad te non transeo, nisi me non credere iusseris, &c. quòd si fortè in Evangelio aliquid apertissimum de Manichæi Apostolatu invenire potueris, infirmabis mihi auctoritatem Catholicorum, qui iubent, ut tibi non credam, quâ infirmatâ iam nec Evangelio credere potero. &c. Quapropter si nihil manifestum de Manichæi Apostolatu in Evangelio reperitur, Catholicis potiùs credam, quàm tibi.*

Hoc totum per omnia quadrat Luthero.

Nihil ergo est in Evangelio de his Evangelistis, ex quibus si elegeris tibi Lutherum, non es securus, quia & ipse non erat securus de sua doctrina. Nam Serm. Conviv. fol. 10. ait: *Quod Christiana Ecclesia decrevit, totq; annos credidit, tu impugnas, ac tanquam falsum evertis.* Ex his conscientiæ Lutheri angustijs duo tanquam certa sequi videntur. Primò, Lutherum solùm humanam & erroneam habuisse Fidem, cùm pro sua doctrina timebat æternam damnationem, eò quòd tanquam falsum everteret, quod Ecclesia Christiana decrevit, totq; annos credidit; in nullo enim, tam ex Prophetis, quàm Apostolis, similes angustias conscientiæ legimus, & timores de sua doctrina, cùm Fidem Divinam habuerint. Secundò, quia omnes, quotquot susceperunt, & suscipiunt doctrinam Lutheri, solùm eandem humanam Fidem habuerunt, & habent, cum ijsdem angustijs propriæ conscientiæ, dubitando semper de sua Fide, nam secundùm doctrinam Christi Matth. 10. *Non est discipulus super Magistrum.* Si enim Lutherus non habuit Fidem Divinam in prædicatione doctrinæ suæ, quomodo illam posteris suis tradere potuit?

Pag. 210. ait: Edidit contra Lutheri libellum, Scriptū quoddam linguâ Germanicâ, Joannes Cochlæus, Vir doctus & pius, & de Catholica Fide optimè meritus, in quo inter cætera, magnâ sanè constantiâ, uti & aliàs non semel fecerat, obtulit se etiam sub periculo capitis, ad experiendum coram Judice, cum quovis Lutherano super doctrina & actis Lutheri. Sed neq; tunc, neq; unquam aliàs, quisquam eorum ausus fuit, ejus rei periculum facere, & cum illo in hanc Judicij disceptationem venire. Cùm enim tum Lutherus ipse, tum ejus Symmistæ, ex ipsorum editis libris planè convincantur, & hæretici, & seditiosi esse, palámq; venisse, contra omnia tum Divina,

NB.

tum

tum humana Jura, verbis quidem miram præ fe ferunt jactantiam & confidentiam, fed legibus experiri non audent, & neq; Jus, neq; Judicium ferre vel volunt, vel poffunt. Cùm fit autem invicta veritas, defendi facilè poteft, nec Chriftus deeft pro veritate certantibus, indè fit, ut Catholici plerique, etiam fub vitæ periculo, fæpè fe obtulerint ad difceptandum cum noftræ ætatis Novatoribus coram Magiftratu, fed timida nequitia malæ confcientiæ ftimulis agitata, non audet in tam præfens fe difcrimen conijcere: Scriptis interim & apud miferā plebeculam projiciunt ampullas, & fefquipedalia verba. Verißimum dictum Surij.

Contra quoddam ejus infolens Scriptum, fcripfit quidam Laicus Dresdæ graviter & validè, cui Lutherus fuo more, non Evangelico, fed fcurrili & Satanico refpondit convitiofiffimo. Titulus libelli eft: *Contra Sicarium Dresdæ.* Ibi inter cætera fic habet: *Nihil curo, quòd queritur,* (fcilicet Laicus, quem Sicarium vocat) *in libro meo non ferè nifi maledicta & diabolos nominari. Hoc debet effe mea gloriatio, meusq; honor. Sic & habere volo, ut deinceps dicatur de me, quòd plenus fim maledicentiæ, criminationisq;, & execrationis in Papiftas. Volo & de cætero me adversùs nebulones iftos exercitare execrationibus ac maledictis usq; ad fepulturam meam, nec ullum verbum bonū ex me ampliùs audient. Ego meis tonitruis ac fulminationibus fic eis ad fepulturam compulfabo.* Sic ille mifer, haud dubio obfeffus à dæmone. Ecquid verò in his verbis eft non planè barbarum, immane, & plus quàm Satanicum? Quis unquam vir bonus ita fcripfit? Et certè ad fepulchrum usq; in Catholicos fuit maledicentiffimus, cùm dicat Apoftolus, *Benedicite, & nolite maledicere.* Quis autem vir fuit Lutherus, ut tantum fibi fumeret? Dignus ille quidem, qui jufto DEI Judicio ad tantam infaniam & impietatem devolveretur.

Pag. 232. ait: Concilium quidem fæpè petijffe Proteftantes Ordines, fed fraude fuorum Concionatorum eos adductos effe, ut Concilium verum & legitimum prorfus repudiarint, &c. petebant liberum, ut fcilicet Rom. Pontifex non præfideret, qui jure fuo per mille quingentos annos ufus eft: petebant, ut ex fola Scriptura difputaretur, ita, ut liceret illis pro arbitrio fuo illam interpretari, ut nullus unquam fieret finis Controverfiarum, cùm aliter Lutherani aliter Zwingliani, aliter Schwengfeldiani, aliter Servetiani, & multi alij, & hi omnes inter fe diverfi, & fibi hoftes.

Pag. 242. ait: Lutherus Scripto in Miffam debachatur, & contra illam jubet fe Cruce munire, ubi Lutherus Signum Crucis a-

gnoscit. Sed longè aliter SS. Patres de Missæ Sacrificio sentiunt. Vide Discursum de Missæ Sacrificio. Et quod mirabilius, ipse Lutherus non multos ante annos in Visitatione Saxonica, quædam in Missarum laudem scripserat, easq; vivis præcipuè utiles dixerat; his Contradictionibus nihil suæ doctrinæ fidendum ostendit, dum intra paucos annos contraria scribit. Et quàm leve fundamentum ad tollendum Missæ Sacrificium habuerit, quòd aliquos ritus & Cæremonias Sancti Patres addiderint, manente semper substantiâ illius, ita, ut non tam præsentis, quàm primitivæ Ecclesiæ sit Missæ Sacrificium, ut patet ex Liturgijs Apostolorum & SS. Patrum. Deindè ipsum lumen naturale ostendit, cùm DEUS à creatione mundi nunquam fuerit sinè Sacrificijs, nec erit usq; ad finem mundi. Nam sicut in Lege Naturæ, sic & in Lege Scripta, quot offerebantur Sacrificia? & illa jam cessârunt, ut per se patet, in Synagoga Judæorum, aliàs perfectior esset illa, quàm Ecclesia, & tamen hæc fuit particularis; Ecclesia est universalis, perfectiorem habens legem gratiæ, quàm fuit Judæorum. Ad ultimum vide Authorem, ad cujus persuasionem sublatum est Missæ Sacrificium, ipso fatente Luthero; & hæc persuasio deberet magis firmare Missæ Sacrificium apud illos, qui reijciunt illud, & reijcere potiùs hanc persuasionem, exemplo ipsiusmet Christi Domini in deserto.

Reflexio.

Pag. 244. ait: Persuaserunt Suis, quasi nos Catholici bonis Operibus fidamus sinè gratia Christi, & eam reijciamus: cùm toto ore Catholici clamant, & omnes libri loquuntur, bona Opera nostra sunt gratuita dona DEI, & sinè gratia Christi sunt digna gehennâ, & talem, qui in solis confidit, dicunt maledictum, & dignum perditione, & tamen hæc calumnia, quâ multi decipiuntur, ipsi sint inter se testes.

Pag. 245. ait: An. 1534. Angliæ Rex, gravissimè ferens à Pontifice contra ipsum latam sententiam de divortio Catharinæ, Cæsaris Materteræ, totum se ab auctoritate & obedientia Romanæ Sedis subducit, atq; Supremum se Ecclesiæ Britannicæ Caput vocat; ex quibus eam laudem, quam superioribus annis pro Catholica tuenda Religione adversùs Lutherum susceptis laboribus sibi comparârat, prorsùs obliteravit. Sunt qui eum Regem scribant cujusdam magni ☞ Viri adulationibus depravatum. Ita est certè rerum humanarum conditio, ut juxta Pauli sententiam, qui stat, aut stare sibi videtur, meritò videre debeat, ne cadat. Est verò adulatorum genus pessimum,

mum, dum ſuis commodis ſtudet, prava ſuggerendo ſub ſpecie honeſti, non rarò optimos corrumpit Principes.

Pag. 259. ait: Sub hoc tempus erant in illo Regno duo præcellentes Viri, pietate & eruditione clariſſimi, Epiſcopus Roſenſis, & Thomas Morus, Regni Cancellarius, qui eſt apud Britannos proximus à Rege, ij ut pote Viri graves, neq; divortium cum Catharina probare, neq; Regis, Caput Britanniæ ſe profitentis, ſententiæ ſubſcribere voluerunt. Id Rex tulit animo iniquo. Extant ejus Antiſtitis aliquot Volumina, quibus tum Lutheranam, tum Zwinglianam hæreſim, gravitate & majeſtate Pontifice digna, ſic confutârat, ut vix quiſquam unquam illi reſpondere auſus fuerit, quanquam ut illi non magnoperè res ponderent, vel eo nomine adduci poterant adverſarij, quòd Latinè ſcripſiſſet, nec vulgus ejus Scripta poſſet intelligere. Id enim ſemper hæretici omnes noſtrorum temporum vel maximè curârunt, ut popularis gratiæ auram captarent, ſcilicet, ut illis liceret ſuaviter & molliter ætatem agere, nihil interea morati, quòd tot miſeros ſimplices idiotas in graviſſima ſalutis pericula conijciant: hoc ex illorum Scriptis palàm editis, & quotidiana vivendi ratione planum effici poteſt. &c. Quod quidem nos de Sectarum Authoribus & Concionatoribus dictum præcipuè volumus, quos pleroſq; perſpicuum eſt, contra ſuam conſcientiam longè aliter ſcribere & docere, quàm rem ipſam ſe habere non ſint neſcij. Nam ſæpiſſimè apertè mentiuntur, quod non facerent, niſi de induſtria in errore verſari decreviſſent. NB.

Pag. 99. ait: Cardinali ſcripſit Lutherus aliquoties literas blandiſſimas, quibus ejus clementiam & humanitatem mirificè prædicavit; alijs verò de eodem Cardinali longè aliter & ſcripſit & dixit, etiam publicè accuſans eum tyrannidis. Ejusmodi artibus ille non pauca accepit incrementa.

Pag. 269. ait: In Cardinalem Moguntinum in hunc modum Teutonicè ſcripſit: *Si Cives Hallenſes & Subditi Provinciales Archiepiſcopatus Magdeb. Epiſcopum Moguntinum, tyrannum ſuum Cardinalem expellerent, aut interficerent, iuſtè facerent ei.* Ubi verò Chriſtus dixit Judæis, ſi Pontifices, Scribas, & Phariſæos veſtros interficiatis, rectè faciatis; an non potiùs dixit: *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæcunq; dicunt, facite.*

Pag 270. ait: Hallæ Saxonicæ Civis, Caſparus Querhamer, homo laicus, miro ſtudio ex diverſis Lutheri Scriptis collegit 27. pugnantes

gnantes sententias de Communione Eucharistiæ sub una vel utraq; specie, easq; in magnam digessit tabulam, quæ possit ad parietem suspendi.

Pag. 288. ait: Eodem Anno mortuus est Basileæ Erasmus Roterodamus, Vir certè excellenti doctrinâ, sed qui in plerisq; Scriptis suis non minimam præbuerit Luthero, & alijs tumultûs in Religione concitandi occasionem. &c. Et ipse certè Epistolâ ad Albertum Pium, Carporum Principem, ingenuè fatetur, quædam à se facta scriptaque, quæ nec facturus erat, nec scripturus, si hoc Sæculum exoriturum divinare potuisset. &c. Hoc unum in confesso est, multa eum scripsisse, quæ præstaret nunquam in hominum manus venisse. &c. Ipse quidem fatetur in memorata ad Pium Epistola, se primũ omnium subodoratum fuisse, ambitione corruptum Lutheri animum; sed utinam tam se præbuisset strenuum in oppugnando Luthero, quàm res ipsa flagitabat. &c. Certum est autem, si uti suâ doctrinâ & eloquentiâ voluisset, plurimùm eum Ecclesiæ conferre potuisse, maximè, quòd apud multos ingens esset ejus auctoritas. Fuit apud nos ejus manu scripta Epistola ad quendam Carthusianũ, in qua inter cætera ita dicit: *Vereor, ne imponant tibi quorundam præstigiæ, qui iactant hodiè splendidis verbis libertatem Evangelicam. Crede mihi, si rem propiùs nosses, minùs te tæderet huius vitæ. Video genus hominum exoriri, à quo meus animus vehementer abhorret. Neminem video fieri meliorem, deteriores omnes, quotquot ego sanè noverim, ut vehementer doleam, me quondam in libris meis prædicâsse libertatem Spiritûs.* Et post pauca ait: *Civitates aliquot Germaniæ implentur desertoribus Monasteriorum, Sacerdotibus coniugatis, plerisq; famelicis ac nudis, nec aliud, quàm saltatur, editur, bibitur, subatur. Nec docent, nec discunt. Nulla vitæ sobrietas, nulla sinceritas. Ubicunq; sunt, ibi iacent omnes bonæ disciplinæ cum pietate. Plura tibi super his scriberem, si tutum esset literis committere.* Et rursùs ait: *Quænam*

NB. *est hæc libertas? ubi non licet dicere preces, non licet* sacrificare, *non licet ieiunare, non licet abstinere à carnibus. Cogita, quid talibus posset esse miserius, etiam in hoc sæculo.* Item post pauca: *Emoriar, si tantillum roboris haberet hoc corpusculum, ut saltim vivere posset, ni malim isthinc tecum agere, quàm in Palatio Cæsaris esse primus Episcopus. Proindè mi charissime in Domino, & per veterem, imò perpetuam amicitiam nostram, & per Christum oro, obsecro, obtestor, ut istud tædium penitùs excutias ex animo, nec aurem præbeas exitialibus hominum*

num fabulis, qui nihil opitulatur i ſunt tibi, ſed irriſuri potiùs, ubi te in foveam pellexerint. Hæc Eraſmus ad Carthuſianum quendam, quẽ licèt jam ſenem, inſtigabant ad excutiendum Cucullum, à quo ſcelere Eraſmus vehementer illum deterret. Cùm Lutherus negaret liberum arbitrium, ſcripſit Eraſmus librum tertium de libero arbitrio, in quo ſic ait: *Certè multi Lutheri diſcipuli ad publicam tranquillitatem adeò ſunt inutiles, ut Turca quoq; feratur Lutheranorum nomen execrari ſeditionis odio, cùm Chriſtianos toleret ab ipſius dogmatibus alienos. Quid hîc commemorem, quanta inter Evangeliſtas (ſic enim ipſi ſe vocant) diſſenſio, quàm atrox odium, quàm amarulenta contentio, immo quanta inconſtantia, cùm ipſe Lutherus toties mutârit ſua placita, & ſubindè nova paradoxa ſuppullulent.* Hucusque Eraſmus. Ex quo qui vult plura ſcire, legat ejus Epiſt. ad Fratres inferioris Germaniæ Tom. 9.

Pag. 301. ait: Heldus hortabatur nomine Cæſaris, ne Jus Cameræ impedirent. Paſſim enim ad Cæſarem & Cameræ Judices, deferebantur miſerorum quærimoniæ, qui ſe rebus & fortunis omnibus exutos, reſtitui rogarent. Hoc verò Evangelium Chriſti non docet, immo legibus omnibus cautum, etiam lege Naturæ: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Et quia Cameræ Judices plerumq; ſententiam ferebant, quâ juberentur ablata reſtituere Proteſtantes, eos ferre nolebant, ita oportebat miſeros rerum ſuarũ ferre direptiones. *Vide ſuprà pag. 6. circa med.*

Pag. 302. ait: Multa (id eſt Proteſtantes) de Concilio dixêre, quod liberum eſſe voluerunt, ubi Lutherus cum ſuo Grege, aut parem, aut ſuperiorem etiam præ Rom. Pontifice locum & authoritatem obtineret, contra morem omnium Conciliorum. Nota hæc Lector, cùm univerſale totius Orbis debuit eſſe Concilium, quomodo ſoli Proteſtantes poterant præſcribere modum Concilij celebrandi, nunquam practicatum in Eccleſia? nonnè & aliæ nationes ex alijs Regnis idem jus habebant petendi, ut ad placitum earum celebraretur Concilium? immo potiori jure tot Epiſcopi id ſibi uſurpare poterant. Eâdem pag. ait: Multa ibi in Pontificem acerbè dicta ſunt. Et ſi Laicis Proteſtantibus deciſivum votum conceſſum fuiſſet, ſi ex ſola Scriptura, idq; ſecundùm interpretationem Lutheri, ſententiæ latæ fuiſſent, quid ex univerſo Orbe dixiſſent tot Viri docti, & verſati in Concilijs & Canonibus Eccleſiæ Primitivæ? cùm & Author Tubæ pag. 50. clarè adducit 1. Act. Concilij Chalcedon. Generalis IV. ubi Patres clamant: *Superfluos mitte foràs; Epiſcoporum*

Reflexio.

rum Synodus est, non Clericorum. Si nec Clericorum, multò magis neque Laicorum.

Pag. 303. ait: Ubi dicendi finem Protestantes fecerunt. Heldus respondit inter cætera, periniquum esse, dicens, quòd ea negotia, quæ ipsi dicant Religionis esse, alij profana esse contendant, nolle ipsos alterius partis rationes & argumenta cognosci. Cùm tamen & legibus, & æquitati, & divinis literis consentaneum sit, ut in omni Controversia pars utraq; ex æquo audiatur, neq; secundùm alterius narrationem, etiamsi ea nihil à vero abhorreat, quidquam pronuncietur. Tum quoq; nullo jure fas esse, quemquam vel Religionis, vel alia quavis de causa rebus suis spoliari. De Concilio ait, gravissimum fore Imperatori, si ipsi jam exceptiones contrà facere velint, cùm non sint nescij, quantoperè eam in curam Cæsar incubuerit, ut Concilium quandoq; cogeretur. Quod ad Pontificem attinet, sperare Cæsarem, illum, tanquam præcipuum Ordinis Ecclesiastici Caput, pro sui muneris ratione Christianè se agere, nec de illo quidquam omninò sinistrum suspicari. Licere tamen ipsis, si quid secùs de illo nôrint, in Concilio modestè proponere. Itemq; de forma & modo Concilij: namq; ut in ea re ipsi alijs nationibus *præscribere* velint, id sanè minùs æquum esse, neq; ipsos persuasum habere debere, ipsorum Theologos solos sapere, reliquos omnes bardos esse & bliteos, alijs quoq; locis passim Viros eruditione & pietate præstantes inveniri.

Pag. 318. ait: Sleydanus ait ibidem, *Pontificios Sacrificiorum operibus attribuere merita, quibus æternæ vitæ præmium debeatur.* Ita quidem Sleydanus, ut ubiq; Catholicos more suo traducat. Certè Missæ Sacrificium & vivis & vitâ functis prodesse, tam est certum ex Sanctissimorum Patrum irrefutabilibus testimonijs, ut meritò pudere debeant, qui id negare audent. Vide Discursum de Missæ Sacrificio. Bona verò, quæ faciunt Christiani, non est dubium, fieri gratiâ Christi, non tamen absq; liberi arbitrij quadam cooperatione. DEUS enim *operatur in nobis & velle & perficere*, ut ait Apostolus ad Philip. 2. Indè ergo est meritum bonorum Operum, quòd fiant ex gratia DEI. Tolle gratiam ab operibus humanis, parùm aut potiùs nihil grata erunt coram DEO. Nam idem Apost. 1. Corint. 15. ait: *Gratiâ autem DEI sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit. Sed abundantiùs illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia DEI mecum.* Porrò verò, si DEUS per nos, non tamen sine nobis,

nobis, efficit bona opera noſtra, num ille indignus cenſendus eſt, cujus operibus debeatur vita æterna, maximè cùm ipſe innumeris Scripturæ locis pollicitus eſt vitam æternam rectè agentibus, ut v. g. Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu, beati pacifici, beati mundo corde, beati miſericordes, beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum.* Et Matth. 19. *Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, cùm ſederit Filius hominis in Sede Maieſtatis, ſedebitis & vos, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, &c. propter nomen meum, centuplùm accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Hæc, & multa alia nimis clara ſunt, quæ promittunt vitam æternam. Sed ajunt Lutherani, nos Catholicos ita fidere Operibus noſtris, tanquam illis ſolis, absq; Chriſti gratia, debeatur vita æterna. Verùm hoc illi contra ſuam conſcientiam dicunt & ſcribunt. Nam Catholici omnes conſtanter dicunt, hanc fiduciam hæreſim Pelagianam, & tamen hâc ſiniſtrâ imputatione, quâ multi decepti ſunt, & decipiuntur, tam Lutherani, quàm Calviniſtæ. Catholici verò licèt bonorum Operum ſint ſtudioſiſſimi, ut Sacra Scriptura ubiq; illa præcipit, non tamen certò pro illis vitam æternam ſibi promittunt, cùm Scriptura dicat, *Neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit*, & illa in ſola acceptatione & miſericordia DEI conſiſtunt, maximè, quod non ſimus planè certi, an ex gratia & charitate, ſinè qua nihil eſt gratum DEO, perfecta ſint, vel potiùs ex quodam naturæ inſtinctu, aut alijs incitamentis, quæ vitam æternam mereri non poſſunt. Undè Apoſtolus 1. Corint. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, ſi omnem fidem habeam, ita ut montes transferam, &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Ergo nec Fides prodeſt absq; charitate. Cùm ergo Catholici faciunt bona Opera, non fidunt in illis, ſed in DEO, cum Apoſtolo 2. Corint. 1. cùm gratuita ſint dona DEI. Hinc in Eccleſia Catholica, quò majores Sancti ſunt, & fuerunt, magis etiam humiles, ideò, quia majores debitores exiſtimabant ſeipſos DEO, pro accepta gratia ad facienda bona opera meritoria vitæ æternæ. *Notent Diſſidentes,*

Pag. 321. ait: Per hoc ferè tempus Lutherus cum ſuo grege varijs machinationibus & Scriptis, Concilij à Paulo Pontifice indicti auctoritatem convellere nitebantur, ut rudem plebeculam arctiùs in ſuis fraudibus implicatam tenerent. Scribebantur tum ab illis novi Paſquilli, &c. Ita illi apud ſuos facilè efficiebant, ut quâ unâ re *idem faciebant hæretici contra quatuor prima Concilia.*

graviſſimis Religionis diſsidijs, vel præſentiſſima ſemper remedia adferri conſueviſſent, ea in contemptum & riſum adduceretur, & miſerè everſis, & in diverſas, easq; fœdè diſsectas factiones diſtractis, nihil prorsùs opitularetur. Vide Lector ſimiles auſus Arianorum contra Concilium primum Nicænum, Neſtorij contra Epheſinum, Eutychetis contra Chalcedonenſe; & facilè intelliges, cujus ſpiritu hæc acta ſunt. Idem inferiùs: Qua in re obſervandum eſt arcanum DEI judicium, quòd illi, qui contra Eccleſiæ Sanctionem, Calicem ſibi uſurpare voluerunt, Catholicosq; Sacrificos criminabantur, quòd ipſis alteram ſpeciem malignè ſuffurati eſſent, tales accepêre Paſtores, qui cùm nullam haberent conficiendæ Euchariſtiæ poteſtatem, ex defectu Ordinationis, non aliud ſanè, quàm merum panem & vinum præberent, &c. cùm illi Sacra obirent munia, qui nullis prorsùs Sacris initiati, nullâ legitimâ auctoritate vel promoti, vel miſſi eſſent; & tamen Apoſtolus ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Et communiter SS. Patres ex defectu Ordinationis nullam habere in Eccleſia poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta. Ita S. Cyprianus lib. de ſimp. Prælat. ait: *Qui ſe Præpoſitos ſinè ullâ Ordinationis lege conſtituunt, qui nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt.* Idem lib. 1. Epiſt. 6. *Novatianus in Eccleſia non eſt, neq; Epiſcopus computari poteſt, qui Apoſtolicâ Traditione contemptâ, nemini ſuccedens à ſeipſo ordinatus eſt.* Advertit hunc gravem defectum Ordinationis extra Eccleſiam Cathol. Author Tubæ, unde pag. 4. ait: *Nam extra unitatem Eccleſiæ Cath. conſtituti, non habent DEI Verbum, nec Sacramenta ad ſalutem, ſed ad damnationem.*

Similes machinationes hæreticorum contra Concilia 4.

Vide ſuprà de Sacram. Ordinis pag. 449 & ſeq.

Pag. 322. vide quæ narrat de Calvino. Et pag. 324. oſtendit, eundem Calvinum cum Zwinglianis negâſſe præſentiam Chriſti in Euchariſtia unâ vice, alterâ vice cum Lutheranis ad nauſeam usque realitatem & ſubſtantiam Corporis Chriſti & Sanguinis in Euchariſtia aſſeruiſſe, prout etiam utrumq; clarè patet ex ejus diverſis dictis, ut oſtendimus in Diſcurſu de Euchariſtia. Scribit etiam p. 323. quòd Calvinus voluerit excitare ſimulatum mortuum in confirmationem ſuæ doctrinæ, ſed non ſucceſſit; nam ſimulatus mortuus, qui vivus in templum illatus fuit, mortuus indè verè elatus eſt.

Pag. 336 ait: Hoc anno 1539. Angliæ Rex Scriptum quoddam edidit, quo Pontificem, qui Concilium tum Vincentiæ indixerat, acerbè perſtringit, &c. Verùm ne nimio Lutherani gaudio inſolentiùs exultarent, non diu poſt idem Angliæ Rex, non ferens in

suo Regno turbas; offendicula, seditiones, &c. Comitia totius Regni indixit, sive Conventum Ordinum Regni, (ipsi Parlamentum vocant) ubi pro stabilienda Religionis concordia, propositæ sunt sex Quæstiones, de quibus Actis publicis ita relatum habetur. Tandem post longam super his Articulis deliberationem, post consultationes plurimas, post deniq; argumēta infinita, ultrò citroq; connexa omnium, tam Regiæ Majestatis, quàm utriusq; Senatorij Ordinis, ac plebis in hunc Senatum coactæ summo consensu fuit, & est resolutum, decisum, ac statutum, eo modo ac formâ, quâ sequitur. Inprimis

In beatissimi Altaris Sacramento, per virtutem & efficaciam potentissimi Verbi Christi, simul atq; illud Sacerdos ore locutus fuerit, sub forma panis & vini, naturale Corpus & Sanguinem Dominicum, conceptum ex MARIA Virgine, realiter adesse, & post consecrationem nullam panis aut vini, aut aliam, quàm Christi DEI & Hominis remanere substantiam. Nota Lector, hunc Articulum & Luthero, & Calvino, & Confessioni Augustanæ esse contrarium, Catholicæ verò Ecclesiæ consentaneum. 1.



Secundò. Communicare sub utraq; specie, non est omnibus hominibus Jure Divino necesse ad salutem, credendumq; est, & non dubitandum, quoniam sub specie panis sit verus Sanguis, & cum Sanguine, sub specie vini, sit vera Caro, tam divisim, quàm conjunctim. 2. *conversio substãtialis.*

Tertiò. Sacerdotes, postquam initiati sunt Jure Divino, non possunt uxores ducere. 3.

Quartò. Vota Castitatis sive Viduitatis, à viro fœminavè non temerè facta DEO, Jure Divino sunt observanda, Christianiq; populi libertate quadam eos privant, quâ nisi vovissent, potuissent uti frui. 4. *contra Lutheri matrimonium cum Moniali.*

Quintò. Missas privatas in hac Regis Anglicana Ecclesia ac Congregatione admitti ac celebrari, simul & bonum & necessarium est, per quas probi Christiani, quorum vita respondet, pariter & bona, & Divina solatia & beneficia indè recipiunt, Missasq; celebrari Juri Divino quadrat. 5.

Sextò. Expedit, necesseq; est, auricularem Confessionem retineri in Ecclesia DEI. 6.

Quocirca Regiæ Majestatis auctoritate, ac summo utriusq; Senatorij plebisq; in hunc Senatum coactæ consensu, in hunc modum, qui sequitur, latum est Senatûs Consultum: Qui vel in hoc Regno Angliæ, vel in alio quovis Regiæ Majestatis dominio, post 12 diem Junij, qui proximè sequitur, verbo, Scripto, prælo, fictitijs characteribus,



hæreticos declarat secùs credentes.

ribus, aut alio quovis modo, publicè concionantur, docent, dicunt, affirmant, declarant, disputant, aut ratiocinantur, secùs quàm jam dictum est, in illos tanquam hæreticos gravissima constituit Rex supplicia, atq; etiam in eos, qui consilio aut re tales juverint. &c. Hoc præter omnem expectationem accidit Luthero, & alijs novorum dogmatum asſertoribus, qui omnes suprà dictos Articulos reijciunt. &c. Certum est enim, Lutherum, & alios dogmatistas penè innumeros, ad tempus accepisse, Divinæ Justitiæ permissu, potestatem vexandi Catholicam Ecclesiam, sed nec hactenùs potuerunt, nec deinceps poterunt, quantùm vellent. Utinam Catholici corrigerent vitam, brevi pessumiret omnis illis divinitùs permissa sæviendi facultas.




Pag. 340. ait: Per hoc tempus, cùm non pauci putarent, Sacramentarios cum Luthero redijsse in concordiam, quod tam multis colloquijs & conventiculis toties frustrà tentatum fuit, & Tigurini, à Scriptis acerbis & contumeliosis in Lutheranos abstinerent. Ecce tibi Lutherus libellum de Patribus & Concilijs edit, quem ne videretur in solos Catholicos scripsisse, in eo ipso Zwinglium Nestorianũ fuisse dicit. Hoc malè habuit Tigurinos, nec sibi hoc silentio transeundum putârunt, sed datis literis admonent Lutherum, ne tam malè de Zwinglio sentiret, quibus nihil respondit Lutherus: ita nunquam inter illos nisi ficta & simulata pax fuit, qui non id spectarent, ut veritas vinceret, sed ut sibi quisq; apud vulgus nomen compararet. Lutherani verò quidam, dum Lutherum prædicarent, & ipsi Divo Paulo conferre non vererentur, atque omnes alios Evangelij istius Novi socios nihil esse dicerent, &c. Calvinus non ferens, Lutherum sibi anteferri, egregiè illos Lutheranos perstringit, inter alia sic dicens: *Vitia pro virtutibus exosculari, stultitiæ & præposteræ affectationis est. Minùs etiam excusabilis inconsiderati zeli fervor, quòd Scripturam turpiter & pudendum in modum corrumpunt, ut Divi Joannis Baptistæ spolijs Lutherum exornent. &c. Quâ falsitate non minùs Lutheri fœdârunt nomen, atq; ut Eliæ nomen Luthero concedatur. Sacrilegæ tamen est temeritatis, asserere ultimum* Eliam, *acsi præcisa esset manus* DEO, *ne quem præstantiorem paremvè posteà emittat.* Ita Calvinus non obscurè indicans, quàm velit ipse præstantior Luthero haberi. Sed ista non videt mundus, nescio quo lethargo oppressus.

NB.

NB. *Sententia Calvini de Luthero.*

NB.



Verissimum dictum.

Pag. 343. ait: Si Ecclesiæ emendationem spectabant, cur non manserunt in suis cœnobijs? cur jam tot olim damnatos errores ab

inferis excitârunt? cur Germaniam Religionis dissidijs distraxerunt? &c. Sed ne impietatis arguantur, quòd sua Monasteria deseruerint, & se nuptijs illicitis polluerint, vitam Monasticam vocant Pharisaicam, &c. Sic olim Julianus Apostata, cùm à Christiana Religione defecisset, Sacras literas his verbis irrisit: *Legi, cognovi, damnavi*; cui ita responsum est: *Legisti, sed non cognovisti; si cognovisses, non damnásses*. Sic isti lacerant vitam Monasticam, quam à multis annis usq; ad præsens constat, in Ecclesia DEI magnæ venerationi semper fuisse. &c. Sed quis explicare queat, quibus illi noctes diesq; conscientiæ aculeis pungantur, licèt id apud homines dissimulent, præsertim doctiores. Si enim Lutherus graves angustias conscientiæ passus sit, quid de discipulis ejus putandum? Sciunt enim, illos omnes Veteres Sanctissimos Patres, adhibitis Scripturæ Divinæ testimonijs, id constanter affirmare, Vota continentiæ DEO semel præstita, prorsùs reddi oportere, illosq; impios & perfidos censendos, qui postquam voverunt continentiam, audent inire conjugia: hæc illi non ignorant, sed desperatâ animi obstinatione contemnunt. Et mirum est, quòd hæc non advertant viri sensati, hanc causam fuisse recessûs ab Ecclesia Catholica, ut quòd non licebat propter Vota continentiæ semel DEO præstita exercere intra Ecclesiam illicitos concubitus, sub prætextu Evangelij extra Ecclesiam exercent illos. Quod expressit Erasmus ad quendam Carthusianum, dicens: *Neminem video fieri meliorem, deteriores omnes, &c. Civitates Germanicæ implentur Sacerdotibus coniugatis, nec aliud, quàm saltatur, editur, bibitur, subatur.* Et tamen ajunt, se nihil contra Veteris Ecclesiæ instituta docere, cùm olim damnatos errores obtrudant. Nullo enim tempore vetus Ecclesia Christi permisit Monachis & Monialibus conjugium, ideò & Concilium Chalcedonense reprehendunt, quod Can. 15. ait: *Virginem quæ se Domino consecravit, similiter & Monachum, non licere nuptialia iura contrahere, quòd si hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur.* Similiter & Nicænum I. & Carthaginense III. cui S. Augustinus interfuit, ob Sacrificia & Oblationes, & intercessiones pro defunctis. Similiter & Milevitanum, cui etiam S. Augustinus interfuit. Quomodo ergo nihil docent contra Veteris Ecclesiæ formulam, cùm illius Concilia reprehendunt & reijciunt.

causa genuina recessûs ab Ecclesia Cathol.



Pag. 347. ait: Protestantes non defuturos colloquio & actioni conciliationis, sed ita, ut Scripturâ duce verum exquiratur. & Christus solus pro Judice agnosceretur, Hîc iterum caput erigent Anaba-

Respondet Christus de Cœlo, Habent Legem & Prophetas, & Ecclesiam,

Anabaptistæ, & dicent: Scripturâ duce debent baptizari adulti, non infantes. Quid ad hæc respondebunt Protestantes? non habent ullum effugium, nisi concedant se victos, vel confugiant ad Traditionem Ecclesiæ, quam hîc reijciunt, cùm ex sola Scriptura volunt disputare, ita, ut penes ipsos sit facultas interpretandi. Sed quis hæreticus non poterit ex Scriptura suam probare & firmare hæresim, si penes illum manebit interpretatio Scripturæ, cùm semper in Ecclesia non de Scripturis, sed de sensu illarum fuit controversia cum hæreticis, qui sensum Ecclesiæ fugiunt, quia per eum sua falsa dogmata & privatas opiniones vident damnari.

Pag. 348. ait: Sub hoc tempus Legati Protestantium ex Anglia redierunt in Conventu Smalcaldiensi, quem Protestantes tunc agebant, narraverunt statum Religionis in Anglia, quomodo Rex ipse Henricus in familiari Colloquio dixisset, Protestantium Theologos de præcipuis controversis rebus non rectè sentire. Nam etsi Rex ille propter divortium à Pontifice, qui illud probare noluit, alienatus erat, tamen Lutheri dogmata pleraq; prorsùs è Regno suo profligavit, & sancivit contraria Luthero, ut superiùs patuit de illis sex Articulis; de reali præsentia Christi in Eucharistia post verba Consecrationis, de Communione non necessaria sub utraq; specie, de Cœlibatu Sacerdotum, de Votis Religiosorum observandis, de Missis privatis, de Auriculari Confessione, quæ sub pœna hæresis credenda proposuit. Post dies paucos Theologi Protestantium exhibuerunt Scriptum, cujus hæc erat Summa: non esse discedendum ab August. Confessione & ejus Apologia, cùm ab illa Confessione etiam Author ejus Melanchton discesserit, eamq; non semel mutârit, adeoq; Lutherani pleriq; hodiè summâ acerbitate id Melanchtoni, alijsq; August. Confess. Professoribus objiciant, quòd ab ea defecerint, nec est contentionum ullus finis, ut mirum sit, non advertere Principes, non posse illos DEI Spiritu regi, qui in doctrina tam instabiles & varij reperiantur.

Sed à qua quærendum? cùm sæpiùs pro certo sit mutata.

Pag. 351. ait: Hoc anno Cæsar gravi edicto per omnes ditiones suas hæreditarias Germaniæ interdixit lectionem librorum Lutheri, & quorumcunq; hæreticorum, sub pœna capitis. Nec hoc est in Ecclesia novum, sed etiam longè ante mille annos tempore Nicænæ Synodi, non modò ipsa Synodus Arij & sectatorum ejus libros comburi jussit, sed etiam Constantinus Imperator capitis sententiam tulit in eos, qui non combussissent; imo in Actis Apost. cap. 19. legi-

legimus, *Contulerunt libros, & combußerunt coram omnibus.* Undè & Apostolus hæreticum hominem post unam & alteram correptionem vitandum ait, & sermones hæreticorum instar cancri serpere; ratio est, quia omnis hæreticus astutus est, & intentus totus ad decipiendum, cùm ipse sit à dæmone deceptus, & in superbiam inductus, scribit, quæ ex ipsius cerebro nascuntur, privatas suas proponit doctrinas, multis mendacijs refertas; Catholici verò Authores scribunt communem Ecclesiæ doctrinam, & ultra hoc rigidè examinantur. Sic & Gelasius ante mille annos libros hæreticos, qui etiam videbantur docti, damnavit, & cavendos judicavit: pauci enim sunt, qui possint discernere verum à falso, accedentibus fraudibus hæreticorum, & judicare de dogmatibus, veranè an falsa sint. *Oportet enim* (ut ait S. Cyprianus Epist. 52. ad Anton.) *non tantùm quid maligni, perditi, atq; Apostatæ dicant, audire, verùm etiam quid modesti & graves viri sentiant faciantvè, de vitæ ipsorum ac disciplinæ exploratione perpendere.* Et si ipsimet hæresiarchæ ex libris antiquorum hæreticorum infecti sunt, cùm illos incautè legerint, quid putandū de alijs minùs doctis, qui inter verum & falsum discernere nequeunt, & hæresis omnis est astuta, & ad fraudem intenta, ut decipiat.  NB.

Pag. 405. ait: In hoc Wormatiensi Conventu inter alia Protestantium Legati palàm testati sunt, se Concilium Trident. pro legitimo non agnoscere, & ea fuit facillima ratio, omnia Concilij Decreta reijciendi. Si sic licebit subditis Principum suorum pro legitimis non agnoscere, brevi pulcherrimum habebimus in qualibet Republ. ordinem. Quid? si Decreta Concilij Nicæni licuisset reijcere Arianis, si Nestorio Ephesini, si Eutycheti Chalcedonensis; quid factum cum Ecclesia fuisset, judicium tuum appello Lector. NB.

Pag. 409. Vide, ad quas absurditates Maluenda Catholicus Disputator adduxit Bucerum, in Confessu tot doctorum Virorum; nempè, qui mortali peccato tenetur, Fidem Catholicam amittere, non credere, DEUM Trinum & Unum esse, neq; Christum esse Filium DEI, neq; Redemptorem humani generis, neq; natum, neq; crucifixum, &c. omnia peccata esse incredulitatis, nullum imbecillitatis vel ignorantiæ, sed omnia ex malitia, & contra conscientiam committi. Eo devenerunt homines isti, ut malint has absurdas opiniones tueri pertinaciter, quàm se victos videri. Interim spargebant rumorē, victos Catholicos à Protestantibus. &c. Non diū post se clanculo à Colloquio ex Oppido subduxerunt, ut fugam adornâsse viderentur,

Similem rumorem sparserunt in Colloquio Toruniensi sed quam verū sit, inferiùs patebit.

Pag. 411. ait, Lutherum sub finem vitæ hæc dixisse: *Orate pro Domino nostro DEO, & ejus Evangelio, ut ei benè succedat, quia Concilium Tridenti & abominabilis Papa graviter ei adversantur.* Revolve Lector Concilium, & advertes, quàm hoc sit verum. Sed fortè in hoc dicit Lutherus adversari Concilium DEO, quod antiquas excitatas condemnaverit hæreses, inter alia optimum illum Lutheri Articulum, qui talis fuit: *Liberum arbitrium est figmentum in rebus, & titulus sinè re*; de quo sic S. August. lib. de Grat. & libero Arbitr. cap. 2. ait: *Est igitur liberum arbitrium, quod si quis esse negaverit, Catholicus non est.* Et meritò. Nam homo non esset capax præcepti, nec posset peccare, nec benefacere, nec mereri præmium aut supplicium, jam verò Divina Scriptura plena est præceptis, tam Novi, quàm Vet. Test. dicit, hominem peccare transgrediendo Legem, & supplicium mereri; item benefacere obediendo Legi, & mereri præmium; item frustrà punirentur furta, latrocinia, occisiones, adulteria, & varia enormia hominum crimina, si homo non haberet libertatem, cùm hæc non liberè, sed impulsu naturæ cum bestijs faceret.

Reflexio

☞

Pag. 436. ait: Non diù pòst obijt Sigismundus Poloniæ Rex, valdè Catholicus, &c. coronatus est 1507. mortuus 1548. 1. April. ejus obitus perniciosus fuit Amplissimo Regno Poloniæ. Nam eo extincto, hæreses abominabiles, etiam Arianorum & Nestorianorũ, illic paulatim cristas erexerunt. Successorem habuit Filium Sigismundum Augustum, excelso animo Principem, & Paternis vestigijs in Catholica Religione insistentem. Testatur enim de illo amplissimus Cardinalis Stanislaus Hosius, cujus apud omnes pervulgata est pietas & doctrina. Cùm eum peterent nonnulli in Comitijs Varsavienlibus, ut de causa Religionis cognosceret, constanter dixisse, non sui id esse muneris, Regem se, non Pontificem agere velle. &c. Eadem verò fuerat & Sigismundi Patris ejus vox, &c. *Non est meum* (inquit) *de puritate Verbi cognoscere, munus hoc Episcoporum est, quorum judicio ego ipse libens me submitto, quorumq; Jurisdictionem in omnibus salvam esse volo.* Utinam hanc tanti Regis constantiam plures Principes & Magistratus secuti fuissent, non fuissent tam pestiferæ & innumeræ hæreses in Regnis & Civitatibus. Sed pestiferâ adulatione persuasum est illis, ut de Fide & Religione sibi judicium usurparent; ipsi verò mirâ calliditate egerunt, ut non quod veritas Catholica suaderet, sed quod ipsi voluerunt, è cerebris suis privatas Religiones introduxerunt, contra praxim omnium Sæculorum, & primi-

☞

NB.

NB.

primitivæ Ecclesiæ, cujus erant pijssimi Imperatores, Constantinus Magnus, Theodosius II. Justinianus, qui ait: *Si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habento Civiles Magistratus, cum ea disceptatione; sed Religiosissimi Episcopi secundùm Sacros Canones negotio finem imponunto.* Nota Lector, *secundùm Canones.* Idem fere habet Concil. Chalced. Act. 1. dum ait: *Superfluos mitte foras, Episcoporum Synodus est, non Clericorum.* Constantius Imperator cùm se vellet in causas Ecclesiæ intromittere, Athanasius in Epist. ad Solit. ait: *Si Judicium Episcoporum est, quid cum eo habet commune Imperator?* Et Osius (Cordubensis Episcopus, qui vixit circa An. 300. tempore Constantis Ariani) ad eundem Constantium ait: *Tibi DEUS imperium commisit, nobis ea, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit.* Et S. Ambros. ad Auxentium ait: *Imperator bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.* Et Act. 20. legimus: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI;* non dicit, Reges vel Magistratus, sed, Episcopos.

Pag. 515. ait: O Divinam Providentiam! ô terribilem DEUM in consilijs super filios hominum! Septimo anno post natum in Germania dogma Lutheri, in Novo Orbe Martinus Valentinus, vitæ sanctitate, & miraculorum operibus inclaruit, & cæcis Gentibus Evangelij lucem sinceram, quam Germania Martino Luthero fastidivit, invexit. &c. Et certum est, omnes Indos, & Novi Orbis Carolini incolas & accolas, fieri quotidiè magis ac magis Christianos. In Archivis Caroli Cæsaris lectum est, unum quendam Sacerdotem septies centena millia hominum baptizâsse; alium ter centum millia; alium centum millia; alios plures, alios pauciores. &c.

Pag. 516. ait: Sed DEUS præpotens, spretis nobis contemptoribus, suam gratiam offert barbaris & ignotis gentibus, ut hæretici tabescant, omnes illas facit Rom. Pontificis observantissimas, & veteris Religionis studiosissimas. Solent isti jactare, se Rom. Pontifici modis omnibus velle incommodare, nec vident miseri, ut ipsos irrideat, qui habitat in Cœlis, & tantò Rom. Pontificem in remotissimis Novi Orbis regionibus faciat majori studio ac veneratione affici, quantò in Europa apud plerosq; minori in pretio est; & planè id accidit hæreticis & remotis gentibus, quod Judæis & Tribus Regibus, ut illi habentes inter se Christum obcæcarentur, illi à longè venientes illuminarentur. Nostrum erat, juxta Pauli doctrinam, obedire Præpositis nostris, permanere in ea Religione, quam à Sanctis

Majoribus nostris accepimus, exercere nos in operibus bonis, sobriè, & justè, & piè vivere in hoc sæculo, & omnia peregrina dogmata vitare. At dum ista nos negligimus, ecce Christus se confert ad Indos & Antipodas, offerturq; Regnum DEI gentibus, facientibus, fructū illius, & nos in tot Sectas & errores distrahimur, ut referre pudeat, quod S. Augustinus lib. 22. de Civit. DEI cap. 8. miratur, dicens: *Magnum ipse prodigium est, qui mundo credente non credit*; non credit verò ille cum mundo, qui non credit mundo credenti Christo.

Pag. 542. ait: Lutherum in ipsis Divinæ Scripturæ libris tam multa adulterâsse. Nam post quinq; annos primam Versionem suam in multis locis mutaverit, ut in solo Matthæi Evangelio 36. loca annotata sunt. Hieronymus Emserus ad marginem plurima loca notavit malâ fide conversa. Quod etiam illi Zwinglius objecit, nec ad hoc illi respondit. Aliqua addidit, ut v. g Arbitramur per fidem, ipse addidit, *solam* fidem. Aliqua subtraxit, ubi enim legitur, Per bona Opera certam vestram vocationem faciatis, ipse erasit hæc tria NB. verba, *per bona Opera*, quasi per totam Scripturam Sacram non inveniretur commendatio bonorum Operum, cùm S. Scriptura nihil magis quàm bona Opera commendet, & pro illis vitam æternam promittat. Certumq; est, & Lutheranos Lutheranis, & Sacramentarios Lutheranis, & Lutheranos Sacramentarijs palàm obijcere, quòd Scripturas depravant, & tamen omnes Scripturas jactant. &c. Sic Zwinglius Tom. 2. ad Lutherum lib. de Sacram. pag. 422. Et pag. 413. ad Lutherum ait: *Verbum DEI Luthere adulteras, manifestus & communis Sacrarum Scripturarum corruptor ac perversor deprehenderis.* Bullingerus etiam in Apocal. Cap. 1. Serm. 1. conqueritur, quòd Lutherus librum Apocalypſ. jugulaverit. Porrò cùm non ignorent, Romanos Pontifices Christi in terra Vicarios pro suæ Sedis primaria auctoritate, omnibus hæreticis semper ivisse obviam, eorū cervices compressisse mirabiliter, tum cæteri hæretici omnes, tum isti Magdeburg. Centuriatores in Romanos Pontifices incurrunt, il- NB. los etiam, quos pro Christo suscepta mors, vitæ sanctimonia, & eximia doctrina commendat. &c. Neq; hoc novum fuisse hæreticis, insurgere contra Rom. Pontifices, ex S. Cypriano & S. August. superiùs ostendimus in Discursu de Prælatis. Sed ipsi produnt errores suos, cùm non sint nescij, Romanis Pontificibus non modò de omni antiquitate præcipuos semper esse delatos honores, sed etiam Carolinum librum, quem Carolo falsò attribuunt, in quo habetur, Ro-

manam

manam Sedem nullis Synodicis Conſtitutis cæteris Eccleſijs eſſe prælatam, ſed ipſius Domini auctoritate tenere Primatum. Cur ergo hæc, & multa alia non recipiunt? Sed hoc eſt, quòd in illo libro mutilatas & truncatas ſententias citant, quæ ſi integræ proferantur, illorum opiniones deſtruant. Similis illa Objectio illorum, ubi obijciunt, quòd Theodoſius Edicto prohibuit, ne quis ſignum Crucis ſculperet aut pingeret humi, illi ſubtraxerunt hoc nomen humi, & ſic, quòd Theodoſius vetuit humi ſculpere Crucem, ob reverentiam, ne calcaretur, illi intulerunt interdictam picturam Crucis, ſubtracto verbo humi. Vide ſequentibus paginis alios Centuriatorum errores de legitima Succeſſione Rom. Pontificum, ubi inter alia pag. 547. ait: S. Auguſtinus Epiſt. 157. Pelagium & Cæleſtium hæreticos à Papa Innocentio & Zozymo toto Chriſtiano Orbe damnatos eſſe, quibus verbis oſtendit, Pontifices Rom. toti Chriſti Eccleſiæ præſidere. Vide ibid. quàm levibus rationibus Cælibatũ oppugnent, ita, ut magis firmari videatur, quamvis alibi in pluribus Centurijs pro Cælibatu plures SS. Patres adducunt; monetq; Author, ut cautè legantur, cùm plures & graves habeant errores: nec mirum, nam unus præcipuus ex illis Illyricus, ſuſpectus de Ariana hæreſi, ab Academia Wittembergenſi pro tali declaratus. Si enim cum illis SS. Patribus & primitiva Eccleſia in multis pugnant, & illis multos alios objiciũt errores, quid commune habent cum vera Chriſti Eccleſia. Vide illorum plures palpabiles errores apud Alanum, Copum, Anglum, in Dialogis, & apud Surium in Commentario rerum in Orbe geſtarum ad An. 1560. pag. 540. usq; ad pag. 548. Hoc tamen ſingulariter de Centuriatoribus eſt notandum, quòd omnia dogmata, quæ Lutherus negaverat, deducunt, & oſtendunt inveniri in SS. Patribus, quos plures pro unoquoq; dogmate citant, ut ſuperiùs patuit. Sic Eccleſia Sancta, & Veritas Catholica habes non ſolùm à ſuis, ſed etiam ab extraneis teſtimonium, pro ſe movente DEO ora illorum, propter illos, qui verè ſalvari cupiunt, nec in hæreſibus perire.

Pag. 565. ait: Quamvis Centuriones Conſtantinum citent, qui Crucis fuit præcipuus venerator, attamen non verentur Cent. 3. cap. 10. Crucis uſum ad Montaniſtarum errorem revocare, &c. cùm ante mille annos uſitatiſſimum fuit apud Chriſtianos, ſignum Crucis in fronte digito pingere. Eſt apud S. Auguſtinum memorabilis ſententia de Signo Crucis, qui Tract. 118. in Joan. ait: *Quid eſt, quòd omnes noverunt Signum Chriſti, niſi Crux Chriſti, quod ſignum niſi ad-*

hibeatur, sive in frontibus credentium, sive ipsi aquæ, quâ regenerantur, sive oleo, quo Chrismate unguntur, sive Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Tertullianus, antiquior S. Augustino, lib. de Coron. Militis ait: *Ad omnem progressum, aditum, exitum, &c. frontem Signaculo terimus*; quem etiam citant Centuriatores, Cent. 3. col. 141. & Cent. 4. col. 302. Ejusdem Crucis festivitas & veneratio agnoscitur à Fulcone, & alijs. Hîc obiter nota Lector fraudem adversæ partis, quòd illa confundat veras Traditiones cum falsis, illasq; fraudulenter imponit Ecclesiæ Cathol., cùm illa sit cauta custos Traditionum, nullas nisi verissimas admittendo. Si vis experiri veritatem Traditionum, & falsitatem Objectionis, revolve SS. Patres, & invenies de omnibus, tum Traditionibus, tum Ritibus Ecclesiæ testimonia illorum, invenies, quòd non tam modernæ, quàm primitivæ Ecclesiæ quingentorum annorum sint tam Traditiones, quàm ritus, quos modò observat Ecclesia Romana.

Notent Dissidentes.

Pag. 566 ait: Hoc anno in Ducatu Wittemberg. promulgatum est Edictum contra Sacramentarios. Pag 567. Theologi Jenenses Supplicationes edunt ad Principes & Ordines August. Confessionis pro legitima Synodo, in qua Lutherani soli conveniant, & Zwinglianos, & alios condemnent. Quod si idem facerent Zwingliani cum Lutheranis, sicut de facto fecerunt, quibus danda est fides? cùm illi etiam similem habeant potestatem congregandi Synodum sicut Lutherani: quando enim sæculares homines habuerunt potestatem congregandi Synodos: nonnè Synodus est Episcoporum, non Sæcularium. Heshusius libellum Jenæ edidit contra Sacramentarios, & in Præfat. queritur, Zwinglij & Calvini errorem de Cæna latè per Orbem Christianum diffusum esse, & in hoc libro suum (id est Lutheranum) de Cæna dogma ex Scripturis & Patribus probare conatur. Idem contra faciunt Zwingliani. Non ita pridem Superintendentes Heidelbergenses hujusmodi decretum promulgârunt, ut Lutheri & Brentij Catechismi extra Ecclesiam eijciantur, & eorũ Scripta nullam habeant auctoritatem. Sic Pontificiæ auctoritatis exagitator à suis planè reijcitur & profligatur. Nam adverterunt summam inconstantiam Lutheri, & multa recto judicio repugnantia notârunt in Scriptis illius, ideò rejecerunt illum, & hæc genuina causa fuit omnium, quotquot ad primam famam cùm convolarent ad illum, videntes in multis hallucinari, & miris fraudibus uti hominem, contempto illo quisq; fabricavit sibi Fidem, plus proprio, quàm illius fidens ingenio.

Reflexio.

Pag.

Pag. 586. ait: Hoc ferè tempore Abdyſu Aſſyriorum Orientalium Patriarcha, venit Romam longiſſimo itinere, ut Pontificem inviſeret, atq; ab eo confirmaretur, ad cujus etiam genua provolutus, obedientiam promiſit: juravit etiam, ſe Conciliorum Oecumenicorum, & ſpeciatim Tridentini Statuta atq; Decreta omnia ſuſcepturum, ſervaturum, & ſuos omnes docturum. &c. Fidem ſuam in Concilio Tridentino die 7. Septembr. Anno 1562. hunc in modum abſens profeſſus eſt: *Confeſſus ſum puro corde, & Fide non ficta, coram Reverendiſſimis & Illuſtriſſimis D. Michaële tituli S. Sabinæ Alexandrino, & M. Antonio tituli S. Marcelli Amulio, S. R. E. Presbyteris Cardinalibus, in hanc formam: Ego Abdyſu, filius Joannis de Domo Martia, ex Civitate Gezitæ in Tigri flumine, olim Monachus S. Antonij Monaſterij Sanctorum Rochæ & Joannis Fratrum, electus Primas ſive Patriarcha Civitatis Muzal in Aſſyria Orientali, juro, quòd ita corde credo, & ore confiteor Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Fidem, approbatis omnibus & ſingulis illis, quæ ipſa approbat, & damnatis ſimiliter omnibus, quæ ipſa damnat. Amplector, & perpetuò me amplexurum, & retenturum eſſe profiteor & promitto, & omnes Fratres meos Metropolitas ſive Epiſcopos, ac Diœceſianos, quovis modo meæ Juriſdictioni ſubiectos, ita credendum & tenendum eſſe docebo, & modis omnibus, quibus potero, perſuadere conabor. Ita me DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia. In quorum omnium fidem, hanc meam Fidei profeſſionem & atteſtationem, manu meâ ſcripſi, &c. Romæ die 7. Martij Anno 1562.* Et certè etiam hoc ipſo anno pro ſingulari benignitate ſua ad Catholicæ Eccleſiæ gremium reduxit Illuſtrem, & magnæ apud Germaniæ Principes authoritatis Comitem, ab Helfenſtein Ulricum, adeò, ut is coram multis & gravibus Viris Lutheraniſmum & Auguſt. Confeſſionem, cui, niſi fallor, inter primos ſubſcripſerat, abjurârit, & anathematizârit, totusq; ad Cathol. Rom. Eccleſiam redierit. Quin etiam Medicinæ celeberrimus Profeſſor, D. Venerandus Gablerus, tanti Comitis exemplum ſecutus, redijt ad Catholiciſmum. Inter alia permulta, quæ Comitem eximium ab Helfenſtein ad Cathol. Eccleſiam revocarunt, illud non poſtremum fuit, quòd, ſicut ipſe ait, in Auguſt. Confeſſione nullum, neq; in doctrina, neq; in Cæremonijs, fundamentum vel concordiam invenerit, neq; apud ſuos Concionatores invenire potuerit, ſed ſit ab alijs ad alia remiſſus atq; rejectus, & unà cum ſuis Subditis in vaſtiſſimos errores abductus: tum etiam, quòd ſicut Lutherus, ita & omnes poſteri illius in ſuis Scriptis inconſtantes ſint, & modo hæc, modò illa ſibi ipſis pugnantia doceat.

Pag. 733. ait Surius,

NB.

NB.

Surius pag. 750

Scripta est hoc anno Constantinopoli Epistola quædam, jam typis excusa. Extat nomen ejus qui scripsit, & ad quem scripta est. In his literis fit mentio cujusdam non postremi Hugonotæ, expressò etiam ejus nomine, qui ex Gallijs venerit Constantinopolim, & ibi multa egerit cum supremo Bassa, homine astutissimo, de Hugonotis in Turcarum Imperatoris fidem & tutelam suscipiendis. Sed cùm intellexisset Bassa, Hugonotas adversùs suum Regem Carolum rebellare, ut habent eæ literæ, valdè in hominem commotus est. Turpe autem certè est, quòd Hugonota ille Scriptum obtulit Bassæ, in quo non negavit, Hugonotas Regis Galliarum subesse imperio, sed ☞ rebellare ei propter Religionem ipsorum, quæ sit Turcicæ proxima. Item paratissimos fore Hugonotas, ad turbas & seditiones in Alemannia procurandas, quando id Turcis commodum videretur. Item Hogonotas, si in Turcarum Imperatoris tutelam reciperentur, ejus Majestatis fore socios utilissimos: quòd non solùm Regem suum vexare possent, ne affinem suum Regem Hispaniarum contra Turcas sive consilio, sive milite juvet, sed etiam per aliquot potentes Alemanniæ Principes, qui Hugonotarum rebus manifestè faveant & auxilientur, ipsum Romanorum Imperatorem impedire in omnibus consilijs ejus, quæ contra Turcas susciperet. Hæc tam fœda, tam prorsùs ab omni Christiana pietate, immo etiam ab omni humanitate aliena, ausus est Hugonota ille Turcis proponere, ita ut is, qui has literas scribit, testetur, hæc palàm jam dici & circumferri per totam Constantinopolim. Respondit autem illi Bassa per interpretem, Hugonotas longè inferiores esse, quàm ut ad illorum amicitiam sese dimittat supremus Orbis Princeps, nec fidem haberi debere **NB.** istis socijs, qui proprium etiam Regem proderent & impugnarent. Turcas solitos esse cum Imperatoribus, Regibus, & magnis Principibus agere, non cum perfidis servis, & rebellibus subditis. Undè appositè quadrat, quod dixerat Guilelmus Reginaldus de Calvino-**NB.** Turcismo: *Qui verè Calvinista est, vix abesse, quin Turca vel Atheus sit.* Simile Godefridus à Valle: *Oportere priùs Calvinistam fieri, qui Atheus esse volet.*

Pag. 105. ait: Totum Jus Pontificium Lutherus cum Diplomatis Pontificum Wittembergæ palàm exussit & incendit. Fuit hoc facinus audax, hominem privatum tantam sibi sumere auctoritatem. &c. Et ipse Lutherus jam planè perditus, scripsit librum in hujus facti defensionem, refertum atrocissimis calumnijs. Appellavit etiam

Jus Canonicum combustum continebat plurimos antiquorū Conciliorum Canones.

etiam non semel à Pontifice tanquam Antichristo ad Concilium, quasi verò ille ulli unquam Concilio obtemperaturus esset. qui Decretorum Codicem concremâsset, qui innumeras antiquissimorum Conciliorum sententias continebat. Cogita Lector, cui hoc injuriosum Antichristi magis competit verbum, qui est Custos Canonum, quos continet Jus Pontificum, an illi, qui combussit publicè illud, in quo non tam præsentis, quàm Primitivæ Ecclesiæ Summorum Pontificum, qui proximi Apostolis fuerunt, Canones & Decreta continentur. Quid ille cum Primitiva Ecclesia commune habuit, cùm illius Canones combusserit. Hortatus est etiam Principes, ut armis omnibus Pontificem & Cardinales oppugnarent, & in eorum sanguine manus lavarent suas. Hoc nec Prophetæ, nec Apostoli, nec Christus unquam docuit. NB.

Libro de Potestate Sæculari Lutherus ait: *Rara avis est Princeps prudens, &c. Sunt communiter maximi fatui, aut pessimi nebulones.* NB. Idem Tom. 1. Wittemberg. fol. 189. 190. 200, ait: *Oportet cor humanum legem DEI, atq; à DEO DEUM ipsum supra modum odisse.* Ibid fol. 201. ait: *Quicunq; dicunt se amare legem, mentiuntur, & nesciunt quid dicant.* Et in Cap. 4. ad Galat ait: *Clarum est, Decalogum solis Judæis datum, & non nobis.* Nec Sectarij aliter sinè mendacio docere possunt. Aliter Apostolus ad Rom. 3. ait: *Legem ergo destruimus per Fidem? absit! sed legem statuimus.* Et S. August. lib. 3. contra 2. Epist. Pelag cap. 4 ait: *Quis ita impius est, ut dicat, se propterea præcepta non servare, quia Christianus sit, non sub lege, sed sub gratia.* Lutherus è diametro contrarium lib. de libertate Christiana ait: *Christiano neq; Opera, neq; Lex necessaria est, quia per Fidem liber est ab omni lege.* Non dubito, Lector, quin sufficienter ex his & multis alijs, tum gestis, tum Scriptis Lutheri informatus agnoscis, quid consilij erat cum tali homine concordiam inire, qui nec secum, nec cum alijs conveniebat, & tam varius fuit in suis assertis, ut Contradictoria illius vix numerare poteris, quæ tot sunt certissima documenta illorum, quot sunt Schismata Lutheranorum: hæc omnia approbanda erant, quæcunq; indigna homine Christiano fecit & dixit, & nec sic quidem; nam si toties sua placita mutavit, & quod illi hodiè placuit, cras idem displicuit, quomodo concordia placere illi potuit? insuper abijcienda erant omnia primitivæ Ecclesiæ Decreta & Canones, nam illos publicè Wittembergæ combussit, & approbanda erant illa, quæ superiùs fecit & scripsit, quæ tam indigna erant, NB.

ut nec amicis illius, nec discipulis placuerunt, qui se non inferiores ostenderunt Magistro suo, cùm illius inconstantiam vidissent, sibi etiam Magistri facti sunt, cum ignominia Lutheri, ut Zwinglius & Calvinus, & multi alij. Ergo & horum approbanda erant placita, quæ Lutherus hæretica dicebat, illi vicissim placita Lutheri simili encomio ornabant. Combina hæc, si potes, Lector. Nam isti omnes pro suis, quos adinvicem condemnant suos errores, allegant S. Scripturam, & quamvis coram ignaris spargant, in parvis rebus inter se differre, tamen aliud patet ex propria illorum confessione, & tot habitis inter se Colloquijs, ut convenirent, tamen semper irrito conatu. Nicolaus Gallus, Superint. Ratisp. in Thes. fol. ult. ait: *Non sunt leves, quæ inter nos gliscunt dissensiones, sed de præcipuis doctrinæ Christianæ articulis, de Lege, de Evangelio, de Justificatione, de bonis Operibus, de Sacramentis, & usu Ceremoniarum.* Similia Selneccerus 3. Part. Comment. in Psal. 131. habet, dum ait: *De publica in Ecclesia discordia non est opus quærere inter nos, qui veram Evangelij doctrinam habere gloriamur, discordiæ moventur, de Adiaphoris, de bonis Operibus, de Justitia nostra, de libero Arbitrio.* Vide similia suprà pag. 142. & pag. 34. Lutherus in Psal. 5. Tom. 3. Wittemb. & in Loc. Commun. Class. 5. cap. 13. pag. 39. ait: *Professores dissentire inter se, ea res multos offendit, & à veritate avertit, fecitq; Papistis, nos propediem interituros cum doctrina, quæ sibi non constaret.* Quomodo non interiêrunt Lutherani ad hoc usq; tempus? cùm illos interituros propediem, vaticinatus est ipse Lutherus, præcipuè cùm etiam ipse se esse Prophetam dicebat, *Ego sum* (ait) *Isaias, &c.* Quomodo in dissensione veritatem Lutherus apud se potuit probare? cùm non sit DEUS dissensionis, cùm etiam ipse lib. de Votis Monasticis dixerit: *Mendacia certiùs dignoscere non potes, &c.* vide sup. pag. 90. Habes, Lector, confessionem, proprij oris Lutheri de mendacijs & dissensionibus; expende, si primum per omnia non quadrat Luthero: secundum si non omnibus Sectis Lutheri. Ad quid alijs egemus testibus, cùm unus pro omnibus contra seipsum sufficiat Lutherus.

Confessio Lutheri.

Præcipuæ Objectiones hæreticorum contra Ecclesiam Cathol. Rom. ex Cap. 17. Apocal. in quo describitur quædam mulier meretrix, habens capita septem, quæ sunt septem montes, super quos mulier sedet. Quia ergo Roma Septicolis Urbs dicitur, ideò Romanæ Ecclesiæ competit hæc Prophetia. Sed vide & intellige malitiam & fraudes hæreticorum, quòd in majorem sui damnationem ubiq;

men-

mentiantur; lege textum, & vide, quòd S. Joannes illam mulierem describit, quæ non solùm futura erat, sed etiam, quæ tunc erat in mundo; undè ait: *Erat, & non est, & in interitum vadit.* Sed tunc sub Nerone & Domitiano Ecclesia Romana, quam administrabant S. Petrus, Linus, Clemens, & alij, erat Sancta, & plures fuerunt Martyres, prout utrumq; fatentur hæretici. Ergo S. Joannes non intellexit Ecclesiam Romanam, sed Romam illam Ethnicam, quæ primis trecentis annis insedebat septem collibus, & fundebat sanguinē Martyrum, quatenus fuit Civitas Imperatorum Idololatrarū; quod S. Leo expressit in Festo SS. Petri & Pauli: *Cùm omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus.* Et hæc est expositio SS. Patrum, Augustini, Hieronymi, Tertulliani, & aliorū; quod expressit S. Petrus 1. Epist. Cap. 5. *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babilone coëlecta*, id est Ecclesia, quæ est Romæ. Undè necesse est, Ecclesiam Christi Romanam distingui à Babilone, seu Roma Ethnica; aliud enim est, esse in Babilone, aliud esse Babilonem. Deindè quæro ex Lutheranis, quare assumunt librum Apocal. ad oppugnandam Ecclesiam Rom. cùm ipsum Lutherus rejecerit ex Canonicis; numquid illi Magistro suo doctiores? hoc certe vergit in contumeliam Lutheri, cùm emendent illum, assumendo pro authentico ad probandum suum intentum, non enim nisi ex authentico quidquam probari potest. Iterum quæro ex Calvinistis: Si ex hoc libro Apoc. oppugnant Ecclesiam Cath. Rom. ut ex authentico, quem Calvinus contra Lutherum Authenticum agnoscebat, quare ex hoc libro Pœnitentiam & bona Opera non suscipiunt? Cap. 2. ait: *Memor esto itaq; undè excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac*; & Cap. 22. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuiq; secundùm opera sua*; hæcnè, & plura reijcere cuiq; prout vult licebit, & alia ex eodem libro assumere? Deindè Babilon significat confusionem, quæ provenit ex defectu ordinis. Defectus ordinis pervenit ex multitudine Principum, vel ex nullo Principe. Undè Aristoteles infert unum DEUM Rectorem mundi, propter bonum ordinem: hæretici nullum habent unum Rectorem, sed unusquisq; seipsum regit, unde inter illos semper magna confusio in credendo, quò ad personas & tempora. Hoc fatetur Bullingerus in Apocal. Cap. 14. fol. 137. *Quamvis vocationem nostram ad Papam & Apostolos &c. referre non possumus, quia tamen doctrinam, quam à Christo esse probares atq; ita ministerium nostrum legitimum asserere possumus.* At hoc

 idem

idem omnes hæretici dicebant, idem & modò recentes dicunt, Lutherus, Calvinus, Zwinglius, Anabaptistæ, Quakeri, ergo illorum omnium legitimum ministerium erit. SS. Patres è contrà semper ab hæreticis requirebant vocationem & successionem. Vide in Nota Ecclesiæ Apostolica. In Romana verò Ecclesia sumus ordo, qui ab uno incipit, sicut Cœli inferiores moventur à primo mobili, ut illud ad Ephes. 4. verificetur de illa, *Corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis*. Ibidem Apocal. 18. dicitur, *Cecidit, cecidit Babilon*, ac proindè non est durabilis; at Romana Ecclesia est perpetua, quidquid dicant hæretici, per manifestam calumniam vocando Babilonem, quasi ignotum sit, intelligendum de Ethnicis Imperatoribus, de tot hæresibus & Sectis, tam antiquis, quàm recentibus, quæ ceciderunt, & non sunt. Fortè intellexisti sufficienter, quomodo fraudulenter oppugnant Ecclesiam Cath. Rom. hæretici, si non habes occæcatū oculum, pertinaciam hæresis facilè intelliges.

Ex his clarè recapitulatur, quàm miro astu Lutherus in principio sui recessûs ab Ecclesia usus sit. Primò finxit, se quosdam abusus, idq; paucos, in Ecclesia reformaturum, & ideò non directè contra Indulgentias, sed abusum illarum primò pugnare cæpit, finxit etiam, aliquos abusus per Pontifices Romanos introductos, cùm tamen nunquam probare potuerit, per quos sunt introducti Pontifices, quæ cùm originem & initium sui non habeant, sunt verè dogmata Catholica, ut superiùs in Discursu de Traditionibus patuit. Romanam tamen Ecclesiam miris modis extollebat, dicebatquè, in nulla causa ab illa recedendum, & omnem ab illa recessum impium dicebat, ut de Bohemis superiùs patuit. Idq; coram doctis & eruditis Viris hoc asserebat: nam aliter coram illis loqui erubescebat, nisi quod erat verum, hoc astu suo multos etiam doctos elusit, qui videntes illud corruptissimumSæculum, multorumq; depravatos mores, putabant à principio, non malo zelo agere Lutherum contra prædictos depravatos mores; coram verò simplicibus, indoctis, & rudi plebe contrarium loquendi assumpsit modum. Nam sicut coram doctis & sensatis summis laudibus extollens Rom. Ecclesiam verum dicebat, è contra coram indocta plebe contra eandem Ecclesiam fingebat, quæcunq; poterat excogitare, contra Episcopos, Clerum, & omnes Spirituales, cùm fuerit facilis ad loquendum, sicut & hodiè videas multos viros & mulieres, qui etsi totâ die loquantur, tamen multa illis restant dicenda, qui autem erant inter Spirituales defectu-

defectuosi, miro modo illorum extenuabat peccata, ut odium illis compararet; qui verò boni inveniebantur, dicebat de illis, quòd obscurarent gratiam DEI & Meritum Christi, & non Christo, sed suis fiderent meritis, quòd Christum conculcarent & ejus Evangelium, se verò purum Evangelium prædicare asserebat, ideò & suos Sequaces Evangelicos vocari voluit, quamvis nec Præcepta, nec Consilia Evangelica observare docuit, solâ Fide mortuâ contentus, nec quidquam ille curavit, quamvis ex multis contradictorijs dictis illius multa Schismata & hæreses inter discipulos ejus sequerentur, modò per suavem carni & sanguini doctrinam, per imposturas & sinistras imputationes, seipsum securum vitæ suæ faceret, attractâ multitudine indoctæ plebis, per media superius expressa, quod cùm obtinuerit, jam palàm cæpit ostendere, quòd non abusus reformare, sed tollere omnia, quæcunq; sancta & antiqua erant. Cùm & Concilia, & SS. Patres, quos se ab initio finxit venerari, rejecerit, & varijs contumelijs affecerit, immo & in ipsum Christum detestabilem commisit contumeliam, quam similem ab ullo Christiano prolatam haud sciamus. Sed vide Lutherum Tom. 4. Jen. in 3. Cap. ad Galat. vide etiam Calvinum lib. 2. Instit. cap. 16. §. 10. Et si nihil aliud esset, solæ hæ contumeliæ execrandæ deberent retrahere quemlibet Christianum à doctrina Lutheri & Calvini. Ut verò magis stabiliret Lutherus, quæ continuò fingebat convitia in Ecclesiam, crepando Scripturam secundùm suam interpretationem, edidit librum, docens in illo, Papam & Episcopos debere esse subjectos Sæculari potestati, docuit etiam, Principibus Sæcularibus Episcopatus, Abbatias, & bona Ecclesiastica esse diripienda, quod etiam Ariani in Primitiva Ecclesia fecerunt. Plebem etiam ut alliceret, ultra illa, quæ coram illa mentiebatur, jussit injicere manus in Calices, Cruces, Reliquiaria, aurea & argentea, in omnem supellectilem, in domos & fundos Ecclesiasticos, sustulit disciplinam Christianam, Jejunia, Continentiam, dedit potestatem, ut Sacerdotes & Monachi uxores ducant, Moniales nubant, & abjectis bonis Operibus, gratiam Christi transferentes in luxuriam, solâ Fide sint contenti, persuasit. His, & alijs multis similibus incentivis, illo corrupto, & ad malum inclinato Sæculo, crevit suavis carni doctrina Lutheri, ex qua cùm omnia indies in pejus abirent, ut ipsimet de se testantur. Sic enim Erasmus Epist. ad Fratres Inferioris German. Tom. 9. fol. 1308. ait: *Nunquam fuisse maiorem luxum, plus adulteriorum, quam inter Evangelicos; sic enim appellari gau-*

apertum mendacium.

NB.

His motivis omnes hæretici traxerunt homines ad suas Sectas.

judiciū Erasmi de Lutheranis.

gaudent. Et Epist. ad Pseudòèvang. Tom. 9. edit. Basil. 1540. ait: *Circumspice populum istum Evangelicum, & observa, num minùs illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quàm illi, quos detestamini. Profer mihi, quem istud Evangelium ex commessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impuro reddiderit verecundum; ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores*. Ibidem fol. 1292. *Nunc circumspice mihi Sodalitatem istam*
NB. *Evangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, &c. quot alijs vitijs infames*. Idem Epist. ad Bucerum ait: *Qui abiecerunt preces horarias, nihil orant, qui contemnunt Constitutiones Episcoporum, nec Dei Præceptis obtemperant*. Sed Lutherum ipsum audiamus, qui in 1. Corint. Cap. 15. ait: *Futuræ vitæ nullam habent rationem, sed sicut credunt, ita vivunt, sunt & manent sues, & sicut sues moriuntur; de Evangelio loquuntur, quasi sunt Angeli, sed si opera spectes, sunt meri diaboli*. Idem Concione 2. Postillæ domesticæ Jenæ impressæ sic ait: *Mundus ex hac doctrina quotidiè redditur deterior*, (alludit ad septem Vitia Capitalia) *cùm anteà uno tantùm diabolo obsessi fuissent, diabolus iam catervatim in homines ingreditur, ut nunc in tam splendida luce Evangelij sint callidiores, iniustiores, crudeliores, multòq; deteriores, quàm priùs in Papatu*. Calvinus in Cap. 8. Matth. ait: *Honestum evertunt omne, quod etiam apud Gentiles fuit inviolabile, & in*
 *omni libidinum etiam belluinorum volutantur*, Idem in Cap. 15. Daniel. ℣. 35. *Præclarum quidem zelum simulant, si tamen intùs excutias, reperies plenos esse fraudibus*. Gregorius Wicelius, Vir olim harū Partium, pòst ad Catholicam Fidem conversus, in Retect. Lutheranis. sic ait: *Quidquid supererat laudatæ disciplinæ, pudoris, reverentiæ, conversationis inculpatæ, Religionis, id penè omne profligavit istud Evangelium, studium meliorum operum funditùs extirpavit, Veterum Scripta obliteravit, dissidia seminavit, Principes in mutuum odium incendit, literaria Gymnasia evertit per Germaniam*. Horum omnium causam evidentem ex Luthero ostendimus, qui Epist. ad Melanch. fol. 395. ait: *Pecca fortiter, fortiùs fide, & gaude in Christo. Sufficit, quòd Agnum agnovimus, qui tollit peccata mundi, ab hoc non avellet nos*
NB. *peccatum, etiamsi millies millies uno die fornicemur, aut occidamus*. Idem Tom. 2. de Capt. Babil. fol. 74. ait: *Homo Christianus, ut etiam volens, non possit perdere salutem suam quantiscunq; peccatis, nisi nolit credere; nulla enim peccata possunt eum damnare, nisi sola incredulitas*. Idem in Comment. Psal. 5. Tom. 3. Germ. fol. 143. ait:

Hæc

Hæc tibi norma & regula esto, quam in Sacris literis intelligendis sequare, ubicunq; Scriptura iubet bona opera facere, tu id sic intelliges, quòd Scriptura prohibeat bona opera facere. Idem Serm. de Novo Testam. ait: *Caveamus à peccatis, sed maximè ab Operibus bonis & legibus, solùm promissionem DEI attendamus & Fidem, ipsa enim brevis est perfectio, nec aliqua lex requiritur, nec opus; immo & legem proscindit & opus.* Idem Tom. 3. cap. de Christianis ait: *Ego Martinus Luther, vix ullam consolationem ex Morte & Resurrectione Christi capere possum, ex bonis autem corporalibus à DEO acceptis, ut edere panem, bibere cerevisiam, optimè possum.* Calvinus lib. 2. Instit. cap. 2. §. 5. ait: *Extra controversiam impossibile est in hac carne legis complementum,* Et lib. 3. cap 18. §. 1. *Evangelium eo à Lege differt, quòd operibus non alligat iustitiam, sed in sola DEI misericordia collocatur.* Frustrà ergo Lutherus & Calvinus conquesti sunt contra criminosam vitam, & varij generis vitia in populis, quos traxerunt in partes suas, cùm ipsi dederint occasionem, & dictis, & Scriptis, & factis, ut superiùs patuit. Hæc, & multa alia, cùm magis ac magis serperent per Regna & Provincias, & indies multiplex crescebat malum, nam brevissimo tempore Anno 1525. in una Franconia 292. Nobilium arces eversæ sunt, & supra centum millia rusticorum cæsa sunt ex doctrina Lutheri; testatur id Bellarmin. lib. 1. de Translat. Imperij Rom. cap. 2. fol. 219. Cùm autem idem Bellarminus singularem laudem habeat à Wittakero & Junio in suis Operibus, quæcunq; ediderit contra varias hæreses, & refutando, & manifestè ostendendo errores illorum; ex eodem Bellarmino, loco superiùs citato, adduximus Edictum Caroli V. contra Lutherum, & Edictum Wormatiense Universi Imperij, condemnans doctrinam illius. Hæc idem Bellarm. loco citato habet: Imperator Carolus V. in Edicto Wormatiensi, quod Imperij Principibus universis consentientibus edidit An. 1521. inter cætera de Luthero sic ait: *Obedientiam & regimen omne prorsùs tollit, undè populi ad defectionem & rebellionem à suis tam Spiritualibus, quàm temporalibus Dominis faciendam, ad rapinas, cades, incendia, cum magno & manifesto Christianæ Reipub. discrimine provocentur, quin imò, cùm vitam quandam solutam, licentiosam, atq; ab omni lege explicitam, & verè ferinam inducere conetur, ita exlex homo leges ipsas omnes damnat & contemnit, ut Decreta SS. Patrum & Sacros Canones publico igni comburere non formidaverit: facturus peiora Civili Juri, si non magis Sæculi gladium, quàm Pontificis*

negatur Lutherus cum Scriptura.

NB.

Iudicium Calarü & Imperij de doctrina Lutheri.

nisi is Excommunicationes & Censuras metuisset. Hæc vera omnia fuisse, potest probari ex suprà dictis & factis Lutheri, & adhuc probantur. Nam in Locis Commun. Class. 5. Lutherus respondit: *Tu quæris, quòd per Evangelium nostrum mundus tumultuetur; respondeo, Deo gratias, hæc volui fieri; & ô me miserum! nisi talia fierent.* Et lib. de Potest. Sæculari: *Principes sunt communiter fatui, aut pessimi nebulones.* Et infrà: *Admodùm pauci sunt Principes, qui non habeantur pro fatuis aut nebulonibus, &c. Vereor ne prohiberi non possint.* (scilicet plebs & populus) *nisi Principes agant, ut Principes decet, &c. non ferent, non possunt, nec volunt vestram tyrannidem petulantiamq; diù perferre.* Et lib. quem inscripsit, *Duo Cæsarea mandata discordantia*, ait: *Oro omnes pios Christianos, &c. ne sequamur Principes ad proficiscendum aut contribuendum contra Turcas, quandoquidem Turca decies prudentior & probior est nostris Principibus.* Et infrà: *De his conqueror ex immo corde cunctis probis Christianis, ut mecum commiserentur super eiusmodi stolidos, fatuos, insanos, furiosos, & amentes moriones.* Et in fine ait: *DEUS nos ab ipsis liberet.* Quid ampliùs ad rebellionem populi contra Principes commovendam, dicendum restabat Luthero. Calvinus etiam in Cap. 6. Dan. ℣. 22. & 25. ait: *Abdicant se potestate Principes, cùm insurgunt contra DEUM, immo indigni sunt, qui in numero hominum censeantur, ideòq; in capita eorum potiùs conspuere oportet, quàm illis parere.* Et lib. 4. Instit ait: *In Evangelio promittitur libertas, quæ nullum inter homines Regem, nullumq; Magistratum agnoscat.* Directè contra plura S. Scripturæ loca. 3. Reg. 10. *Sit Dominus DEUS tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israël.* Daniel. 2. *DEUS Cæli Regnum, & fortitudinem, & imperium dedit tibi.* Proverb. 8. *Per me Reges regnant.* Sap. 6. *Audite Reges, &c. quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo.* Eccles. 10. *Væ tibi terra, cuius Rex puer est.* ad Tit. 3. *Admone illos, Principibus & Potestatibus subditos esse* ad Roman. 13. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit.* Contrariū etiam & in Apostolo legimus, 1. Petr. 2. *Servi, subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis.* Et ad Ephes. 6. ad Colos. 3. 1. Tim. 6. ad Tit. 2. Isaiæ 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, & subjiciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam.* Et Job. 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Tamen contra hos ullam rebellionem ex mandato DEI nullibi legimus, imò con-

NB.

NB.

contrarium mandat DEUS, Nabuchodonosor & Cyro, qui fuit Idolatra: *Servient ei omnes gentes*; in quæ verba S. Hieron. in Comment. lib. 2. ait: *Huius dexteram apprehendit & tenuit, ut nullus fortitudini eius valeret resistere.* Tamen & Lutherus in hoc non fuit constans; nam Tom. 6. Operum Luth. Edit. Jen. fol. 31. ait: *Secundùm Scripturam nullo modo permissum esse, ut quisquam Christianus esse vult, Magistratui se opponat, sive is iustè agat, sive iniustè, sed Christianus vim & iniuriam pati debet.* Et fol. 32. ait: *Quamdiù Cæsar manet, nemo ei obedientiam negare debet, aut ei resistere, nam hæc esset rebellio, & seditionis excitatio.* Sic Lutherus sententiam in nullo casu Cæsari & Magistratui rebellandi, quam anteà S. Scripturâ firmaverat, id non posse salvâ conscientiâ ab ullo Christiano fieri, posteà mutavit, & ad opponendum se Christiano Principi suos necessitavit, ut superiùs patuit, Evangelium scilicet legibus Politicis & tempori accommodando: nam quousq; esset cum suis debilis, docuit obediendum; cùm verò fortior factus per astus superiùs notatos, docuit resistendum. Quòd etiam Lutherus vitam solutam, licentiosam, & verè ferinam inducere conetur, ait Carolus V. Valdè speciosū ,, & robustum videtur argumentum Papistarum, Ecclesia tot Sæcu- ,, lis sic sensit & docuit, sic senserunt & docuerunt omnes Primitivæ ,, Ecclesiæ Doctores, Viri Sanctissimi, &c. Esto sanè Ecclesia, Au- ,, gustinus, & alij Doctores, &c. Petrus, Apostolorum Summus, vi- ,, vebat & docebat extra Verbum DEI. Et lib. ad Ducem Georgi- ,, um ait: Hoc certè scio, quòd neq; Augustinus, neq; Ambrosius, ,, omnium in hac re optimi, mihi pares fuerunt. Idem in Colloq. ,, Mensal. Tit. de Patribus, ait: Apologia Philippi omnes Ecclesiæ ,, Doctores superat, etiam Augustinum. Sed nos contrarium supe- ,, riùs ostendimus, multos & notabiles errores continere tam Confess. Augustanam, quàm Apologiam illius, quæ Luthero est etiam contraria, cùm illius Articulum de libero arbitrio condemnavit, Manichæam imaginationem vocando illius, qui negat liberum arbitrium.

Ultra illa, quæ Carolus V. in suo Edicto Wormatiensi expressit contra Lutherum, alia illius absurda, ultra illa quæ superiùs vidimus, plura inveniuntur contra Ecclesiam & SS. Patres, vide suprà pag. 212. contra Vetus Testamentum, nam in Colloq. Mensal. German. cap. de Lege & Evangel. ait, Moysen *esse pessimum hereticum, peiorem Papâ & diabolo, Christi Domini hostem*, quia scripsit Decalogum, quem Lutherus impossibilem servatu dicebat, maximè illud,

Non mœchaberis. Novi Testam. SS. Patres quàm contumeliosis affecerit verbis, vide suprà pag. 215. Idem lib. de Concilijs p. 2. Christi assessores constituit Nestorium & Eutychetem, Sanctos verò Cyrillum & Leonem damnandos, & tamen antiqua Ecclesia, quam Lutherus agnoscit pro vera, tanquam hæreticos damnavit Nestorium & Eutychetem. Cum Scriptura quomodo de bonis Operibus contra lumen naturale nugatur, vide suprà pag. 330. & seq. In DEUM ipsum quàm injurius contra mandatum magnum, cùm Tom. I. Witemb. fol. 189. 190. 200. ait: *Oportet cor humanum Legem Dei, atq; adeò DEUM ipsum supra modum odisse.* Rintelenses Theologi fol. 32. ita habent: *Hic est Fidei summus gradus,* (Lutherus hæc habet pag. 467.) *credere iustum, qui suâ voluntate nos necessariò damnabiles facit, ut videatur delectari cruciatibus miserorum, & odio potiùs quàm amore dignus.* Et fol. 53. citant Lutherum pag. 487. *DEI Incarnati est flere, deplorare, gemere, super perditionem impiorum, cùm voluntas Maiestatis ex proposito aliquos relinquat & reprobet.* Id genus durissimarum locutionum, plenus est totus ille de Servo Arbitrio libellus. Hucusq; Theologi Rintelienses de Luthero. In Christum Dominū quàm blasphemus fuerit, tremit scribendo manus: & quomodo ad extremam fatuitatem devenerit, aures erigite, vel potiùs ad tantam blasphemiam obdurate. Ait enim miser & insanus in Psalm. 32. in Cap. 2. ad Galat. Tom. 4. Latino: *Prophetæ omnes in Spiritu prævi-derunt, quòd Christus futurus esset omnium pessimus, latro, homicida, fur, adulter, sacrilegus, blasphemus.* Videtis omnes Protestantes, ad quæ absurda devenit vester Antesignanus, desertâ semel Fide Cath. Romanâ: videtis, qualem habuistis Apostolum, qui hâc turpissimâ blasphemiâ videtur à Christianismo defecisse ad Judaismum: videtis inquam, quia sæpiùs citatum locum legitis; sed videbitis etiam in futuro extremo universali Judicio coram toto Orbe correspondentem huic blasphemiæ Lutheri confusionem: nam hæc gravissima injuria Incarnatæ Sapientiæ, Fonti omnis Sanctitatis, Unigenito Filio DEI illata, debet vindicari coram Angelis & hominibus, puniriq; stulti hominis delirium condignis pœnis, ad majorem confusionem illius. Vos interim cavete vobis ab hoc nefando homine, & manifesto hoste Christi. Adduco vobis Mahometem, quomodo longè meliùs senserit de Unigenito Filio DEI, & ejus Sanctissima Matre. Sic ille in Alcorano Cap. Helbachera testatur: *Dedimus Filium MARIÆ,* (DEUM introducit loquentem) *ut faceret miracula & prodigia*

Lutherus suspectus christianus Iudaizat.

digia manifesta, & fecimus eum per Spiritum Sanctum, & insufflavimus in MARIAM de Spiritu S. & conceptus est Christus ex Virtute Dei, de Matre Sanctissima, & purissima super omnes mulieres. Quid ad hæc dicitis, quando à Mahomete, Christiani nominis hoste, tam honorificum testimonium auditis de Christo ejusq; Sanctissima Matre, & à Luthero tam blasphemum, Atheismoq; propinquum: & si nullum esset aliud, ob hoc unicum tanquam ab infensissimo Christiani nominis hoste cavere deberetis. Ad obdurandum ergo os illius hominis, aliqua ex S. Scriptura de Divinitate Christi adducimus testimonia. Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.* Joan. 8. *Dixit eis JESUS, &c antequam Abraham fieret, ego sum* Quomodo Christus ante Abraham fuisset, si DEUS non esset, cùm Christus post nativitatem Abrahæ natus sit Anno 2015. Joan. 20. *Dominus meus, & DEUS meus*; & annuit Christus: *Quia vidisti me Thoma, credidisti,* nempè Deum & Hominem. Joan. 14. *Creditis in DEUM, & in me credite*; in quæ verba S. August. Tract. in Joan. 67. ait: Consequens est enim, ut si in DEUM creditis, & „ in me credere debeatis, quod non esset consequens, si Christus non „ esset DEUS. ad Philip. 2. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem DEO.* Act. 3. *Authorem verò vitæ interfecistis.* Quis verò author vitæ potest esse, nisi solus DEUS? Plura vide inferiùs de Divinitate Christi Dñi in Discursu de Cæcitate Judaica, ex vaticinijs de Christo Domino Prophetarum, ex quibus major apparet fatuitas Lutheri.

Cùm ergo ex hac doctrina Lutheri malum multiplex per Regna & Provincias invalescebat, sæpiùs Lutherus revocabatur, ut rediret ad meliorem frugem, & ab hac dissoluta doctrina desisteret, varij tentati sunt modi per varios Prælatos Ecclesiæ, de quibus sic Leo X. in Bulla contra errores Lutheri ait: Quod verò ad ipsum „ Martinum attinet, bone DEUS, quid prætermisimus? quid non „ fecimus? quid Paternæ charitatis omisimus? ut eum ab hujusmo- „ di erroribus revocaremus, &c. Mitiùs cum eo procedere volentes, „ illum invitavimus, &c. atq; hortati sumus, ut à prædictis errori- „ bus discederet, aut ad nos, oblato etiam salvo conductu, &c. sinè „ metu, sinè timore aliquo &c. veniret. Quod si fecisset, &c. errores „ suos agnovisset, nec in Rom. Curia, quam tantoperè vanis male- „ volorum rumoribus &c vituperat, tot reperijsset errata, &c. sed „ &c. Frustrà etiam Concilij auxilium imploravit, qui illi se non „ credere palàm profitetur. &c. Nihilominùs de eorum Fratrum „

" Nostrorum consilio, Omnipotentis DEI imitantes clementiam,
" qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vi-
" vat, omnium injuriarum hactenùs nobis & Apostolicæ Sedi illa-
" tarum obliti, omni quâ possumus pietate, uti decrevimus, &
" quantum in nobis est agere, ut propositâ mansuetudinis viâ ad
" cor revertatur, & à prædictis recedat erroribus, ut ipsũ, tanquam
" Filium illum prodigum, ad gremium Ecclesiæ revertentem beni-
" gnè recipiamus. Ipsum igitur Martinum, & quoscunq; ei adhæ-
" rentes, ejusq; receptatores ac Fautores, per viscera misericordiæ
" DEI nostri, & per aspersionem Sanguinis Domini Nostri JESU
" Christi, quo, & per quem humani generis redemptio, & S. Matris
" Ecclesiæ ædificatio facta est, ex toto corde hortamur & obsecra-
" mus, ut ipsius Ecclesiæ pacem, unitatem, & veritatem, pro qua
" ipse Salvator tam instanter oravit ad Patrem, turbare desistant,
" & à prædictis tam perniciosis erroribus prorsùs abstineant, in-
" venturi apud nos &c. Paternæ charitatis affectum, & apertum
" mansuetudinis & clementiæ fontem. Cùm ergo hæc, & multa alia nihil prodessent, ut revocarent in gremium Ecclesiæ Lutherum, mansit in suo vigore Bulla contra errores Lutheri, & ipsum Lutherum, & omnes Sequaces illius. Anno verò sequenti, scilicet 1521. damnatus est etiam cum suis erroribus ab Universo Imperio in Dieta Wormatiensi, per publicum Edictum, quod sic Bellarm. lib. 1. cap. 2. de Transl. Imp. Rom. fol. 918. narrat: *Damnatam verò hæresim Lutheranam ab Imperio Universo, perspicuum est ex Edicto Wormatiensi, quod editum fuit An. 1521 Sic enim in eo Edicto loquitur Ca-*
" *rolus V Imperator:* Ad honorem DEI Omnipotentis, Romaniq;
" Pontificis, & Sanctæ Sedis Apostolicæ debitam reverentiam, pro
" Imperialis dignitatis officio ac debito, necnon zelo ac studio, quo
" Nostrorum Majorum more, & ingenitâ etiam Nobis vi ad
" Catholicæ Fidei defensionem, Sanctæq; Romanæ & Universalis
" Ecclesiæ honorem, & tutelam, & protectionem, omnes Nostras
" vires & facultates, Imperium, Regna, Dominia, Amicos, vitam
" deniq; & animam ipsam nostram exponere sumus parati; ex
" Imperiali & Regia auctoritate, necnon consilio & assensu (Nota
☞ " Lector!) Electorum, & omnium Sacri Romani Imperij Princi-
" pum, Ordinum, & Statuum, in hac Celeberrima & Frequentissi-
" ma Imperiali Dieta Wormatiæ Congregatorum, ad perpetuam
" memoriam, in exequendo Sanctissimi Dni Nostri Papæ, veri in
" hac

hac parte Judicis ſententiam, decretum, & condemnationem in ,,
literis Apoſtolicis (ut ſuprà dictum eſt) ad Nos directis conten- ,,
tam, Martinum Lutherum, ut membrum ab Eccleſia DEI alienũ, ,,
ut obſtinatum Schiſmaticum, & notorium Hæreticum, à Nobis ,,
haberi declaramus, & ut talem à Vobis omnibus & ſingulis ha- ,,
bendum decernimus, & edicimus. ,,

Similiter Calvinus ultra hoc, quòd DEUM fecerit Authorem peccati, ut ipſi Diſſidentes Rinteli faſſi ſunt, lib. 2. Inſtit. cap. 27. ℣. 46. ait, *de Chriſto elapſam fuiſſe deſperationis vocem.* Ibidem: *Deſperatione obrutus, ab invocando DEO abſtineret, quod erat ſaluti renunciare.* Et verſ. 57. *In Chriſti morte ſpectaculum deſperationis plenũ occurrit.* Sed ſi Calvinus S. Auguſtinum legiſſet, ad quem Lectores tanquam ad fidelem teſtem Antiquitatis remittebat, nunquam tam grandem blaſphemiam in Filium DEI commiſiſſet. Sic itaq; S. Auguſtinus tam impiam, & ex inſano capite Calvini prodeuntem vocem comprimit, dum Enarrat. in Pſal. 49. ait: Quando autem ,,
Pater Filium dereliquit, aut Filius Patrem? Nonnè unus DEUS, ,,
Filius & Pater? &c. Undè ergo, *DEUS, DEUS meus, ut quid de-* ,,
reliquiſti me? niſi quia in carne infirmitatis agnoſcebatur vox pec- ,,
catoris? qui enim ſuſcepit ſimilitudinem carnis peccati, cur non ,,
ſuſciperet ſimilitudinem vocis peccati? &c. Impijs Judæis non ſe ,,
demonſtravit, illis demonſtravit ſe, qui in illum crediderunt. Sic ,,
nec Calvino demonſtravit ſe, quia in illum non credidit, cùm factus fuerit deſertor veræ Fidei. Similiter & S. Bernardus, quem Calvinus Sanctum vocat, lib. de Paſſione Dñi de 4. Folio cap. 12. ſic quaſi Spiritu Prophetico Calvinum admonet: Cave, ne propter cla- ,,
morem putes ad impatientiam delapſum Dominum JESUM, cùm ,,
enim in ſumma Crucis eſſet amaritudine, nihil exivit de ejus cor- ,,
de, niſi dulcedo, &c. Quid eſt autem quòd ait, *Ut quid me dere-* ,,
liquiſti? numquid Pater unicum ſuum Filium potuit derelinque- ,,
re? abſit! ſed pro toto Corpore ſuo, id eſt, pro ſeipſo, & tota Ec- ,,
cleſia loquitur iſta, &c. Clamat autem ſe derelictum, qui derelin- ,,
qui non poterat, quia multa membrorum ſuorum ad tantam tri- ,,
bulationem erant ventura, ut à DEO derelicta viderentur, quo- ,,
rum perſonam geſtabat ille, &c. Et inferiùs ait: Clamabat Do- ,,
minus ad Saulum in membra ſua ſævientem: *Cur me perſequeris?* ,,
cùm ipſe tamen ſecurus maneret in Cœlo. Si, inquam, hæc legiſ- ,,
ſet Calvinus, puduiſſet illum, tantam commiſiſſe blaſphemiam in

Chriſtum, ſaltim ob reverentiam horum duorum SS. Patrum, quos tantoperè recommendaverat, ut ſuperiùs patuit.

Alij etiam Lutheri errores, quos partim antiquos reſuſcitavit, partim ipſe excogitavit, damnati ſunt in Concilio Generali Tridentino, quos nec ipſi Lutherani & Calviniſtæ negare poſſunt, quòd non ſint manifeſti errores Lutheri. Alius Lutheri fuit error: *Certum eſt, in manu Eccleſiæ aut Papæ non eſſe, ſtatuere Articulos Fidei, immo nec leges morum.* Hic error proceſſit ex ignorantia Lutheri, qui putabat, quòd Eccleſia ſtatuat Articulos Fidei, cùm ſe explicat in Concilijs Generalibus contra aliquam hæreſim, negantem Articulū implicitum, ut ſe explicavit contra Arianam in Nicæno, contra Neſtorium in Epheſino, contra Monothelitas in VI. Concilio, & alijs, ut ſuperiùs patuit. Et ſi non ſunt ſtatuendæ leges morum, erit deterior ſtatus Eccleſiæ omnibus Regnis, Provincijs, Civitatibus, Oppidis, Villis, qui ſtatuunt ſibi leges, & vivunt ſecundùm illas, & ſic vivendum erit more pecudum, non autem more hominum, ſi non licebit Eccleſiæ, ullas leges morum ſtatuere. Deindè Eccleſia Primitiva annorum quingentorum, quam ipſi pro vera Eccleſia agnoſcunt, & provocant ad illam, plurimos habet Canones & Statuta, quibus etiam moderna Eccleſia regitur: ſed licitum hoc fuit Primitivæ Eccleſiæ, ergo & modernæ. Si non licitum dicunt, iterum condemnant Primitivam Eccleſiam. Quòd autem Eccleſia Rom. Cathol. habeat poteſtatem à Chriſto, ad Leges non ſolùm Divinas, ſed etiam à ſe conſtitutas, obligandi fideles ſuos, patet ex illo: *Qui vos audit, me audit.* Et illud: *Obedite Præpoſitis veſtris.* Et ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſit ſubiecta; qui autem reſiſtunt, damnationem ſibi acquirunt,* quod de damnatione tam temporali, quàm æterna exponunt S. Chryſoſtomus, Ambroſius, Oecumen. & alij. Act. 20. *Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI.* Probatur evidenti ratione. In omni ſtatu hominum, & qualibet gente, etiam barbara, præter leges Divinas, inveniuntur leges Civiles & humanæ, quibus ſeipſos regunt. Et Lutherani & Calviniſtæ ijsdem legibus Civilibus utuntur. Multò magis hoc debet inveniri in Eccleſia, ne confuſio Babilonica ſequatur, ut patet in illis, qui omnes abjecerunt, quàm enormem vitam agant, ex ipſorum teſtimonijs patet, & ipſa experientia loquitur. Omnis autem lex habet vim coactivam, ut docet S. Thomas 1. 2. qu. 96. Art. 5. habet etiam poteſtatem, non ſolùm regendi ſubditos, ſed etiam coërcendi & puniendi, ut patet

ex ſublatione legum ferina vita, ut ait Carolus V. reſultat;

1. Corint. 4. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* & 2. Corint. 13. *Hæc absens scribo, ut non præsens duriùs agam, secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi;* quâ potestate sæpiùs usus est. Primò, quando 1. Cor. 5. excommunicavit incestuosum Corinthium. Secundò, quando 1. Cor. 6. reprehendit Corinthios, quòd judicio contenderent coram infidelibus, quod judicium ipsimet inter se constituere debuerunt. Tertiò, quando 1. Tim. 1. Hymenæum & Alexandrum propter hæresim tradidit Sathanæ. Quartò, quando 2. Thessal. 3. scripsit ad Thessalonic. *Si quis non obedit verbo nostro, per Epistolam hunc notate, & non commisceamini illi.* Act. 16. *Cùm autem pertransissent Civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus.* Nota Lector, quæ erant decreta ab Apostolis, tradebant custodienda. Canon Apostolorum primus est de Ordinatione Episcopi, quòd à duobus aut tribus Episcopis ordinetur, cujus Canonis meminit Anacletus Pontifex & Martyr, in Epist. ad Episc. Galliarum, his verbis: *Scimus, Beatissimum Jacobum, qui dicebatur Justus, à Petro, Jacobo, & Joanne, Apostolis, Hierosolymorum Episcopum Sacri Ordinis ordinatū esse.* Secundus Canon Apostolorum, ut Presbyter ab uno Episcopo ordinetur. Tertius, de Sacrificio hæc ait: *Si quis Episcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini alia quædam in Sacrificio offerat, &c. contra Constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Sunt & alij plures Canones, ut de Bigamis, de Eunuchizatis, excommunicatis, damnatis. 2. Corint. 11. legimus: *Præter illa quæ extrinsecùs sunt, instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum*, quam sollicitudinem clarè ostendunt tot Epistolæ, tum S. Pauli, tum aliorum Apostolorum, tum SS. Pontificum, post S. Petrum succedentium, tot Epistolæ Decretales ad varia Regna & Status hominum. Si non necessariæ erant leges Apostolorum, & aliorum SS. Patrum, ad quid tradebant Apostoli dogmata custodienda, quæ erant Decreta Apostolorum? ad quid tot Epistolæ commonitoriæ ad omnia genera virtutum? nonnè sufficiebat illis omnibus continuò scripsisse, ut se Fide munirent, & continuò crederent, se salvos fieri, ut credendo, & nihil aliud faciendo, vitam æternam sperarent? Sed totum contrarium patet, tum ex S. Evangelio, quod ait: *Contendite intrare per angustam viam.* Quod & Lutherus fassus sit, quem citat Surius pag. 93. sic loquentem in sua Captiv. Babil. & Scriptis alijs, Ubiq; DEUM difficultatem salutis denunciare, & Apostolū „
jube- „

" jubere, semper in timore & tremore nos operari salutem nostrã. *Non omnis, qui dicit Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum*, *sed qui facit voluntatem Patris*; voluntas autem Patris est, qui ait: *Si vis ingredi vitam, serva mandata, quia Christus non venit solvere legem, sed adimplere*; qui alibi dicit: *Vos amici mei estis, si feceritis*
Ioan. 15 *omnia quæ præcipio vobis*; non dicit, si solùm credideritis, sed, si feceritis, quæ præcipio vobis. Similia legimus in Epistolis SS. Apostolorum, ad Galat. 5. *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Et in omni loco S. Scriptura, tam Veteris, quàm Novi Testamenti, ubiq; recommendat bona Opera, gratiâ DEI præveniente & adjuvante, facienda. Et sic patet verificari de illis, quod Spiritus S. dixerit Ecclef. 48. *Non enim poterant sustinere Præcepta Domini.* Vide Discursum de bonis Operibus pag. sup. 322. & seq.

Alius Lutheri error: *Purgatorium non potest probari ex S. Scriptura.* Sic idem Lutherus in Disput. quadam Lipsica ait: *Ego qui credo fortiter, immo ausus sim dicere, scio Purgatorium esse, facilè persuadeor, in Scripturis de eo fieri mentionem.* Deindè inferiùs idem Lutherus in ijsdem condemnatis erroribus ait: *Animæ in Purgatorio peccant sinè intermissione.* Ibidem ait: *Animæ ex Purgatorio liberatæ suffragijs viventium, minùs beantur, quàm si per se satisfecissent.* Quomodo ergo in Purgatorio peccant animæ? quomodo liberatæ suffragijs minùs beantur, si non probatur Purgatorium? ista non cohærent inter se, nisi sic: Datur, & non datur Purgatorium, secundùm Lutherum. Sic Lutherus, qui se esse dicebat Prophetam, Apostolum, & Evangelistam, tamen & cum seipso, & cum alijs in multis non cohærens, cum suis erroribus non solùm à Rom. Pontifice, à Concilio Generali, à Cæsare & Universo Imperio Romano, Principibus & Ordinibus, in Celeberrima Dieta Wormatia, sed etiam à suis quondam discipulis & amicis, ut à Philippo Melanchtone de Manichæismo, à Calvino, Zwinglio, & Tigurinis ministris de varijs hæresibus condemnatus, ut superiùs patuit. Scripserat ille librum de Captivitate Babilonica, alludens ad hoc, quòd se cum suis liberaverit à legibus Divinis & Ecclesiæ Catholicæ, cùm se separaverit ab illa: sed longè graviorem captivitatem expertus in conscientia, cùm se viderit spretum etiam à suis, qui tantoperè captabat auram popularem, nec propter DEUM hanc causam incæpit, grave hoc nimis erat homini totis viribus intento ad applausum popularis auræ. Expressit has

has angustias illius, Erasmus in Epist. ad Fratres Inferioris German. Tom. 9. fol. 1308. & seq. *Lutherus dixit, se malle pristinum Papæ ac Monachorum regnum, quàm hoc hominum genus sub Evangelij prætextu.* Sed frustrà hæc accusavit Lutherus, cùm ipse dederit occasionem suâ inconstantiâ & doctrinâ ad occasiones accommodatâ, ex qua nihil aliud, quàm contemptus talis illius sequi debuerat, & doctrinæ illius; Ecclesia verò Cathol. Rom. in nullum judicium legitimum vocata & judicata est: judicata quidem, sed ab illis, quos illa priùs judicavit, & legitimè condemnavit, ut fuit Arius, Nestorius, Eutyches, Pelagius, & omnes sibi succedentes hæretici. Sed illorum non judicia, sed convicia, Ecclesiæ sunt encomia; illorum mendacia, Ecclesiæ sunt elogia; his epulis ab hostibus Christi semper inescatur Ecclesia. Pulchrè ad rem nostram magnus ille, quamvis gentilis Seneca lib. de Rom. fort. ait: *Malè de te loquuntur homines, sed mali. Moverer, si de me M. Cato, si Lælius Sapiens, si alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur. Nunc malis displicere, laudari est. Non potest ullam authoritatem habere sententia, ubi qui damnandus est, damnat.*

Relatio de Charitativo Colloquio cum Dissidentibus Thorunij, Anno Dñi 1645. die 28. Augusti indicto.

Cùm Author Tubæ mentionem fecerit de Colloquio Thorunienſi pag. 45. ex quo multa bona secuta fuissent in materia Religionis, si finem suum sortitum fuisset; non inconveniens erit, breviter de hoc Colloquio Charitativo Thorunensi aliquid dicere, quare suum non est assecutum effectum, de quo sic unus ex Collocutoribus, R. P. Hieronymus à S. Hyacintho, Carm. Discalc. Theologus Regius, ejusdem Colloquij tanquam præsens & oculatus testis, hanc brevem narrat Historiam in sua Idea pag. 1. his verbis:

Ad assequendum optatissimum Charitativi Colloquij Thorunij indicti finem, nulla opportunior instructio formari potest præ illa, quam per omnia conformem S. R. M. Dominus Noster Clementissimus, & Illustrissimus ac Reverendissimus Primas Regni, Archiepiscopus Gnesnensis, Partibus ad prædictum Colloquium convocatis & congregatis porrexerunt. Quâ quidem Instructione totum negotium in tres Principales Actiones distributum erat.

Prima

Prima Actio eum continebat ordinem, ut inprimis Capita præcipua doctrinæ controversæ, per breves, simplices, & apertas Propositiones à singulis partibus juxta propriam cujusq; sententiam exhiberentur. Proindè earundem Propositionum planior si oporteret, explicatio sive declaratio subijceretur. Tandem depurato à falso imputatis erroribus vel calumnijs subsequeretur. Ultimò verò ex unanimi partium consensu & Confessione Antitheses colligerentur, ex quibus manifestè constaret, in quo demùm sit verè & contradictoriè inter Partes dissensus.

Ad alteram Actionem spectabat disquisitio veri vel falsi, non tam per strepitum interminabilis disputationis Scholasticæ, quàm per candidam & simplicem veritatis investigationem, factâ trinâ ad summum instantiâ, quantùm scilicet ad dispiciendum prudentiâ & consilio, judiciumvè prudens de collatis ferendum sufficeret.

Ad tertiam deniq; Actionem quidquid circa praxes & mores controversum & discutiendum occurreret, revocabatur, ne fortè his importunè priores Actiones solito more adversariorum corrumperentur, & inturbarentur.

Ad normam & amussim hujus præstantissimæ Instructionis firmus & immobilis animus erat Catholicorum in hoc toto negotio procedendi, & ne latum quidem unguem ab ea recedendi, quo nomine non modico tempore cum Dissidentibus decertatum est, exigentibus Catholicis, quò prædictæ Instructionis legibus integerrimè satisfieret, qua in re si mox ab initio facilior Partium consensus accessisset, felicior totius negotij exitus successisset.

Idem Collocutor in Præfat. ad Lectorem ait: At quia res ex voto non successit, Colloquium sinè Colloquio tribus mensibus protractum transijt.

Et in Animadversione in Joan. Hulsemannũ pag. 2. ait: Quoniam verò Dissidentes Regni à Sua Regia Majestate postulârunt, quatenùs exteros suæ Professionis Theologos liceret sibi pro subsidio advocare, nec hoc quidem denegatum est illis. Vi cujus concessionis Dissidentes Augustani, quendam Joan. Hulsemannum, Ministrum Wittembergicum, evocârunt. &c. In decursu Colloquij, cùm post aliquot septimanas deprehensum esset, magnam temporis partem inutiliter fuisse insumptam, visum est Illustrissimo Dño Legato Regio, &c. per unum ex Collegio nostro Catholico, nimirùm R. P. Greg. Szenosium, Soc. JESU Theologum Regium, palàm & in publico

blico Conſeſſu partibus exponere, jacturam tanti temporis non aliundè provenire, quàm ob receſſum ab Inſtructione Regia iinſtituto præſenti accommodatiſſima. Quibus fuſiùs per Theologum noſtrũ declaratis, ad ſermonem illius &c. ex parte Auguſtanorum reſpondit Hulſemannus, &c, ſe ſuamq; partem fiduciam nunquam extinguendæ veritatis collocare in illo Majorum ſuorum Symbolo, *Verbum Domini manet in æternum.* Hîc advertat Lector, noluit Hulſemannus per totum tempus ſinè Colloquio amiſſum diſputare, & amicè colloqui, cui parti in dogmatibus competeret veritas, hîc jam non pugnando ante victoriam canit triumphum, fiduciam nunquam extinguendæ veritatis collocat in Symbolo Majorum ſuorum, qui in arenam certaminis nullo modo evocari potuit, ut de veritate diſſereret, hîc jam triumphat quaſi victor, ſolus habens prætenſam veritatem. Ad hæc reſpondit Catholicus Collocutor; ſed Hulſemannus ex hoc reſponſo finxit ſibi conſultò offenſam, quærens de induſtria occaſionem, ut diverteret à principali negotio, petijt ſatisfactionem ſibi fieri à Catholico Collocutore, quam Catholicus Collocutor poſt aliquod tempus, requiſitam ſatisfactionem ferens ad publicum Conſeſsum in Acta ingroſsari his verbis poſtulavit: Illuſtriſſimi Domini. Cùm in ultimo, quem habuimus, publico Conſeſſu Clariſſimus Dñus Collocutor Auguſtanus contra me proteſtatus fuerit, &c. & ſuper eo poſtulavit, per me fieri ſatisfactionem, ne & poſtulationi ejus defuiſſe, &c. & eorum, quæ dixi, defeciſſe vel ſuccubuiſſe videar, ſatisfactionem, quam expoſcit Dñus Collocutor, exhibeo & præſento. Quoniam verò tam Proteſtatio Dñi Collocutoris Auguſtani, quàm poſtulatio ſatisfactionis Actis publicis eſt inſerta, pariter & ego æquo jure poſtulo, ut requiſita ab illo ſatisfactio mea Actis quoq; publicis inſeratur. Quam Poſtulationem cùm Illuſtriſſimus Dñus Legatus & DD. Deputati æquam eſſe recognoviſſent, Actis inſeri mandârunt. Cujus Eſſentialia hîc ex Authore vel Collocutore Catholico appono, cùm ſit ipſa per ſe longior. Importunè admodùm Dñus Collocutor Auguſtanus in medium Charitativi Colloquij attulit Symbolum Majorum ſuorum, quod ex notiſſimis Hiſtorijs vix ſuſpicione vacare poterat. Eo enim Symbolo & Lutherus ſuam ſuorumq; non modò ab Eccleſia Cathol. Rom. ſeceſſionem, ſed etiam illius apertam impugnationem honeſtare voluit, quaſi pro Verbo DEI ſatageret, pro Verbo DEI contra Eccleſiam Catholicam decertaret, Verbum DEI à Traditionibus vindica-

NB.

ret. Sic nimirùm Verbum DEI DEI Verbo, Verbum Traditum Verbo Scripto supprimere conatus est, illud intendendo, ut Verbū Domini sinè Verbo Domini maneret in æternum. Catholicus Collocutor intelligit, tunc esse Verbum DEI sinè Verbo DEI, quando unusquisq; relictâ Ecclesiasticâ Traditione, contra sensum Ecclesiæ Catholicæ ad libitum suum sensum substituit, illumq; verbis S. Scripturæ palliat. Et Symbolo (ait Collocutor in sua satisfactione) & illi, qui prætextu novæ Religionis Luthero adhæserant, suam venustârunt Religionem, cum illo quippè Symbolo ad Augustana accesserunt Comitia, ubi prima Confœderationis Protestantium jacta sunt semina: In Comitijs postmodùm Spirensibus, ubi apertiùs eadem Confœderatio assurgebat, idem Symbolum magis firmârunt quinq; illis initialibus literis, V. D. M. I. Æ. Phrygio opere etiam pedissequorum & stabulariorum manicis intertextis ostentantes. Tandem in Conventu Smalcaldico, ubi demùm Confœderatio formata in flammas belli Smalcaldici erupit: illud idem Symbolum universim ab omnibus receptum. &c. Quamobrem importunè D. Collocutor Augustanus adeò suspectum Symbolum (non quia in se malum, sed quia malè usurpatum) Symbolum, inquam, in Religione divulsionis intulit in consilium reconciliationis, Symbolum dissidij & rebellionis invexit in studia pacis & unionis. &c. &c.

Post idem Collocutor ait: Quia ipse Lutherus, teste eodem Sleydano lib. 8. semper docuerit, Magistratui non esse resistendum, & extabat (inquit) ejus de hac re libellus; immo aliquando dixerit, ne Turcis quidem bellum inferendum defendendæ Religionis causâ. Et in Epistola ad Joan. Saxoniæ Principem scripta, quæ Tom. 6. Oper. Luth. Edit. Jen. fol. 31. habetur, disertè ait: *Secundùm Scripturam nullo modo permissum esse, ut &c.* vide suprà pag. 833. Quamobrem illud juris pronunciatum, vim vi repellere licet, nihil huc confert, cùm non habeat locum adversùs Magistratum. Sic Lutherus eos, qui Magistratui aut Cæsari non modò justè, sed etiam injustè agenti, vel ipso quoq; (ut inferiùs loquitur) defensionis Evangelij titulo, aut prætextu sese opponerent, crimine rebellionis & seditionis notat; quamvis postmodùm & ipse auctis viribus suorum, ac bellis alijs impedito Cæsare sententiam in Conventu Wittemb. Anno Dñi 1539. mutaverit. Et quam anteà S. Scripturæ locis firmaverat, illis nixus docuerat, Christianum hominem subditum suo Principi etiam injustè agenti, non posse salvâ conscientiâ, sine nota

& cri-

& crimine rebellionis, nec pro defensione quidem Evangelij resistere, jam contra Scripturas à se allegatas, (quas tamen unicè se venerari jactitabat) placitis & deliberationibus quorundam Jurisperitorum, teste ibidem Sleydano, subscripsit, & conscientiam submisit, immo ad opponendum sese in tali casu non modò Turcæ, sed etiam ipsi quoq; Christiano Principi necessitavit, ubi alioqui ex Scripturis tolerantiam servandam monuit. Atq; ita Regulæ Jurisperitorum ignorantiam hactenùs prætexens (teste ibidem Sleydano) ei jam cognitæ libenter acquievit, quam anteà, dum viribus cum suis esset debilior, minùs sibi commodam judicavit: Evangelium scilicet legibus Politicis & temporibus accommodans, sed juvat Lutherum, ut Theologum potiùs, quàm ut Jurisperitum suis opponere. Hic porrò adde occasionem, quâ sumpserint arma Confessionistæ contra Cæsarem, non aliam fuisse, ut constat ex Historijs, (quantumvis conetur id speciosis eluere verbis Sleydanus citatus) quàm quòd Cæsar in Comitijs Augustanis Anno Dñi 1530. ex consensu Catholicorum Principum ac Statuum Imperij, Confessionem Protestantium judicans pluribus erroribus refertam, publico Decreto reprobaverit: Camera item Cæsarea Protestantes, ut ab iniqua & Fœderi Religionis apertè contraria Monasteriorum & Ecclesiarum occupatione abstinerent, & injustè occupata restituerent, adegerit, &c. Quam igitur à me requisivit Collocutor August. satisfactionem, recipiat, in cujus exhibitione majori quidem, quâ potui, efficaciâ agendum censui, at intra debitos terminos stylum cohibere curavi. &c. Posteaquam igitur hoc modo concepta satisfactio mea ad Acta fuit præsentata, & unanimi consensu admissa eâ conditione, (quam apponi DD. Deputati Dissidentes urgebant) quatenùs scilicet liceret Hulsemanno respondere, & responsum suum Actis quoq; inserere, &c. de qua ne fortè ambigas, sic extat in Actis Protocolli sub eadem die 28. Octobris.

Dum hæc aguntur, ad Consessum Illustrissimorum & Perillustrium Dominorum, Dñi Legati & DD. Deputatorum & Vicedeputatorum, tum & Notariorum omnium Partium, obtulit R. P. Hieronymus à S. Hyacintho Scripto satisfactionem à D. Hulsemanno Collocutore Partis Augustanæ in Sessione publica d. 3. Octobr. requisitam, & à se promissam. &c.

Idem Collocutor Catholicus ait pag. 25. Animadvers. in Hulseman-

semannum: Quantum Hulsemannus laboravit, ne satisfactio esset Protocollo inserta.

Jam verò rebus sic circa publica Acta compositis & accommodatis, libet tecum Hulsemanne, quem in rei veritate Christiano prosequor affectu, & Christiano stylo compello, libet, inquam, tecum nonnihil familiariùs expostulare, quid causæ fuerit, cur (ut suprà memini) summis conatibus occurrebas, ne satisfactio mea alioqui à te requisita, publicâ Protestatione contra me interposita, Actis publicis Protocolli insereretur? Expectabam ego potiùs responsum ex tua parte promissum, quò de mea satisfactione oblata judicium ferres, illamq; vel satisfecisse tibi indicares, vel defectus illius arguendo impugnares. Sed tu non modò dedignatus es respondere, sed nec satisfactionem quidem oblatam dignatus es admittere. Grandis indignatio. Exploratum ampliùs voluimus animum tuum, & vel hoc humanitatis officium tibi obtulimus, ut si quid fortè in illa satisfactione offensivum, vel acerbiùs dictum seu scriptum fuisset, notatum innueres, quodq; justum & æquum videretur, moderatum fuisset, & ita demùm Protocollis insertum. At nec sic quidem per tuos acquievisti, interrogatus sæpiùs per eosdem, quid tandem in illa satisfactione displiceret? displicere totum dixisti. &c. Sed cur non magis respondere placuit, & refellere totum, si totum displicuit, investigantibus nobis secretiùs hujus rei causam assecuti sumus, te quidem opus responsi suscepisse, (cujus etiam initium à veteri quodam proverbio, scil. Licentiâ deteriores fieri homines; jam innotuerat nobis) sed iterum remisisse, dicentem: Quid mihi cum uno vili Monacho in certamen venire? &c. Esto non defuerint aliqui, qui dicerent, te hâc speciosâ excusatione evadere sive eludere voluisse necessitatem responsi, cùm nihil solidũ ad mea reponere occurreret.

Idem pag. 123. ait: Dum hîc sum, & ultimam manum &c. Operi huic cogito imponere, en inopinatè tuum vetus illud proverbium, cujus suprà cap. 6. memini, (scil. Licentiâ fieri deteriores homines) comparet. Responsum, inquam, tuum, etsi tuo nomine suppresso delitescens, tuo tamen stylo & aliundè notissimum, quòd de te, & pro te loquens velut alter quidam, reverà autem tu ipse &c. facilè colligo, illud idem esse, quod Thorunij confeceras, at eò usq; suppresseras, & nunc primùm Wittembergæ evulgaveras. Egregium sanè militem agis, ô Hulsemanne! ibi primùm signa explicas, gladium evaginatum vibras, ad arma provocas, ubi jam abest adver-

adversarius: quo adhuc constituto in campo non comparuisti, imò quantùm poteras, latuisti deliquium cordis, vel me viso prætexens.

Porrò de hoc Responso tuo ejusmodi judicium Vir quidam probus & apprimè eruditus, in sua ad Illustrissimum & Reverendiss. D. Episcopum Cracovien. Epistola tulit, quod fideliter de verbo ad verbum huc transfero:

Hulsemannus Responsionem contra A. R. P. Hieronymum à S. Hyacintho Discalc. post reditum suum in Academiam Wittembergensem sinè addito nomine sparsit, quam Thorunij habuit præparatam, sed eandem extradere noluit, dum defensionem satisfactionis à prænominato A. R. Patre metuebat. Mitto exemplar Illustrissimæ Celsitudini Vestræ, &c. Statum Quæstionis non attingit, nec Argumenta A. R. P. Hieronymi solvit, sed more solito ad veteres recurrit calumnias, quas magno numero tanquam pulverem spargit, ut sub ijsdem sese abscondat, Lectorem à scopo principali abducat, & ubi res cum re, ratio cum ratione certare debet, ibi loco Responsionis homines innocentes luto exagitat.

De eodem Responso tuo, idem ille sic quoq; mihi scribit: Exemplar Responsionis, quam Hulsemannus Thorunij perfecit, post reditum verò suum in Academiam Wittembergensem sparsit, contra satisfactionem A. R. P. V., transmisi Illustrissimo Dño Episcopo Cracoviensi. Non est formidabilis hostis, usitatis telis, hoc est calumnijs pugnat, cùm aliud scutum non inveniat, quo tela A.R.P.V. excipere & avertere possit, sub nomine A. R. P. V. alios petit, & opinatur, calumniari, esse respondere, aut Argumenta solvere. Hæc ille. Cujus censuræ vix aliquid addendum videtur; verè enim totum, quidquid tuum, Hulsemanne, continet Responsum, brevi & exacto compendio complexus est. &c. &c.

Omissis itaq; levioribus hisce velitationibus, quibus à principali scopo digrederis & divertis, quid tandem rei solidioris habes, quòd mereatur ut replicem? num aliquid probas? num mea solvis? ut tuas probationes rursùs solvam, tuis solutionibus novas iterum opponam instantias? Nihil horum. &c. &c.

Tandem his relictis in tuo Responso me aliò divertis, & in spiritu vehementi contra nos inveheris his verbis: *Quid formidatis tangi vestra ulcera, quæ Maiores vestri ingenuè fassi sunt scatere, & superstitionum, & vitiorum sanie.* Vides Lector, quomodo Hulsemannus per tres menses adduci non potuit, ut loqueretur in publico loco de istis

Vide suprà pag. 689. quomodo Lutherus pro Catholicis respondet Hulsemanno discip

pulo suo, quam appositè mirare Lector. Similiter Calvinus, vide pag 181 post med.

istis prætensis superstitionibus, nullo modo ad particulare certamen Colloquij evocari potuit, vix in ultimo Confessu (nunquam volens disputare, apud quem sit veritas) apud se solum constituit veritatem, & fiduciam ponens non extinguendæ in illo Symbolo Majorū suorum, ad quam apud se probandam, cùm non sufficerent rationes & evidentia illius, Symbolo Majorum suorum illam defendere voluit, etsi solùm prætensam, non autem per ullum Colloquium apud se ostensam, modò primùm, cùm venerit in suam Academiam, ex Harpocrate factus alter Cicero, cæpit exprobrare prætensas superstitiones, quas nunquam ausus est obijcere, & saniem vitiorum exprobrat nisi absentibus, securus jam de nullo sibi adæquato responso. Sed ad hæc jam pridem S. Augustinus hæreticis respondit, Epist. 137. *Non obijciatis hæreticis, nisi quòd non sint Catholici, ne similes illis sitis, qui hominum crimina colligunt.* Pergit Hulsemannus: *Descendite nobiscum in publicum.* In publico Colloquio ut certaret de veritate, adduci non potuit, iterum provocat ad publicum Hulsemannus, sed provocatus à Collocutore Catholico, prodidit seipsum, quid pro præcipua Objectione Catholicis proponere meditabatur, sed non fidebat, ne æstimationem de se conceptam apud suos perderet, quid tale, audi Lector, præcipuam Hulsemanni Objectionem, & simul Catholici Collocutoris Responsum, & illam meditare, & facilè videbis, ubinam sit illa veritas, quam apud se solum, non disputando de illa, firmare voluit. Pergit Hulsemannus in illo suo Responso ad satisfactionem Collocutoris Catholici his verbis: Nolite præterea simplicibus imponere, tanquam Beati Ambrosij sententia de constantia doctrinæ Catholicæ magis faciat pro Novitatibus vestris, quàm pro Commentis Mahometi. Fatemini ipsi, quòd Ambrosij ætate non fuerint de Fide, ut suspicantur Libri Tobiæ, Judith, Baruch, Machabæorum, pro Canonicis, idq; sub pœna anathematis, sed posteà hoc esse definitum pro Articulo Fidei. Fatemini, peccatorum omnium enumerationem in Confessione eâ ætate nondum fuisse definitum, tanquam necessarium, atq; alia ejusmodi, quo progressu Colloquij ponemus vobis ob oculos. Numquid hæc est perpetua illa formula ejusdem doctrinæ, hodiè id decernere pro Articulo Fidei, tam verum, tamq; necessarium, quod Ecclesia Catholica Ambrosij ætate non habuit pro vero, non habuit pro necessario, multò minùs pro Articulo Fidei, sub anathematis pœna subjiciendo.

Ad hæc Objecta audiamus Responsum Catholici Collocutoris, qui

qui ait: Inprimis observo, (quod & initio Capitis notavi) quàm animosum te exhibeas militem modò, postquam ex arena descendisti, postquam congredi nobiscum antè, miris industrijs, tergiversationibus & evasionibus (ut ex Protocollo publico in lucem edendo clariùs patebit) subterfugisti? postquam ad tuos jam lares remeâsti? ibi primùm in theatro tuo Wittembergico, procul ab adversario, procul à certamine, animositatis tuæ argumenta depromis, absentes provocas, arma per aëra vibras, & de imaginario hoste triumphas. Cur publicâ (ut constat ex Actis Protocolli Illustriss. & Reverendiss. Dñi Episcopi Samogitiæ, Præsidis Nostri Collegij) invitatione præsens provocatus non comparuisti? ibi certè locus & tempus opportunum erat, eam quam nunc jactas, animositatem comprobandi. Exprobras ulcera nostra; & quando Corpus Ecclesiæ in aliquibus suis membris ulcera non habuit? quam Christus ipse in Evangelio Sagenæ de omni genere piscium congreganti, bonosq; & malos continenti, comparavit. Non abscondimus, Hulsemanne, etiam nunc ulcera nostra, sed sicut primis temporibus, ita & modernis, ubi, & quando opus est, propalamus, vitia reprehendimus, abusus damnamus, delinquentes castigamus, quæ dum vos in nostris libris reperitis, (prout & tu in hoc Responso facis) ad contumelias contra Ecclesiam & Personas Ecclesiasticas convertitis, ut pleni vos ipsi deterioribus longè ulceribus, cum Pharisæo vosmet ipsos malè justificatis. Porrò sicut abusus in Ecclesia Catholica corrigendos, quò ad mores reperiri non negamus, ita errores in doctrina Fidei reformandos inveniri nunquam admittimus. Ac proindè nullam unquam rationem coram DEO habituros asserimus illos, qui prætextu aliquorum abusuum in materia morum separant se ab Ecclesia nostra Catholica, de quo fusiùs in alio Opusculo. &c. (Videatur ipse Lutherus apud Authorem Tubæ, quòd ille primò propter abusus in materia morum recesserit ab Ecclesia Catholica, cùm expressè dicat, & sæpiùs repetebat, *In nullo Articulo Fidei nostræ Ecclesiæ dissentiunt ab Ecclesia Catholica*; idq; sub finem vitæ hæc dixerit, cùm dicat: *Omnes meæ Disputationes, Scriptiones, factiones, &c.* abusus vocando, quæ fuerunt dogmata in se semper implicitè credita, quæ suam ab Apostolis trahunt originem, secundùm Regulam S. August. & Vincentij Lirinensis: & Lutherus hæc ex sola suspicione putabat esse abusus Pontificum, de qua sic Ecclesiast. Cap. 3. habemus: *Multos quoq; supplantavit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum.*) *Vide suprà pag. 633 circa finem*

rum.) Prosequitur suum Responsum Catholicus Collocutor: Porrò aliqua in Ecclesia Christi successu temporis determinari, quæ antè determinata non erant, & declarari pro Articulis Fidei, quæ anteà in se jam erant Articuli Fidei: esto non quò ad nos (nullâ eos negante hæresi) nec veritati nostræ Ecclesiæ Catholicæ, nec perpetuæ ejus deniq; ac invariabili doctrinæ illius formulæ derogat, quò minùs eadem prorsùs, quæ temporibus S. Ambrosij erat, nunc quoq; censeatur esse. Inquiro enim, Hulsemanne, eandemnè censes fuisse Ecclesiã à Christo fundatam ante suam Ascensionem cum ea, quæ post ejusdẽ Ascensionem Spiritu S. in die Pentecostes fuit repleta? Eandem profectò velis nolis in substantia censere debes. Numquid verò omnia Ecclesiæ illi ante Spiritûs S. descensum, quæ & post ejusdem Spiritûs S. descensum, nota fuere? (& hoc concedere debes, quòd non omnia, & si negas,) accipe ipsum Christum loquentem: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò; cùm autem venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem &c. ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Absq; omni igitur controversia multæ veritates ante adventum Spiritûs S. occultæ erant illi primæ Ecclesiæ, quas consequenter habens ignotas, (cùm illas aliqua hæresis non impugnaret) non amplectebantur tunc ut dogmata Fidei, licèt in se talia fuissent, donec venisset Spiritus Sanctus, qui docuit illam, & annunciavit illi (omnem veritatem,) idq; citra omnem variationem Ecclesiæ sive doctrinæ, sed salvâ identitate illius. (Fatemini ergo, Hulsemanne, & qui cum illo tenetis, hanc esse veram vobis datam solutionem; & si non acquiescitis, adhuc plura audite, quia hic usus Ecclesiæ, aliquid determinandi in Fide, ab ipsis Apostolis profluxit, *Accipite.*) Act. 15. orta erat gravis Quæstio, idq; inter credentes, de Circumcisione, & servandis Legalibus Moysis: *Surrexerunt quidam,* ait B. Lucas, *de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt dicentes, quia oportet circumcidi eos, præcipere quoq; servare Legem Moysi.* Quæstio sanè ad materiam Fidei spectans. Constat enim, jam de Fide abrogatam esse Legem Circumcisionis: tum nihilominùs veritas hæc non constabat. Ideò enim ait Sacer Textus: *Convenerunt Apostoli & seniores, videre de verbo hoc.* Tandem determinatum est in illo Concilio, fideles nullo modo esse circumcidendos, (per illa verba, *Visum est Spiritui S. & nobis.* Videtis, quomodo Spiritus S. docuit Apostolos veritatem latentem, & Articulũ Fidei latentem in se.) Hinc S. Paulus invehitur contra eos, qui induce-

Notent Dissidentes.

Joan. 16

ducebant Circumcisionem, Gal. 3. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Et mox eos, qui hoc illis persuadebant, velut anathemate ferit, cùm subdit: *Utinam & abscindantur, qui vos conturbant.* Et tamen idem S. Paulus ante determinationem Apostolorum ipse circumcidit Timotheum. Et quis objiciet Apostolis, cùm determinâssent de Fide esse, non esse necessariam Circumcisionem, quòd novum condiderint Fidei Articulum. (De Processione Spiritûs S. à Patre & Filio, latebat in se Articulus Fidei, nec erat notus, quò ad nos, donec negatum fuerit, non procedere Spiritum S. à Filio, determinavit Ecclesia, procedere à Patre & Filio, fecit ex implicito explicitum. Latebat Articulus Fidei in se de duabus Naturis in Christo Domino, determinavit Ecclesia in Concilio, de Fide esse, dari duas in Christo Naturas, & tamen tam Lutherani, quàm Calvinistæ utrumq; credunt, & Processionem Spiritûs S. à Patre & Filio, & duas in Christo Naturas. Et tamen fortè non concedent, imò ægrè ferent, si illis Hulsemannus aliquis objiciat, quòd novos duos Articulos Fidei credant Lutherani & Calvinistæ, Processionem Spiritûs S. & duas in Christo Naturas.) De Confessione etiam idem ut anteà tenet Ecclesia, quòd non omnia peccata necessario confitenda, nisi illa, quæ postquam quisq; diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum DEUM mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eâdem Confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me Domine.* Fatemini vos potiùs verissimum esse, & tam clarum sicut Sol lucet in Cœlo, in Ecclesia à primordijs & usq; modò esse authoritatem, non ut vos imputatis nostris, novos Articulos condendi, (quod nullus unquam nostrûm docuit,) sed declarandi & determinandi aliquid, tanquam de Fide tenendum, quod in se quidem semper erat Articulus Fidei, tamen nondum, quò ad nos, pro dogmate Fidei innotuerat, (ut patet in Circumcisione, Processione, duabus Naturis, & in multis alijs,) neq; enim omnia simul innotuerant, sed occasione emergentium hæresum, decidi opus erat, quod latebat. In hujus authoritatis possessione perenni & inviolabili erat Ecclesia à primis Sæculis, & Controversia aliqua, congregato tandem Concilio, ne Fideles omni vento doctrinæ circumferrentur, ex promissa sibi non ad tempus, sed perpetua assistentia Spiritûs San-

Sancti, omnem veritatem illam edocturi, & in æternum cum illa mansuri, determinabat, & suæ determinationi sub anathemate parere jubebat, ac contumaces quosq; anathemati subijciebat. Sic in Oecumenico Concilio Nicæno I. in Symbolo Fidei videre est in terminis. Sic in Concilio Constantinopolitano I. Canone 1. omnia dogmata hæretica Eunomianorum, Arianorum anathematizantur. Sic in Concilio Ephesino &c. perversa dogmata Nestorij anathemati subijciuntur. Sic in alijs consequenter Concilijs factum cernimus, ut quæ anteà anathemati non subjacebant, per eadem Concilia subijciebantur, & nihilominùs non ob hoc fideles ab Ecclesia velut tyrannica abhorrebant, vel recedebant, aut non eandem doctrinæ formulam servari arbitrabantur, ut tu Hulsemanne cum tuis ex hoc capite arbitraris. Profer nobis vel unicum clarum exemplum, quòd Ecclesia nostra Cathol. nunc teneat de Fide, & sub anathemate, cujus aliquando contrarium, & sub anathemate tenuit, & causam evicisti, doctrinamq; Fidei variatam apud nos comprobâsti.

NB.

NB.

Tu porrò nunc solummodò aliquid v. g. determinatum de Fide, & sub anathemate à Concilio Tridentino monstras, quod anteà non habeatur pro tali, sed liberè contrarium opinari, cuilibet licebat circa periculum hæresis, (ut patet de S. Cypriano de Baptismo hæreticorum) id profectò non est variabilitatem doctrinæ ostendere, sed feliciorem ejus in diem progressû monstrare, quòd anteà. Hanc veritatem fassus est Erasmus vester, (& modò fatetur Author Tubæ Pacis,) qui p. 12. ait: Quare si Ecclesia Cathol. nunc paulò exertiùs definit in Fide Apostolica, non rem novam definit, sed rem veterem explicatiùs demonstrat, quæ priùs implicitè ab omnibus credita est, modò Ecclesia moderna non definiat, quod est contrarium antiquitati Orthodoxæ: hâc explicatione non intellectâ multi decepti sunt à Luthero, putantes novos Articulos, cùm se Ecclesia explicat, quod tantùm abest, ut contrarietur unitati & sinceritati doctrinæ Fidei, quin potiùs conforme sit Scripturis antè allegatis, (nempè, *multa vobis debeo dicere, sed non potestis portare modò, sed docebit vos Spiritus S. omnem veritatem,*) conforme & praxi in Primitiva Ecclesia primisq; Sæculis usurpatis, id totum vel non intelligis, vel non vis intelligere. Hucusq; Catholicus Collocutor ad Hulsemannum; qui de illa prætensa veritate, quam sine omni discursu & Colloquio apud se solum constituerat, si loqui sincerè & modo charitativo voluisset, hoc Responso satisfactus fuisset, nec objecisset superstitiones & novi-

novitates Ecclesiæ Catholicæ; vel si in loco loci objecisset, in mutua charitate ex hoc vel similibus Responsis, non novitates, tanquam Commenta Mahometi, sed ipsam veritatem agnovisset: sed ille malo suo & multorum aliorum ibi hæc objecit, ubi nullum ad hæc sperabat Responsum. Hoc Responsum & si omnes Dissidentes ab Ecclesia Cathol. Rom. benè expendent, & locum dabunt veritati, & sincerè animarum suarum apprehendent salutem, ex his omnibus, quæ superiùs dicta, nullam habebunt difficultatem amplectendi Fidem Catholicæ Ecclesiæ Romanæ. NB.

Idem Collocutor in Proœmio Ideæ Colloquij pag 2. ait: Multorum, præsertim ex Dissidentibus, ardentia erant vota, ut quandoquidem communi & publicâ collatione mutuâ, ob elapsum temporis destinati spatium, non poterat cum effectu ad prædictam formam redigi ad Colloquium prædictum, privatâ saltim alicujus operâ, Idea illius præconcepta Scripto aliquo exaretur, & juxta præfatæ Instructionis præscriptum conficeretur. Ergo multorum ex Dissidentibus ardentia erant vota, terminare feliciter hoc Colloquium, qui se magis promptos, magisq; tractabiles sese exhibuerunt; solus Hulsemannus, quia noluit, solus omnibus, & tanto bono nocuit. Et quomodo ille pacifico animo, soloq; intuitu veritatis, causam Religionis tractare debuit, qui alibi plura homine Christiano minùs digna protulit? Ex multis pauca accipiamus. In suo Manuali ait fol. 1244. *Si Romanus Pontifex utramq; speciem juberet sumere, esto maledictus, qui ex jussu Pontificis sumeret.* Novitates prætensas objectas Rom. Ecclesiæ, & non probatas, Commentis Mahometi comparat. Et fol. 92. Sacrum Chrisma, antiquissimo à primis Sæculis usu, ut constat ex Secundo & Tertio Concilio Carthaginensi, ab Episcopis confici solitum, Sevum Papisticum appellat: & multa similia inveniet Lector in illius libris, quæ non pacificum, sed obfirmatum in sua opinione animum illius facilè quisq; intelliget, & propriæ sententiæ, qualiscunq; illa sit, nimis adhærentem. Quomodo hic pacificè loqui in Colloquio potuit?

Verissimum dictum Iusti Calvini vide pag. 785

Habes ergo, inclyta Civitas Thorunensis, causam genuinam, quare Colloquium in ædibus tuis non est terminatum, nec ad optatum perductum finem, nempè, quia Hulsemannus propriâ sententiâ & odio in Ecclesiam Cathol. obfirmatus, nec fidens causæ suæ, Disputationem miris modis effugiebat: habes etiam satis manifestam informationem, quo astu separata es ab antiqua Fide Catholicæ

Ecclesiæ, à toto Orbe ad varias partes, tum Lutheri, tum Calvini, tum Melanchtonis, tum aliorum, quorum numerum magis explorare & cognoscere potes, quot & quàm multæ sunt in te, & fuerunt Fides, unâ verâ relictâ. Consule de his legitimum tuum quondam Pastorem Hosium, Episcopum pro tunc Culmensem, qui fol. 61. de Actis cum Thorunensibus satis clarè te informat, de tuo ab Ecclesia Universali per unum Ludimagistrum recessu, qui te errore antiquo excitato de Intercessione Sanctorum, quam Vigilantius hæreticus negaverat, separavit à vera Christi Ecclesia, nec negare poteris, fuisse hæreticum Vigilantium, cùm SS. Patres illum cum Veteri Ecclesia habuerunt pro tali, & Concilia antiqua, ut Ephesinum I. & Chalcedonense I. Generalia, admiserunt Intercessionem Sanctorum, quam nec Lutherus, nec Calvinus, nec alij aliquando negârunt, licet in hoc inconstantes fuerunt, sicut in alijs; quam etiam & nunc Academia approbat Regiomontana, ut testatur Author Tubæ p. 75. Et quod magis mirandum, cùm hic Ludimagister, cùm te ab Ecclesia Orbis terrarum separaret ad particulares privatos Cœtus, commisit gravem & detestandum errorem, inducens Arianismum, cùm propriâ auctoritate in Ecclesia Parochiali cantare jusserit, *Ora pro nobis Sancte DEI Unigenite*, Creaturam ex Creatore faciens. Nonnè convenientiùs illi fuerat, suo attendere officio, & pueros docere in Schola Parochiali, quàm tot Sectas in hanc inclytam Civitatem introducere. Plura lege Lector in citato loco, & non eris sinè fructu animæ tuæ, tum de alijs Civitatibus, Elbingensi & Graudentinensi. Vide interim, quis in antiqua Ecclesia (quam pro vera agnoscis) negaverit Venerationem & Intercessionem Sanctorum, nempè Julianus Apostata, Gnostici, Justus Manichæus, & alij, de quibus suprà.

Videatur etiam Relatio de Conversione Serenissimæ Reginæ Sueciæ Christinæ ad Cathol. Rom. Fidem, quæ passim impressa circumfertur, ex qua aliqua brevitati consulendo excerpsimus.

Serenissima Sueciæ Regina Christina toti mundo suo exemplo suâ conversione ad Fidem Catholicam præluxit. Cùm enim ut hæredissa Regni felicissimè regnaret, in tanta abundantia temporalium, & æstimatione sui regiminis apud multos, in quanta anteactis Sæcu-

Sæculis nullus Regum vel Reginarum fuit; omnibus naturæ gratijs præ alijs sui sexûs à DEO prædita, in omnibus scientijs ac linguis adeò versata extitit, ut etiam acutissimis quibusvis ingenijs magnum esset negotium, in tanta majestatis hujus excellentia describenda, satis superq; attestantibus Elogijs in honorem illius typis expressis. Quibus omnibus posthabitis, quàm primùm per DEI gratiam cognovit, omnia hæc vana & inconstantia esse, & respectu æternorum nihili æstimanda, Serenissima hæc abstrusissimas cogitationes suas eò direxit, ut fundamentum veræ beatitudinis penetraret & apprehenderet, quod est vera Fides, illa vel in ipso statim limine agnoscebat, Lutheranismum esse multis modis vacillantem, corruptum & impurum, nec minoribus pollutum defectibus ac Calvinismum, ut Doctor Calixtus ad Comitem Christophorum de Ranzau expresè fassus est, & experientia testatur. Unde Religionem Lutheranam prudentissimè suspectam habere cæpit, tum eadem ad librorum se confert lectiones, omnia Puncta controversa peragratur, & tandem divinâ cooperante gratiâ eò devenit, ut magis ac magis Lutheranismũ cæpit agnoscere verâ Fide carentem. Hoc Serenissima Majestas non fuit contenta, sæpissimè colloquia cum doctis Lutheranorum Professoribus ac Superintendentibus instituit, quibus nervosas de Religione quæstiones proposuit, ut videret, quid in Lutheranismo reconditum sit. Cùm autem in omnibus suorum Doctorum Professorumque responsionibus nullum fundamentum invenisset, sed nuda verba sine probatione; nam quamvis Serenissima Regina in Secta Lutherana educata, eorum libros sedulò legerit, imò à Prædicantibus edocta, nullam tamen sufficientiam aut tranquillitatem in his omnibus invenit, Dubia sua cum præcipuis & doctis, tam præsentibus, quàm aliundè convocatis, communicavit. Tandem cooperante gratiâ Divinâ multis superatis difficultatibus, sub Alexandro VII. An. 1655. die 3. Novembris, in præsentia plurimorum Illustrissimorũ, Illustrium, Generosorum Equitum, Nobilissimorum ac Doctissimorum Virorum, Romano-Catholicam Fidem publicè professa est, & consuetam Formulam, seu Symbolum Fidei, quo S. Romana Ecclesia utitur, clarè cum summa sui consolatione, & interno gaudio omnium adstantium, perlegit, & subscriptione Regij sui nominis confirmavit.

Ad exemplum Serenissimæ Reginæ, Illustris quædam & magni nominis in Republ. Persona, suis Prædicantibus Lutheranis propositis

tis quindecim Quæstionibus ex S. Scriptura decidendis, quas cum resolvere ita non possent, ut maneret in sua conscientia quieta, suscepit Fidem Cath. Romanam, ut videre est in eodem libello, simul cum conversione Serenissimæ Reginæ impresso, quas trutinandas Benevolo Lectori recommendo.

Videatur etiam Manuductio Regiomontanorum Theologiæ Professorum ad Catholicam Ecclesiam, ex varijs ipsorum Scriptis adornata, An. 1698. Glacij impressa, Authore Christiano Helwich, qui in Præfatione ad Lectorem (postquam commemorâsset Christianum Drejerum, Melchiorem Zeidlerum, Sylvestrum Grabe, Samuelem Wernerum, Joannem Philippum Pfeifferum, item Drejerum, Senioris filium, Theologiæ Professores,) ait: Si quæras, quænam meæ in hoc Opusculo partes? breviter respondeo, quæ in diversis Scriptis à Doctoribus illis (nempè superiùs specificatis) tradita sunt, digessi, ac novis subindè rationibus munivi, istis SS. Patrum testimonia, ipsorumq; Protestantium suffragia subindè attexui. Et infrà iterum ait: Quid enim ijs majorem gloriam (nempè superiùs citatis Professoribus) conciliare potest, quàm hoc, quòd multis ad veritatis domũ ostenderint viã, etsi summoperè dolendũ, quòd eam ipsimet ingressi non fuerint. Quod si quis ex Regiomontanis negaverit, eos ad Cathol. Ecclesiam alios manuduxisse, is ostendat, aut ita Doctores illos non docuisse, aut ex eorum doctrina non, quod nos inferimus, prona fluere consequentia. Ostendit ergo memoratus Author Christ. Helwich in hac sua Manuductione Regiomontanorum ad Ecclesiam Catholicam, quòd isti Professores, nempè Drejerus, Zeidlerus, Grabe, Wernerus, Pfeifferus, ferè omnia dogmata controversa inter Catholicos & Protestantes modo Romano Catholico tenenda agnoverunt, ut v. g. de Romana Ecclesia, quòd sit vera Ecclesia Christi, de Primatu Romani Pontificis in eadem Ecclesia, de bonis Operibus, meritorijs vitam æternam, de Missæ Sacrificio, de Precibus pro defunctis, de Purgatorio, de libero Arbitrio, de Veneratione & Invocatione Sanctorum, quæ Lutherus negaverat. Undè pag 282. memoratus Christianus Helwich in eadem Manuductione ait: *Ex quibus colligere licet, quòd hi viri à sententia Lutheranorum longissimè recesserint, nam non tantùm Sacrificium materialiter tale admiserunt, sed etiam formale Sacrificium in Eucharistia esse defenderunt. Porrò Sacrificium Christi cruentum in Missa adumbrari & repræ-*

Vide suprà sententiam Drejeri Catholicam pag. 211

repræsentari, ijdem docuerunt. Vide alia similia in eodem libello cum ingenti fructu animæ tuæ.

Appono etiam, non sinè fructu Lectoris, Rationes M. Sebastiani Flaschij Mansfeldensis, cur relicto Lutheranismo, ad Catholicam Romanam Ecclesiam se receperit.

Si qui sunt, qui causam scire volunt, quare ego M. Sebastianus Flasch Mansfeldensis, pertæsus Lutheranismi, in quo natus & educatus sum, & quem publicè & privatim, tum in Scholis, tum in Templis propagare, & confirmare studui, nunc demùm senex, & affectâ propemodùm ætate, ad Ecclesiæ Catholicæ gremium me contulerim: hi non gravatim legere dignentur sequentes rationes, quas obiter & raptim collegi, nullam aliam ob causam, quàm ut me apud quosdam malevolos sinistrâ suspicione ambitionis, cupiditatis, vel alicujus emolumenti corporalis, liberarem. Quibus rationibus utinam acquiescerent, & ad conversionem invitarentur illi quoque, qui mecum sub eodem jugo captivitatis Babilonicæ multis jam annis miseram servitutem serviêrunt.

I. Quòd satis superq; & quidem non sinè admiratione deprehenderim, ex mutua utriusq; collatione partis, lectione privata, & Catholicorum publicis Concionibus, Catholicos longè aliter sentire & docere, quàm à Lutheranis arguuntur, quòdq; doctrinam Ecclesiæ Cathol. apertis mendacijs deformare, & in odium ac contemptũ adducere de industria, & quidem contra conscientiam studeant & laborent. Sic enim habet Augustana Confessio, Catholicos docere, non concedendum esse, quòd gratis propter Christum remissio peccatorum detur. Item Apologia Augustanæ Confessionis asserit, Catholicos ubiq; excluso Christo docere, mereri justificationem per opera Legis. Rursùs, Catholicos Mariam Christo æquare, & id genus alia infinita, quæ longum foret hîc ordine enumerare. Et profectò Lutherus ipse eo loco haberi vult, ut si vel semel mentiri manifestè deprehendatur, tanquam infamis nebulo habeatur, qui nihil fidei mereatur in ullo Scripto. Quare nemo mihi vitio vertere potest, quòd studio & amore veritatis, repudiato Lutheri Evangelio & Scriptis,

Vide Dietenberg. in confut. Luth. de Votis & Confeß. ubi convincit & arguit eum 874 mendaciorum in lib. contra Emserum.

ptis, in quibus innumerabilia penè deprehendas mendacia, me ad Christi Evangelium, & Catholicæ Ecclesiæ gremium receperim.

De Captivitate Babil & libro contra Papatũ.

II. Quòd deindè ex libris Lutheri manifestè cognoverim, ipsũ invidiâ potiùs, quàm pio zelo ad scribendum incitatum: & ad evertendam Catholicam Religionem, suas tetras & novas opiniones propagare & stabilire voluisse.

Lib. contra Pap. & Ioã. Farcim. item in Serm. Convivalibus.

III. Quòd etiam in ejusdem Scriptis & Tomis tantam invenerim verborum turpitudinem, & scurrilem obscœnitatem, ut etiam lenones ipsos, & omnem scortorum impudentiam facilè vincat, quibus cùm plurimas paginas conspurcatas habeat, non difficile esset exempla afferre, nisi pias & religiosas aures offendere vererer.

In Præfat. Bibl. Lutheri. Vide Emserũ, Vice. Dietenb. Staphil. Lindanũ.

IV. Quòd insuper certò compererim, Lutheranos non modò integros libros (alioquin ab Ecclesia approbatos) tanquam apocrypha scripta, ex S. Scripturæ catalogo rejcere: sed etiam libros, quos retinent, passim in infinitis locis de industria corrupisse ac depravasse, ad novam suam vanam doctrinam meliùs confirmandam. Quod si adulterare monetam, vel Regias literas, capitale censetur, quantò magis scelus capitale existimandum est, Scripta Prophetica & Apostolica mutilare, pervertere, & falsâ interpretatione contaminare? quemadmodum Lutherus plerumq; facere consuevit, qui conciliandæ sibi majoris authoritatis gratiâ, omnes alios, quantumvis pios interpretes ab ipso discrepantes, ex alto despicit & contemnit, nec quicquam valere sinit, quàm quod ipse dixit.

ad quendam amicum Tom. 4 germ Wittem. fol. 475

V. Quòd item perspexerim, eos passim in interpretatione Scripturæ ludere, & comminisci, addere & demere, quicquid libet, modò fuco aliquo velari possit ad simplicibus imponendum. Sed de suis corruptelis convicti, sic à Magistro suo Luthero respondere docentur: *Doctor Martinus Lutherus vult sic habere, & ait, Papistam & asinum esse rem unam: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas; Nolumus enim Papistarum Scholares aut discipuli esse, sed Magistri ac Judices.* Quis autem in hac causa non mallet audire & sequi versionem & interpretationem ab Ecclesia approbatam? vel item vocem Christi & Apostolorum, quàm perjuri & perfidi Monachi impudentem temeritatem?

VI. Quòd simul eò pervenerim in inquisitione veritatis, ut quæ anteà consentanea esse Scripturæ & Patribus credidi, ea nunc cum ipsis ex diametro pugnare, & longissimè discrepare notaverim.

VII. Quòd posteà etiam deprehenderim, eos non solùm Sacram

cram Scripturam, ſed etiam SS. Patrum teſtimonia & Scripta partim adulterare, partim ad ſtabilienda propria commenta, vanè & ſiniſtrè interpretari, & detorquere. Quòdq; per DEI gratiam nunc tandem intellexerim, quàm mirabili & artificiosâ fallaciâ hominum mentes perſtringant in Scripturis S. mirificè extollendis, & citandis Patribus & Concilijs, cùm tamen non alio loco reverà Sanctos Patres & Concilia habeant, quàm quo loco Alcoranum Mahometi, & Æſopi Fabulas, & pluris in veritate axiomata ſua faciant, quàm ipsâ Scripturam Sacram. Nam quod ad Patres attinet, ſi authoritate eorum urgeantur, vel impudenter reijciunt, vel ſi depravare, vel alio loco torquere non poſſunt, ſe eos recipere aſſerunt, ſed quatenùs cum Scriptura conſentiunt, quaſi non eatenùs etiam Alcoranum & Æſopi Fabulas recipiant: quomodò verò ad Scripturam eos examinent. Indè notum eſt, quòd non Scripturam ipſam, ſed ſua dogmata, ſive propria axiomata Scripturæ regulam faciant. Nam ſi quod Concilium dicat eſſe Purgatorium, aut Miſſam eſſe Sacrificium, ſtatim reijcitur, non quia hoc ulla Scriptura neget, ſed quia eorum dogmatibus adverſatur. Ita Epiſtola S. Jacobi ad dogma Lutheri, Sola Fides juſtificat, eſt examinata; & quia dogma Lutheri evertebat, pro ſtraminea eſt rejecta. Sic ſecundus Machabæorum ad alterum dogma examinatus eſt, non offerendum vel ſacrificandum pro mortuis: & quia non quadrabat, in apocryphos rejectus eſt. Quis igitur credat, eos ſummam authoritatem (ut videri volunt) Scripturæ tribuere, cùm non ſolùm Patres & Concilia, ſed etiam ipſam Scripturam ad regulam ſuorum axiomatum examinent, explodant, & reijciant?

in Consilio Carthag. III. uterq; approbatus An. 397 ſub Siricio Papa.

VIII. Quòd ex Scriptis SS. Patrum didicerim, doctrinam Lutheri nihil fere aliud eſſe, quàm quoddam chaos, & veluti farraginem quandam, ex obſoletis hæreſibus, & erroribus antiquorum hæreticorum collectam, quos jam dudùm Concilia legitima & SS. Patres vivo DEI Verbo magno conſenſu rejecerunt, refutârunt, anathematizârunt, & ex Eccleſia profligârunt.

Vide Sanderum lib. 8. de Monarchia viſibili cap. 57. Lindanum de Tabul.

IX. Quòd etiam animadverterim, Lutherum in multis locis à ſeipſo longiſſimè diſſentire, & crebrò pugnantia dicere, atq; adeò ſemetipſum proprio judicio damnare, & mendacem reddere.

X. Quòd cùm ipſe Lutherus jactet, ſe certiſſimum eſſe, quòd doctrina ſua non ſit ſua, ſed Chriſti, omnibusq; deneget ſalutem, quicunq; eam non recipiunt; tamen obſervaverim, eum ſubindè de doctri-

Vide Fabium de Antilogiis Luth: it. Septicipitem Cochlæi contra Regem Angliæ adverſus falsò dictũ ſtatum Eccleſ.

in 1. ad Timot. cap. 2. Tom. 1 germ. Wittemb. & super Psalm. 4. Tom. 3. in Serm. Conviv. titulo de Prophetis & Patriarchis item titulo de operibus Dei, & titulo de Christo, & de sola Fide.

doctrina sua dubitare, imò asserere, se credere non posse, vera esse, quæ tradidit & scripsit in libris suis. Nec mirum, cùm alibi fateatur, se ne Christo quidem credere posse, & ejus verbis firmiter confidere, quippè qui affirmet, se plus fiduciæ collocare in sua Catharina & Philippo, quàm in Christo.

XI. Quòd ad hæc solidis argumentis convictus sim, ut affirmare audeam & debeam, gregem Lutheranorum esse populum sinè vera DEI Ecclesia, sinè Sacrificio, Absolutione, Sacramento Altaris, veris Sacerdotibus & ministris; ex quorum numero aliquot annis (proh dolor!) me unum quoq; fuisse fateor, & ex animo doleo, qui neq; ritè, neq; legitimè, seu modo Ecclesiastico vocatus, ministerium Verbi & Sacramentorum apud miseram plebem administravi.

XII. Nec parùm invitatus sum & hâc ratione, quòd Lutherani, conscij sibi de defectu veritatis, & errore, sententiam quandoq; suam munire contendunt Patrum authoritate & testimonijs, quibus ut videantur consentanea & verisimilia tradere, multa & varia ipsorum dicta insidiosè & perperam pro se citant, suasq; hæreses illis affingunt, quin & apertè de illis mentiri non verentur. Atq; ut exempli gratiâ unum atq; alterum afferam: Apologia Augustana affingit S. Augustino, quòd scripserit, peccatum in Baptismo remitti, non ut non sit, sed non imputetur; quod nusquam scripsit S. Augustinus, sed contrarium asseruit quàm plurimis in locis. Similiter Protestantes adversùs Concilium Trident. An. 62. asserunt, S. Ambrosium negare, per justos nos ire posse ad DEUM, cùm tamen dicat, per istos (intelligens Paganorum deos) non posse iri ad DEUM: sic vocem, *istos*, de industria & fraudulenter corrumpentes & mutantes in *Justos*. Sic etiam eadem Apologia Augustana apertè de SS. Patribus mentiri non erubescit, affirmans, veteres Scriptores ante Gregorium nullam fecisse Sanctorũ invocationis mentionem; cùm tamen Divus Athanasius, Gregor. Nissenus, Ephrem, Theodoretus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Origenes, & multi alij, qui ante Gregorium extiterunt, non tantùm ejus mentionem fecerint, sed etiam invocationem & verbo & exemplo docuerint. Ne quis igitur talibus eorum imposturis decipiatur, Patres ipsos inspiciat, & locorum ab ipsis citatorum verba & circumstantias sedulò expendat. Facilè enim fallitur, qui temerè credit talibus impostoribus.

XIII. Me item ingenuè comperiſſe fateor, Concionatores Lutheranos in multis Articulis Turcis & Mahometiſtis magis patrocinari, quàm Christianis: & ipſorum mores & ritus propemodum per Cacozelian imitari & repræſentare.

Vide Elenchum hæret. Authore Gabriele Prateolo.

XIV. Quod ſuper hæc omnia longâ experientiâ notaverim, quales fructus ipſorum Fides & Religio produxerit, tales videlicet, ut quisq; quod libet, ſibi licere putet. Quæ quidem libertas carnis (quam tamen ipſi Chriſtianam appellant) hoc efficit, ut in reprobũ ſenſum tradantur, & ut inter eos omnis generis ſcelera ubiq; locorum ſummâ licentiâ & impunitate graſsentur.

Vide Tabelam Staphyli de concordia fratrum Evangelicorũ, Conc. 3 habitâ 1546. Tomo 4. fol. 597. pag. 2

XV. Quòd intellexerim quoque, omnes penè Sectas, quotquot hâc noſtrâ ætate graſſantur, non aliunde, niſi ex ejusdem Lutheri libris & doctrina, tanquam ex ſcaturigine promanâſſe, & propagatas eſſe.

XVI. Quòd etiam invenerim in ejus Operibus multas acerbiſſimas criminationes & convicia, quibus omnes ſuos adverſarios proſcindere & inſectari, ſibiq; ſoli omnem laudem vendicare, & tribuere ſolet. Et non ſolùm non parcit Prælatis & Theologis: ſed nec quidem Rom. Pontifici, Epiſcopis, Academijs, atq; adeo ipſi Cæſareæ Majeſtati, Regibus, Principibus, & alijs Imperij Ordinibus, imò etiam Beatis ipſis cum Chriſto regnantibus, ut ſeſe verum ejus præcurſorem eſſe demonſtret, de quo noviſſimis temporibus venturo jam olim Daniel Propheta, & S. Joannes in Apocalypſi vaticinati ſunt, quòd futurus eſſet rex impudens facie, qui cor ſuum magnificabit, cuiq; dabitur os loquens magna, & blaſphemias contra DEUM, tabernaculum ejus, & eos qui in Cœlo habitant.

XVII. Quòd ex ipſiusmet Scriptis & Tomis perſpexerim, non ſolùm Eccleſiaſticas perſonas, videlicet Pontificem & Epiſcopos, ac Academias celeberrimas, ſed etiam Imperij Status & Ordines, Lutheranam Religionem & fidem, ut ſummam impietatem & hæreſin manifeſtam, in ipſo exortu reprehenſam, damnâſſe & proſcripſiſſe.

XVIII. Nec parùm & illud me moviſſe fateor, quòd Lutherani Concionatores usq; adeò oculati ſint in peccata, & leviſſimos nævos Catholicorum, ut eos non ſolùm diligenter obſervare, & notare conſueverint, ſed etiam eosdem pro concione usq; adeò exaggerare, ut ex muſca elephantem facientes, univerſum illorum miniſterium, & doctrinam ſuſpectam & odioſam reddant. Cùm tamen è diverſo, ſi ex vita & moribus Fides & Religio judicanda eſt, nuſquam minùs,

quàm apud illos veram doctrinam sonare judicandum sit, quippè qui multis modis Catholicorum flagitia in tam brevi sui novi Evangelij cursu superâsse videantur. Nam ut de sola libidine dicam, cùm ipsi Concionatores uxores ducant, adeò illis non contenti sunt, ut ad explendam insatiabilem suam libidinem frequenter, juxta Lutheri doctrinam, etiam ancillis abuti, & (quod magis fœdum est) aliorum uxoribus vim afferre, commutationemq; uxorum inter se mutuò instituere non erubescant. Quod tam apertè de ipsis affirmare & scribere non auderem, nisi tamdiù inter eos versatus, id certò & crebrò cum multis alijs comperissem. Taceo, quid tentent frequenter inter audiendum Confessiones, quorsùm tam sæpè ægritudines simulent, infirmos visitent, convivia quædam instituant. Hoc unicum libet referre de quodam non infimæ sortis Concionatore, qui mecum pacisci contendebat de commutandis inter nos uxoribus: & ad id faciendum quodammodò me vi cogere volebat, cùm videret, me nullâ ratione in tantum scelus velle acquiescere. Plura id genus præclara facinora pudor prohibet longiùs commemorare.

Ministrorum Lutheranorum admiranda vitæ castimonia, nulli Catholicorum imitãda.

XIX. Non etiam sinè falsitatis opinione paucis abhinc annis videre potui, Lutheranorum Religionem sensim collabi, & intestinis dissensionibus in perniciem & interitum adduci: Concionatores & Academiarum Professores in mutua odia Religionis causâ exardescere, adeò ut nec Superintendens Superintendentem, nec minister ministrum, nec æditum ferat æditus: dominari palàm fœdas partium criminationes, aperta convicia, & execranda anathematum fulmina: in constituenda Religione cuiq; quod libet, licere: nullũ esse Disputationis ordinem, nullam dirimendarum controversiarum certam & constantem regulam, nullum veritatis & fidei tutum asylum. Qua ex re gravissimæ existant necesse est & deplorandæ calamitates, & extremæ afflictarum conscientiarum desperationes.

XX. Hîc etiam de barbarica illa ignorantia dicendum est, quæ paulatim inter eosdem Lutheranos ita crevit, ut vix majus incrementum sumere posse videatur. Postquam enim antesignani illorum, qui à Catholicis instituti, doctrinâ majori præstabant, mortui sunt, nullus penè ampliùs restat de verè solidèq; doctis viris, qui causam Religionis Lutheranæ paulò accuratiùs agere, vel propugnare possit. Nam si qui sunt, qui sibi aliquam eruditionem tribuunt, illi tamen ridiculè ineptiunt, & rhetoricantur in suis Scriptis & Concionibus, ut vix operæ pretium sit, eas legere vel audire. Nec tamen aliud

eruditio Lutheranorum Concionatorum qualis?

aliud quicquam tractant, quàm vetera ſuorum Præceptorum mendacia, quæ jam pridem à tot Scriptoribus Catholicis ſunt confutata. Undè fit, ut in tanta penuria literatorum, ad adminiſtrationem Verbi DEI & Sacramentorum ſeſe ingerant leviſſimi homines, perfidi Monachi, Sartores, Sutores, Cerdones, Lictores, Carnifices, & ſimiles, ut dignum ſit patella operculum, & ſimiles habeant labra lactucas: licèt nihilominùs jactitent & glorientur, ſe non quosvis, ſed tantùm perſpectæ probitatis & eruditionis viros ad tractandum miniſterium admittere. Contrà verò maximus eſt virorum Catholicorum numerus, qui excellunt omni doctrinarum genere, ſicut eorum libri, quos ſingulis annis edunt, teſtantur.

XXI. Quòd etiam meminerim, quàmplurimos ad tantam deſperationem venire, ut in tanta fidei ſuæ certitudine & fiducia, vitam ſibi ipſis non dubitent vel laqueo, vel alio ſupplicij genere extorquere: cujus rei apud eos frequentiſſima paſſim extant exempla, quæ quidem vanitatem doctrinæ Lutheranæ in erigendis perterrefactis conſcientijs (ut ipſi loquuntur) non obſcurè oſtendunt. Sed talium deſperationum nulla jam me tenet admiratio, quandoquidem & extra Eccleſiam ſunt, in qua ſola vera conſolatio invenitur, & veris miniſtris Sacramentorum, veràq; abſolutione peccatorum deſtituuntur. Quare mihi non fit veriſimile, aliquem ex Catholicis ſanæ mentis ullâ ratione flecti, aut perſuaderi in poſterùm poſſe, ut à fide ſua deficiat ad Lutheraniſmi impietatem, in quo vix aliud præter meram confuſionem omnium rerum, & conſcientiarum trepidationem, vel puer ſeptimum annum egreſſus, animadvertere & agnoſcere queat. Quæ quidem res etiam ipſos Lutheranos Concionatores miris modis angit & confundit, ita ut ferè nihil minus verum eſſe ſtatuant, quàm ſuam Religionem & doctrinam. Ideòq; ſimul eam paulatim magis magisq; ipſimet faſtidire incipiunt. ut qui noverint, eam verè paradoxon eſſe conflatum ex longè diverſis, & non cohærentibus membris, ſine Verbo DEI, & contra doctrinam Chriſti, Prophetarum, & Apoſtolorum; ejusq; promulgationem juſto DEI judicio permiſſam eſſe, propter ſcelera & ingratitudinē mundi: nec tamen idem dogma perpetuò manſurum, ſed brevi funditùs interiturum eſſe non ſolùm ſuſpicantur, ſed etiam quodammodò certò ſciunt, & paulò pòſt, perindè ut illorum majores & anteceſſores hæretici, re ipſâ experientur. Maxima etiam pars, præſertim vociferatorum & ſcriptorum, qui inter eos ſunt, jam pridem Religionem

gionem propriam unà cum ipsa Augustana Confessione negligere, & deserere pergunt, cùm videant se eam ampliùs defendere & tueri non posse: sicut apparet ex illis absurdis, puerilibus, & ridiculis scriptis, quibus ad libros Catholicorum tam ineptè & frigidè respondent. Undè facilè est conijcere, nihil præter fæces & rudera ampliùs apud ipsos restare, & omnia ruinam undiq; minari.

Notent hanc ratione omnes Dissidentes.

XXII. Quòd postremò, re totâ benè consideratâ, animadverterim, me in Lutheranorum cœtu permanere, & eorum doctrinæ acquiescere non posse, nisi velim per summam impietatem simul damnare omnes pios Majores nostros, & tot Sanctos Ecclesiæ Catholicæ Doctores, qui ante Lutherum extiterunt. Certò enim didici, eos cum Romana Ecclesia doctrinâ & fide communicâsse, & Rom. Pontificem pro Christi Vicario, & S. Petri in Pastorali munere Successore agnovisse. Certum enim habeo, (ut de alijs Articulis taceam) eos Sanctorum invocationem, Reliquiarum venerationem, & Missæ Sacrificium approbâsse. Certum est denique, eos in ea doctrina tuenda, & in Romanæ Ecclesiæ communione constantes usq; ad extremum vitæ spiritum permansisse: Lutherani autem Rom. Ecclesiam pro meretrice Babilonica, Rom. Pontificem pro Antichristo habendum contendunt: Sanctorum invocationem, & Reliquiarum venerationem, ac *Missæ Sacrificium*, tanquam summam idololatriam execrantur. Vel itaq; profiteri oportet, omnes Majores nostros, & Ecclesiæ Doctores ac Pastores hæreticos fuisse, atq; ad extremum damnatos esse, neq; quenquam vitam æternam consequuturum, nisi qui partes Lutheri sequutus fuerit; vel si Majores nostri salvi facti sunt, consequens est, Lutheranos salvos fieri, nisi resipiscant, non posse. Nam sine Fide, eademq; vera, una, & Catholica, impossibile est placere DEO; & consensu omnium, extra Ecclesiam non est salus, Ecclesiam intellige, quæ vera est, quæ una, quæ à Christo ita supra petram ædificata est, ut portæ inferi non sint adversùs eam prævalituræ, quæ perpetuò est duratura. Quod quomodo in Ecclesiam Lutheranorum conveniat, non video, cùm ea paucis abhinc annis primùm sit exorta, & brevi, sicut non obscurè præ se fert, sit interitura. Quomodo item fides Lutherana vera esse potest, quæ neq; una est in se, sed in tot Sectas dissecta, neq; una cum Majorum nostrorum, & SS. Patrum Fide? Neq; enim in toto Orbe terrarum demonstrare possunt vel locum aliquem, ubi eorum Fides ante Lutherum prædicata fuerit: aut Scriptorem unicum vel Authorem,

qui

qui idem per omnia cum Luthero, vel Confeſſione Auguſt. ſenſerit & ſcripſerit: licèt fatear, in hoc Articulo cum illo hæretico, in iſto cum alio, atq; iterum alio convenire, ut ſuprà dixi.

XXIII. Illud quoq; me maximè permovit à Lutheraniſmo ad Catholiciſmum transmeare, quia Lutherani, & qui ipſos ſequuntur omnes hæretici, quod genus animantis ſint, ignorare videntur, quod ex ipſorum verbis manifeſtè apparet: Dum antiquorum Patrum, & Eccleſiæ Catholicæ Doctorum expoſitiones S. Scripturæ reijcere, quoniam homines erant, & omnium Conciliorum ſententiam improbare, quoniam ab hominibus, qui errare poſſunt, cogebantur, improbare non verentur. Ipſis autem metipſis credendum eſſe, atq; aſsentiendum exiſtimant & præcipiunt: immo contra eos, qui credere & aſsentiri nolunt, iraſcuntur, maledicunt, excandeſcunt, & furore corripiuntur. Iſta feriò mecum expendens, tandem conſideravi, ipſos nullatenùs inter ſe convenire. Negant enim, cuipiam hominum in rebus ſalutis eſſe credendum, deindè paſſim, immo ſemper ſibi credendum eſſe contendunt: conſequens itaq; eſt ſatis evidens, eos non eſſe homines. &c. Ideò non licebat mihi cum ejusmodi monſtris commercium periculoſiſſimum ampliùs habere, verùm ad DEUM, qui Homo factus, quantocyùs commeare; & SS. Patribus, quantumvis homines fuerint, ſed per Chriſtum, Doctore gentium Epheſijs atteſtante, dati Eccleſiæ, *quidam ipſorum Apoſtoli, quidam Prophetæ, alij verò Evangeliſtæ, alij autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes, in unitatem Fidei & agnitionis Filij DEI, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti,* tutiſſimè credere; & Concilijs, in quibus à Patribus decernitur, quod viſum eſt Spiritui Sancto, firmiſſimè aſsentiri.

Pulcherrima retorſio.

NB. NB.

NB.

XXIV. Quoniam Lutherus futura prædicere, & veris Prophetis annumerari voluit, nihil minùs verò effecit, hoc quoq; me ab ipſo ſecedere compulit, & ne adhærerem falſis Prophetis, perſuaſit. Prophetiarum ipſius nonnè iſta falſiſſima eſt? *Intra paucos annos,* inquit, *nullum Templum, Collegium, Sacellum aut Monaſterium, nullus Presbyter, Monachus aut Monialis, nullus item Epiſcopus aut Princeps ſub Cœlo permanere debeat;* cùm eadem omnia propemodùm infinita ubiq; terrarum integra & ſalva permaneant, & in novo Orbe in annos & dies ſemper, DEO Authore, SS. Patrum & Paſtorum miniſterio ſalutari multiplicentur, & usq; ad conſummationem Sanctorum, omni du-

in libello de Reformatione.

bio procul augebuntur: Pseudoprophetæ vaticinio mendaci, potentiæ Divinæ, neutiquam obstante.

XXV. Quia conscientiam meam illa doctrina D. & Magni Basilij, *in libello de Virginitate,* in quam, non puto casu, sed credo DEO inspirante, incideram, ita perterruerat, ut ampliùs cunctandi spatium, hæreticorum sectatoribus familiare, à Lutheranismo ad Catholicismum transmigrandi, spe salutis in me excitatâ, permitteret. Doctrinæ satis efficaciter
“ in me operatæ, contextus est ejusmodi: Sicut enim Sanctum atq;
“ admirabilem Paulum, dum adhuc esset in corpore, alia quidem
“ præcesserunt opera: cùm plurimi ex his, qui propter doctrinam
“ & conversationem ejus perfecti evasêre, in æternam illum vitam
“ præcedentes, sudorum præmia, quos pro illis pertulit, apud justũ
“ judicem DEUM illi paraverunt: alia vero solutum carneis vin-
“ culis, & jam cum Christo regnantem, usq; ad hanc diem conse-
“ quuntur, eorum scilicet, qui per eum in sacris Epistolarum ejus
“ monitis se ad virtutem exercentes, laudes semper ac præmia præ-
“ claro illi duci & Præceptori optimo hinc transmittunt. Sic è con-
“ trà alia quidem præcedunt peccata eorum, qui pessimis sermoni-
“ bus & operibus læsi, atq; impediti à virtutis tramite, in infernum
“ præcessêre, supplicia suæ damnationis authoribus illic paraturi:
“ alia verò etiam sequuntur, eorum scilicet, qui post ipsorum mor-
“ tem, per summam nequitiam & exempla pessima, quæ mundo
“ reliquêre, dum eos imitari pergunt, maxime læduntur Nam sicut
“ hodie quoq; beatus David ad veram Religionem & DEI cultum,
“ providentiæq; agnitionem mundo perutilis est, & qui propter il-
“ lum in Religione proficiunt, huic jam ex rectè factis suis conse-
“ quentes ei transmittunt laudum voces. Ita & Marcion, & reliqui
“ hæreticorum dogmatum duces, quia per eam perversitatem do-
“ ctrinæ, quam mundo invexêre, maximè nocent: cuncti, qui sa-
“ lutis suæ damna per eos in hac vita perceperunt, authores perdi-
“ tionis suæ, & si dudum vitâ functos, atrocioribus illic supplicijs
“ tradunt. Si enim qui scandalizaverit unum ex pusillis hujusmodi,
“ morte dignus judicatur: profectò qui tam multos per vitam re-
“ probam, quòd perniciosorum operum mundo exempla reliquerit,
“ aut in animarum perniciem falsa dogmata ingesserit, scanda-
“ lizat, post mortem quoq; omnium, qui suâ causâ pereunt, digniss-
“ simè ac justissimè mortis reus habebitur: per singulos eorum, qui
“ sui causâ hîc seu vulnerantur, seu moriuntur, authore etiam vul-

“ nera

nera mortemq; ſuſcipiente. Hoc totum ſi Marcioni hæretico, ne- dum damnationem æternam, ſed pœnarum auctionem, donec erro- res & blaſphemiæ ejus in ipſius Marcioniſtis vigent & perdurant, ef- ficiunt, quid aliud de Luthero & Lutheranis, timoratæ conſcientiæ meæ ſentiendum erat, animoq; de ſalute & vita æterna ſollicito, cen- ſere, exiſtimare, & definire conveniebat, quàm ne tanto periculo & damno ſempiterno, ſciens, volensq; cum Luthero & Lutheranis ſuſtinendo, nunc & olim ſuccumberem?

XXVI. Nec minùs me ad Catholiciſmum amplectendum per- movit illa ſententia Sancti Athanaſij, Archiepiſcopi Alexandrini: Nam quamvis, inquit, magiſtri invicem apud nos ſibi ſuccedant, nosq; illorum diſcipuli ab illis acceperimus, quæ ſunt Chriſtianæ Fidei, nihil tamen indè obſtaculi naſcitur, quò minùs ob id & ti- tulo & re Chriſtiani appellemur: contrà qui hæreticos ſequuntur, tametſi mille millies ſucceſſores habeant, omnes tamen nomen e- jus, qui primus hæreſin adinvenit, referunt. Certè è vita exempto Ario, cùm multi ex grege illo ejus vices ſucceſſionemq; ſuſciperet, tamen omnes, qui ejusdem cum eo ſententiæ fuerunt, ex Ario no- tas ſuas inſigniaq; habentes, Ariani nuncupantur, quod reverà eximium & admirabile argumentum eſt. Nam qui etiam nunc ex gentilibus, omiſsâ idolorum ſuperſtitione, ad Eccleſiam veniunt, non catechizantium, fideiq; rudimenta tradentium nomina, ſed Salvatoris in ſe transferunt, & pro gentilibus Chriſtiani incipiunt appellari. Qui verò ex eodem genere ad iſtos abeunt, aut ab Ec- cleſia ad hæreſin tranſitum faciunt, nomen Chriſti derelinquunt, & Arianorum vocabulo induuntur: quaſi qui non ampliùs Fidem Chriſti retineant, ſed Arianæ inſaniæ gregales habentur. Hæc ille. Quæ dum Lutheranis & reliquis hæreticis ſæpiùs accommodabam: mutato nomine, ad ipſos ſimilem impietatem pertinere animadver- ti. Itaq; nolui diutiùs vel ipſis gentilibus, in negotio veræ Religio- nis imprudentior, ne dicam impudentior, eſſe.

Oratione 2 contra Arianos.

XXVII. Quia perterritus eram illâ intolerabili blaſphemiâ hæ- reſiarchæ Calvini, quam legi in ipſius Inſtitutione, impreſſa per Ste- phanum Robertum, A. 1553. ſic ore impudenti & ſtylo temerario prolata: *Chriſtum ſic nobis coadunatum, ſic nos illi viciſſim inſertos eſ- ſe, adeòq; in unum corpus cum ipſo coaluiſſe, ut quicquid ipſius eſt, no- ſtrum vocare liceat. Hinc ſequitur, ut nobis ſecuri ſpondere audeamus, vitam æternam noſtram eſſe, cuius ipſe eſt hæres: nec Regnum Cœlorum,*

Cap. 18 Parag. 8

quo iam ingressus est, posse magis nobis excidere quàm ipsi: rursùs peccatis nostris non posse nos damnari, quamdiù ipse non damnatur: cùm ea sibi imputari voluerit, acsi sua essent. Hæc ille. Sed amice Lector, considera mecum hominis stolidi excæcatam præsumptionem, contra Scripturam & rem manifestè factam, ab ipso deblateratam. Si enim non contingit, excidisse à Christo ipsi coadunatos, curnam Apostoli in Cæna Christo in Sacramento accepto, ab eodem tam fuga, quàm abnegatione ipsius exciderunt? Neq; minor est ista præsumptio mendax, peccatores non posse damnari, quamdiù ipse non damnatur. Cùm verò Christus nunquam damnabitur propter peccata, quæ non fecit, nec dolus inventus est in ore ipsius, peccatores ergo nunquam etiam damnandos. Quicunq; autem vel primis labris S. Scripturam attigit, quonam modo hoc concedere potest? Præterea si pia & vera ista asertio ejus fuit, cur eandem in posteriori editione ejusdem Institutionis; per eundem Stephanum Robertum A. 1559. Genevæ impressæ, sustulit? dum jam sex annis eâdem temerariâ, mendaci, blasphemâ asertione plurimos dementâsset, & in ignem æternum destinâsset. Veritus itaque, ne talis vel similis præsumptio tam in Luthero, quàm in Calvino, & Sequacibus illorum damnabilis, Sathanâ suggerente, me aliquando irretiret, ad Catholicismum, à præsumptionibus semper liberum, alacriter confugi: ab eodem, donec spiritus vitalis hos rexerit artus, DEI gratiâ adjuvante non discessurus.

XXVIII. Inconstantiam quoq; & levitatem Lutheri, & aliorum hæreticorum, jam ampliùs sustinere non potui, quam multis Sæculis ante me S. ille Athanasius, Archiepiscopus Alexandriæ, consideravit, & ita exsculpsit: *Quotannis in unum conveniunt hæretici, veluti qui tabulas pactaq; scribant, simulantq; se pro Fide scripta conficere, mirè interim & fœdi & ridiculi, cùm Scripta eorum non modò ab aliis, sed etiam ab ipsismet explodantur. Nam si fidere ausi fuissent prioribus suis Scriptis, non secundò scripsissent, neq; illis denuò repudiatis ad tertiam scripturam prosiliissent: prorsùs studio habentes, ut rursùs ea mutent, vel si pusillum temporis intercesserit, vel occasionem nacti fuerint, pro ipsorum consuetudine insidiandi. Tunc enim cùm insidiis student, maximoperè se simulant de Fide scribere. Ergo dum perpetuò scribunt, suamet ipsi immutantes, incertam suam fidem, vel potiùs certam infidelitatem dementiamq; ostendunt, utq; Christi perduelliones remanentes, alios in errorem abducant.* Cum istis ergo inconstantibus & fraudulen-

contra Arianos Orat. 1

dulentis genijs ipsorum, & ingenijs fallacibus, num solitò permanere, an eosdem meritò deserere debebam, pio unicuiq; dijudicandum relinquo. Simulq; S. Martyris Ignatij doctrinâ unicuiq; meo exemplo imitandam propono: *Ne errate Fratres mei, qui veritatis desertorem Schismaticumq; sequitur, in Regni DEI hæreditatem is minimè veniet. Quiq;, quem falsa docentem sequitur, non deserit, ab hocq; ipse sit apostata, ad gehennam is condemnabitur quoque. Nam neq; à pijs discedendum est, neq; cum impijs permanendum.* Epistolâ 6

XXIX. Ut institutum meum salutare, recedendi ab hæresi, & ad Catholicismum accedendi accelerarem, S. Scripturæ plurima loca, & SS. Patrum gloriosa exempla, de cavendis hæreticis, & nisi caverimus, supplicijs propterea sustinendis, passim annotata me extimulârunt.

XXX. Sed neq; minùs me ab hæresibus secedere, & Catholicis adhærere permovit cujuspiam benè docti & pij Theologi Tabella, mihi ab amico exhibita; quam cùm inspexi, & diligenter expendi, partim gavisus sum ex ijs, quæ in eadem sunt jucunda: partim exhorrui ab illis, quæ continet tristia.

XXXI. Quia ritum Cænæ illius Sacratissimæ Dñi nostri JESU Christi per Catholicos celebratum, Lutheranus existens, contemnebam, odio habebam, & persequebar ideò, quòd contra Christi intentionem & institutionem, atq; Apostolicam functionem, sub una tantùm specie Corporis, subtractâ alterâ specie Sanguinis, multitudini plebis dispensatum esse considerabam. Factus autem Catholicus, ea de re cum Catholicis conferendo, tandem comperi, me Lutheranis usq; adeò adhærentem, cum salutis meæ discrimine, ad placitum ipsorum corruptum, vehementer aberrâsse. De Cæna enim Domini Eucharistica deinceps comperi, eundem bis habuisse sermonem: alterum ad multitudinem magnam trans mare Galileæ, inter cætera sic: *Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita;* alterum verò sermonem ipsum habuisse in extrema illa, & Passioni proxima Cæna, non ad multitudinem, sed tantùm ad Apostolos duodecim, cum quibus sedebat, & Cænam illam suam desideratissimam manducabat, cujus quidem sermonis hæc verba fuerunt: *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem postquam cænavit, dicens:* Ioan. 6 Luc. 22

Hic eſt Calix novum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis fundetur. Dum utrumq; horum ſermonum Chriſti cum Catholicis meis confero, hoc primùm conſpicio, quia priori aliud eſſe dictum plebis multitudini, poſteriori verò duodecim Apoſtolis; ſed tamen in eundem finem. Plebis multitudini datus eſt panis vivus, cœleſtis, mannæ Patribus datæ neutiquam æquiparandus: primò ad commemorationem Paſſionis, deindè ad vitam æternam acquirendam & utifruendam. Præter ea autem Apoſtolis, futuris tandem Sacerdotibus, utrumq; hoc quidem collatum, ſed quod multò majus eſt, ipſis conceſſum verbis illis, HOC FACITE; quod SS. Patres dono interpretationis Scripturarum definiverunt, id eſt, repræſentate Paſſionem Chriſti, conſecrate, offerte, & ſacrificate. Undè manifeſtè conſtat, plebem, ſeu ſæculares, benè eſſe contentam debere unâ ſpecie Cœnæ Domini Euchariſticæ, cùm eidem primo ſermone commemoratio Paſſionis Chriſti pro mundi vita perpeſsæ, illaq; vita æterna eâdem Paſſione meritoria tribuatur: Sacerdotibus autem Apoſtolicis utramq; ſpeciem ſeparatim eſſe percipiendam, ideò, quia Sacrificium JESU Chriſti repræſentant, in quo ſanguis à corpore tunc ſeparatus fuit. Neq; laudabili conſuetudini hoc obſtare poteſt, quia D. Paulus Corinthijs ſub utraq; ſpecie hoc Sacramentum Euchariſtiæ ſeu Cœnæ Domini adminiſtrabat; quia in illa infantia Eccleſiæ hoc plerumq; fiebat, quod eſſe interim utile potuit, non quod meritò fieri debuit. Hujus inter alia exemplum eſt notiſſimum, ille Baptiſmus Apoſtolorum, quem conferebant in nomine JESU, non autem in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, ſecundùm expreſſum mandatum Chriſti. Quod an hoc modo fieri poterat, ſcio negaturos puſillanimes, ſed fruſtrà. Hocq; ideò, quia ab Apoſtolis prudentiſſimè factum & inſtitutum illud, quod maximè ad Chriſtum tunc cognoſcendum pertinebat, Apoſtolorum Succeſſores usq; ad conſummationem Sanctorum futuri, ſi hoc imitantur in Cœnæ Dñi alterius tantùm ſpeciei diſtributione ſæcularibus, non peccant; præſertim dum non unum, ſed utrumq; præmiſſum ſermonem Chriſti, in eadem materia ab ipſo factum, conſiderant. Rationabiliter ergo factum eſt, ideò plebem, ſeu omnes ſæculares debere eſſe contentos unâ ſpecie, quia ex eadem hoc quod ipſorum eſt, percipiunt commemorationem Paſſionis Chriſti, & vitam æternam: quod ampliùs in eadem Cœna fit, ad illos non pertinet, videlicet conſecrare, repræſentare, ſacrificare; quoniam non ſæcularium, ſed Sacerdotum hoc pro-

prium est. Ex hoc uno meo cum Catholicis pio discursu, plurimùm fui confirmatus ad Catholicismum, & maximè labefactatus ad sequendum Lutheranismum, vel quemvis hæreticismum. Confirma hoc DEUS, quod operatus es in nobis.

XXXII. Existens Lutheranus, in persequenda Ecclesia Catholica, illud mihi unicum delectabile erat, ut signum Crucis Papistis, ut tunc dicebam, semper & ubiq; usitatissimum negligerem, odio haberem, atq; per omnem occasionem mihi & meis abominabilem redderem, tanquam characterem aliquem magicum, & figmentum hominum superstitiosorum, magis diabolo in necromantia ipsius accepto, quàm DEO in Cæremonijs Ecclesiasticis grato. At cùm ex Tertulliano, Origene, & SS. Cypriano, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Chrysostomo, Hilario, Gregorijs, Athanasio, Cyrillo, virtutes ejus, & plurimos, eosdemq; admirabiles legi effectus, & mecum seriò expendi, statim hoc ipsum signũ admiratus & exosculatus sum, illudq; mihi impressi. Cùm autem inquirebam & disquirebam, undè nam tanta virtus characteri inesset? DEO dirigente credendum est, me accepisse inter alios librum Confessionis Catholicæ, Illustriss. olim Cardinalis Stanislai Hosij Poloni, cap. 10. signi Crucis, ex Innocentio Papa, hoc nomine III. in libro 2. de Sacri Altaris mysterio, jucundissimam designationem ejusmodi: In Cru ✠ ce videtur to- ,,
tius Fidei nostræ compendium contineri. Tribus enim digitis in ,,
unum conjunctis, significatur SS. Trinitatis & ejusdem unitatis ,,
mysterium. Ducitur verò altera pars seu linea Crucis, à vertice ,,
capitis, sive frontis, usq; ad umbilicum, ut indicetur, ex hac Tri- ,,
nitate & unitate Divinâ, de summo Cœlo egressio in viscera Ma- ,,
tris, & Incarnatio illa ineffabilis Filij DEI, ut ex purissimis sangui- ,,
nibus illius carnem nostram susciperet. Deindè à sinistro brachio ,,
ad dextrum, altera pars seu linea Cru ✠ cis continuatur, ut causa ,,
ejus Incarnationis exprimatur. Nam propterea descendit de Cœ- ,,
lo in terram, propterea reliquit domum suam, dimisit hæredita- ,,
tem suam, dedit animam suam in manus inimicorum suorum, ut ,,
nos, qui eramus à sinistris inter hœdos collocandi, transferret ad ,,
dextram inter oves suas, ubi vocem illam desideratam audire no- ,,
bis liceret: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis re-* ,,
gnum à constitutione mundi. Talis & tanta meditatio mysterij S. ,,
Cru ✠ cis, & ejusdem per Catholicos pios ad capita veræ Fidei ap- ,,
plicatio, non potest, nec debet dici simplex character, non magica ,,
aut ,,

" aut necromantica nota. Et quoniam dæmones credunt & contre-
" miscunt ad hoc Symbolum Fidei, quomodo subsistere poterunt,
" & ipso conspecto non statim cum suis machinationibus fugere.
" Ideóq; dæmones & præstigia ipsorum apud Lutheranos & hære-
" ticos habent locum, quia mysterium S. Cru ✠ cis contemnunt, o-
" dio habent, & à se excludunt. Ideò quoq; & Catholici simplices
" contra dæmones & adversa quæq; sæpè non prævalent, quia figu-
" ram ✠ tantùm facere solent, sed hoc mysterium ejus, quod in se
" continet, non meditantur. Ego ut, quod verum est, ingenuè fa-
tear, diabolum mihi diverso modo persuadentem, & ut in Luthera-
nismo permanerem variè sollicitum, Catholico hoc more signum
Crucis mihi imprimendo, insidias & tela nequitiæ ejus per gratiam
DEI toties, & cum profectu corporis & animæ superavi. Agite er-
go Lutherani, hæretici omnes sapite, ut sequamini exemplum me-
um, hac quoq; in re, ut mihi ita & vobis futurum salutiferum. Ca-
vete, ne tam in ijs, quæ adduxi, ampliùs hæreatis, & diutiùs erretis,
quàm in reliquis vestris delirijs, per Antichristum vobis inductis,
sitis justo Christi judicio in æternum damnabiles.

XXXIII. Ad easdem causas hactenùs inductas hæc quoq; ac-
cessit, quia in legendo brevi quidem, sed devoto libello D. Ephrem
Syri, de Armatura Spirituali, ex eodem, quid post consummationē
nostri, & quid in consummatione mundi nobiscum futurum sit, co-
" gnovi, quod ibidem ita expressum legi: Quo animo nos esse opor-
" tet in extremo judicio? quale nos gaudium excipiet, cùm ad dex-
" teram Regis separabimur? quanto exultabimus gaudio, cùm am-
" plectentur nos justi omnes? illic nos amplexu suo refovebunt A-
" braham, & Isaac, & Jacob, Moyses, Noë, Job & David, Prophetæ
" Sancti & Apostoli, & Martyres, omnes deniq; Sancti, qui DEO
" placuerunt, cùm in carne præter carnem viverent, atq; salutabunt
" te, exultantes in salute tua. Quales nos tunc futuros existima-
" mus, cùm dicet Rex his qui erunt ad dexteram, verba illa lætitiæ
" & suavitatis plena: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum*
" *vobis regnum à constitutione mundi*. Cogita posteà etiam perditio-
" nem peccatorum, qualis eos confusio apprehendet, quando sisten-
" tur tribunali horrendo, coram justissimo Judice, nullam habentes
" excusationis viam: cùm loquetur ad eos in ira sua, & in furore
" suo conturbabit eos dicens: *Ite maledicti in ignem æternum, qui*
" *paratus est Sathanæ & angelis ejus*. Heu qualis ille locus est, ubi
" fletus

fletus & stridor dentium resonat, quem ipse quoq; Sathanas horret? quàm horrenda & terribilis illa vox futura? Si in unum colligantur omnia tonitrua & fulmina, quæ ab initio mundi hactenùs usq; fuerunt, & deinceps ad consummationem ejusdem mundi futura sunt, unumq; simul sonitum faciant, non tam ille horrendus & terribilis fieret, quàm iste erit. Si evenient ista peccatoribus, quantò magis hæreticis, qui Fidem nudam, informem, ad justificandum jactant, opera bona, peccatorum virus reprimentia, flocci faciunt. Si ergo hic S. Pater me suâ doctrinâ hâc salutari ad resipiscendum, & hæresin deserendam permovit, idem, ut mei tunc similibus efficiat, ex animo pro charitate Christiana eisdem opto & efflagito.

Quare ex hujusmodi omnibus causis, pro ingenij & doctrinæ mediocritate inductis, mihi nullâ ratione salutem meam negligendam esse duxi, sed ad antiquæ, veræ Ecclesiæ castra mihi esse convolandum, in qua tot Sancti & præclari Majores nostri sanctè & piè usq; in finem militârunt, ubi sunt veri Pastores, ubi verum DEI Verbum annunciatur, vera Sacramenta administrantur, verus DEI cultus viget, & vera salus expectanda est. Ad veram itaq; salutem, salutaremq; veritatem sectandam, omnes eodem errore, quo ego fui, fascinatos invito, DEUMq; precor, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ut veritatis suæ luce eorum mentes illustrare, & ad salutis suæ portum dirigere & perducere suâ benignitate dignetur, ut fiat unum Ovile, & unus Pastor, & servemus in una spe vocationis nostræ unitatem Spiritûs in vinculo pacis. AMEN.

Superiùs, præcipuè autem pag. 856. mentionem fecimus de doctissimo Christiano Helwich, quondam in Academia Regiomontana Philosophiæ & Medicinæ Doctore, qui, postquam DEI gratiâ factus sit Catholicus, edidit librum sub titulo: *Manuductio Regiomontanorum Theologorum Professorum ad Catholicam Ecclesiam ex varijs ipsorum sententijs adornata, Anno Dni 1698. Glacij impressa*; quo libro cùm fortè plures caruerint, aliqua ex illo hîc apponere placuit, ut clarè pateat, quàm alieni fuerint præcipui Doctores Regiomontani, nempè Christia. Drejerus, Melchior Zeidlerus, Joan. Philip. Pfeifferus, &c. à doctrina Lutherana, Catholicamq; sententiam in multis tenuerût, condemnantes contrariam.

Pag. 1. Cap. 1. usq; ad pag. 29. fortissimè & evidentissimè probat, solam Ecclesiam Cathol. esse veram Christi Ecclesiam, cæteras falsas, quod etiam §. 4. ex Drejero l. c. p. 14. num. 16. & seq. deducit.

Pag. 29. Cap. 2. manifestè ostendit, quòd Cathol. Ecclesiam Catholici Romani, Lutherani, Calvinistæ, non constituant ex eo, quòd in multis nullam habeant connexionem, membra autem unius Ecclesiæ debent se adinvicem mutuo amore prosequi, & idem sentire. De discordijs in multis inter Catholicos & Protestantes nullum est dubium, ut in Nota Ecclesiæ una superiùs ostendimus. Item inter Lutheranos & Calvinistas pleni sunt libri illorum, continentes multas discordias, ut etiam superiùs clare demonstravimus ex ipsorum testimonijs, de perpetua & nunquam reconciliabili discordia, quam quasi testamento tam Lutherus, quàm Calvinus, suis Sequacibus reliquerunt, ut nunquam inter se conveniant, placuit ex hoc libro aliqua apponere. Non enim pluribus ignotus est Fasciculus Controversiarum Eckardi, in cujus prima Præfatione ad Georgiũ Saxoniæ Ducem hæc habet: *Ex Articulis cardinalibus & fundamentalibus ne unum quidem Theologia Calvinistica inviolatũ nobis relinquit.* Et in altera Præfatione ad Elect. Saxon. hæc habentur: *Cùm tamen inter summum cœlum & immam terram tanta non sit distantia, quanta inter Augustanam Confessionem & Calvinistarum heterodidascalias, nec magis inter Calvinistas & Augustanæ Confessionis Theologos, quàm inter Christum & Belial fraternitas iniri, aut coniunctio fieri queat.* Multis etiam obvia sunt Scripta Nicolai Hunnij de fundamentali dissensu doctrinæ Evangelicæ Lutheri & Calvini, Hulsemanno Calvinismus irreconciliabilis Friderici Balduini, Wittemberg. Professoris, Disputatione de Baptismo Calvinistarum, de Eucharistia, de Christo, eorundem de dissensu maximè fundamentali loquuntur. Unum supererat, ut Calvinistis alius Deus tribueretur; fecit tamen & illud Affelmannus, Profess. Rostoch. in Triade Syllogismorum Anti-Calvinisticorum. &c. Imò novimus & legimus libros Lutheranos, quorum fert titulus, quòd Lutheranorum judicio, Catholica Professio melior sit Calvinistarum doctrinâ. D. Kuchnæus in suo de Schismate Opusculo in hac sententia est, quòd magis *Calvinismus sit irreconciliabilis, quàm Papismus.* Danhauerus librum scripsit, *cur in suggestu ita dictos Calvinianos condemnare non possit?* Legat, cui suppetit tempus, Scripta Protestantium, Jodocum Coccium in Thesauro Catholi-

tholico Tom. 1. lib. 8. art. 10. pag. 85. Quomodo ergo unam conſtituent Eccleſiam Lutherani & Calviniſtæ, cùm ſe adinvicem tam turpiter condemnent? ſi verò Lutherani veram apud ſe conſtituant Eccleſiam, quare non etiam & Calviniſtæ, cùm utriq; à ſe adinvicem ſeparati, & ab alijs cœtibus, pauci admodùm erunt. Undè tanquam firmum ratumq; habendum, ſi Eccleſia Lutherana & Calviniſtarum non ſunt Eccleſiæ veræ Chriſti, prout de facto non ſunt, cùm ſint privati cœtus ſibi adinvicem in multis contrarij: eo ipſo ſufficientiſſimè ſequitur, Romanam Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam Chriſti unicam, quæ eſt Catholica, id eſt Univerſalis, ut opponitur omnibus privatis cœtibus, de qua rectè Regiomontani, (ait Author p. 53) miſſis Lutheranorum opinionibus, ſententiam Cathol. Eccleſiæ amplexi ſunt, & cum ea Lutheranos poſtulârunt hæreſeos.

Pag. 54. Cap. 3. oſtendit Author ex Drejero, Orat. de Orthodox. Theologiæ Chriſtianæ, principium proprium eſſe Divinam revelationem, quæ cognoſcitur ex Scripturis Vet. & Novi Teſtamenti, cùm autem hæretici pervertant S. Scripturam, ut ſuperiùs in Diſcurſu de S. Scriptura oſtendimus, qui eſt verus ſenſus illius, quæ Confeſſio Cathol. Eccleſiæ cognoſcitur ex communi conſenſu Patrũ, & Conciliorum Decretis, ab Eccleſia Cathol. approbatorum; non autem plebis, ſive laicorum opiniones reſpiciamus, illi enim ad judicium de doctrina aut diſciplina Eccleſiæ ferendum, nunquam admiſſi fuerunt, qui Paſtorum ſuorum ſententias in omnibus, ut par eſt, ſequi, non præire tenentur, ſecundùm Vincent. Lirinenſem in Common. cap. 3. ut etiam ſuperiùs ex Drejero p. 211. oſtendimus. *contra Lutherũ, qui ait, de doctrina cognoſcere ad omnes pertinet.*

Pag. 67. §. 4. ait: Ex hoc principio aſſiſtentiæ Spiritûs S. deductæ ſunt Concluſiones Theolog. Regiomon. pleræque, quas Regiomontani contra Lutheranos communiter defendunt, nec dubium eſt, quin omnes Catholicæ propoſitiones creditu neceſſariæ ita deduci queant. Sed hîc nebulas multi objicere ſolent, & cùm probare videantur aſsertiones ſuas, ex hoc principio reverà nihil probant, quod evadit manifeſtum, ſi Concluſio probanda conferatur cum dictis Patrum & Epiſcoporum, nempè antiquæ Eccleſiæ, v. g. Proteſtantes defendunt Communionem ſub una ſpecie illicitam, ad probandum hoc, farraginem ingentem dictorum Patrum corradunt, teſtantium, ſuo tempore populum ordinariè utramq; accepiſſe ſpeciem, aut Communionem ſub utraq; ſpecie eſſe licitam. Etenim magno conatu nihil agunt: utrumq; enim conceditur à Catholicis

ex eo, quòd Ecclesiæ semper licitū fuerit statuere, unam vel utramq; accipiant, ut superiùs clare ostensum est; id verò in quæstione est, an Patres Communionem sub una damnaverint, tanquam illicitam? & tum ab ullo Protestantium ex primis quinq; Sæculis afferri perspicua velim, quod Protestantes scio benè id nullum præstitisse hactenùs, nec præstiturum in posterùm.

Pag. 71. Author ait: Tibi verò si non vacat consulere Patres, imitêre Regiomontanos, qui uno verbo Catholica dogmata nominabant, in quibus Occidens & Oriens conspirant, non obstantibus quibuscunq; Lutheranorum, Calvinistarum, aliorumq; assertionibus. &c.

Pag. 73. §. 6. ait: Huic principio tantò constantiùs inhærebit is, qui perpendet occasionem, quâ ex Lutheranis cœtibus, duce Luthero, proscriptum fuit, cùm ab initio premeretur nova Lutheri inauditaq; doctrina auctoritate Ecclesiæ, & hoc principio everteretur, quæsivit refugium in Sacro Codice, causatus, S. Scripturam judicem esse omnium controversiarum: ut verò præoccuparet Objectiones, quæ prævidit, S. Scripturam egere explicatione, multaq; dogmata Christiana, quæ totus Orbis defendit, in illa non contineri, statim novas invexit sententias, S. Scripturam esse clarissimam, ita ut à quovis intelligi possit, &c. & cùm tantâ evidentiâ S. Scriptura sit, frustrà Ecclesiam judicium sibi soli vendicare, hinc lectio Scripturæ cuivis sinè discrimine permittenda, & judicio omnibus fidelibus; quæ novitas prurientibus auribus plebis gratissima fuit, plaudentis sibi novum tribui tribunal, coram quo Episcopi, Presbyteri, Magistri causam dicere cogerentur. &c. DEO verò gratiæ agendæ, quòd veritas hæc non potuerit opprimi, sed vi eruperit apud rigidos etiam Lutheranos. Hinc ipsimet libri Symbolici provocant ad testimonium Ecclesiæ; Augustana Confess. art. 21. Apolog. Conf. August. pag. 59. Corp. Doctri. Pruten. pag. 25. 154. Form. Concord. pag. 600. 756. 832. 833. Chemnic. Part. I. Exam. pag. 104. At si secundùm Lutherum S. Scriptura in omnibus est clara, ad quid posteri illius provocant ad testimonium Ecclesiæ?

NB. Astus Lutheri.

Pag. 80. inducit Drejerum Orat. de Orthodox. lit. C. 3. p. ult. qui ait: *Hæreticus est, qui contra Ecclesiæ Catholicæ definitionem Scripturam interpretatur, eamq; interpretatione pertinaciter defendit; imò & hæretici dicuntur heterodoxi, quia &c. diversum quid sentiunt, & defendunt à definitionibus Cathol. Ecclesiæ, ijsq; sua placita & inventa æstimant*

æstimant potiora. Vincent. Lirin. Monitorio aureo ait: *Nullam partem Catholici dogmatis abdicat; quia abdicatâ quâlibet parte Catholici dogmatis, alia quoq; atq; alia, ac deindè alia quasi jam ex more & licito abdicabuntur, porrò autem singulatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequitur, nisi ut totum pariter repudietur.* Is verò nullam partem Catholici dogmatis abdicat, qui cum pridem damnatis hæresiarchis planè nullum habet commercium in ulla propositione, definitione, argumentatione, cum pertinacia. An verò Catholici id faciant, an Lutherani, jam quæritur. Stabilimus verò judicio Regiomontanorum Professorum, quorum testimonium minùs rectè detrectabunt Lutherani, nullo unquam beneficio à Catholicis affecti, ab ipsis verò liberaliter habiti sunt, & hinc credibile non est, eos erga Lutheranos fuisse abreptos, aut amore quodam intempestivo in Catholicos fuisse ductos. &c.

Pag. 84. ait: Nullius verò, quantùm memini, hæreseos Doctores illi Catholicos egere reos, nec Zeidlerus in Tractatu de definitione hæretici, Catalogo hæresium Romano-Catholicos inseruit, pag. 105. contentus, Articulum de remissione peccatorum lustrâsse, eam nobis per solam fidem in Christum obvenire, Lutheranorum fert sententia. In Apolog. Conf. August. de Justificatione pag. 73. invenitur Articulus, *quòd remissionem peccatorum solâ Fide in Christum consequamur.* Ab initio statim disertè Apologia ait: *Solâ Fide in Christum, non per dilectionem, aut propter dilectionem, aut opera, consequimur remissionem peccatorum.* Hanc sententiam hæreticam esse, te Regiomont. Professores docebunt. Zeidlerus in Colleg. Controv. Th. 5. §. 37. Sect. 1. *Jam varia sunt, quorum interventu remissionē peccatorum consequimur, necessaria est Fides, necessaria insuper pœnitentia, ut quis peccata admissa agnoscat, atq; ex animo doleat, quin ab illis abstinere inposterùm, & vitam emendare inposterùm propositum habeat, requiritur & hoc, ut proximo, si is fortè fuerit offensus, offensas condonet, ad hæc supplicem quoq; DEO fieri oportet, & veniam ab eo precari, ad exemplum publicani. Quòdsi enormibus & prægrandibus, ijsq; notorijs delictis fortè alicui cœtui offendiculo fuit, clavibus insuper Ecclesiæ, antequam Eucharistiam accipiat, sese submittere cogitur.* En quot modos consequendi remissionem peccatorum docuit Zeidlerus, quibus Drejerus in Orat. Inaugurali in promot. Philip. Pfeifferi, & Behmius defendit ex Scriptura & Patribus, septem modos consequendi remissionem peccatorum, & his enumeratis à Zeidl.

addit ardentem dilectionem, eleëmosynam, martyrium, baptismū sanguinis; hæc omnia pugnant cum August. Confess. & Apologia. Drejerus in Orat. de Syncr. lit. K. f. 1. ait: *Voluntatis ex dilectione erga Ecclesiam tanquam Matrem nostram profluentem requiri præter Fidem in unoquoq; Ecclesiæ membro omninò asserimus, ne adversùs Ecclesiam insurgat, etsi non ob defectum Articuli Fidei, tamen propter istam inobedientiam anathema fiat. Quamprimùm enim aliquod dogma Ecclesiæ universæ esse ex propositione sufficienti cognoscimus, illud amplecti & approbare sinè dubitatione tenemur.* At verò ubi talis promptitudo, ubi plenis buccis Statuta Ecclesiæ irridentur, cùm ipse Lutherus præiverit exemplo, comburendo Jus Canonicum.

NB. ☞

Pag. 132. ait: Gratulor Regiomont. Academiæ, quòd rectiùs cæteris sapiat in Controversia, an Concupiscentia in homine verum propriéq; dictum sit peccatum? In Disput. Inaugurali pro loco Profess. 2. approbata à D. Sandio, D. Deutschius ita scribit §. 21. *si peccatum intelligas, quod hominem reum facit, atq; DEO exosum, negandum est, eam* (Concupiscentiam) *esse peccatum.*

Pag. 134 ait: Benedictus DEUS, qui inter Lutheranos excitavit, qui cum Leone X. Lutheri errores damnant, & quàm justè Lutherus damnatus sit, ostendunt; nam hic D. Deutschius Art. 3. Lutherum à Leone X. damnatum, & ipse damnat, negans, Concupiscentiam jam eo sensu peccatum esse, quòd hominem DEO exosum reddat, eumq; damnet.

Pag. 140. ait: Doctor Alberti agnoscit Luth. sententiam Sess. 6. Can. Concil. Trid. anathemate percussam: *Si quis liberum arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctū esse dixerit, anathema sit.*

Pag. 146. ait: Veram hanc Chemnitius moderatione egêre cernens interpellavit, dum Gerardus compulsus est fateri, Catholicorū sententiam, prout à Bellarmino exposita, nihil incommodi habere. &c. DEI admirabili providentiâ factum, quòd ipsi Lutherani millies Lutheri doctrinam refutârunt, damnârunt, ut superiùs de Rintelensibus Theologis ostendimus.

Pag. 154. Lutherus Wittembergæ An. 1535. in quadam Disputatione ait: *Propositionem, bona opera esse necessaria ad salutem, volumus damnatam, abrogatam, ex Ecclesiis & Scholis nostris penitùs explosam.* Quàm tetra hæc sit hæresis, ex Zeidleri verbis in Colleg. Controvers. Sect. 2. Thes. 1. collige: *Studij Sanctimoniæ necessitatem negârunt Simoniani, Nicolaitæ, Basilidiani, Valentiniani, Eunomiani, &*

NB.

alij

alij tales, & ideò anathemate percuſſi ab Eccleſia Catholica, ut videre eſt apud Iren. lib. 1. cap. 1. 20. & 21. Theodoret. lib. 1. hæret. fab. Auguſt. lib. de Hæreſibus.

Pag. 157. Le Blank in Theſ. pag. 582. Forbes in Conſiderat. pacifica pag. 125. *Negari nec poteſt, nec debet, multa de operum neceſſitate ad ſalutem à Luthero eiusq; aſſeclis ſequacibus rigidioribus admodùm incommodè atq; etiam inconſideratè dicta, quæ quocunq; demùm ſenſu vel reſpectu dicta fuerint, nos pravo aliorum more non excuſamus, nedum defendimus.*

Pag. 164. D. Sanden in Collegio Catech. c. 44. & 16. Collegarum ſententiam affert. *Nos,* inquit, *ſuperaddita quinq; non rejicimus, ſed ſolùm Sacramenta eo ſenſu, quo ſunt Baptiſmus & Euchariſtia, eſſe negamus.*

Pag. 168. De Liturgijs Zeidlerus in Tractat. de Pondere Controverſ. §. 126. ait: *Rectius retentæ fuiſſent Liturgiæ cum annexis Cæremonijs ab initio in Eccleſia uſitatis, & adhuc hodiè in univerſo Chriſtiano Orbe obtinentibus.*

Pag. 169. §. 4. *Panis in Euchariſtia propriè Corpus Chriſti, non per unionem, ſed per mutationem.* Hæc eſt Theſis Zeidleri in Colleg. Controv. Sect. 3. Subſtantialem verò eſſe eam, docet §. 12. in quo hæc leguntur: *Eiusmodi ſubſtantialem mutationem in Euchariſtiæ Sacramento ſemper agnovit Eccleſia, adeò, ut etiam Celeberrimi eius Doctores non veriti fuerint ſcribere, quòd elementa panis & vini propter mutationem hanc ſua amittant nomina, & non panis ampliùs & vinũ, ſed Corpus & Sanguis Chriſti ſunt dicenda.* Cyrillus Hieroſol. Catech. 4. Myſtag. ait: *Pro certiſſimo habeas, panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe Corpus Chriſti.* Et §. 13. monet, Chriſtianum non oportere ſenſibus inhærere, ſed animum elevare ad id, quod credendum Salvator propoſuit, quodq; *poſt conſecrationem relinquitur in Menſa Domini, non eſſe panem nec vinum, ſed Corpus & Sanguinem Chriſti, quatenùs iudicium non ex ſenſibus, ſed ex fide procedit; Fidem enim non eſſe eorum, quæ oculis patent, aut ſenſibus dignoſcuntur, ſed eorum, quæ non cernuntur.* Hæc quantùm ſint Lutheranis adverſa, in propatulo eſt pag. 178.

Zeidlerus adducit S. Cyrillum.

Pag. 178. Wernero etiam ſeni ſemper in ore fuit illud S. Auguſtini lib. 3. de Orig. animæ cap. 9. *Noli credere, noli docere, infantes. antequam baptizentur, morte præventos, pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus.*

Pag.

Pag. 180. Concord. de peccato Orig. & Concupisc. Wormatiæ inita An. 1541. hæc habet: *Consentimus, in Baptismo reatum peccati Originalis remitti cum omnibus peccatis, per meritum Christi; manere autem, non solùm Apostolicis Scripturis, sed ipsâ etiam experientiâ docti sentimus, Concupiscentiam vitium naturæ, infirmitatem, morbum, de quo quidem morbo in renatis inter nos convenit, quòd maneat materiale peccati Originalis, sublato formali per Baptismum. Materiale autem peccati vocamus, quod ad peccatum inclinat.* Quis Catholicus meliùs dicere poterat, quàmq; contrarium sit Luthero & Calvino? Vide Discursum de Concupiscentia.

Pag. 182. §. 6. De Chrismate quid senserint Regiomontani, patet ex Zeidlero. Tract. de pondere Controv. §. 118. sic scribit: *Porrò certum est, quòd Chrismatis quoq; iam indè ab Apostolorum tempore in Ecclesia fuerit usus. Referunt eò nonnulli Veterum, locum illum* ex 2. Corint. Cap. 1. *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos DEUS, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris; quamvis enim verba hæc de spirituali unctione propriè sunt intelligenda, nihil tamen impedit, quò minùs & de externa unctione & obsignatione, unquam signaculo istius accipiantur.* Ita sanè accepit Ambrosius lib. de initiand. cap. 7. & Hieron. in Comment. Sedulius quoque. Sed audiamus Programma in honorem SpiritûsS, à Rectore & Senatu Academ. Regiomont. A. 1669. in Festo Pentecost. propositum: *In primitiva Ecclesia* (verba Program.) *& maturè quidem ipsiq; adeò Apostoli & Apostolici viri, unguentum quoddam ex oleo & balsamo confectum, adhibuerunt in Baptismo credentium, vel paulò post Baptismum, ad internam unctionem Spiritûs denotandam, vel etiam augendam. Et in hanc unctionem digitum intendere videtur Joannes, dum dicit: Unctio quam accepistis, ab eo manet in vobis, &c. Eò & Paulus spectat* 2. Corint. 1. Ephel. 1. *Nolite contristare Spiritum S. DEI, in quo signati estis in die redemptionis; dum enim ungebantur, signabantur signo Crucis in fronte, indè non tantùm unctionis, sed & signationis hîc fit mentio, &c. Hæc Patres à temporibus Apostolorum diligenter observârunt, & semper in usu habuerunt, ut scilicet baptizatos Chrismate ungerent, iisq; manus imponerent, ad conferendum illis Spiritum S, vel augendam in ipsis Spiritûs gratiam.* Et hæc sententia in tribus alijs Programmatibus fusissimè est probata. Conf. etiam Programma Pentecost. A. 1676. quod Zeidlerum habet Auctorem, sicuti priora Drejerum.

Pag.

Pag. 185. Sacramentum Pœnitentiæ; Hujus partes Lutherani ajunt esse duas, Contritionem, seu terrores ex minis Legis, juxta Artic. 12. August. Conf. ac Fidem, seu fiduciam quandam certam remissionis peccatorum, ut ex Apolog. patet. Obiter notandum, quomodo terrores ex minis Legis debent habere Lutherani, cùm illos Lutherus solvit ab omni Lege, & solùm credere jussit? numquid Confess. August. majorem spiritum habuit Magistro suo? Regiomontani Fidem noluerunt esse partem Pœnitentiæ, sed fundamentum ejus. Tres verò D. Sanden in Disput. Inaug. D. Pfeifferi pro gradu, Contritionem, Confessionem, Satisfactionem admittebat, contra Apolog. August. Confess. ut qui tum adstabamus Auditores, sanctè testari possumus.

Pag. 189. D. Sanden in Coll. Instit. Catech. cap. 34. Thes. 5. ait: *Neq; improbandum ejusmodi regimen Episcopale, quod manet intra terminos, quibus ab initio est definitum, sed tanquam ordini & rebus in Ecclesia gerendis congruum, omninò est approbandum, & ubi expiravit, per omnia vota exoptandum & revocandum.*

NB. *apud Lutheranos & Calvinistas.*

Pag. 190. c. 7. Apostolicis & Ecclesiasticis sanctionibus adversantia defendunt Lutherani, & multa ex his, quæ in hæreticis primitiva notavit Ecclesia. Id in sequentibus observârunt Regiomontani, 1. in doctrina de Jejunijs, 2. de Precibus pro defunctis, 3. de Consilijs Evangelicæ perfectionis, Virginitate, spontanea Paupertate, & Obedientia. Agnoverunt Prussici Doctores hi, Continentiam perpetuam DEO gratam, ejusq; consilium à Christo Matth. c. 19. & Apostolo 1. Corint. 7. datum esse. Zeidlerus in Tract. de pondere Controv. §. 100. ait: *Improbant quoq; Reformatæ Ecclesiæ pleræq; Votum Continentiæ, quod tamen & ipsum simpliciter probari non potest; nam Christus ipse laude dignos iudicat illos, qui seipsos castrant propter Regnum Cœlorum,* Matth. 19. *Ex Patribus quoq; constat, quòd tam indè ab incunabulis fuerint, qui Continentiæ perpetuæ votum fecerunt; imò ex Apostolo patet* 1. Tim. 5. *Adolescentiores viduas devita, cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quæ verba de Voto Continentiæ perpetuo deinceps servandæ, Patres ferè omnes exponunt. Habeo certam scientiam de Drejero, quòd amissâ unâ uxore, ampliùs nubere noluit, Jejunium quoq; Quadragesimæ observabat. Hæc omnia reijciuntur in Apologia August. Conf. pag. 278. vide quæ habentur. Neq; terreat Lectorem Objectio, à multis desumpta ab abusibus & opini-

Zeidlerus.

Si vidua habet æternā damnationem, multò magis Religiosȩ cum Religiosa cohabitans.

opinionibus, quos Zeidlerus in Tract. de pondere Controv. §. 125. ita defendit: *Neq; ob abusum aut opinionem falsam, quæ de re in se bona ac saluberrima à quibusdam fovetur, tollendus continuò est & usus eius, alioquin nihil ferè ampliùs in toto DEI cultu, ac ne ipsa quidem Sacramenta tuta essent.* Hæc auctoritas Zeidleri appositè quadrat Luthero, qui ex particularibus abusibus omnia, quæcunq; erant sancta, tollere voluit.

Pag. 204. Porrò Doctores Drejerus, Zeidlerus, & Collegæ eorum docuerunt, Jejunia statu Ecclesiæ esse observanda, scriptis Tractatibus de hac materia prolixis. Nimirùm defenderunt Quadragesimale Jejunium manare ab institutione Apostolica, à tota Ecclesia semper & ubiq; fuisse observatum, & adhuc hodie observari gravibus de causis: 1. ad imitationem Christi 40. diebus jejunantis, argumentumq; hoc, Christus jejunavit 40. diebus, ergo & nos jejunare oportet, ab irrisione vindicârunt, ut potè quo usi sunt antiquissimi Patres; ut S. Ignatius Martyr, ad Philipp. dum ait: *Quadragesimam nolite despicere, imitationem enim habet conversationis Christi.* S. Leo M. Serm. 6. de Quadrag. ait: *Quod ergo, dilectissimi, in omni tempore unumquemq; facere convenit Christianum, id nunc sollicitiùs & devotiùs est exequendum, ut Apostolica institutio 40. dierum ieiuniis impleatur.* Isidorus Hispal. lib. 6. cap. 19. Orig. *Quadragesima in universo Orbe institutione Apostolicâ observatur, circa confinium Dñicæ Passionis.*

Pag. 213. §. 6. De efficacia precum pro mortuis piè itidem Regiomontani crediderunt, quod Catholica per Orbem confitetur Ecclesia. Zeidlerus in Concione 15. in Psal. 73. Regiomonti typis expressa An. 1676.

Pag. 214. Laudat Zeidlerus preces, quas Angli habent libr. commun. precum tempore Eduardi An. 1544. impresso in administrat. Cænæ Dñicæ: *Commendamus etiam tibi, Domine, reliquos omnes servos tuos, qui ex hac vita discesserunt cum signo Fidei, ut nunc requiescant in somno pacis, concede illis, quæso, misericordiam tuam, & æternam pacem;* eos verò esse hæreticos, qui ejusmodi preces in dubium revocant, exemplo Aerij, testis est Zeidlerus in Colleg. Controv. Sect. 11. Thes. 10. §. 24. his verbis: *Nec inventus fuit quisquā, qui preces istas disputaret, nisi ex censu hæreticorum, ab Ecclesia damnatorum.*

Purgatoriū agnoscit Zeidlerus.

idem censet hæreticos, qui negant preces pro defunctis.

Pag. 218. Cap. 8. Drejerus: *Hæreticorum* (ait) *proprium est Patrum contemnere auctoritatem, suaq; inventa illorum semper probatis opinionibus præferre.*

Pag.

Pag. 253. Romanum Pontificem non esse Antichristum, Zeidlerus in lectionibus, quas publicè habuit de causis corruptæ Theol. rationibus prægnantibus evincit, jubet nos diligenter perpendere, quòd Antichristus in S. Scriptura nobis describatur homo unicus, 2. ad Thessal. 2. Vide ibidem alias illius convincentes, & hanc calumniam explodentes rationes: Tanta est vis veritatis, ut etiam is, qui à Catholicis ad Calvinistas in Anglia discesserat, Marcus Antonius de Dominis, lib. 7. de Rep. Ecclesiast. cap. 10. N. 188. f. 199. jurejurando confirmat, Pontificem non esse Antichristum: *Profectò*, ait, *ille Antichristus esse non potest.* Nihil verius dici & scribi poterat à magno Hugone Grotio in Append. ad Comment. de Antichristo, quàm hoc: *Nimirùm eorum, qui Schisma perpetuum esse volunt, qui ad ipsum unitatis Ecclesiæ ac concordiæ nomen contremiscunt, interest, Papam credi Antichristum, ac non posse non esse talem usq; ad Domini adventum, nisi Schisma esset, non haberent multi undè viverent.*

Pag. 259. Nec Ecclesia, quæ subest Summo Pontifici, est idololatrica. Zeidlerus in Tract. de pond. Controv. rectè æstimando protestatur, quòd *preces ad Sanctos fusas tanquam idololatriæ labe infectas damnare non possit. Certum enim* (ait) *est, quòd à Seculo propemodùm Quarto in Ecclesiis tam Orientalibus, quàm Occidentalibus fuerint variè usitatæ. §. 39.* Et sub ejusdem §. finem ait, *quòd non deferant cultum soli DEO debitum creaturæ, sed id à Sanctis demortuis exposcant, quod à viventibus circa reprehensionem omnes exigimus, nempè, ut intercedant sive orent apud Deum pro nobis, quod pertinet ad duliam illam, quam Paulus vult, per charitatem servire nos nobis invicem.* §. sequenti citat ipsum Lutherum in Epist. ad Georg. Spalatinum A. 1518. scripta, absolventem ejusmodi compellationes ab idololatria. Deindè pergit Zeidlerus: *Quòdsi autem in Papatu fuerant longiùs progressi, aut etiam nunc progrediantur, aut à Sanctis tanquam authoribus & adhuc hodiè petant remissionem peccatorum, gratiam, vitam æternam, & alia ejusmodi, quæ largiri solius Dei est, id, ut antè diximus, universæ Pontificiæ Ecclesiæ tribuendum non est, cùm & ipsum Concilium Trid. Sess. 25. abusus circa invocationem SS. irrepsisset, cupiat prorsùs aboleri.* Hoc tamen notandum Protestantibus omnibus, quòd vix aliquis ex Catholicis inveniretur tam simplex, ut à Sancto tanquam auctore peteret aliquid. Sciunt enim omnes Catholici, etiam rudes, Sanctos esse amicos Dei, servos, non autem auctores illorum, quæ petunt ab illis.

Pag. 272. Notabilia sunt verba Zeidleri de Communione: *Sive ergo quis Carnem, sive Sanguinem, sive utrumq; simul sumat, eundem*

aſsequi fructum poterit, ob Divinitatem in eis contentam, dummodò cum debita præparatione accedat, ne ſi unam ſpeciem accipiat, ab altera ex contemptu aliquo abſtineat, quod fecerunt olim Manichæi, qui ſub una ſaltim ſpecie, panis ſcilicet communicabant, quòd vinum, tanquam fel diaboli, ut referunt de illis Epiphan. & Auguſtin. averſarentur. Citat verba Leonis M. ex Serm. 4. de Quadrag. ſ. 93. Idem Zeidlerus, pro hactenùs dictis confirmandis, citat Lutherũ de utraq; ſpecie ad Bohem. Tom. 2. Jenen. Germ. ſuadentem, ut ſub una ſpecie accipiant Euchariſtiam: vellem tamen, abſtinuiſſet Zeidlerus ab allegatione Lutheri, eò quòd manifeſtum ſit, eum inconſtantem, ſi uſpiam, in doctrina de Sacramentis fuiſſe. M. Anton. de Dominis lib. 5. de Rep. Eccleſ. c. 6. N. 279. ait: *Dico, non eſſe adeò ſub præcepto, ut Euchariſtia & in cibo & in potu ſemper à fidelibus ſumatur, quin ex gravi cauſa poſſit cum fructu licitè etiam ſub pane ſumi.* Quæ adduxit Zeidlerus, ſatis antiquitatem Communionis ſub una ſpecie loquuntur: ad Apoſtolicam verò ætatem eandem referri poſſe, judicio eſt, quòd non conſtet, quando Communio ſub una ſit in Eccleſia introducta. Auguſtana Conf. id exerte fatetur, *non conſtare, quando, aut quo auctore ſit mos iſte*; ratio hujus, cùm non fuerit præceptum Divinũ de utraq; ſumenda, Eccleſia mutabat ſecundùm exigentiam, ut occurreret hæreſibus. Pag. 277. Zeidlerus Tract. laudato §. 54. ſentit, *nihil quidquam Sacrificio Chriſti in ara Crucis pro nobis oblato derogari*, qui §. 55. ita ſcribit: *Et hactenùs quidem abſurdum non eſt dicere, quòd Chriſtus in Euchariſtia ſacrificetur, habemus enim in ea præſens Corpus Chriſti, & quidem illud, quod pro nobis in mortem traditum eſt: præſentem item habemus Sanguinem ejus, qui pro nobis effuſus eſt.* Lucæ 22. Idem ait: *Ob hanc utiq; cauſam paſſim Euchariſtiam Sacrificium vocarunt priſci Eccleſiæ Doctores, tam Græci, quàm Latini*, quos magno numero adducit idem Zeidlerus. Pag. 193. Apologia Auguſtanæ Confeſs. art. de Eccleſia, imponit falsò Catholicis, quaſi ſtatuerent, mereri homines remiſſionem peccatorum dilectione erga Deum ante gratiam; Zeidlerus hanc falſam opinionem expungit, Tract. de pondere Controv. §. 41. dum ait: *Toti Pontificiæ Eccleſiæ abſit, ut ejuſmodi ſententiam imputemus. Longè aliam ejus doctrinam eſſe, vel ex ipſo Trident. Concil. patet, velut ex Seſs. 6. ubi anathemate Pelagianorum foventes hæreſim apertiſsimè percutiuntur.*

contrarium Luthero.

Plura alia in hoc Libro, Benevole Lector, invenies, quæ inſervient bono animæ tuæ, quæ brevitatis causâ omittere debuimus. Inſervient, inquam, ſi benè perſpectas habeas ſententias Catholicorum, & fraudes hæreticorum intelligas, quibus tot populos à Matre ſua Eccleſia Catholica avulſerunt. Cùm ergo memorati Doctores multa Catholicè ſcripſerunt, benè advertit Chriſtianus Helwich, quòd multis ad veritatis domum oſtenderint viam, & adhuc oſtendent, maximè illis, qui Scripta illorum revolvent: præcipuè de Schola Drejerana non modica ſpes affulget, quæ tenetur ſequi Doctorem ſuum, qui in exitu vitæ ſuæ optavit omnibus Proteſtantibus, uniri cum Eccleſia Cathol. Romana, ad quod obſtrictos in conſcientia reliquit, ut ſuperiùs innuimus.

Diſcur-

Discursus Theolog.
De Perfidia & Cæcitate Iudaica.

CUm jam ad oculum ostenderimus multas Sectas, & propè infinitas hæreses, quæ indies multiplicantur, nullam ex illis veram habere Ecclesiam, cùm separatæ sint ab unica & vera JESU Christi Ecclesia Cath. Romana; nam solam talem instituit DEUS, & contra illam Christus promisit non prævalituras portas inferi, eandem Columnam vocaverit Apostolus: restat aliquid dicendum de Secta Judaica, in qua ante adventum Christi, veræ Messiæ, fuit verus cultus DEI, licèt fuerit Particularis Ecclesia, quæ transijt in Ecclesiam modernam Universalem.

Sciendum 1mò, quòd licèt populus Israëliticus ex Abraham, Isaac & Jacob progenitus fuerit, cui specialiter promissum fuit, quòd ex eo Christus nasceretur, ut Sacræ literæ testantur, tamen præter hos per Carnalem generationem dictos Israëlitas, fuerunt etiam alij populi DEUM colentes, & ad Civitatem DEI pertinentes, qui Israelitæ secundùm Spiritum vocantur, de quibus sic S. August. lib. 18. de Civit. DEI cap. 47. ait: Nec ipsos Judæos existimo audere „ contendere, neminem pertinuisse ad Deum, præter Israëlitas, &c. „ quia si negant, facillimè convincuntur de sancto & mirabili viro „ Job, qui nec indigena, nec proselythus, id est advena, populi Isra- „ elitici fuit, sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibi mor- „ tuus est, qui Divino sic laudatur eloquio, ut quò ad justitiam pie- „ tatemq; attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquaretur, „ &c. quem pro sui merito Israëlitæ in auctoritatem Canonicam re- „ ceperunt. &c. Divinitùs autem provisum fuisse non dubito, ut „ ex hoc uno sciremus, etiam per alias gentes esse potuisse, qui se- „ cundùm DEUM vixerunt, eiq; placuerunt, pertinentes ad Spiri- „ tualem Jerusalem. &c. Hæc S. August. Et facilè idem constat ex „ amicis Job, qui omnes amplissimas habebant familias, utiq; in DEUM credentes. Similiter patet ex Melchisedech, Gen. 14. ℣. 18. qui dicitur Sacerdos DEI altissimi occurrisse Abrahæ, qui utiq; habebat populum etiam in DEUM credentem, præter Abraham & familiam ejus. Idem colligitur ex libro Danielis, ubi Angelus Persarum diù restitit, ne Judæi ex captivitate Babilonica liberarentur, idq; ob bonum Persarum, quorum plurimi ad DEUM per exemplum

Judæorum convertebantur, ut Sancti Patres notant, qui tamen non circumcidebantur. Et sic patet, quòd populus Israëliticus seu Judaicus, non erat universalis DEI Ecclesia, sed tantùm particularis, sive præcipua.

Sciendum 2dò, quòd omnes, quotquot vel ex Israëlitis, vel ex alijs gentibus, ad veram DEI Ecclesiam spectabant, ante Christi adventum, Christum venturum credebant, ut ait S. August. ibidem " dicens, quòd nemini concessum esse credendum est, (scilicet ut " esset de Ecclesia DEI) nisi cui divinitùs revelatus est unus media- " tor DEI & hominum, Homo Christus JESUS, qui venturus in " carne, sic antiquis Sanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis " venisse nunciatus est, ut una eademq; Fides per ipsum, omnes in " DEI Civitatem, in donum DEI, in DEI Templum prædestina- " tos, perducat ad DEUM. &c. Hæc ille; ubi cap. 48. & 49. notat, quòd Ecclesia in hoc sæculo constet ex electis & reprobis permixtis.

Judæi tamen, tam obstinatissimè, quàm impudentissimè negant, Christum Dominum non esse verum Messiam, & dicunt, quòd nondum venerit. Sed scire debent, quòd Christus Dominus à DEO promissus, non solùm ex Judæis, sed ex omnibus gentibus unitum populum habere debeat, & perfectius Regnum erecturus sit, quàm Judæorum fuerit. Hoc enim patet ex plurimis S. ScripturæVet. Testamenti locis, quorum plura relata sunt suprà, cùm probatum est de Ecclesia Christi vera à Prophetis prædicta, quòd per omnes gentes diffundenda esset, & in sequentibus patebit.

Probatur. Quòd Christus JESUS Dominus noster ex Immaculata Virgine MARIA genitus sit verus Messias, qui in Lege, Psalmis, & Prophetis promissus est, cùm impleta sint omnia, quæ prophetata sunt de Christo Domino, ut ipsemet de se ait Joan. 5. *Scrutamini Scripturas, illæ enim testimonium perhibent de me*, quia non solùm continent promissionem ipsius Messiæ, sed etiam signa particularia, & sufficientia temporis adventûs ejus; & ideò subjungit Christus Dominus: *Si crederetis Moysi, crederetis utiq; & mihi, ille enim de me scripsit*; quod intelligendum est, non solùm, quia Deuter. 18. habetur expressa promissio, *Prophetam suscitabo eis, &c.* sed etiam, quia tota Lex Moysis fuit quædam Prophetia & Figura Christi, ut dixit S. August. 16. contra Faust. cap. 22. atq; hoc modo persuadendi Fidem de seipso usus est Christus Dominus Lucæ ultimo,

ubi incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de seipso scripta erant. Et infrà dicit: *Necesse erat impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege, & Prophetis, & Psalmis de me.* Eodem argumento usi sunt omnes, qui testimonium Christo dederunt. Angelus enim, annuncians mysterium Incarnationis, statim antiquas Prophetias indicavit, dicens: *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus*; & Beata Virgo in suo Cantico: *Sicut loquutus est ad Patres nostros*; & Zacharias in suo: *Sicut loquutus est per os Sanctorum, qui à Sæculo sunt Prophetarum ejus*; & Simeon in suo: *Quod parâsti ante faciem omnium populorum.* Luc. 1. & 2. & Matth. 3. *Hic est enim, qui dictus est per Isaiam Prophetam.* Idem servârunt Evangelistæ, ut de Incarnatione patet Matth. 1. ℣. 22., de Nativitate Matth. 2. ℣. 6., de Passione Matth. 26. ℣. 31. & Joan. 19. ℣ 24. 36. 37. Ac deniq; idem servârunt Apostoli, præcipuè, quando ad Judæos prædicabant, ut patet Act. 2. 3. & 13. ac 15. & optimè Paulus in Epist. ad Hebr. & ad Rom. 1. in principio, & Petrus 2. Epist. Cap. 2.

Similiter SS. Patres & Ecclesiæ Doctores prolixè egerunt contra errores Judæorum. S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, de veritate Christianæ Religionis: S. Cyprianus, Episcopus & Martyr, lib. 1. & 2. contra Judæos ad Quirinum, & in Tractatu sibi ascripto de montibus Sina & Sion adversùs Judæos: Eusebius Cæsariensis lib. 1. & reliquis sequentibus de Demonstratione Evangelica, cujus etiam libri de Præparatione Evangelica conferunt in permultis Capitibus: S. Ambros. in libris de Vocatione Gentiū: S. August. tum Oratione de 5. hæresibus adversùs Paganos, Judæos, Manichæos, Arianos, & Sabellianos, tum Orat. seu Concione ad Catechumenos, contra Judæos, Paganos, & Arianos; item aliâ Orat. adversùs Judæos: S. Hieron. in varijs Commentarijs Vet. ac Novi Testamenti, & compluribus Opusculis atq; Epistolis: S. Greg. Nyssenus libro de Trinitate adversùs Judæos, & libro ei ascripto de Cognitione DEI: S. Chrysost. in Homilia 44. in Matth. C. 12. *Cùm spiritus immundus*; in Homilia seu Sermone de Evangelio, *Nuptiæ factæ sunt*, contra Judæos, Gentiles, & Hæreticos, & in 5. Orationibus contra Judæos: S. Cyrillus Alexandr. libro adversùs Judæos, & in libris contra Julianum Apostatam: S. Leo Papa Serm. 11. de Nativ. Dñi, ubi contra Judæos expectantes Messiam hominem: S. Isidorus Hispalensis lib. 1. contra Judæos, & lib. 2. de Vocatione Gentium ad

ſanctam Sororem ſuam Florentiam: & alij ex Veteribus, quos prolixum eſſet enumerare. Ex recentioribus verò Petrus Damianus contra Judæos: Petrus Alfonſus, ex Judæo Chriſtianus, baptizatus An. 1106. libello ſeu Dialogo contra Judæos & Saracenos: Rabbi Samuel, oriundus ex Civitate Marochi, in vulgatiſſima & tritiſſima Epiſtola ad Rabbi Iſaac, quæ hodiè circumfertur, tam Latinâ, quàm vulgari Italicâ & Hiſpanicâ linguâ, legiturq; Tom. 5. Biblioth. SS. Patrum, & poſt Scrutinium Scripturale Burgenſis: Nicolaus de Lyra, præcipuè libello contra Judaïcam perfidiam, qui habetur in fine Gloſsæ ordin: Paulus Burgenſis in Scrutinio Scripturarum: Raymundus in ſuo Pugione: Petrus Cavellaria libro dicto, *Zelus Chriſti contra Judæos*: Nicol. Porchetus: Guilielm. Tutanus in Fortalitio Fidei: P. Suaroz principio primi Tomi in tertiam partem D. Thomæ: & alij quàm plures Authores, apud Poſsevinum libr. 9. Bibliothecæ: pleniùs tamen apud Cardinalem de S. Severino in ſuo Rituali, Tractatu de Infidelium Converſione procuranda: inter alios S. Auguſtinus lib. de Civit. DEI, cap 18. 27. & ſeq. ſicut & compendioſiùs in Orat. contra Judæos, Paganos, & Arianos, ut habentur Tom. 6. edit. Baſil A. 1528. Licèt autem multis locis Novi Teſtam. veritas contra Judæos probari poteſt, quia tamen Judæi non recipiunt illud, SS. Patres ex Veteri Teſtamento, Prophetis, Pſalmis, adventum veri Meſſiæ probant primò, ad confundendam cæcitatem Judæorum, deindè ex Novo Teſtamento, tum ex ipſorummet Rabbinis, caliganti oculo Judæorum clarè oſtendunt. Undè S. Auguſt. Orat. contra Judæos cap. 2. edit cit. „De Sanctis ergo Scripturis, quarum „& apud ipſos magna habetur authoritas, horrenda ſunt teſtimo„nia, quorum etſi nolint oblatâ utilitate ſanari, apertâ poſſunt u„tilitate cruciari. &c. Cùm autem plura ſint teſtimonia in Veteri Teſtamento, nos aliqua ex illis adducemus.

Adducuntur itaq; ex Vet. Teſtam. teſtimonia de adventu veri Meſſiæ. *Primò*, Geneſis 49. dicitur: *Vocavit Jacob filios ſuos, & ait eis: Congregamini, ut annunciem, quæ ventura ſunt vobis in diebus noviſſimis, &c.* Et poſteà ℣. 10. dicit: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Conſtat autem, quòd regimen Sacerdotum Machabæorum duraverit usq; ad tempus Herodis Aſcalonitæ, prout deducit S. Auguſt. lib. 18. de Civit. DEI cap. 45. qui primus non erat de gente Judæorum, ſed Idumæus, quo regnante natus eſt Chriſtus Domi-

Dominus. Nicolaus Lyranus, ex Judæis parentibus natus, conversus, floruit An. 1330. Hebraicæ linguæ peritissimus, in Postilla circa hunc locum, & in libello speciali affirmat, hunc locum intelligendum esse de vero Messia in Lege promisso, idq; probat efficaciter ex translatione Chaldaica, quæ ita est authentica apud Judæos, ut nullus Doctor eorum ausus fuerit illi contradicere; immo quando aliqua vetus expositio Hebraica est obscura, recurrunt ad hanc pro explicatione. Ita etiam ostendit Paulus Burgensis Episcopus, & ipse ex Judæo conversus, peritissimus Hebraicæ linguæ, in suo Scrutinio Scripturarum, dist. 3. cap. 2. &c. In hac ergo translatione Chaldaica sic expresse habetur: *Non auferetur Sceptrum de Juda, nec dux &c. donec veniat Messias.* Et Burgensis ex antiquis Rabbinis probat, quòd Jacob per novissimos dies intellexerit tempus Messiæ, adeóq; cùm defecerit Sceptrum de Juda, Messias venit.

Secundò probatur Danielis 9. ubi Gabriel Angelus à Domino missus, indicat Danieli non solùm ea, quæ desideraverat, quò ad liberationem ex captivitate Babilonica per Jeremiam prædictam, sed quæ posteà ventura essent de perfecta liberatione per Messiam, cùm dicit ℣. 25. & seq. *Scito ergo, & animadverte ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usq; ad Christū Ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursùm ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & Sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usq; ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Hæc Angelus ad Danielem. Hoc loco agi de adventu Messiæ veri, certum est, nec Judæorum Rabbini antiqui negant. Itaq; concedunt Rabbini, quòd per hebdomadam intelligatur non hebdomada dierum, sed annorum, scilicet septem anni, & sic computatæ septuaginta hebdomades 490 annos, quos Doctores Catholici, & præsertim Nicolaus de Lyra, expresse ex Historijs Sacris, & etiam Josepho de Antiquitate probant effluxisse à tempore, quo Angelus locutus est Danieli, usq; ad Christi Domini Baptismum, quia posteà in medio hebdomadis, scilicet tribus annis post Baptismum, Christus occisus est. Post hæc in ultionem necis Christi, DEO disponente, venit populus Romanus cum

Duce Vespasiano, & dissipavit Civitatem Jerusalem, & Sanctuarium, prout ex omnibus Historijs, etiam Josephi, clarum est, & tunc defecit Sacrificium, & hostia, ut patet, & hæc desolatio durabit usq; ad finem mundi. Undè cùm experientia hæc omnia probet, quæ Angelus Danieli prædixerat, nimis cæca & indurata est Judæorum pertinacia, negantium Christum Messiam venisse, ut à perfidia liberentur. Paulus Burgensis ex ipsis antiquis Rabbinis apud Judæos authenticis probat, quòd licet diversis modis hebdomadarum initium vel cursum assignârunt, tamen tempus ab illis declaratum jam dudum effluxerit, ut ideò moderni Judæi minùs excusabiles sint.

Tertiò probatur, quòd Christus Dominus & verus Messias non solùm ex semine Abrahæ, juxta illud Gen. 22. ℣. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*; sed specialiter ex semine David nasciturus erat, secundùm illud Ps. 88. ℣. 5. *Juravi David servo meo, usq; in æternum præparabo semen tuum, &c.* ℣. 30. *Et ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies Cœli, &c.* prout pluribus alijs testimonijs probari posset: sed quia Judæi hoc fatentur, duo sufficiant. Primum Isaiæ 11. ℣. 1. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, &c. Non secundùm visionem oculorum iudicabit, &c. sed iudicabit in iustitia pauperes, & percutiet terram virgâ oris sui, &c.* quod Caput ad literam intelligendum esse de vero Messia, etiam fatentur Hebræi. Undè & in translatione Chaldaica sic habetur: *Exibit* Rex *de filijs Isai, & Messias de filijs filiorum eius. &c.* Similiter Ezech. 34. ℣. 23. ubi dicit Dominus: *Suscitabo super eas* (oves meas) *Pastorem unum, qui pascat eas, Servum meum David, ipse pascet eas, & ipse erit eis in Pastorem. Ego autem Dominus ero eis in* DEUM, *& Servus meus David Princeps in medio eorum, &c.* ubi in confesso est, etiam apud Judæos, prout fatetur Rabbi Salomon, quòd etiam in fine Prophetiæ dicitur Emmanuel, id est, nobiscum DEUS. Quid clarius de Christo Domino, qui erat DEUS & Homo?

Quartò probatur Micheæ 5. *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Hunc locum de vero Messia etiam ipsi Judæi intelligũt, inter alios Rabbi Salomon, dicens: *Dominator, id est Messias, Filius David.* Et translatio Chaldaica, summæ apud Judæos auctoritatis, sic habet: *Ex te enim egredietur Messias.* Et sic etiam responderunt Herodi Principes Sacerdotum & Scribæ

Scribæ populi, interrogati, ubi Christus nasciturus esset? Matth. 2. Dicitur autem Ephrata, quia illud Oppidum prius vocabatur Ephrata, existens in termino Tribûs Juda. Constat autem ex Evangelio, quòd Dominus JESUS Nazarenus in Bethleem natus fuerit, ubi illum Magi invenerunt, juxta Sacerdotum eloquium. Istis autem Prophetiæ verbis, duplex Christi natura, Divina & humana, & utraq; naturæ nativitas exprimitur, una secundùm humanam in Bethleem, altera secundùm Divinam à diebus æternitatis.

Quintò. Malach. 1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus. &c.* Hæc ibi. Quæ verba adeò clara sunt, ut absq; ulla interpretatione significent Sacrificia Judæorum tollenda, & quòd Sacrificium unicum in gentibus, omni in loco sit offerendum, adeò certò, ut more consueto Prophetarum, de futuro, acsi præsens esset, enuncietur ob certitudinem Divinæ Prophetiæ. Hoc autem Sacrificium clarè denotatur esse id, quod Christus verus Messias in ultima Cæna instituit, & ab illo tempore in omni loco per totum Orbem offertur, scilicet Corpus ejus & Sanguis, sub speciebus panis & vini, in quo Christus ipsemet primarius est Sacerdos, & etiam oblatio, adeòq; mundissima. De hoc Sacerdote & Sacrificio etiam David prædixerat Ps. 109. *Tu es Sacerdos in æternum, &c.* prout experientia testatur jam esse completum. Undè S. August. lib. 18. de Civit. DEI cap. 35. arguens Judæos sic ait: Malachias prophetans Ecclesiam, quam per Christum jam cernimus propagatam, Judæis apertissimè dicit ex persona DEI: *Non est voluntas mea &c.* Hoc Sacrificium per Sacerdotium Christi, secundùm ordinem Melchisedech, cùm in omni loco à Solis ortu usq; ad occasum jam videamus offerri, Sacrificium autem Judæorum cessâsse negare non possunt, quid adhuc expectant alium Christum? Hæc August. Etsi autem Judæi auctoritatem D. Augustini nihili faciant, argumentum tamen ipsius ex S. Scriptura, & illius per experientiam impletione procedens, convincit illos: multò autem magis convincere deberet modernos Acatholicos, hoc Sacrificium perfrictâ fronte negantes, contra tam clara verba Vet. & Novi Testam. & doctrinam SS. Patrum, ac specialiter S. Augustini, quam maximi se facere jactitant. Prophetia autem Malachiæ adeò clara est, ut etiam ipsos Judæorum Rabbinos convicerit, præcipuè antiquiores, inter quos Rabbi Pinnas, filius Jahir,

" Com. in Cap. 28. Num. sic dicit: Tempore Messiæ omnia Sacri-
" ficia cessabunt, & Sacrificium panis & vini nunquam cessabit, &
" sicut dictum est, *Melchisedech obtulit panem & vinum*, id est Mes-
" sias, Rex totius mundi justissimus, accepit panem & vinum, hoc
" est, separabit à cessatione Sacrificiorum, Sacrificium panis & vini,
" ut dictum est Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm or-*
" *dinem Melchisedech, &c.* Hæc ille. Similiter Rabbi Harrados ex R.
" Simeone lib. Revelat. Secretorum sic ait: Hoc est Sacrificium,
" quod, postquam venerit Messias, facient Sacerdotes coram DEO
" Sancto & Benedicto. Tunc enim cessabunt omnia Sacra, quæ pri-
" ùs fiebant. Facient autem Sacrificium illud ex pane & vino. Tunc
" DEUS misericordiâ implebitur, & virtute ingenti sanctorū ver-
" borum, quæ ab ore Sacerdotum manabunt, illud, & omne Sacri-
" ficium, quod in unaquaq; Ara celebrabitur, in Corpus Messiæ
" convertetur. Hæc ille. Quid clarius Christianus Doctor diceret, etiam in confusionem modernorum Acatholicorum? Plures Rabbinorum sententias similes vide apud P. Nicolaum de Lyra, in locū Malachiæ allegatum.

Sextò, Probatur Christi Prædicatio, Miracula, Paupertas, & Mansuetudo. Prædicatio, Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, &c.* Hæc clarissimè implevit Dominus JESUS, ut patet in Evangelijs, & Judæi Luc. 4. ℣. 22. ipsi dederunt de hoc testimonium.

Miracula pro veritate Prædicationis. Isaiæ 55. *DEUS ipse veniet, & salvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum, &c.* Hæc etiam abundantiùs implevit Christus, ut patet ex Evangelijs, & specialiter Matth. 11. cùm Joanni per discipulos interroganti, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* respondit: *Euntes renunciate Joanni, quæ audistis & vidistis: cæci vident, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Eadem miracula comprobantur ex Josepho Judæo, qui est authenticus Hebræorum Historicus. Ille lib. 18. Antiquitatum, tractans de tempore Tiberij Cæsaris, sub quo
" Christus Dominus passus est, sic scribit: Fuit hisce temporibus JE-
" SUS sapiens Vir, si tamen eum Virum nominare fas est, erat enim
" mirabilium operum effector, & Doctor eorum, qui libenter au-
" diunt ea, quæ vera sunt, & multos quidem Judæorum, & multos
" ex

ex Gentibus sibi adjunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione ,, primorum nostræ gentis virorum, cùm Pilatus in Crucem agen- ,, dum decrevisset, non deseruerunt eum hi, qui ab initio dilexerũt ,, eum: apparuit enim tertiâ die iterum vivus, quod divinitùs in- ,, spirati Prophetæ vel hæc, vel alia de eo innumera miracula futu- ,, ra esse prædixerunt. &c. Hæc Josephus. Si itaq; Judæi obstinati ,, nullam fidem sinè causa Evangelijs adhibere velint, quid dicent de illo libro, & de suo Josepho, illius temporis Scriptore contemporaneo?

Paupertas & Mansuetudo. Zachar. 9. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Jerusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi Justus, Salvator, ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ, &c. & loquetur pacem gentibus, & potestas eius à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad fines terræ, &c.* Quòd hîc de vero Messia fiat Prophetia, fatentur Hebræi cum Rabbi Salomone, ut refert P. Nicolaus de Lyra hoc loco, & dicunt, quòd Prophetarum præcipua intentio fuerit, nunciare dies & adventum Messiæ, & ideò dum alijs loquuntur, sæpè interserunt ea, quæ pertinent ad adventum Messiæ.

Quòd verò Messias vilipendendus, & pro peccatis populi passurus & occidendus esset, patet ex Psalmis & Prophetis. Psal. 21. qui totus est de Passione Christi, ubi primò dicit Propheta in persona Christi: *DEUS, DEUS meus, quare me dereliquisti? &c.* prout Christus in Cruce expressit; & consequenter: *Foderunt manus meas & pedes meos, &c. diviserunt sibi vestimenta mea.* Similiter Psal. 68. qui ad literam de Messia procedit, & in Christo Salvatore impletus est, ut dum dicitur: *Salvum me fac DEUS, &c. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. &c. Quoniam propter te sustinui opprobrium, & quoniam zelus domûs tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium ceciderunt super me, &c. & sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni*; scilicet in Passione, dum etiam Discipuli à Christo fugerunt. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Alius locus est Psal. 117. ubi dicitur: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Ad literam intelligitur de Messia, prout Christus Dominus Matth. 21. & Petrus Act. 4. ostenderunt; & licèt horum auctoritas à Judæis non curetur, nobis sufficit. Rabbi Salomon etiam de Messia & Glossa Hebræorum in illud Mich. 5. *Ex te egredietur Dux,* sic dicit: *Messias Filius David, sicut*

ipse dicit Psal. 117. Lapidem quem reprobaverunt &c. Et licèt Judæi convicti, tamen obstinati hæc de Messia prædicta negant. Sed claré convincuntur per Prophetiam Esai. 9. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super solium David, & super solium eius sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia, à modò, & usq; in sempiternum. &c.* Antiquiores Doctores Hebræi, & translatio Chaldaica authentica sic ait: *Infans natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius ab antè mirabilis consilio, DEUS fortis, permanens in sæcula sæculorum Messias. &c.* Quæ omnia conveniunt soli Christo Domino, qui secundùm humanam naturam infans natus, & secundùm Deitatem verus DEUS, Filius DEI datus est, & omnia illa nomina comprehenduntur in nomine JESUS; hoc autem nomen JESUS, Spiritus S. non expressit, sed prædixit exprimendum, dum Esai. 52. ℣. 6. dicitur: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum, &c.* ubi expreßè de Messia sermo est, & ipse loquitur de se, quòd populus Christianus nomen ejus sciet, quod vocatum est ab Angelo, priusquàm in utero conciperetur, scilicet JESUS, quod est Salvator, de qua salute ibi agitur, ut Cap. 49. patet, ubi dicitur: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad ultimum terræ.* Et posteà: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. &c. Juxta est qui iustificat me, &c.* quæ similiter patent in Christo completa esse. Idem Propheta de Messia loquitur Cap. 52. *Servus meus exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valdè, sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum, &c.* quod etiam patet impletum in Christo, dum multi obstupuerunt super miracula ejus, & in Paßione inglorius fuit. Item Cap. 53. de Christo dicitur: *Non est species ei, neq; decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum despectum & novissimum virorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, & despectus, undè nec reputavimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à DEO, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras,* attri-

attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & livore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, &c. & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet. &c. Generationem eius quis enarrabit? &c. Propter scelus populi mei percussi eum, &c. eò quòd iniquitatem non fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius. &c. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum. &c. In scientia sua iustificabit ipse iustus servus meus multos, &c. ideò dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo, quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit. Hæc Isaias. Ubi patet, quòd tam clarè prædixerit, quæ in Christo Domino completa sunt, ut D. Augustinus lib. 18. de Civit. DEI cap. 29. edit. Basil. 1528. dicat, quòd Isaias potiùs Evangelista, quàm Propheta à multis nominetur. P. Nicolaus de Lyra testatur, quòd Doctores Judæorum antiquiores in translatione Chaldaica de Messia intellexerint: inter alios Rabbi Moyses in Gen. 29. sic ait: Hic est Rex Messias, qui dedit cor suum ad petendum miserationes pro Isräel, & ad juvandum, & humiliandum se pro eis, sicut scriptum est Isai. 53. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, &c.* Undè patet, quòd non solùm juxta veritatem Novi Testamenti, (quam Judæi impiè negant) sed etiam ipsorum antiquiorum Doctorum sententiam, prædicta sunt illa de vero Messia, quæ in Evangelio impleta esse clarissimè demonstrantur. Undè meritò Isaias illa de Christo prædicturus, ibidem dicebat: *Quis credidit auditui nostro? &c.* prævidens, quòd obstinati Judæi pleriq; credere nollent.

Quòd resurrecturus esset, & de Divinitate illius. Psal. 3. *Ego dormivi, & somnum cæpi, & exurrexi, quia Dominus suscepit me, &c.* ubi Divus Augustinus suprà cap. 18. optimè dicit, id non posse intelligi de David, & somno ordinario, quia nihil magni esset, quòd David dormijsset, & à somno surrexisset, ut hoc Propheta sic exaltaret, adeòq; de Christi morte, qui somnus dicitur, & ejus Resurrectione intelligitur, prout sæpè dicitur de David, & alijs Regibus in Veteri Testam. *Dormivit cum Patribus suis.* Item S. David in persona Christi: *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur & peribit nomen eius?* & ubi mors Christi intimatur à Judæis? Deindè: *Verbum iniquum constituerunt adversùm me, numquid qui dormit, non adjiciet*

ut

ut reſurgat? Item de Reſurrectione: *Tu autem Domine &c. reſuſcita me, & retribuam eis.* Item: *Caro mea requieſcit in ſpe: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

Reſurrectionem & Aſcenſionem Chriſti Domini, ſicut & Miſſionem Spiritûs S. ſuper Apoſtolos, ac dona illis tunc data, prophetavit David Pſal. 46. *Aſcendit DEUS in iubilo, & Dominus in voce tubæ,* prout ſupponit S. Paulus Apoſtolus ad Epheſ. 4. ℣. 8. & patet ex textu, cùm dicitur Pſal. 67. *Exurgat DEUS, & diſſipentur inimici eius, &c.* id eſt, Chriſtus ſecundùm humanitatem exurgat, & Judæi poſteà per Titum diſſipati ſunt. Item: *Cantate Deo, Pſalmum dicite nomini eius. iter facite qui aſcendit ſuper occaſum, &c.* ubi Hebræi dicunt, quòd per occaſum intelligatur Cœlum. Item: *Aſcendiſti in altū, cepiſti captivitatem.* Item: *Regna terræ cantate Dño, pſallite Dño, pſallite Deo, qui aſcendit ſuper Cœlū Cœli ad Orientem. &c.* De Miſſione Spiritûs S. clara eſt etiam Prophetia Joëlis 2. ℣. 28. ubi dicitur: *Et erit poſt hæc, effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ;* quod ipſum Judæi Doctores, ſpecialiter Rabbi Salomon, dicit ſpectare ad tempus Meſſiæ.

De Miſſione Apoſtolorum. Pſal. 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum;* & Pſal. 45. quòd in locum Judæorum ſuccedere Gentes debuerant, in Chriſtum DEUM credituri: *Vacate, & videte, quoniam ego ſum DEUS, exaltabor in Gentibus.* Et Pſal. 46. *Omnes gentes plaudite manibus, &c, regnabit Deus ſuper gentes. &c.* Pſal. 65. *Benedicite gentes Deum noſtrum.* Et Pſal. 71. de Meſſia: *Deus Judicium tuum Regi da, &c. & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei, & benedicentur in ipſo omnes Tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Item Pſal. 85. *Omnes gentes, quaſcunque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine.*

Clara etiam Prophetia de Eccleſia Catholica Mich. 4. ubi ait: *Et erit in noviſſimo dierum mons domus Domini, præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles, & fluent ad eum omnes populi, & prophetabunt gentes multæ, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum DEI Jacob, & docebit nos de vijs ſuis, &c. quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jeruſalem. &c.* Hanc Prophetiam pertinere ad tempus Meſſiæ, fatentur Judæi, ut Rabbi Salomon. Item Jerem. 16. *Domine fortitudo mea, &c. ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Verè mendacium poſſederunt*

runt Patres nostri, vanitatem, quæ eis non profuit. Numquid faciet sibi homo Deos? &c. quæ jam à tempore Christi impleta sunt. Isai. 9. *Filius datus est nobis, & vocabitur DEUS fortis. &c.* Et Micheæ 5. *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Isráël, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Similiter constat ex illo Jerem. 23. ℣. 5. *Ecce dies veniunt, & suscitabo David germen iustum, & regnabit Rex &c. & hoc est nomen, quòd vocabunt eum Dominus Justus noster, &c.* ubi in Hebræo pro *Dominus*, ponitur nomen *Tetragammaton*, quod Divinitatem significat. Constat etiam ex illo Baruch 3. ℣. 38. ubi Propheta de DEO loquens tandem dicit: *Hic est DEUS noster, &c. post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, &c.* quod non potest aliter intelligi, quàm quòd DEUS in assumpta humanitate visus sit. Huc spectat etiam illud Isai. 9. ℣. 6. *Parvulus natus est nobis, &c.* Cap. 7. ℣. 14. *Et vocabitur nomen eius Emmanuel, &c.* ut suprà dictum est.

Prophetia de IESV in Bethleem nato.

Habac. 3. Consideravi opera tua, & expavi, in medio duorum animalium cognoscens. *Et Isaiæ 1.* Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Isráël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici. &c. *Et Isai. 7.* Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.

De Iesu vocato octavo die.

Isai. 19. Mittet eis Salvatorem, & propugnatorē, qui liberet eos.

De Iesu adorato à Magis.

Numer. 24. Videbo eum, sed non modò; intuebor eum, sed non propè; orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Isráël. *Psal. 71.* Reges Tharsis & Insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes gentes, omnes Reges servient ei. *Isai. 60.* Inundatio Camelorum operiet te: Dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.

De Iesu in Ægyptum fugiente.

Isai. 19. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur

tur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus. *Osea 11.* Ex Ægypto vocavi Filium meum.

De parvulis occisis.

Jerem. 31 Vox in excelso audita est lamentationis, luctûs & fletûs, Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt.

De Ioanne Baptista, Iesum annunciante.

Isai. 40. Vox Clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas DEI nostri. &c. Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quòd os Domini locutum est. *Malach. 3.* Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.

De Iesu Discipulos vocante ad Apostolatum.

Hierem. 16. Mittam ad eos piscatores, & piscabuntur eos; & venatores, & venabuntur eos.

De Iesu vera docente, & vitia corripiente.

Psal. 108. Os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversùm me linguâ dolosâ, & sermonibus odij circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. *Et Sap. Cap. 2* Circumveniamus justum, quia inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata Legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se Scientiam DEI habere, & Filium DEI se nominat. &c. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à vijs nostris, tanquam ab immunditijs, & præfert novissima justorum, & gloriatur Patrem se habere DEUM.

De Iesu Hierosolymam ingrediente.

Zachar. 9. Exulta satis filia Sion, jubila filia Hierusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi Justus, & Salvator, ipse pauper, & ascendens super asinum, & super filium asinæ.

De Iesu obedientia usque ad mortem.

In Evang. *Joan 15.* Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

De Iesu comprehenso.

Isai. 53. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur.

De Iesu à suis in Passione deserto.

Isai. 63. Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsivi, & non fuit qui adjuvaret.

De Iesu alapâ percusso.

Thren 3. Dabit percutienti se maxillam. *Job. 16.* Exprobrantes percusserunt maxillam meam.

De Iesu judicato, quòd sit reus mortis.

Sap. 2. Promittit se scientiam DEI habere, & Filium DEI se nominat, morte turpissimâ condemnemus eum. *Hierem. 11.* Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur ampliùs.

De Iesu colaphis percusso.

Job. 16. Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam. Satiati sunt pœnis meis.

De Iesu flagellis cæso.

Isai. 50. Dorsum meum dedi ad flagella.

De Iesu occiso.

Daniel 9. Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. *Isai. 1* Filios exaltavi & enutrivi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis. Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israël.

De Iesu cum latronibus crucifixo.

Isai. 53. Et cum sceleratis reputatus est.

De Iesu in Cruce suspenso.

Psal. 21. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. *Zachar. 12.* Et aspicient ad me, quem confixerunt. *Zachar. 15.* Et dicetur, quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. *Deuter. 28.* Erit vita tua pendens ante te, & non credes ei. *Isai. 53.* Propter scelus populi mei percussi eum.

De Iesu in Cruce irriso.

Psal. 21. Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum,

minum, & abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labijs, & moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.

De Iesu vestibus divisis.

Psal. 21. Ipsi verò consideraverunt, & inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

De Iesu patiente in Cruce.

Thren. 1. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.

De tenebris tempore Passionis.

Amos 8. Et erit in die illa, dicit Dominus, occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. *Hierem. 15.* Occidit ei Sol, cùm adhuc esset meridies.

De Iesu sitiente.

Psal. 68. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.

De Iesu moriente.

Isai. 53. Abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum.

De Iesu mortuo, glorificato à gentilibus.

Isai. 65. Quæsierunt me, qui antè non interrogabant; invenerunt me, qui non quæsierunt me. Dixi, ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum. Expandi totâ die manus meas ad populum incredulum, & contradicentem mihi.

De Iesu sepulto.

Isai. 11. Et erit sepulchrum ejus gloriosum.

Huc pertinent Vaticinia Sibyllarum de Christo Domino, quibus sæpè usi sunt Sancti & antiqui Patres contra Ethnicos & Paganos, ut Clemens Alexandr. lib. 6. Strom. Lactant. lib. 4. de vera Sap. Sozomen. lib. 2. Hist. cap. 1. Niceph. lib. 8. cap. 9. Augustin. lib. 10. de Civit. DEI cap. 27. lib. 18. cap. 23. Theophil. Antioch. ad Autol. lib. 2. Cyrillus Alexand. lib. 8. contra Julian. Hieronym. lib. 1. contra Jovinian. & alij. Octavianus Imperator, cùm plures libros flammis tradidisset, Sibyllinos reservavit, DEO ita disponente, ut deservirent probationi Filij illius, qui sub Octaviano in Bethleem de Virgine natus est.

Sibyl-

Sibylla Cumæa, Orbis pacem prædixit in Christi Nativitate, talibus verbis, quæ videntur ex Isaia excerpta.

Sibylla Cumana, Filij DEI Incarnationem Carminibus ita claris exposuit, ut quasi nil clarius dixerit Paulus.

Sibylla Persica, Prædicationem & Baptismа Joannis phrasi (si ita liceat loqui) ab Evangelio mutuatâ expressit.

Sibylla Helespontica, doctrinam Christi apertè prædixit.

Sibylla Lybica, Christi miracula, inter quæ illud de panis multiplicatione, sub oculis exposuit.

Sibylla Samia, Ingressum Christi in Jerusalem prædixit.

Sibylla Delphica, Christi Passionem expressit.

Sibylla Phrygia, Christi mortem exposuit.

Sibylla Tiburtina, Christi Resurrectionem & Ascensionem.

Sibylla Erithræa, Finale Judicium, Signaq; præcedentia expressit; cujus authoritate utitur Ecclesia, pro eadem veritate confirmanda, illis versiculis: *Dies iræ, dies illa Solvet Sæclum in favilla, Teste David cum Sibylla.*

Hæc omnia comprehendisse videtur, quæ aliæ ut suprà prædixerunt, Sibylla Lybica his Versibus:

Ille quidem pressos morbis sanabit, & omnes
Læsos, quotquot ei fident, cæciq; videbunt,
Incedent claudi, surdisq; audire licebit,
Insolitas multis dabitur formare loquellas,
Expellet Furias, oppressiq; morte resurgent,
Placabit fluctus, in desertisq; locorum
Largè panibus ex quinis & pisce marino
Millia quinq; virûm satiabit, reliquiæq;
Bis senos cophinos implebunt Virginis almæ.

Quomodo autem hæc prædixerunt singulæ Sibyllæ? Quidam volunt, id accidisse ex lectione librorum Sacrorum Vet. Testamenti. S. Hieron. lib. 1. contra Jovinian. sentit, vaticinandi eis munus concessum in præmium virginitatis. Alij SS. Patres, quos sequitur S. August. lib. 13. contra Faust. cap. 15. de Civit. DEI lib. 18. & S. Thomas de Verit. quæst. 14. art. 11. ad 4. 3. sent. dist. 23. quæst. 2. art. 2. volunt, eis concessa vaticinia ex Divina revelatione, & Spiri-

tu expresso Prophetico. Vide plura de illis in Authoribus, qui de his ex professo tractârunt.

Enumerantur indicia, quibus cognoscitur, populum Iudaicum reprobatum esse à DEO.

Principio antiquiorum calamitatum, quæ acciderunt Judæis ante Domini nostri Ortum, tres fuerunt gravissimæ, & super alias memorabiles. Prima fuit Ægyptiaca: Secunda Babylonica: Tertia, quam sub Rege Antiocho Epiphane, tempore Machabæorum, Judæi tulerunt. Inter quas & præsentem calamitatem hoc discrimen est: Nam illæ breves respectu præsentis fuerunt; hanc verò calamitatem, quâ jam diu toto Orbe conflictantur Judæi, prænunciavit quidem Gabriel eventuram, sed finem ejus non indicavit, quo silentio, & durationis ejus reticentiâ, satis ostendit, nullo eam tempore terminandam. Quinimò non obscurè id demonstravit, quando dixit, desolationem Urbis, Templi, & Judaicæ Gentis captivitatem, usq; ad consummationem & finem permansuram.

Enumerantur causæ obcæcationis Iudæorum.

Prima causa fuit, cùm Pilatus dixerit: *Innocens ego sum à sanguine Justi hujus;* illi vociferati sunt: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros,* Matth. 27. quod partim ex superbia, malitia, & vindicta fecerunt, quia hypocrisin ipsorum & peccata ut verus Messias arguebat, ut patet ex Evangelijs; partim ex invidia, quia videbant ipsum manifesta miracula facientem, quibus non poterant contradicere, dum Lazarum resuscitâsset, cæcum natum illuminâsset, ac populus in ipsum credidisset, &c. cujus innocentis sanguinis etiam posteri se reos præstiterunt.

Neq; dicas, filij eorum non peccârunt, nec Christum occiderunt, qui tunc non fuerunt, & juxta S. Scripturam, *Filius non portabit iniquitatem Patris,* Ezech. 18. ℣. 20. Contrà tamen est, quòd posteri illorum usq; in hanc diem approbent crudelia illorum scelera, & blasphemias in Christum Dominum commissas; immo, quod horrendum est, Judæi suos filios à teneris annis assuefaciunt, ad maledicendum Christo Domino, & Legi ejus, ac Christianis, ita, ut quotidiè in Synagogis suis Christo, Legi ejus, & Christianis maledicant, ut testatur Lyranus suprà, in fine illius libelli, & Paulus Burgensis 2. parte Scrutinij, distinct. 6. cap. 2. & quotidianâ experientiâ constat.

Hanc

Hanc obcæcationem illorum vaticinatus est Isaias Cap. 6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggrava, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.* Et juxta Psal. 19. suprà allegatum: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, &c.* idq; in pœnam gravissimorum scelerum, quæ in Christum JESUM usq; modò committunt Judæi, veritati manifestæ contradicunt.

Hanc Judæorum cæcitatem & malitiam tempore Messiæ futuram juxta Prophetas, etiam Rabbini ante Christi adventum agnoverunt ex S. Scriptura, prout habetur in ipso Thalmud in Tract. Sanhed. cap. Dinei & Mammonoth, ut refert Simon Majolus, Episcopus Vultuariensis, in Colloquio de Perfidia Judæorum, inter quos Filij Hya sic loquuntur: *Messias futurus erit in petram scandali ambabus domibus Israël, & ipsis habitatoribus Jerusalem in laqueum*, quod magni arcani loco tradunt. Similiter Rabbi Johanan, & Rabbi Jacob, ibidem Cap. Helec. dicunt, *quia Judæi Dominum reiecerunt, Gentes in eorum locum surrogatum iri. &c.* Rabbi Judas ibidem dicit: *Cùm Filius Davidis veniet, rari erunt sapientes in Israël, & sapientia Scribarum putrescet. &c.* Rabbi Natronai ait ibidèm: *Christus faciet miracula, sed dicent, ea esse à magia, & à spiritibus immundis.* Ecce qualiter in Christo Domino & Judæis hæc contigerunt.

Licet ex præcedentibus impietas doctrinæ Judæorum, qui contra manifesta S. Scripturæ Veteris Testam. testimonia in Christo Domino impleta, non solùm Christum Dominum verum Messiam negent, sed etiam blasphement illum, & Beatissimam illius Matrem, ut diversi Authores testantur, præsertim Galatinus lib. adversùs Judæos, Simon Majolus, Episcopus Vultuariensis, in diebus Canicularibus, &c. & ideo Judæorum doctrina & ipsorum Secta, veræ DEI in Vet. Testam. traditæ doctrinæ planè contraria, meritò sit execranda; attamen ut specialiùs adhuc ipsorum impia doctrina constet, sciendum est, quòd Judæi post Christi Domini Passionem excæcati, & lumine veræ Fidei privati, etiam in DEUM ipsum, quem Creatorem Cœli & terræ profitentur, blasphemi facti sunt, ut ex ipsorum Thalmud clarum est.

Sciendum autem, quòd post Christi Passionem Judæorum Rabbini duplicem Tomum confecerint, ut præter alios tradit Burgensis in additione ad Cap. 5. Zach. & Cap. 34. Isai. ac Simon Majolus in Opere, quod inscripsit, Dies Caniculares, in Colloquio de perfidia Judæo-

Judæorum. Unum vocaverunt Thalmud Hierosolymitanum, & alterum Thalmud Babylonicum. Thalmud autem interpretatur Disciplinatio, quasi Legis DEI interpretatio. In his Voluminibus Rabbini collegerunt inprimis varias interpretationes antiquorum Doctorum, ante Christi Domini adventum, cum multis Traditionibus, ex quarum pluribus probantur multa circa Fidem Christi & ejus adventum, & Judæi confunduntur. Undè Concil. Trident. in Catalogo librorum prohibitorum, in Prima Classe declarat, quòd Thalmud, quò ad glossas Veteris Testam. interpretationes, &c. sinè nomine Thalmud, & remotis blasphemijs in Christum Dominum, & Fidem Christianam, posteà per Rabbinos additis, tolerari possit. &c. Et hoc Thalmud Judæi tanquam Legem DEI venerantur, æqualiter ac Legem Moysis.

Hoc Thalmud libris ad minùs sexaginta constat, quos recenset Majolus, quorum aliqui compilari per aliquos Rabbinos cæperunt circa Annum Dñi 469. Babylonicum verò circa An. 505. quibus posteriores Rabbini adhuc plura nefandissima addiderunt.

In his autem nefandis libris, ut referunt prædicti Authores, de ipso DEO Creatore dicere audent, quòd post destructiouem Templi Hierosolymitani, & captivitatem per Romanos factam, DEUS doleat rugiens ut Leo, & dicat, *Væ mihi, qui destruxi domum meam, & combussi Templum meum, & captivavi filios meos inter gentes sæculi. &c.*

Stultitia Judæorum.

DEUS ante mundi creationem, ne otio torpesceret, exercebat se in extruendis varijs mundis, quos ubi condiderat, paulo pòst destruebat, atq; iterum instaurabat, quò ad hunc, quem nunc habemus, mundum facere didicisset. Ordine 1. Tractatu 4. distinct. 3.

DEUS tres primas horas diei totas insumit in lectione Legis Judaicæ. Ordine 2. Tract. 1. distinct. 14.

DEUM quotidiè precationes ac orationes devoto animo facere. Ord. 1. Tract. 1. distinct. 1.

DEUS quotidiè imponit sibi circa caput & brachia vittas, sive corrigiolas quasdam coriaceas, Thephilin appellatas, induitq; seipsũ tunicâ quâdam lineâ, quæ Zizit nuncupatur, atq; hoc modo ornatus procumbit in genua, & orat. Ord. 2. Tract. 8. distinct. 5.

DEUM præcepisse populo Judæorum, ut singulo quoq; Novilunio Sacrificium expiationis peragant, ad expiandum scelus perpetratum à DEO, quando lumen, quod injustè à Luna ademerat, Soli attribuit. Ord. 4. Tract. 6. distinct. 1.

DEUS,

DEUS, quoties reminiscitur calamitates, quas Judæi à cæteris gentibus patiuntur, lacrymas duas effundit in mare Oceanum, & præ dolore pectus utrâq; manu contundit, Ord. 1. Tract. 1. dist. 9.

DEUS ignota de causa indignatus pisci magno Leviathan, ipsū occidit, carnesq; ejus sale condidit, ut ex his cibum ministraret animabus Sanctorum in futuro sæculo. Ord. 4. Tract. 3. dist. 5.

DEUM quotidiè semel irasci, & tunc cristæ gallorum gallinaceorum ruborem amittunt, ipsiq; interim uno pede stant, tunc si quis eodem momento alicui maledixerit, is statim concidet mortuus. Ordine 1. Tract. 1.

Cùm olim Rabbini quidam adversùs Rabbi Eliezer disputationem inijssent, DEUS voce cœlitùs demissâ, sententiam contra illos pro Rabbi Eliezer protulit, quamobrem indignati Rabbini, DEUM anathematis pœnâ damnârunt, tum DEUS ipse subridens, Filij (inquit) mei me vicerunt. Ord. 4. Tract. 2. distinct. 7.

Tanta fuit olim in Rabbino quodam prudentia, ut diabolum simul & DEUM hoc astu eluserit: Cùm Rabbinus in extremo vitæ articulo laboraret, diabolum precibus exorat, ut se jamjam moribundum ad portas usq; Cœlestis Regni deducat, ut inspecto indè loco Divinæ habitationis, lætus ex hac vita decedat; hanc gratiam cùm diabolus veteri amico præstitisset, Rabbinus illicò intra portas Cœli se conijciens, juravit per DEUM viventem, se nunquam indè recessurum, qua de causa coactus est DEUS hominem apud se retinere, ne illum perjurum faceret; sicq; hâc unâ arte prudentissimus vir DEUM ac diabolum simul fefellit.

Cùm Angelus Gabriel grave flagitium commisisset, DEUS jussit illum igneo flagello flagellari. Ord. 2. Tract. 5. dist. 8.

Adam cum omnibus animantibus, tam masculis, quàm fœminis coivit, neq; unquam appetitui suo satisfecit, nisi posteaquàm cum Eva concubuit. Ord. 3. Tract. 1. distinct. 6.

Corvus emissus à Noë tempore diluvij, nolebat ex Arca discedere, timebat enim, ne post discessum suum Noë cum cornice uxore sua coiret. Ord. 4. Tract. 4.

David in adulterio & homicidio non peccavit, & quicunque eum in his peccâsse crediderit, hæreticus est. Ord. 2. Tract. 1. dist. 4.

Si quis aut Filiam suam, aut Sororem suam sibi matrimonio junxerit, is rem DEO facit gratissimam. Ord. 2, Tract. 1.

Rab-

Rabbinum, qui non oderit hostem suum usq; ad mortem, & qui vindictam adversùs eum non quæsierit, indignum esse nomine Rabbini. Ord. 5. Tract. 1. distinct. 2.

Graviùs plectendos esse eos, qui contradicunt verbis Scribarũ, quàm verbis Mosaicæ Legis, quibus qui contradixerit, absolvi potest; qui verò verbis Rabbinorum contradixerit, morte moriatur. Ord. 4. Tract. 4. distinct. 10.

Si quem major pars Judicum ad mortem damnaverit, is mori debet: si verò omnes, nullo excepto, in ejus damnationem consenserint, absolvatur. Ordine 4. Chartâ 17.

Animas hominum migrare de corpore in corpus hâc lege, ut si anima in primo corpore peccet, mittatur in secundum, in quo si iterum peccat, mittatur in tertium corpus, in quo si peccare non desistat, deniq; in gehennam intruditur. Ord. 4. Tract. 2. & pluribus alijs locis.

Animam Abelis migrâsse in Seth: animam verò Seth in Moysen. Ibidem.

Animæ indoctorum hominum in resurrectione non recipient corpora sua. Ord. 3. Tract. 2. Chartâ 3.

Rabbini duo singulâ quâq; hebdomadâ pridiè Sabbati duos vitulos creabant, quos deinde totos comedebant. Ord. 4. Tract. 4. distinct. 2. Chart. 65.

Quicunq; ter in Sabbato comederit; vitam æternam consequetur in alio sæculo. Ord. 2. Tract. 1. distinct. 6.

Nihil comedi debet numero pari, sed impari: hoc enim numero maximè delectatur DEUS. Ord. 4. Tract. 2. dist. 7.

Si quis oraverit facie ad meridiem conversâ, sapientiam consequetur; ad Septentrionem verò divitias. Ord. 4. Tract. 3. distinct. 2. Chartâ 55.

Si quis sub ventre Cameli, aut inter duos Camelos, aut inter duas mulieres pertransierit, nihil unquam ex Thalmud poterit discere. Ord. 4. Tract. 10. distinct. 2.

Si quis negaverit libros Thalmudicos, in quibus scripta continentur prædicta sanctissima præcepta, DEUM ipsum negat. Præfatione totius Thalmud.

Lyranus in Genes. 1. ait: *Dicunt etiam Hebræi, quòd illud in resurrectione DEUS interficiet, & iusti carnibus eius vescentur: & sic patet, quòd Judæi inciderant in errorem Saracenorum, dicentes, quòd resurrectio fiat ad vitam animalem cibis indigentem, quod improbavi.*

Plurima etiam impia docent quò ad Moralia. Inter alia, quæ expreſsè contra Legem DEI, ſeu Præcepta Decalogi, *Non occides*, *Non mœchaberis*, *Honora patrem &c.* præcepta ſunt, quæ ipſi perversè explicant, & docent. Unum ex plurimis hîc ad malitiam eorum oſtendendam ſufficiat retuliſſe, ſcilicet in Thalmud libro, qui dicitur Babainecin, (ut refert Burgenſis in addit. ad Cap. 5. Zachariæ) docent, quòd ſicut bonum eſt, ut homo conterat caput ſerpentis, quantumvis ſerpens ſit pulcher, ſic bonum eſt occidere Gentilem, quantumcunq; bonus videatur; cùm tamen DEUS generaliter Geneſ. 9. dicat: *Quicunq; effuderit humanum ſanguinem, fundetur & ſanguis illius; ad imaginem enim DEI factus eſt homo, &c.* ubi nullus homo excipitur, ſicut nec in Præcepto Decalogi, *Non occides, &c.* quod ſi Chriſtiani conſiderarent, non tam facilè, relictis Chriſtianis Medicis, à perfidis Judæis medicinas requirerent. Experientia enim talia docuit in crudeliſſima occiſione innocentũ infantũ S. S. Werneri & Simeonis, & aliorum plurimorum, quæ divinitùs patefacta ſunt. Quid in occulto fiat, DEUS novit. *Notet hæc Chriſtianitas.*

Quòd etiam Judæi ſoliti fuerint annuè in die Paſſionis Dominicæ infantem Chriſtianum, ſi habere poſſint, crudeliter occidere, diverſi graviſſimi Authores teſtantur. Plurima crudeliſſima eorum in Chriſtianos, immo in ipſam S. Euchariſtiæ hoſtiam exercita, referunt diverſi, & ſpecialiter Majolus ſuprà.

Conſtat etiam, Judæos, ex certiſſimis Hiſtorijs & oculatis teſtibus, quòd in odium Chriſtianorum in varios potus, quos vendunt Chriſtianis, proijciant varias & excogitabiles fœditates, ut plicas ſuas, bufones, catos, ſpurulenta, aquas fœtidas, quibus lavant ſuos & puerorum fœtores. Undè advertant Chriſtiani Principes & Nobiles, & ſubditi illorum Chriſtiani, quæ, & quàm abominanda coguntur ſumere à Judæis, ob miſerabile modicum temporale lucrum, quo extenuant ſubditos illorum, & paſſim per ſuas fraudes ſanguiſugæ vocantur.

Committunt etiam Judæi grave peccatum per uſuras, quæ Lege antiquâ interdictæ ſunt, ut Pſal. 71. dicitur: *Ex uſuris & iniquitate redimet animas eorum.*

Sunt verò Judæi ingratiſſimi toti Chriſtianitati, quæ dum illos ex Chriſtiana charitate tolerat, eo motivo, quòd convertantur, vel in fine mundi convertentur, ut S. Scriptura teſtatur: ipſi tamen maledicunt Chriſtianis, ut ſuprà patuit, & Legi Chriſtianæ, ipſumque

Christum, authorem vitæ, blasphemant. Undè patet, quòd pejores sunt Turcis & omnibus Mahometanis, cùm omnes Mahometani honorificentissimè tenent de Christo Domino, & Beatissima Virgine MARIA, ut superiùs patuit pag. 834. vers. penult. & adhuc inferiùs in Discursu de impia Mahometis Secta patebit.

Nec mirum est, quòd modò Judæi tam sint obstinati post commissum tam grave peccatum, cùm fuerint sæpiùs rebelles a DEO in Veteri Testamento, ut patet ex Sacra Historia Vet. Testam. quam obstinationem prædixit illis Propheta Isaias Cap. 6. *Claude oculos populi huius, & aures eius aggrava, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat.* Et Cap. 29. *Claudet oculos vestros, Prophetas & Principes vestros, qui vident visiones, operiet.*

Reducendi verò Judæos ex hac Cæcitate, non est alius efficacior modus Divinarum Scripturarum, præsertim Veteris Testam. utendum contra illos, nec est alia fortior ratio confundendi illos, nisi ex Scripturis illorum JESUS Christus demonstretur, in quo omnia, à Lege & Prophetis quæ de illo scripta fuerunt, impleta sunt. Hoc efficaci medio usus est Doctor Gentium Paulus Act. 17. *Disserebat eis de Scripturis, adaperiens & insinuans, quia Christum oportuit pati, & resurgere à mortuis, & quia hic est JESUS Christus, quem ego annuncio vobis.* Sic & Apollo Act. 18. *Judæus, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in Scripturis. Hic erat edoctus viam Domini, & fervens Spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt JESU.* Ac mox: *Qui cùm venisset* (in Achaiam,) *contulit multùm his, qui crediderant. Vehementer enim Judæos revincebat, publicè ostendens per Scripturas, esse Christum JESUM.* Sic Petrus Act. 10. *Omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum recipere per nomen eius.* Idem aliàs quoque: *DEUS autem, qui prænunciavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit.* Et infrà: *Et omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps qui locuti sunt, annunciaverunt dies istos.* Similiter Stephanus: *Et occiderunt eos, qui prænunciabant de adventu Justi, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis.* Eodem modo Paulus ad Antiochenos: *Qui enim habitabant* (inquit) *Hierusalem, & Principes eius hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, iudicantes impleverunt, &c. Cùmque consummâssent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt in monumento.* Et Romæ in vinculis positus: *Exponebat testificans Regnum DEI, suadensque eis de JESU ex Lege Moysi & Prophetis,*

tis, à manè usq; ad vesperam. Atq; ad Romanos scribens: *Segregatus in Evangelium* DEI, *quod anteà promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis.* Sic ipsemet Christus JESUS Moysen suum objecit, quòd illum oscitanter legerent, & infideliter acciperent, propterea jussit scrutari Scripturas, quæ in Lege, Psalmis & Prophetis de ipso scripta erant.

Deindè Versio Chaldaica à Jonatha edita, in his potissimùm locis, in quibus non fuit corrupta, observanda: deindè veterum Rabbinorum argumenta illa, quæ ad Judæos confutandos facere possunt, in medium producenda sunt, quæ ex Galatino, Porcetto, & alijs, facili negotio poterunt erui: ac deniq; Divinæ Scripturæ interpretatio juxta literalem sensum, ex varijs priscorum SS. Patrum & posteriorum Doctorum Opusculis, adversùs Judæorum errores & impietatem conscriptis.

Verùm non sufficiunt prædicta, nisi causæ ac impedimenta omnia, quæ eos in cæcitate detinent, tollantur. Inter impedimenta autem ea potissima sunt, lectio & retentio librorum impiorum, nefariorum, & damnatorum, in quibus passim aut delitescunt, aut cernuntur (præcipuè in Thalmud & alijs Rabbinorum Scriptis) blasphemiæ, calumniæ, & contumeliæ in DEUM & Sanctos, obscuratio Evangeliorum, errores contra legem Naturæ, corruptelæ, & depravationes Divinarum Scripturarum, qui ob graves hæreses, errores, superstitiones, deliramenta, atq; horrendas blasphemias, contra Legem Divinam & Fidem Catholicam, sæpè ac diversis temporibus damnati, prohibiti, ac publicè concremati sunt, tum à magno Justiniano Imperatore, ut habetur in Novell. 146. de Hebræis, *Quæ verò*; tum à Gregorio Papa IX., quem (referens in Bulla ad Regem Franciæ, quæ incipit: *Impia Judæorum perfidia*) secutus est Innocentius Papa IV. alijq; Summi Pontifices, Clemens Papa IV. in suis literis, incipientibus: *Damnabili perfidia Judæorum*; Honorius IV., Joannes XXII., Julius III., Paulus IV., Pius V., Gregor. XIII., quorum Bullæ sive rescripta de hac re habentur apud Directorium Inquisitorum: & similiter Edictum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum, qui non modo in Urbe & Dominio Ecclesiastico, sed etiam in tota Italia eosdem libros perquiri, & flammis tradi fecerunt, & qui deprehensi fuissent tales libros habere, pœnas pecuniales, & publicationem bonorum, & contumaces etiam ultimum supplicium incurrere decreverunt, illorumq; expurgationes severè prohibu-

hibuerunt. Ac deniq; Clemens Papa VIII. valdè appositè & opportunè providit, editâ Bullâ contra impia Scripta & errores Hebræorum, quæ incipit: *Cùm Hebræorum malitia* Anno 1592. ubi inhærens prædictorum Summorum Pontificum vestigijs.

Quare cùm experimento & collatione similium librorum compertum sit, omnes ferè Rabbinorum Commentarios ac libros ut plurimùm pravam ac perniciosam doctrinam, contra Legem Divinam ex Voluminibus Thalmudicis originaliter traditam, & depromptam continere, ideò gravissimi & sapientissimi viri, ac Sanctæ Fidei Christianæ zelatores censebant, Judæis tollendos esse non solùm libros Thalmudicos, verùm etiam quoscunq; alios Rabbinorum Commentarios, velut ab illorum errorum fontibus fœdissimis derivatos, & tantùm eis Sacræ Scripturæ libros Veteris Testam. esse permittendos, quia ab illis Hebræorum impijs Tractatibus, sensus Divinæ Scripturæ oraculaq; Prophetarum pervertuntur, summa cum Divinæ Majestatis injuria. Deindè nomen Christi Domini, B. Virginis MARIÆ, ejus Matris, atq; totius Ecclesiæ, pro qua Sanguinem fudit, passim blasphemantur, magno Christianorum dedecore, ac hæreticis arma suppeditantur à Judæis, undè hæreses defendantur. Ac deniq; similibus libris docentur Judæi, Christum Dominum & Christianos omnes oppugnare, fraudesq; suas & dolos transmittũt ad posteros.

Undè auferendi essent libri omni conatu Judæis, qui repleti sunt plurimis blasphemijs in Christum & ejus SSmam Matrem, & sola S. Scriptura ad legendum concedenda foret: amovendi etiam essent & Rabbini illorum, qui illos in suis confirmant erroribus & blasphemijs in Christum, confundendi ex Prophetis Veteris Testam. de adventu veri Messiæ, Christi Domini, de quo tam clarè loquuntur SS. Prophetæ, ut S. Isaias Cap. 53. Jeremias, Zacharias, (qui non tam prophetizare, quàm evangelizare videntur,) & alij ferè omnes, ut superiùs ostendimus: exprobrandum quoque, quòd hucusq; Messiam non habeant promissum ex Lege, & jam ad occasum vergit Orbis. Hæc, & alia superiùs expressa, inculcanda essent illis sæpiùs ab eis, qui procurant lucrum animarum, ad quod Domini, sub quorum potestate manent, deberent singulariter concurrere, gratissimumq; DEO præstare obsequium in procuranda salute perfidorum Judæorum, & si contingat, (ut sæpè fit,) si aliquem occidant puerulum ex odio Christianæ Fidei, deberent ex hac Civitate pelli, (ut fit in alijs Regnis) nec ampliùs ibi comparere. Sic formidine pœnæ abstinerent à cæde infantilis, & innocentis sanguinis parvulorum.

APPENDIX
Ad Discursum Theologicum, de Perfidia & Cæcitate Judaica.

Vbi satis evidenter per Testimonia Prophetarum, veterum Talmudistarum, Cabalistarum, Chaldæorum, ad Sacrosanctæ Trinitatis mysterium profitendum, Verbi Divini Incarnationem recognoscendam, alium Messiam venturum non sperandum, lumenq; Fidei Catholicæ recipiendum, oculi Iudæorum ex sua Cæcitate aperiuntur.

ETsi jam plurima (Benevole Lector) de hac materia in præfato Discursu Theologico à pag. 885. usq; ad p. 910. tradita sunt, nihilominùs, ut & Christiani in vera Fide orthodoxa magis confirmentur, & Judæi in sua perfidia & cæcitate confundantur ac convertantur, sive (ut ajunt) proprio, quia ex Hebraico contextu elaborato gladio (quod est verbum Domini) obstinati interimantur; omissis permultis alijs, aliqua duntaxat Prophetarum, veterum Talmudistarum, Cabalistarum, Chaldæorum testimonia, ut potè Judaicam cæcitatem ad oculum demonstrantia, tum evidenter eorundem perfidiam convincentia, sicut Hebraicus textus habet, huic Operi addere necessarium fuit. Nil enim Christiano homini jucundius gloriosiusvè, quàm de manibus hostium Fidei arma capere, & eorum pervicaciam, veluti David Philisthæum, proprio gladio jugulare, aut ad instar Judith, Holofernis caput amputare.

Verùm cùm uniuscujusq; rei notitia ex sua pendeat definitione, undè sciendum est *Primò*, quid sit Talmud apud Judæos. Talmud nil aliud est, nisi Doctrina, seu Disciplinatio, Commentaria propriè omnia ac Statuta, & quasdam temporum Historias complectens, opus profectò tam Naturali, quàm Politica ac Legali Sapientia refertum, & illud quidem ipsum per Rabbi Asse in unum ad instar Decreti Volumen redactum est. Quamvis autem Talmud in sex primarias distinguatur Partes, quas SEDARIM, id est,

Definitio Talmud. & Talmudistarum divisio.

est, Ordines, seu Ordinationes vocant, Talmudistarum tamen duo sunt genera: quidam enim Christi præcesserunt adventum, undè & veteres Talmudistæ meritò vocantur; hi conformiter ad Prophetas locuti sunt de Christo, secundùm universa, quæ gessit & docuit. Alij Talmudistæ sunt juniores, longe post Christum succedentes, ut Legis & Prophetarum de Christo testimonia adversùs Christianum dogma retorquerent, ea contra priscorum Talmudistarum sententias pervertere conati sunt, ut indè sibi nomen compararent & gloriam. Cabalistæ verò dicuntur à Cabala. Cabala autem dicitur id, quod ex narratorum auditu percipitur, creditur, atq; tenaciter observatur. Id autem Hebræi non scriptam Legem, sed spiritualem seu mysticam, hoc est, explanationem Legis intelligunt. Talis enim opinio Judæorum est, Moysen duplicem Legem à Domino in monte Sinai accepisse: unam, quam vocant THORA SEBISCAF, id est Legem, quæ scripto tradita est; alteram, quæ THORA BEAL PE dicitur, id est Lex, quæ in ore seu viva voce tradita est: atq; hanc postremam succedaneo quodam ordine per Moysen ad posteros derivatam affirmant. Sic, ut eam primus omnium *Jehoschue* accepit à Moyse, quam posteà Senioribus, Seniores Prophetis prioribus, Prophetæ priores posterioribus, inter quos fuère novissimi Zacharias, Haggeus, & Malachias, veluti rem arcanam, nec passim patefaciendam, fidis auribus commiserunt. Ab his acceperunt posteri sapientiâ præstantes, succedentibus generationibus, quam quidem Legis geminam expositionem hodiè adhuc Judæi Cabalam vocitant. Quamobrem nec minimam ejus particulam licebat scripturæ mandari, sed eam ore tradebant. Indè meritò Cabalam vocârunt, quod receptio latinè interpretatur. Recentiorum tamen Judæorum Doctores, ne avitum illud dogma penitùs interiret, de eo aliquid scriptum in lucem ediderunt, sparsim tamen, ac nonnullis velaminibus obumbratum, quo profectò fit, ut paucissimi rectam ejus intelligentiam assequantur. Si qui tamen aliquid indè se consecutos opinantur, mox illud in corde tanquam arcanum nemini revelandum recondunt, ne propter Sanctam Divinarum Personarum Trinitatem, aliaq; Catholicæ veritatis mysteria ibi refulgentia, aliquos Judæorum scandalo affici contingat. Ac proindè, ut istud ex sola obstinatione proveniens scandalum tollatur de cordibus Judæorum, ac ijdem discussis tandem plus quàm Cimerijs tenebris, quibus (heu miseri!) obruti sunt, ad veram

Cabalistarum denominatio.

Legis origo.

DEI cognitionem perveniant, majoriq; studio & zelo Messiam sibi repromissum à DEO per Patriarchas & Prophetas, quærant; arcanum hoc per testimonia Prophetarum, veterum Talmudistarum, Cabalistarum, Chaldæorum revelatum, demonstrabitur. Et quia tria potissimùm fundamenta principalia Christianæ Religionis sunt, in quibus hoc arcanũ, omnesq; ferè articuli Fidei velut indissolubili nexu uniti occultantur; undè de his tribus distinctis Paragr. agetur.

Et quidem primum Fundamentum est, quòd in unitate Divinæ essentiæ sit pluralitas personarum, & quòd illa pluralitas personarũ sit Trinitas, & quòd illa Trinitas sit unitas essentiæ & naturæ. *Principalia Christianæ Religionis fundamẽta*

Secundum Fundamentum est, quòd in persona Filij DEI Natura Divina & Humana sint unitæ, ita, quòd ipse Christus sit verus DEUS, & verus Homo.

Tertium Fundamentum est, quòd Incarnatio Filij DEI est de præterito, & non expectanda de futuro, nec alius Messias venturus sperandus. His demonstratis, alia connexa Fidei Catholicæ mysteria indè sufficienter probabuntur, evidenterq; patebunt. Undè sit

Paragraphus Primus.

Primum Fundamentum Catholicæ Fidei est, quòd in Unitate Divinæ essentiæ sit pluralitas personarum, & quòd illa pluralitas personarum sit Trinitas, & quòd illa Trinitas sit Unitas essentiæ & naturæ.

QUantùm ad primum Punctum primi istius Fundamenti, nimirùm, quòd in Unitate essentiæ Divinæ pluralitas personarum inveniatur; Probatur ex primo Genesis Capite, ubi in principio Creationis mundi Moyses demonstrat pluralitatem personarum in Unitate Divinæ essentiæ, dicens: *In principio creavit DEUS cœlum & terram.* Hebraicus Textus habet: *In principio creavit* HELOHIM, quod Nomen pluralitatem denotat. Similiter Exodi 20. *Locutusq; est Dominus* (id est ELOHIM) *cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus &c.* In Hebraico legitur HELOHIM EHERIM, hîc *Elohim* designat pluralitatem. Dixit enim Moyses, HELOHIM *creavit*, conjungens Nomen Plurale Divinum cum Verbo Singularis Numeri, scilicet *creavit*, ad demonstrandum, quòd intentio ipsius fuerit, significare personarum pluralitatem per HELOHIM, & cùm *Pluralitas personarum in Unitate essentiæ Divinæ demonstratur, fuisse in principio creationis.*

cùm sit conjunctum cum Verbo Singularis Numeri, scilicet *creavit*, ostendere Unitatem Divinæ essentiæ. Rabbi quoq; Moyses Ægyptius, in libro MORE, in 60. Primæ Partis Capite inquit: *Nomen, quod est* ADONAI, *id est, Nomen quatuor literarum, proprium esse Creatori Altissimo*, quod juxta Hebræos pluralitatem exprimit. Ubi ex hujus Nominis conjunctione cum Verbo Singularis Numeri, scil. *creavit*, manifestè evincitur, in principio Creationis in Unitate Divinæ essentiæ fuisse pluralitatem personarum; quod & ipsiusmet DEI comprobatur testimonio. Volens DEUS formare hominem, dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* (Gen. 1 Vers. 27) *Faciamus* dictum, propter personarum pluralitatem, & *nostram*, propter Unitatem Substantiæ. Et alibi: *Creavit DEUS hominem ad imaginem & similitudinem suam; Suam* dixit, ad demonstrandam unitatem Divinitatis.

Prophetarũ & Talmudistarũ autoritas, quòd in Creatione fuerit Trinitas personarum.

Quantùm ad secundum Punctum, nempè, quòd in Divinis personarum pluralitas sit Trinitas, evidenter deducitur ex responsione Talmudistarum ad dicta filiorum Gad & Ruben, Jechosue 22. EL HELOHIM ADONAI, EL HELOHIM ADONAI, id est, *Deus Deus Deus, Deus Deus Deus, ipse sit.* Quidnam viderunt, ut hoc idem repeterent duabus vicibus? responderunt Talmudistæ: *Dixerũt primò Deus Deus Deus, quia per tres (scil. Personas) creatus est mundus; & deindè dixerunt Deus Deus Deus, quia per tres quoq; data est Lex.* Confirmatur id in Glossa, MIDRAS TILLIM dicta, quærentes Talmudistæ super verba Psalmi 49. posita, *Deus Deus Deus, quare iterata sunt hujusmodi nomina?* ℟. *quia his tribus nominibus creavit Deus universum.* Manifestum autem est, creationem soli essentiæ Divinæ competere, ut ipsi Judæi fatentur, juxta inferiùs dicenda. Igitur in essentia Dei personarũ pluralitas ipsa Trinitas, quod apertè ostenditur ex colloquio ipsiusmet DEI ad Moysen: (Exodi 3.) *Ita dices filiis Israël, Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, misit me ad vos.* In eo enim, quòd ter dixit *Deus*, personarum Trinitatem disertè expressit; in eo autem, quòd semel dixit, *Dominus Deus misit*, neq; dixit *miserunt*, Divinæ naturæ seu essentiæ Unitatem demonstravit. Hæc autem personarum Trinitas verissimè est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Rabbi Moyses Ben Maimon, in libro MORE, in Capite 40. Primæ Partis, *volens ostendere substantiam Creatoris, nisi unicum nomen Tetragrammaton DEO Sancto & Benedicto proprium esse, & ipsum solùm denotare Divinam*

Litera Nominis Domini Tetragrammaton, demonstrãt Patrem, Filiũ, & Spiritũ S. fuisse in Creatione

vinam essentiam asseruit. Et Exodi legimus: *Et locutus est Deus ad Moysen, & dixit ad eum: Ego* יהוה (id est, Deus Tetragrammaton) *& apparui Abrahæ, Isaac, & Jacob*, BEEL SADAI, (id est, in Deo Omnipotente,) *& nomen* יהוה (id est, Dei Tetragrammaton) *non aperui eis*. Ubi Glossa Rabbi Salomonis ait: *Non notificavi eis in proprietate, scil. vera, quæ in me est.* Hîc notandum est *primò*, quòd literæ hujus nominis, tametsi numero quatuor sunt, in veritate tamen non sunt, nisi tres, scil. י *Iod*, ה *He*, ו *Vau*. Ex eo autem, quòd secunda bis ponitur, secundo scilicet loco & quarto, quatuor esse censentur. Tres igitur hujus nominis literæ, Tres Divinas demonstrant Hypostases: nam prima י *Iod*, quæ principium interpretatur, eò quòd omnium aliarum principium sit, cùm ab ea unaquæq; originem scripturæ habeat, ipsaq; à nulla initium sumat, rectissimè Patrem in Divinis insinuat, qui cùm à nullo sit, alijq; ab eo emanent, Principium sinè Principio dicitur. Secunda autem, scilicet ה *He*, quæ esse vel vivere significat, Filium in Divinis aptissimè innuit, per quem omnia quæ facta sunt, esse cæperunt, & quidquid factum est, in ipso vita erat, juxta illud: *Ego sum via, veritas, & vita.* Tertia autem, scil. ו *Vau*, quæ copulativam literam designat, Spiritum Sanctum optimè exprimit, qui cùm sit amor Patris & Filij, quo se vicissim complectuntur, rectè copula, id est, nexus utriusq; nuncupatur. Nihil enim apud Hebræos copulativè, nisi per hanc literam ו *Vau* proferri potest. Notandum est *2dò*, Sola harum literarum secunda geminatur, quia Filiū solùm, qui secunda est in Trinitate Persona, exprimit, duplicem habere respectum. Nam Pater quidem, qui prima Persona est, cùm sit producens, & non productus, unum tantùm habet respectum. Itidem & Spiritus Sanctus, qui tertia Persona est, cùm solùm productus sit, & non producens. Ipse autem Filius, qui secunda Persona est, cùm productus sit & producens, duos habet respectus. Nam à Patre productus est, & unà cum Patre Spiritum S. producit. Notandum est *3tiò*, Tria Divina nomina veteres Hebræorum ex quatuor literis hujus nominis componi asseruerunt, scilicet יה *Iah*, הו *Hu*, והו *Vehu*. Primum enim ex prima & secunda componitur litera, scilicet ex י *Iod* & ה *He*, hoc modo,

Exodi 6.

NB.

Ioan, 14

NB.

NB.

Ex nomine Domini Tetragrammaton, deducitur Trinitas.

do, יה *Iah*, quod idem est, quòd Deus, & Patrem designat, qui totius Divinitatis fons est. Secundum verò nomen ex secunda & tertia constat litera, הו *Hu*, quod (ipse) interpretari debet, & Filium significat, quia ipse profectò est, quem Prophetæ ad salvandum genus humanum venturum prædixerunt, & digito quandoq; monstraverunt, juxta illud Isaiæ: *DEUS ipse veniet, & salvabit vos.* Tertium deniq; nomen ex tertia & quarta construitur litera, scilicet ו *Vau* & ה *He*, וה *Vehu*, & id totum sonat, quòd ipse, & Spiritum Sanctum denotat, quia & ipse quoq; post Filium visibiliter mitti debebat, licèt non eodem modo. Filius enim in Humana Natura Hypostaticè & inseparabiliter unita mittendus erat, Spiritus Sanctus verò in igne, figura separabili & aliena. In hoc autem, quòd secundum nomen descendit à primo, & tertium à secundo, (nam litera ה *He* communis est primo & secundo nomini, ו *Vau* verò communis est secundo & tertio) ostenditur planè, Filium consubstantialem esse Patri, à quo genitus est, & Spiritum S. consubstantialem esse Filio, qui consubstantialis est Patri, ut palàm liqueat, & Filium esse in Patre, & Patrem in Filio, & Spiritum S. in utroque, & ita unam in Divinis substantiam indivisibilem, & æternam, ut in nomine Domini Tetragrammaton clarè ostenditur: ex eisdem namq; literis istud nomen constat, ex quibus tria Tempora ejusdem verbi componuntur, quæ sunt Præteritum, Præsens, & Futurum, & sic apud Hebræos sonant, היה *Haiah*, i. e. fuit, הוה *Hove*, quod est, significat, יהיה *Ihie*, id est, erit, ut ex hoc earundem Personarum æternitas apertissimè pateat, Patrem scilicet, & Filium, & Spiritum Sanctum, semper fuisse, esse, & fore. Id manifestè demonstratur. Et in expositione Rabbi Moysis Hardasan, in libro Genesis, super illud Cap. 42. *Joseph ipse potens super terram*, ita legitur: Rabbi Eleazar dixisse, *Non est creatus mundus, nisi Verbo DEI Benedicti*; sicut & Hebraicus Textus habet in Psalm. 32. *Verbo Domini Cœli facti sunt.* Ubi & Rabbi Simeon dicit: *Inspiravit Deus Spiritum oris sui, & creatus est mundus*; sicut dictum est in eodem Psalmo 32. *Et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Cùm itaq; Propheta in antedicto Psalmo testetur, quòd Verbo Domini Cœli facti sunt, sicut Hebraica dictio sonat, & quòd Spiritu oris ejus omnis virtus eorum (id est Cœlorum) facta est, sequitur, quòd Deus per Verbũ suum, (i. e. per Filiũ suum, uti Philo

Isaia 35

Quòd Filius sit in Patre, & Spiritus Sanctus in utroque.



Ex nomine Domini Tetragrammaton demonstratur, Patrem, Filiũ, & Spiritum S. fuisse, esse, & fore.

Talmudistarũ authoritas, quòd in Creatione fuerit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Judæ-

Judæus nominat) & per Spiritū suum (i. e. per Spiritū S.) hoc fecit. Nullus enim potuit creare vel facere mundum, sive omnes Cœlorum virtutes, nisi solus DEUS, uti & ipsi Judæi fatentur. Immo Rabbi Moyses Ægyptius in suo Deuteronomio, in libri primi Capitulo primo asserit, *hoc esse primum fundamentum omnium fundamentorum Legis Mosaicæ*, Hebræorum more loquendo. Sed Verbum Domini creavit virtutes Cœlorum, & Spiritus S. eas creavit sive fecit, ut suprà authoritate Psalmistæ demonstratum. Ergo Verbum DEI est DEUS, & Spiritus S. est DEUS, quibus rerum creatio attribuitur. Tum etiam, cùm nihil sit in DEO, quod non sit ipse DEUS, quod prisci quoq; Talmudistæ senserunt, ut patet per Rabbi Nu Haccadas, in prima petitione libri GALERAZEIA, sic dicentem: *Nihil invenitur aliquid in DEO, quod non sit DEUS.* Et ideò declarare voluit Propheta in creatione Cœlorum & mundi, tres cooperatas esse personas: nam cùm dicitur *Verbo*, intelligitur Filius; cùm dicitur *Spiritu oris sui*, intelligitur Spiritus Sanctus, cooperantes simul cum Patre, omnes tamen tres unus DEUS tantùm, quod valdè consonat illi dicto Evangelistæ, omninò in tabulis plus quàm lapideis, cordibus scilicet Judæorum exarando, quem ipsi Eliam, sive Prophetam vocabant, ubi sic ait: *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Dicitur ergo in prædicto Psalmo 32. *Verbo DEI Cœli facti sunt*, id est, per Verbum, scilicet per Filium DEI facti, qui DEUS est. Porrò, quòd DEUS Verbum sit, ex eo potissimùm constat, quod ubi Isaias cap. 45. ait: *Israël salvatus erit* ADONAI, id est, *in* DEO, (Tetragrammaton ponit nomen) *salvatione seculorum.* Targum Jonathæ dicit Chaldaicè sic: *Israël salvatus erit in Verbo, vel per Verbum DEI, salvatione sempiterna.* Tum ex illo dicto Hoseæ 9. *Reprobabit eos Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in gentibus.* Sic Jonathas in Targum exponit: *Abjiciet eos Deus meus, quia non receperunt Verbum ejus*, id est, Filium ejus coæternum. Hoc & in alijs permultis dictis Chaldaicè legenti patebit, in quibus Prophetæ Dominum, vel DEUM Tetragrammaton posuerunt. Rabbi Jonathas prædictus, vir apud Hebræos maximæ authoritatis, *Verbum DEI* Chaldaicè transtulit, exposuitquè; consequens planè est, DEUM ipsum Verbum esse, & Verbum DEI, DEUM. Et cùm dictum sit, quòd per Verbum, id est per Filium DEI, qui est DEUS, omnia facta sunt, nunc DEUM habere Filium, ipsumq; Dei Filium DEUM esse, evidenter ostenditur Isaiæ 66.

Quòd Spiritus S. sit Deus, colligitur ex Talmudistis.

1. Ioan. 5



Quòd Verbū Dei sit Deꝰ, Chaldæorū probatur testimonio.

Prophetarum & Talmudistarum authoritas, quod Deus habeat Filium, & quòd Messias sit Filius DEI.

Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus. Si ego, qui cæteris generationem tribuo, sterilis ero? ait Dominus Deus tuus. Et in Psal. 88. inquit Deus: *Ipse vocabit me, Pater meus es tu, Deus meus. Ego quoq; primogenitum dabo eum, altissimum terræ.* Quod de Messia intelligendum esse, inficiari minimè potest Judaica pravitas, cùm in Glossa super illud Exodi: *Sanctifica mihi omne primogenitum*, sic scriptum est à Rabbi Nathan, *dixisse Mosi Deum Sanctum & Benedictum, quemadmodum feci Israël* BECHOR, *id est Primogenitum, sicut dictum est: Filius meus primogenitus Israël; ita ego faciam Regem Messiam Primogenitum, sicut dictum est in Psalmo: Ego Primogenitum dabo eum altissimum terræ.* Hactenùs Glossa prædicta. Ex cujus fine manifestè liquet, de Messia debere intelligi dictum illud Psalmographi: *Ipse vocabit me, Pater meus es tu*, cum cæteris quæ dicta sunt. Id patet in MIDRAS quoq; TILLIM, super illud Psal. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodiè genui te*, Rabbi Anna, in nomine Rab. Iddi ait: *Hic est Rex Messias, de quo prophetavit David, Ego hodiè genui te.* Hîc constat, Deum habere Filium. Inquit enim Deus ad Messiam: *Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Genitus à Patre, naturaliter similis est Patri; Sed Pater hic est Deus, ergo Filius, de quo dicitur, est Deus. Et cùm Filius iste nullus alius sit nisi Messias, igitur Messias est Deus. Quòd verò dicit *hodiè*, declarat nunc æternitatis, quia apud Deum, in æternitate, omnia tempora sunt præsentia. Item de Filio Dei habetur in Daniele Proph. c. 3. *Ecce* (ait) *ego video quatuor viros solutos deambulantes in medio ignis, & corruptio nulla est in eis, & aspectus quarti similis est Filio Dei.* Tum in Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ex utero ante Luciferum genui te, &c. Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Ista sunt verba Patris ad Filiū. Id patet per translationē Chaldaicam Onkelij,* qui sic exponit: *Dixit Dominus Verbo suo*, i. e. ad primogenitum Filium suū, uti illud Philo Judæus, quem Judæi magnoperè æstimant, nominat. Hæc inquit: *Omnia Pastor ille Rexq; Deus summa cum æquitate moderatur, quòd ijs suum ipsius Verbum, quo rectius nil est, ac primogenitum Filium præfecerit, qui sacri huius gregis curam non secùs ac summi Imperatoris Legatus susciperet.* Et cùm Messias, juxta Hebræos, sit Nuncius seu Legatus, igitur est Verbū Dei, ac primogenitus Filius ejus, sedens ad dexteram Patris. Dexteram Patris dicimus gloriam & honorem Divinitatis, in quo Filius DEI exstitit ante sæcula, ut Deus, & Patri consubstantialis. Quòd autē Psal-

**Onkelij expositio apud Hebræos magna est authoritatis, & à Iudæis tanquam à Spiritu S. revelata accipitur.*

Philo Iudæus lib. prior. de Agric. Dei Verbū eius quoq; primogenitum Filium nominat. Refert testimoniū hoc Euseb. lib. 7 de Præparat. Evang. c. 12.

NB. Ad hæc confundantur & erubescant Iudæi, negantes Filium DEI Messiam.

Psalmographus hîc loquatur de Messia, i. e. de Christo, qui est Filius Dei, id per Midras Tillim probatur, super illud Ps. 17. *Et dabis mihi scutũ salvationẽ tuam, & dextera tua confortabit me.* Rabbi Joden in nomine R. Ecca dixit: *Futurũ est, ut Deus Sanctus & Benedictus sedere faciat Regem Messiam, sicut dictũ est:* *Dixit Dominus Domino meo,* (vel, ut legit Onkelius, *Verbo suo,*) *sede ad dexteram meam.* Huc quadrat, quod David dixit Psalmo 17. *Et dextera tua suscepit me.* Patet etiam per id, quod sequitur in prædicto Psalmo 109. *Ex utero ante Luciferum genui te,* hoc nulli potest convenire, nisi Filio Dei. Per hoc enim, quod dixit, *ex utero,* id est, genitus de substantia Dei, ostenditur Divinæ essentiæ unitas, quia Deitas plurificari nequit. Per hoc autem, quod dicitur, *genitus* de substantia DEI, ostenditur Personarum distinctio, quia nulla res seipsam gignit. Et sic ex hac authoritate negari non potest, pluralitatem Personarum & Unitatem Essentiæ esse in Divinis. Et dicit, *ante Luciferum,* id est, ante creationem mundi genitus est, nimirùm ab æterno; quod ex Psalmo 71. manifestè colligitur, ubi dicitur: *Ante Solem permanet nomen eius.* Ly *permanet.* In Hebræo habetur YNNON, quod derivatur ab hac dictione NIN, quæ significat Filium. Similiter Rabbi Abraham Abenthazara ait: YNNON, *est Verbum Passivum, quod derivatur ab hoc Nomine* NIN, *quod propriè significat Filium.* Idem sentit Rab. David. Undè dicitur Ps. 71. *Ante Solem* YNNON *Nomen eius,* sc. Filiatum, acsi dicat, quòd ab æterno iste Rex est Filius. Ex quo loco de necessitate, seu proprietate dictæ literæ, YNNON, desumitur efficax probatio, quod in Divinis deturFilius, seu Filiatio ab æterno.*

Quòd Filius DEI sit ab æterno.

Personarum distinctio, & Unitas Essentiæ Divinæ.

** Tum ex Philone Iudæo, qui lib. pr. de Agric. æterni Dei Verbum, quod ejus quoq; primogenitum Filium nominat, sempiternum esse asserit.*

Quantùm ad tertium Punctum primi Fundamenti, scilicet, quòd in Divinis Trinitas, sit Unitas Essentiæ & Naturæ. Pro demonstratione illius, omni exceptione majꝰ testimoniũ extat in lib. ZOHAR super Deut. 6. c. ubi dicitur: SEMA ISRAEL, ADONAI ELOHENU ADONAI EHAD, i. e. *Audi Israël, Deus Deus noster, Deus unus est.* Ubi non aliam ob causam Moyses ter DEI nomen repetijt, nisi ut Divinarum Personarum Trinitatem distinctè insinuaret; in dictione autem *Unus,* quam immediatè subjecit, innuit tres Personas Divinas, non tresDeos, sed unum esse DEUM, unam Naturam, unam Deitatẽ. Quòd autẽ in ijsdem verbis per triplicatũ DeiNomen designeturPersonarũ Trinitas, hocJudæi minimè negare possunt, cùm Rabbi Simeon, Johas filius, in libro qui ZOHAR dicitur, super textum hunc, *Audi Israël &c.* ita dicat, testante Rabbi Ibba. Hîc autem notandum est dictum, *Audi Israël, Deus, Deus noster,*

Trinitas Personarum in Unitate Divinæ essentiæ demonstratur.

noster, Deus unus est. Ecce ter DEI nomen ponitur. Quid est, quòd secundo tantùm nomini additur, *Deus noster,* & non primo aut tertio? id sanè non sinè mysterio factum est. Ex hoc enim manifestè colligitur, quòd neq; quidem Pater, qui prima est in Trinitate Persona, neq; Spiritus Sanctus, qui est tertia in eadem Trinitate Persona, sed solus Filius, qui est secunda ejusdem Trinitatis Persona, per nostræ humanitatis participationem, *noster* futurus erat. Quod similiter in Psalmo 66. ostenditur: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Ubi in eo, quòd ter ponitur *Deus,* trium Personarum Divinarum designatur distinctio, ut, *benedicat nos Deus,* scilicet Pater, *Deus noster,* scilicet Filius, item *benedicat nos Deus,* id est Spiritus Sanctus. In eo autem, quòd secundo loco tantùm adjungitur *noster,* solum Filium per nostræ Naturæ assumptionem, nostrum fore insinuatur. Et ideò *Emanuel* dicitur, id est *nobiscum Deus.* Pro eo verò, quòd postremò metuant *Eum,* & non eos dicitur, ipsarū Personarum Unitas, quò ad Naturam, atq; identitas Substantiæ ostenditur, acsi dicat, licèt istæ sint tres Personæ personaliter realiter distinctæ, tamen sunt una tantùm essentia & substantia, & Unus solus Deus, Trinus in Personis, & Unus in Essentia. Quare David non solùm notam facit nobis Unitatem Divinæ substantiæ cum Trinitate Personarum, per hoc Pronomen Singulare *Eum,* quando dicit, *metuant eum &c.* sed etiam per hoc Verbum Singulare, *Benedicat nos Deus noster, &c.* ad demonstrandum, quòd licèt tres personæ realiter distinctæ concurrant ad benedicendū nos, tamen unus est actus earum externus, tanquam ab uno principio substantiali, in quo sunt unum, quia opera Trinitatis sunt indivisa ad extrà. Confirmatur id visione Abrahæ. Abraham enim tres vidit, & unum adoravit, dicens: *Domine &c.* Tres ei apparuerunt, quia tres sunt Personæ Divinæ, quas sicut unum DEUM adoravit, dicens *Domine,* quia in eis una est Deitas. Declaratur tandem Divinæ Trinitatis & Unitatis æterna & omnimoda stabilitas, ex trina videlicet Angelorum voce, laudantium DEUM & dicentium: KODOS, KODOS, KODOS, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth, &c.* Cur enim ter Sanctus dicunt potiùs quàm semel, vel bis, vel decies, vel centies, vel alio numero aliquo? Cur si breviter laudare volunt, semel Sanctus non dicunt? si verò multùm, cur non centies vel millies usurpant? sed proclamant ter, quia tres sunt Personæ Divinæ; Sanctus enim est Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus, & una & eadem Sanctitas,

Isaia 6

non

non tamen constituuntur tres Dij, sed Unus Sanctus Deus JEHOVAH ZEBAOTH. Quòd autem non dixerunt Angeli, Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus, sed simpliciter, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth*, propterea factum est, quòd mysterium Sanctissimæ Trinitatis non erat per Angelos in Veteri, sed per Messiam in Novo Testamento manifestandum. Sic Rabbi Menahen Rahanad, authoritate LIZOHAR, Deuter. 6. explanè confirmat super illud verbum, *Audi* ISRAEL, &c. ubi expressa de Trinitate Divina facta est mentio, ait Chaldaicè: *Non licet in his seculis, quousq; adveniat Messias, revelare* scilicet hoc. Idem fatetur Rabbi Simeon. Et in hoc universa Cabalistarum Schola consentit, *quòd Trinitatis arcana sint recondita, quousq; adveniat Messias, quia tunc omnis suspicio erroris ablata erit.* Hic autem verus Messias est DEI Filius, & Dominus noster JESUS Christus, nisi enim ille Humanam Naturam assumpsisset, nunquam DEUM Unum in Essentia, & Trinum in Personis cognovissemus, sicut inquit Joannes: *Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse revelavit nobis.* Quod SS. Trinitatis mysterium ut revelaret nobis, primò venit in carne, missus à Patre, ut ipse inquit: *Non enim veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris*, & alibi frequenter testatur. Et sic incarnatus tulit Legē Evangelicā, non solvendo, sed adimplendo Legē. *In carne etiam passus & mortuus est pro nobis, & resurrexit, & impleto cursu nostræ redemptionis ascendit in cœlū, sedetq; ad dexteram Patris, sicut scriptum est: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Verùm ut ostenderet, non solùm duas esse Personas in Divinis, sed tertiam quoq; Personam esse, misit Spiritum S. in signo visibili, scilicet in igne, super Discipulos in Die Pentecostes. Cæterùm, ut mundo innotesceret, quòd iste Spiritus S. procedit ab utroque, dixit: *Cùm venerit Paracletus, qui à Patre procedit, quem mittet Pater in nomine meo, &c.* Item ut magis explicaret, quòd Spiritus S. non solùm procedit à Patre, sed etiam à Filio, subdit: *Si autem abiero, mittam vobis eum.* Istud augustissimum SSmæ Trinitatis mysterium ut expressiùs hic verus Messias revelaret, Matth. 28. dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.* Similiter unitatem Divinæ essentiæ disertè explicuit Joan. 19. *Ego sum in Patre, & Pater in me est.* Et iterum: *Ego & Pater unum sumus*, Quod & sæpiùs occurret legenti Novum Testamentum. Quid igitur clarius? quid luci-

Rabinorum authoritas. & Schola Cabalistarũ de arcano SS. Trinitatis.

Ioan. 18 Revelatio mysterij SS. Trinitatis.

**Rab. Hamnina in Midras Tillim, super illud Esaiæ:* In die illa erit radix Iesse, &c. *dixit, quòd Rex Messias non venit, nisi ut Legem atq; Præcepta gentibus tradat.*

Psalm. 109 Processio ac missio Spiritûs S. à Patre & Filio.

Ioan. 15

lucidius? quid manifestius? quàm quòd sit Personarum pluralitas, & sit Trinitas, & quòd illa Trinitas sit Essentiæ Divinæ Unitas. Dixit Dominus ad Moysen: *Loquere Aaron & filijs eius: Sic benedicetis filijs Israël, Dicetis eis; Benedicat tibi Deus, & custodiat te; ostendat DEUS faciem suam tibi, & misereatur tui; convertat DEUS vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Dixit ter DEUS, ut demonstraret, quòd sit Trinitas. Non enim satis ei erat, DEI nominis semel mentionem facere, & cùm eo omnes has benedictiones complecti; sed per trinam DEI nominis commemorationem, Trinitatem Personarum in Divinis figurari voluit. Et cùm Trinitas hæc in Unitate Essentiæ sit, infert: *Invocabuntq; nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis.* Ubi *nomen meum* Singulari Numero profert, & Trinitatem Unitatis nomine, seu Substantiæ Unitate complectitur. Ac proindè, quisquis ex animo optas, *ut benedicat tibi DEUS, & convertat vultum suum ad te*, tu priùs convertere ad Dominum DEUM, ut ipsemet ait Zachariæ 1. capite: *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Quod aliter fieri nequit, nisi Fidem Rom. Cathol. suscipiendo, firmiterq; credendo, simpliciter confitendo, quòd Unus est solus DEUS, Bonus, Justus, Verus, Æternus, Immensus, Immutabilis, Incomprehensibilis, Omnipotens, Ineffabilis, Misericors, Sanctus, Sapiens, Excelsus super omnes Cœlos, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Benedictus, & Laudabilis, & Gloriosus in sæcula.

In benedictione filiorum Israël ostenditur SSmæ Trinitatis mysterium, & Divinæ Essentiæ Unitas.

Paragraphus Secundus.

Secundum Fundamentum Catholicæ Fidei est, quòd in Persona Filij DEI Natura Divina & Humana sint unitæ, ita quòd ipse Christus, sit verus DEUS, & verus Homo.

HEbraicè dicitur VEATHA ADONAI, ADONAI SELOHANI VERUCHO, id est, *Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius. Hæc dicit Dominus Redemptor tuus, Sanctus Israël.* Manifestum autem est, etiam juxta Hebræorum morem, quòd hæc dicantur à Filio DEI, tam ex verbis antecedentibus, scil. *Ego ipse, Ego primus, & Ego novissimus,* quàm etiam ex verbis subsequentibus, nempè, *Hæc dicit Dominus Deus, Redemptor tuus, Sanctus*

Isaiæ 48

De missione Filij Dei, Prophetarum & Talmudistarum testimonia.

bus Iſraël, Ego Dominus Deus tuus docens utilia, &c. In hoc loco Propheta nullâ uſus eſt verborum circuitione, nullâ ſermonis perplexitate, ſed hujusmodi myſterium, quod prædicamus, luce meridianâ clarius nobis demonſtrat. Dicit enim: *Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius.* Igitur DEUS & Spiritus ejus miſit DEUM. Ex quibus profectò verbis noſtra oritur doctrina, quòd Filius Dei fuerit à DEO Patre miſſus ad humanitatis aſſumptionem, Spiritu S. cooperante. Qui Filius DEI verus Meſſias fuit, quem nos Chriſtum appellamus. Quod confirmat Aggeus Propheta, dicens: *Spiritus meus erit in medio veſtrûm, nolite timere, quia hæc dicit Dominus Deus Exercituum: Ego commovebo cœlum, & veniet deſideratus cunctis gentibus. Hæc loquitur Deus,* per quem Patrem accipimus, per *deſideratum,* intelligimus Filium, hoc eſt Meſſiam, quem crebris gemitibus, iteratisq; ſuſpirijs Sancti Patres & Prophetæ flagitârunt, per *Spiritum meum* intelligimus Spiritum Sanctum, quo ſuperveniente Immaculatè concepta Virgo MARIA, illæſo virginitatis flore, concepit, ac hunc deſideratum verum Meſſiam Chriſtum JESUM, cunctis gentibus protulit. Sic & Daniel refert: *Aſpiciebam* (inquit) *in viſu noctis, & ecce cœli cum nubibus, quaſi Filius hominis veniens erat, usq; ad antiquum dierum pervenit, & oblatus eſt ei; & ipſi datus eſt principatus, & honor, & Regnum, & omnes populi Tribûs, & linguæ ipſi ſervient, poteſtas æterna, quæ non præteribit, & Regnum eius, quod non corrumpetur.* Quid clarius Propheta de Filio DEI dicere potuit, cujus Deitas nullo ſenſu humano percipi poteſt, ſed per carnem, quâ indutus erat, Apoſtolis, & alijs fidelibus, Filius Hominis apparuit. Ita tamen, quòd VERBUM CARO FACTUM ſit, & in unam Perſonam ſeu Hypoſtaſim non confuſis ſubſtantijs, ſed indiſſolubiliter unitis, Divinitas & Humanitas convenerint: Quamobrem in cultu adorationis Chriſti, non nudam Humanitatem, ſed conjunctam Divinitati adoramus. Et hæc eſt Fides vera Catholica, quòd Chriſtus ſit verus DEUS, & verus Homo. Verus DEUS, quia ſua Natura, Eſſentia, Subſtantia & Vita, eſt ipſamet Natura, Eſſentia, ſeu Subſtantia & Vita DEI, ſicut ex Natura, quam aſſumpſit ex MARIA Immaculatè concepta, dicitur verus Filius MARIÆ. Miſſus eſt enim Filius DEI ad MARIAM Virginem, ut ex ea carnem aſſumeret, de qua miſſione, ejusque utilitate Pſal. 106. loquitur: *Miſit Verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* In Commentarijs Rabbi Iſaac

Aggei 2. *Dan. 7*

Isaac Arama, in librum Geneseos, in expositione Capitis 47. vel circa sic legitur: *Mittet Verbum suum, & sanabit eos, & eripiet eos de interitionibus eorum.* Rabbi Samuel Levita ait: *Verbum DEI est Nuntius eius, de quo scriptum est: Profectò tale est Verbum meum, qualis est ignis, dixit Deus.* Constat autem ex antedictis, Verbum DEI, esse Filium DEI; ac proindè ex his abundè colligitur, Deum missurum fuisse Verbum suum, id est Filium suum, verum Messiam, eumq; missum esse, ut sanaret & salvaret universum Genus Humanum, sicut testatur Joannes: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundū, sed ut salvetur mundus per ipsū.* Missus igitur Filius DEI dicitur, non quia Cœlum vel Patrem reliquit, sed quia carnem suscepit nostram, in qua visibilis nobis apparuit. Nam cùm primam dedit Legem, in igne, nube, & fulguribus venit, ad incutiendum terrorem; daturus verò secundam Legem, sc. Evangelicam, in Hominis forma visus est, ad conferendam gratiam. Quam Filij DEI missionem, ô quanto antiqui Patres flagitabant desiderio! per Moysen: *Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Domine inclina Cœlos tuos, & descende.* Esaias deniq; exclamat: *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes.* Certum enim est, quòd nullus futurus erat Liberator, & Salvator, & Redemptor, nisi DEUS, qui unitâ sibi Humanâ Naturâ, seipsum humanæ redemptionis pretium daturus erat, ut ipsemet apud Esaiam fatetur: *Ego Deus, & non est absq; me Salvator.* Oseæ quoq; 13. *Et ego Dominus Deus tuus, ex terra Ægyptiorum &c. & Salvator non est præter me.* Idem & in libro MIDRAS TILLIM, super titulum Psalmi 87. dicitur: *Dixit ei Deus Sanctus & Benedictus, &c. Ego salvabo te &c.* Rabbi Salomon, exponens illa Danielis verba: *Et iustificabitur Sanctuarium,* Messiam Salvatorem vocat, sicq; ait: *Parcetur peccato Israël, & redimetur salvatione æterna per Regem Messiam, sicut dictum est Esaiæ 45. Cap. Israël salvatus erit in Deo, vel per Deum,* seu, ut Jonathas Chaldaicè transtulit, *in Verbo DEI, vel per Verbum DEI, salvatione sæculorum.* Igitur cùm Messias sit Verbum DEI, salvationem faciens æternam, consequens est, quòd sit verus DEUS, & verus Homo. Quod apertè demonstrat Jeremias: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo David germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet Judicium & Justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Israël habitabit confidenter. Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus Justus.* In Hebraico habetur: ADONAI




Quòd miss⁹ sit Fili⁹ Dei. Ioan. 3

Exodi 4

Psal. 143

Esaiæ 43

Dan. 8

Hier. 23 *Prophetarum authoritas, quòd Christus sit Verus Deus, & Verus Homo.*

CYD-

CYDKENU, nomen Domini Tetragrammaton, quod juxta Rabbi Moysen DEO maximè est proprium, de nulloq; dicitur, nisi deDeo vero. Ubi Chaldaica translatio de ipso Messia loquitur, *Quòd vocabunt eum Deum Justum.* Hoc idem habetur in Talmud, in MIDRAS ECHA, cap. 1. de nomine Messiæ. Similiter in libro BAVA BATRAH, in Cap. quod incipit, *Qui vidit navem.* Et quæritantibus in BAVA MITHIA Judæorum plerisque, Messiach quo nomine appellandus esset? respondet Rabbi Abba, apud Hebræos vir doctissimus, י *Iod* ה *He* ו *Vau* ה *He*, id est Nomen Tetragrammaton, *Messias est appellandus, ut habetur* (ait iste Rabbi) *apud Hierem. cap. 23. Et hoc est nomen quo vocabunt eum, Dominus Justus noster.* Ideò cùm Messias, qui est Christus, nominetur hoc nomine Tetragrammaton, scilicet *Deus Justus,* sicut per Hieremiam cap. 23. manifestum est, quòd verus DEUS sit, & verus Homo. Et ex hoc Jeremiæ vaticinio, & maximè ex Chaldæo Textu demonstratur, fuisse, & esse in Christo Humanitatē scilicet & Divinitatem. Nam ubi Propheta inquit, *Suscitabo David germen justum,* exprimitur Christi Humanitas, cùm natus sit ex semine David, secundùm carnem; quòd verò subditur: *Et hoc est nomen, quòd vocabunt eum Dominus Justus noster,* ostendit Christi Divinitatem manifestissimè. Idem deducitur ex alio nomine Divino, scil. שדי SADAI, quod idem sonat ac ASSERDAI, id est Omnipotens, vel qui sufficit, vel qui sufficiens est, exponitur: soliq; Messiæ, etiam juxta Hebræos, propriè convenit, ut patet per S. Job, Cap. 32. dicentem: *Spiritus Dei fecit me.* VENISMATH SADAI TEHAIENI, id est, anima SADAI vivificavit me, id est ejus qui sufficit. Cùm igitur nec Pater, nec Spiritus S. animam habeat, sed solus DEI Filius, qui est Virtus & Sapientia Patris, qui animam illam habet, quam sibi assumptâ Humanitate univit, sequitur planè, de solo DEI Filio, Job fuisse locutum, cùm dixit, Et anima SADAI vivificavit me, anima scilicet illius, qui solus ad Humanum Genus redimendum atq; salvandum sufficit. Et Psalmo 102. dicitur: *Adorate eum omnes Angeli eius.* Rabbi Salomon testatur, verba ista Psalmi loqui de Messia, id est Christo. In quibus verbis Propheta indicat, & quidem clarè, in Christo Divinam esse Naturam, cùm eum per Sanctos Angelos adorari velit, immo mandet, nam præter DEUM, nullus alius, non solùm ab Angelis, sed nec etiam ab hominibus est adorandus,

Ex nomine Domini Tetragrammaton ostenditur, quòd Christus sit verus Deus & verus Homo.

Ex nomine Sadai declaratur Christus Deus verus, & verus Homo.

Quòd debeamus adorare Christū.

dus, maximè latriæ adoratione. Confirmatur id authoritate Zachariæ dicentis: *Exulta satis filia Sion, & iubila filia Jerusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi Justus, & Salvator, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ, ipse pauper, & Salvator.* Per quam Prophetiam, Messias per Excellentiam non solùm Justus denominatur; verùm ipsius quoq; Divinitas & Humanitas apertè exprimitur, & Divinitas quidem in ea particula, quæ ait: *Justus, & Salvator ipse.* Hæc enim Hebraica dictio הוא *Hu*, latinè idem est quod *ipse*, apud Hebræos DEUM propriè significat, ut patet apud Esaiam 42. cap. dum ipsemet Deus ait: *Ego Deus ipse, est nomen meum. Ego sum* JEHOVAH. Loquendo igitur Zacharias, *Veniet tibi Justus, & Salvator ipse,* id expressit, quod Esaiæ 35. cap. *Deus ipse veniet, & salvabit vos,* seu ut Rabbi Jonathas exponit: *Deus ipse revelabit se, & salvabit vos.* Salvare enim propriè solius DEI est. Cætera verò, quæ in eadem Prophetia subijciuntur, Messiæ Humanitatem explicant, secundùm quam pauper factus est. Et ideò fuit simul Dives, & Pauper. Dives scilicet in Natura Divina, & Pauper in Natura Humana, sicut Apostolus docet: *Scitis enim gratiam Domini nostri JESU Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis.* Quòd verò hæc dicta Prophetæ & Apostoli intelligi debeant de Messia, fatetur Rabbi Salomon. Idem evidenter constat ex expositione Rabbi Moyses Prædicatoris in Bresit Raba, ad illa verba Jacob, Genes. 49. *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem,* ubi sic ait: *O Fili mi, asinam suam videlicet ostendens nobis, quòd cùm venerit Messias ad salvandum Israël, ipsemet consternet asinum suum, & equitabit super pullum, & veniet in Israël cum paupertate.* Consentit apertè huic & Rabbi Moyses Gierundinensis, in libro Judicum, in sententijs Regum. Dicit enim, *quòd non desideraverunt Prophetæ & Sapientes tempus Messiæ, ut dominarentur super Orbem, nec ut haberent potestatem in gentibus, vel ut indulgerent cibo & potui, delicijs & voluptatibus, sed ut versarentur in lege & sapientia, ut esset eis fas habere vitam sæculi futuri.* Idem Rabbi declaravit in Sententijs de Pœnitentia: *Quia in illo tempore omnes divitiæ reputabuntur tanquam lutum, & non erit occupatio in Israël, nisi ad sciendum Dominũ.* Istius sententiæ dicitur esse Rabbi Moyses Aben Maymon. Rabbi Racanad, super Gen. 4. Cap. sic ait: *Præsentia Dei vocata* ATTA, *id est Sapientia Dei, (quæ in Divinis Filio attribuitur) dominabitur*

Zachar. 9

2. Corint. 8

Opinio Talmudistarũ de Messia adventu, ac ejus paupertate.

Dominium Messiæ.

Angelo

Isaia 35

Angelo mortis, id est Diabolo. Et Esaias ait: *Redempti à Domino convertentur, & venient in Sion cum laude & lætitia sempiterna.* Rabbi Osua, in BRESIT RABA, Cap. 7. loco *Sion* legit *Paradisum.* Idem Propheta inquit: *Israël salvatus est in Domino salute æterna.*

Isaiæ 45

NB. Refellitur falsa opinio Iudæorũ modernorum tasserens, Messiã temporaliter regnaturum.

Per hoc falsa & nefanda modernorũ Judæorũ refellitur opinio, qui Messiam satellitio stipatum, opibus divitem, armis & potentiâ instructum, eos de potestate & subjectione Romanorum liberaturum, ac in toto mundo temporaliter regnaturum putant, cùm ex omnibus antedictis manifeste constat cuilibet, etiam Hebræo, nisi omninò desipiat tum ratione, tum Divinis eloquijs, tam Veteris quàm Novi Testamenti, tum priscorum Talmudistarum aliorumq; Rabbinorum suorum authoritate, hanc veram esse sententiam, quòd redemptio sive salus per Messiam Regem non temporalis, ut moderni Judæi somniant, sed spiritualis, hoc est, futuri sæculi esse debeat, ut ipsemet Christus fatetur: *Regnum meum non est de hoc mundo.*

Psalm. 71

Probatur tandem Divinitas & Humanitas Christi per Psalmum, qui sic incipit: *Deus Judicium tuum Regi da, & Justitiam tuam Filio Regis.* Doctores Hebræorum asserunt, hunc Psalmum loqui de Messia, id est de Christo. Cùm igitur de Christo hunc Psalmum locutum esse dicant, videamus, utrum ista, quæ in eodem leguntur, scil. *Et permanebit cum Sole, & ante Lunam à generatione in generationem, & nomen eius benedictum in sæcula. Ante Solem permanet nomen eius, & adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes servient ei*: videamus, inquam, an de puro homine dicta sunt ista; sed nequaquam de homine, sed de DEO dicta esse comperientur. Sequitur ergo, ut Christum & DEUM & Hominem esse fateantur. Zacharias Propheta de persona DEI loquens, ait: *Aspicient ad me quem confixerunt,* quasi confixus Deus sit, quod excogitari non potest, nisi sit cum Divinitate Humanitas conjuncta.

Cabalistarum authoritas de Divinitate & Humanitate Christi.

Et Rabbenu Haccadas, id est Magister Sanctus, in libro GALARAZEIA, id est revelatorum arcanorum, super illud Esaiæ 4. 9. *Ad multiplicandum eius imperium,* sic inter cætera ait: *Quemadmodum litera* ה *He componitur ex* ד *Daleth &* ו *Vau, ita Rex Messias componitur ex Divinitate & Humanitate, & sicut hæc duo* ה ה *He He, sunt duo Daleth, & ab his procedunt duo Vau, tanquam duo filij, qui ab ipsis oriuntur; ita in substantia Regis Messiæ inveniuntur duæ filiationes, quarum est una Divinitatis, quâ DEI Filius est, altera erit Humanitatis,* quâ

quâ erit Filius Prophetissæ, de qua dixit Esaias: Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit Filium. Et sicut harum literarum ד *Daleth &* ו *Vau, quæ conficiunt* ה *He, unaquæq; distincta est altera ab altera, quæ ambæ sunt una litera, ita in Messia substantia Divinitatis distincta erit à substantia Humanitatis, & è contrà: quæ duo simul juncta, sunt Messias.* Moyses quoq; Filium DEI Humanitatem assumpturum, & cum hominibus in terra conversaturum prædixit. Et hoc patet in libro TORAS LOHENIM, ubi scribitur super illud Levit. 26. cap. *Ambulabo inter vos, & ero vester Deus, vosq; eritis mihi populus.* Rabbi Moyses Gierundensis, declarat hæc verba Levit. de Messia Rege intelligi debere. Hoc inquiunt Talmudistæ, dicentes: *Simile est illud cuidam Regi, qui perambulabat hortum suum, ad delectationem & solatium, quem cùm hortulanus vidit, abscondit se, & Rex ait ei: Noli timere, nec abscondas te à me, quoniam similis tui sum; ita tempore futuro, Deus ambulabit inter justos animi gratiâ, ut solatium recipiat, & delectetur cum illis, justi autem videbunt eum, & expavescent ab eo, quibus Deus utique dicet: Nolite formidare me, quia similis vestrûm sum, attamen licèt vobis similis existam, ne fortè credatis, quòd timor meus non sit super vos, vos scitote, quòd DEUS vester sum, vos autem populus meus.* Idem habet Rabbi Eliazer, nomine Rabbi Haneabu, in libro THANIS, Cap. 4. Hoc verò nequaquam fieri posset, nisi Corpus fieret, quis & DEUS. Similiter in libro ZOTA, cap. 1. Talmudistæ dicentes, DEUM habere membra humana, eum assumpturum fuisse Humanitatem, apertissimè fatentur; nam cùm DEUS sit Spiritus, membra non habet, & sic per Scripta ipsorum Talmudistarum manifestum est, quòd Christus sit verus DEUS, & verus Homo. Item in libro SANHEDRYN, Cap. HELEC, super illud Esai. 52. ubi de Messia dicitur: *Exaltabitur plus quàm Abraham, elevabitur plus quàm Moyses, & sublimis erit plus quàm Angeli ministrantes.* Cùm igitur solus Deus Angelicam Naturam excellat, Messias autem altior Angelis comprobatur, sequitur, quòd Messias DEUS est. Et Rabbi Jonas in suis Commentarijs super Caput 62. Esaiæ palàm profitetur, Messiam non Hominem tantùm, sed etiam DEUM esse debere. Ad confirmandam hujus rei veritatem, præsto adest maximè in animis Judæorum sculpendum, testimonium Josephi Judæi, magnæ authoritatis, tam apud eosdem, quàm Christianos Historici, qui lib. 8. Antiquitatum cap. 4. de Christo sic ait: *Eo tempore*

Talmudistarum authoritas quòd Christus sit Verus Deus, & Verus Homo.

tempore fuit JESUS, *Vir sapiens, si tamen eum Virum fas est dicere.*
Erat enim mirabilium operum patrator, & Doctor eorum, qui liben-
ter vera suscipiunt, plurimosq; tam de Judæis, quàm de gentibus se-
ctatores habuit. Hic Christus erat, quem accusatum à nostræ gentis
Principibus, Pilatus cùm addixisset Cruci, nihilominùs non destiterunt
eum diligere, qui ab initio cœperunt. Apparuit enim tertiâ die vivus,
ita ut divinitùs Vates, hoc, & alia multa miracula prædixerunt, &
usq; in hodiernum diem Christianorum genus ab hoc denominatum
non deficit. Refert testimonium hoc Eusebius lib. 2. cap. 11. Hie-
ronymus de Scriptoribus Ecclesiast. cap. 13. Ex quo testimonio
evidenter apparet, nefas esse dicere, JESUM Christum fuisse pu-
rum Hominem, ac proindè confitendum esse verum DEUM, & ve-
rum Hominem. Ad cujus rei veritatem & claritatem, velamen
de corde deponat, opertus perfidiæ caligine, Christum JESUM,
verum DEUM, verumq; Messiam, negans Judæus: confundatur
& erubescat cum suis stygijs asseclis, blasphemans adversùs Chri-
stum, impio ore evomens voces Lutherus: digitum ori imponat
cum suis Sequacibus, contra Divinum ejus Honorem blaterans
Calvinus, cujus nefandū dogma ipsimet Sequaces ejus Rintel. sty-
gio devoverunt. Sed adest majus his omnibus, quia ab ipsomet Deo
perhibitum in Sacratissimo Nomine JESU testimonium. San-
ctissimum namq; Nomen JESUS, *quod est super omne nomen, in*
quo omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, (ut
monet Apostolus) non solùm utramq; Naturam, Divinam scil. &
Humanam, quæ in Messia uniendæ erant, verùm ipsam quoq; hu-
mani generis salutem, quam ipse operatus est, apertissimè de-
monstrat, sicut docet Petrus Apostolus: *Non enim aliud nomen est*
sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Quod
quidem salutiferum Nomen JESUS, ab æterno per æternam præ-
destinationem, à Patre æterno illi impositum fuit, postmodùm à
Prophetis revelatum, & ab Angelo vocatum. Esaias namq; cla-
mat: *Rorate Cœli desuper, & nubes pluant Justum, aperiatur ter-*
ra, & germinet Salvatorem. Ego Dominus creavi eum. In Hebraico
dicitur, *Et germinet* JESSA, *ipsa,* id est Salvatorem. JESSA, i. e.
JESUM. Idem Propheta inquit: *Gaudens gaudebo in Domino, &*
exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis.
Hebraicus textus habet, *Induit me vestimentis* JESV, id est Christi,
qui vocatur JESUS. Et sic Abacuc incipit: *Domine, audivi auditio-*
nem tuam, usq; egressus es in salutem cum Christo tuo. Ubi in He-

Notanda Iosephi Iudæi authoritas de Iesu Christo.

ut superiùs clarè patuit pag. 718

ad Phil: 2

Act. 4

Isaiæ 45

Prophetarum, Talmudistarū, Chaldæorū, Cabalistarum authoritas, quòd Nomen Messiæ sit IESVS Christus.

Isaia 61

Abacuc 3

bræo legitur, ישע JESSA. Ecce hîc demonſtrat Nomen Chriſti. Onkelius Chaldæus, qui eſt tantæ authoritatis apud Hebræos, ſicut dictũ eſt, exponit Nomẽ Meſſiæ, & dicit, AD DEGESE MESIHA. Mesiha, i.e. Chriſtus. Rabbenu Haccadas, qui fuit temporibus Conſulum Roman. in libro GALERAZEIA, Antoninum Conſulem alloquens, de hoc Nomine inter cætera ſic ait: *Quia Meſſias homines ſalvabit, vocabitur JESUAH.* Hoc quoq; SSmum Nomen JESUS, deſignatum eſt in Talmud ex Hebræo textu, Geneſ. 49. cap. *Non auferetur Sceptrum de Juda, quoadusq; SILO,* i. e. qui mittendus eſt. Verſio Perſica Tauvoſi Judæi legit: *Non recedet &c. donec veniat Chriſtus.* Per hoc autem, quod ait Eſaias, *Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant Juſtum,* notavit, Spiritum S. de Cœlo fore deſcenſurũ. Quòd verò ſequitur, *aperiatur terra, & germinet Salvatorem,* Corpus Virginis ſignificat, quæ ſuperveniente Spiritu S. erat conceptura, & Salvatorem paritura. Sed per hoc, quod dicit, *Ego Dominus creavi eum,* innuit, quòd absq; Patris Carnalis copula, Dominus eum creavit, præter communem naturæ curſum. Quemadmodùm enim Adam primus homo, formatus fuit manu DEI, ex illa terra benedicta & inviolata, nullo raſtro, aut aratro rupta; ita Adam Secundus, JESUS Chriſtus, ſolâ virtute Spiritûs Sancti in utero intemerato & inviolato, ex puriſſimo Sanguine Virginis Matris Homo factus eſt.

Hæc Verſio ab ipſis Iudæis edita.

Quòd Virgo futura erat Meſſiæ Mater, Judaica impietas minimè negare poteſt. Hoc enim & per Legem, & per Prophetarum Oracula, & per Veterum Talmudiſtarum teſtimonia clariſſimè demonſtratur. Et inprimis patet per Ezechielem Prophetam, dicentem: *Et converti me ad Portam Sanctuarij exterioris, quæ reſpiciebat ad Orientem, & erat clauſa. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non pertranſiet per eam, eritq; clauſa Principi.* Hæc Prophetia nequaquam intelligi poteſt realiter, etiam juxta Hebræos loquendo, undè per metaphoram ſive translationem de glorioſa Virginitate MARIÆ, quæ ſemper eſt intacta, intelligi debet. Porta hæc clauſa erit in conceptione, non aperietur in partu, quia vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus DEUS Iſraël, Filius DEI coæternus Patri, ingreſſus eſt per eam. Idem dicitur apud Talmudiſtas in MIDRAS ECHA: Dixit Rabbi Barachia, quòd Deus videns Judæorum ſingultum & angorem, inquit: *Vos dixiſtis coram me, pupilli facti ſumus ſinè Patre, ſic itidem erit Redemptor mundi, quem ſurgere faciam vobis ſinè Patre, ſicut ſcriptũ*

Quòd Virgo Maria fuerit Mater veri Meſſiæ Ieſu Chriſti.

Ezech. 44

est in Esaia : *Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Vnde testimonium habet, Meßiam nasciturum non ex maris copula. Quæ autem concipit sine virili semine, meritò intemeratißima Virgo judicanda est. Et hoc est illud Esaiæ : Generationem ejus quis enarrabit?* Confirmatur hoc apertissimè eorundem Rabbinorum sive Talmudistarum authoritate super illa verba Hieremiæ : *Creavit Dominus novum super terram, fœmina circumdabit virum, &c.* ubi Rabbi Iosue, filius Levi, in MIDRAS ECHA inquit : *Veni, & videbimus; qualiter modus non est DEI, sicut modus hominis carnalis. Homo enim lanceâ percutit, & emplastrô vel unguento medetur : sed Dominus Deus noster non sic, quia quo percutit, eo enim ipso medetur. Quod quidem reperimus in Ioseph & in Israel verificari. Nam Ioseph per somnia percussus est, & per somnium curatus est; & Israël in Virgine peccaverunt, ut habetur Ezech. & in Virgine puniti fuerunt, Thren. 5. Mulieres in Sion humiliaverunt, & Virgines in Civitatibus Iuda. Sed rursùs in Virgine consolati sunt, sicut ait Hieremias : Quia creavit Dominus novum super terram, Fœmina circumdabit Virum.* Et ibi inquit Rabbi Anna, nomine Rabbi Iddi : *Quia hic est Rex Meßias, de quo David prophetavit : Ego hodiè genui te*; manifestũ est, quòd Propheta loquitur de Virgine, alioquin non esset novũ. Insuper patet, quòd Messias Salvator noster de Virgine nasciturus erat, ex dicto Prophetæ : *Ecce Virgo* (in Hebræo cum Articulo legitur) HAALMA *concipiet, & pariet Filium.* Quod Prophetæ dictum Rabbi Simeon, Vir inter Hebræos præstantissimus, suis interpretando Alumnis dum impossibile reputaret, ubi scriptũ invenit HAALMA, quod interpretatur puella Virgo, viro incognita, hoc est, Virgo manens, *Virgo concipiet, & pariet Filium*, delevit H, ut per hoc is redderetur sensus, *Ecce Virgo nubilis concipiet.* Cùmque prædictum verbum denuò legeret, & invenit scriptum, sicut fuit anteà, scil. HAALMA, secundò ac tertiò delevit : quo iterum invento in integro scripto, intellexit ex Spiritu Sancto, quòd puer ex Virgine nasciturus erat, quem ille summoperè videre anhelans supplex petijt à DEO, ut non videret mortem, nisi videret Christum DEI natum, quod & consecutus est : nam accipiens puerum IESVM in ulnas suas, a MARIA & Iosepho in Templo præsentatum, *Salutare DEI, lumenq; ad revelationem gentium* dixit, ac plurima de eodem prophetavit. Hoc testimonium refert Egesippus, exponendo illa verba Lucæ Evang. cap. 2. *Responsum accepit Simeon de Spiritu Sancto.* Per hoc autem, quod in eadem Prophetia sequitur, scil. *Et vocabit nomen ejus Emmanuel*, ut in Hebraico est, duo exprimuntur. Primum, quòd DEVS sic appellari Filium volebat; & hoc est, quod dixit Esaias c. 62. *Et vocabitur tibi nomen novum, quod os DEI nominabit.* Secundum, quia sinè carnali Patre Virgo foret Puerum genitura, propterea ait, *vocabit*, acsi diceret, ipsa tantùm, & non Pater. Ex hoc igitur, quòd nominis impositionem, quæ juxta Hebræos ferè semper, ut ex Veteri Testam. liquet, ad Patrem pertinebat, ad solam Matrem Propheta retulit, apertè innuere voluit, Messiam Patrem in terris non habiturũ, qui ei nomen imponere posset. Id etiam Rabbi David Kimchi declarat, quòd *Mater ejus vocabit nomen ejus Emmanuel.* Quod nomen Emmanuel verè inest vero Messiæ Christo IESV, ac propriè rectèq; convenit, quia significat Humanitatem, quatenùs dicit *nobiscum*, atq; Divinitatem, quatenùs dicit *Deus*, neminem namque nisi solum Messiam Christum IESVM, qui de Virgine DEVS & Homo in una Persona indivisibili nasciturus erat, Emmanuel vocandum fuisse, cùm verâ & genuinâ interpretatione Emmanuel, nobiscum DEVS, i. e. DEVS & Homo sonet. Et hic est, quem Patriarchæ & Prophetæ venturum demonstrârunt, ac expectârunt, ut Esaias testatur cap. 25. *Ecce Dominus*

Isaiæ 53

ibid.

Hierem. 31

Psal. 2

Isaiæ 7

S. Augustinus ait : Deus, qui scripsit mirabilia in Lege sua, ipse fecit mirabilia. Quæ autem sunt mirabilia? nisi quæ omnibus hominibus sunt impoßibilia. Mirabilia ergo Dei in Lege non legisti? quòd si legisti, quare non intellexisti? Ipsa certè Lex, quam quotidiè legis, scripta est in tabulis lapideis, sinè stylo hominis. Lege, & intellige, quòd panem in eremo terra produxit, cujus semen arator in terram nullus induxit.

nus noster iste, expectavimus, & salvabit nos iste Dominus, sustinuimus eum, & exultabimus, & lætabimur in Salutari ejus. Philaretus in Tract. de Natura morborum dicit: *In ortu Solis medicina est sumenda à languidu, quia in aurora omnis morbus Febrium languescit.* Sic in ortu Solis Iustitiæ quilibet languens peccator debet se præparare ad capiendam medicinam cœlestis gratiæ. *Magnus enim de cœlo venit Medicus,* (ut inquit S. Augustin.) *quia magnus ubiq; jacebat ægrotus,* de quo Esaiæ 1. cap. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens.* Itaq; omnis anima acceleret ad Christum, quia Christus factus est nobis omnia. Cui Incarnato vero DEO & vero Homini, verè & realiter in Sacramento Eucharistiæ præsenti, ejusq; Sanctissimæ Matri & Virgini Immaculatè Conceptæ MARIÆ, ac ipsius Nutritio Patriq; putativo Divinissimo IOSEPH, Benedictio, Honor, Gloria, Gratiarum actio, ab omnibus, in omnibus, & super omnia.

Virga etiam Aaron, annis siccata plurimis, sinè aqua revixit, in templo floruit, nucemq; clausam sub testa produxit. Ergo qui scripsit lapideas tabulas sinè stylo ferreo, ipse gravidavit Mariam Spiritu S. Et qui produxit panem in Eremo sinè aratione, ipse impregnavit Virginē sinè corruptione. Et qui fecit Virgam sinè folio germinare, ipse fecit Filiam David sinè semine generare.

Paragraphus Tertius.

Tertium Fundamentum Catholicæ Fidei est, quòd Incarnatio Filij DEI est de præterito, nec expectanda de futuro, nec alius Messias venturus sperandus.

MOyses hoc spatio Regnum Iudæorum circumscribit, idq; hujusmodi vaticinio: (Genes. 49.) *Non deficiet Princeps ex Iuda, neq; Dux de femoribus ejus, donec venerint, quæ reposita sunt ei, & ipse expectatio gentium.* Versio Persica Iacobi Tauvosi Iudæi legit: *Non recedet imperium à Iehuda, donec veniat Christus ejus. Si igitur* (ut ait S. Athanasius) *nunc ullus est apud Iudæos aut Rex, aut Propheta, aut visio, rectè inficiantur advenisse Christum: sin autem neq; Rex, neq; ulla Prophetia superest, sed obsignata est in posterum, & omnis Prophetia & Civitas capta, quorsùm ista impietas & tergiversatio, ut quum ista ipsa facta videant, Authorem qui hæc fecit, Christum negent?* Dic Sancte Daniel, dic de Christo, quod nôsti. *Cùm venerit,* inquit. *Sanctus Sanctorum, cessabit unctio. Quare ô Iudæi illo præsente cui insultantes dicebatis? Tu de te testimonium dicis, testimonium tuum non est verum. Cessavit unctio vestra? nisi quia ipse est qui venerat, Sanctus Sanctorum. Si ut vos dicitis, nondum venit, sed expectatur, ut veniat Sanctus Sanctorum, demonstrate Unctionem: Si autem, quod verum est, cessavit Unctio vestra, agnoscite venisse Sanctum Sanctorum, Christum IESUM verum Messiam.* Quin etiam, quòd sit præteritum istud tempus, ipsæ Talmudistarum veræ authoritates id aperte demonstrant. In libro Talmudico SANCHENDRIN, Cap. Helec, dicit Collegium Heliæ: *Sex millia annorum permanebit mundus, duo millia inanitatis, duo millia Legis, duo millia Regis Messiæ.* Quorum annorum, duo millia nuncupantur anni vanitatis, sive vacui vel peccati, & isti anni duraverunt ab Adam usq; ad diluvium Noè, vel usq; ad Abraham, qui primus gentes direxit, atq; disposuit ad cultum & Religionem DEI, Unius in Essentia, & Trini in Personis, dum tres vidit, & unum adoravit, propter quod ei Circumcisio data fuit, cùm antè idololatriæ dediti essent homines, penè omnes; duo millia verò annorum Legis sunt, qui fluxerunt à Circumcisione Abrahæ usq; ad Messiam Regem; reliquorum insuper duo millia annorum dicuntur anni Messiæ. Nam secundùm Iudæorum subductam rationem, ab initio mundi hucusq; quinque millia quadringenti sexaginta tres transacti sunt anni, undè secundùm prædictam sententiam necessariò evincitur, Messiæ jàm præterijsse adventum per annos 1463. quo tempore ince-

S. Athanasius in libro de Incarnatione Verbi DEI, supra medium.

S. Augustinus in libro contra Iudæos, Tom. 6

Talmudistarū authoritates, quòd tempus Messiæ sit præteritum.

Incepit gratia Christi Messiæ in plenitudinem vergere. In eodem libro & capite
ait Magister Iehuda: *Sæculo quo Veniet Filius David, domus Concilij erit meretri-*
cum, & Vastabitur Galilæa. Hinc apertè conspicitur, quòd adventus Messiæ sit
tempus, quo adhuc regnabant Iudæi: nam post Templi desolationem nullum
erat Iudaicum Collegium, & Galilæa cum universa Iudæorum regione vastata
fuit. Ibidem Rabbi Alexander, & Rabbi Iechosuas, filius Levi, dixerunt: *Scriptũ*
est Esaiæ 60. de salVatione, (scil. quæ per Messiam futura erat) *Ego Deus in tempore*
suo, & scriptum est, accelerabo eam: si meruerint, accelerabo eam: si non meruerint,
in tempore suo faciam eam. Ex his Iudæi asserunt, Messiæ adventum minimè re-
tardari potuisse, quin in tempore suo futurus esset, sed accelerari quidem, dum
modo existerent, qui illum mererentur. Super eadem verba Esaiæ Glossa ita di-
cit: *Si fuerint boni, ante tempus ejus; sin autem non, in tempore suo.* Hæc verò
Glossa, juxta Hebræorum Doctores, de salvatione per Messiam facienda loqui-
tur. Ergo si Iudæi boni erant, Deus adventum Messiæ accelerare voluit; si autem
mali erant, propter eorum peccata prætermittere non potuit, cùm sit immutabi-
lis, quin ipsum mitteret. Et ideò Iudæi necessariò concedere debent, eorum pec-
catis non obstantibus, Messiam tempore præfinito & determinato jam venisse.
Id affirmant & præstantiores Talmudistæ. Rabbi Nasan in Cap. Elech ait:
Omnes termini (scil. adVentus Messiæ) acceperunt finem, & res à nihilo dependet, nisi
à pœnitentia & bonis operibus. Idem fatetur Elias, inquiens Magistro Iudæ: *Non*
erit, id est, non plus durabit mundus quàm octoginta quinq; Iubileis, & in ultimo
Iubileo Filius DaVid Veniet. Vbi Rabbi Salomonis Glossa ait: *Hi Iubilei continent*
annos quatuor millia ducentos quinquaginta. Si igitur, juxta hanc Eliæ traditio-
nem, anno ab Vrbe condita quater milleno, ducenteno quinquageno, hoc est an-
no post Christum passum, circiter ducentesimum quinquagesimum, quo tempo-
re gratia ejus per mundi conversionem in plenitudinem vergere cæpit, venturus
erat, ipsum jam venisse, nisi ratione & Scripturarum intellectu prorsùs carens ne-
gare potest. Hoc testatur & Propheta Aggeus, cùm ait: *Dicit Dominus Exercitu-*
um, adhuc unum modicum est, &c. & Veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo
domum istam gloriâ, &c. ubi secundùm Talmudistas, præsertim Rabbi Ekiva, ut
patet Cap. Helec, de Messia sermo est. Si igitur ille Messiæ adventus expectandus
esset, falsò diceretur, quòd modicum temporis sit, cùm à tempore, quo hæc Pro-
phetia prolata erat, plus quàm duo millia annorum elapsa sint. Item Esaiæ 9. di-
citur: *Populus qui ambulat in tenebris, Vidit lucem magnam. habitantibus in regione*
umbræ mortis, lux orta est eis. ParVulus natus est nobis, & Filius datus est nobis. &
factus est Principatus super humerum ejus, & Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Con-
siliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. multiplicabitur ejus imperi-
um, & pacis non erit finis. Chaldaica translatio exponit de Messia. Rabbi quoque
Moyses Ægyptius in quadam Epistola, vocata IVERES TEMAN, quam ad A-
fricanos quosdam direxit, de Dignitate, Virtute & Excellentia Messiæ Regis, su-
prà dicta verba Esaiæ declarans, sic inquit: *Nomina hæc cum suis Epithetis, quæ hic*
à Propheta scripta sunt, dicuntur de Puero nato, qui est Rex Messias. Glossa Salomo-
nis Iarchi inquit: *Cum Regno Herodis (Agrippæ) fuit.* Huc accedit, quòd ipsi
tandem fateantur Iudæi, Messiam jam venisse, & fuisse natum die illâ, quâ Tem-
plum fuit destructum, uti legitur in libro BERAZOT, id est Benedictionum Hie-
rosolymitan. Cap. quod incipit, Haia Core: *Illâ die quâ natus est Messias, destru-*
cta est domus Sanctuarij, ut ait Rabbi Iodea in nomine Rabbi Ibba. Factum est
enim, quodam Iudæo arante mugivit bos ejus coram eo. Transivit autem qui-
dam

Sap. 2. cap. per totũ: *Dixerunt cogitantes apud se non rectè &c. CircumVeniamus ergo justũ quoniam &c. contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata Legis, &c. promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat &c. & gloriatur, Patrem se habere DEVM. Videamus ergo si sermones illius Veri sint, &c Si enim est Verus Filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eũ de manibus contrariorum. &c. Morte turpissimâ condemnemus eum.* De quo etiam prophetavit Isaias cap. 53. *Et cum sceleratis reputat9 est.* Vide reliqua pag. 894.

N.B. *Noluit tamen Deus Iudæos penitùs extirpare ob Christicidium commissum.* Primò, *propter ReVerentiam Christi & Apo-*

dam Corvinus, (Arabs) & audivit vocem, qui dixit: Iudæe, fili Iudæi, solve boves tuos, quia ecce domus Sanctuarij destructa est. Mugivit bos secundâ vice, & ait: (ille Corvinus) Iudæe, fili Iudæi, junge boves tuos, quia ecce natus est Rex Messias. Dixit ei: Quod est nomen ejus? Rz. Menachen. (Consolator) Dixit ei: Quod est nomen Patris ejus? Rz. Hiskia. (Virtus Domini) Et undè est? Rz. De domo Regia, de Bethleem Iudæ. Tum etiam Paulus Weydner, Medicinæ Doctor, Sanctæ Linguæ Professor, ex Iudaismo una cum Consorte ac Prole sua ad Fidem Catholicam conversus, in suo Libro testatur, quosdam Magistros Hebræorum antiquorum dixisse, *quòd Rex Messias jam natus est in fine secundi Templi, & vadit per mundũ tanquam pauper.* Cùm igitur jam pridem venerit Messias, isq; sit Christus Iesus, quẽ Christiani confitẽtur ac venerantur, proindè alius venturus non sperandus. Hic enim est, in quem & tempus à Prophetis definitũ, & locus, & nomẽ, & proprietates, & omnia signa atq; indicia Messiæ, in Prophetarũ, veterũ Talmud. Cabalist. Chaldæorũ scriptis contenta, exactè quadrant. Quod quidem per totum hunc Discursũ Theol. & Appendicem de Perfidia & Cæcitate Iudaica sufficienter evidenterque, ut legenti patebit, demonstratum est. Sed & Bethleem, in qua sub Augusto de MARIA Virgine desponsata Iosepho natus est IESVS Christus, proclamat eum verum Messiam: Ægyptus testatur, ex qua defuncto jam Herode Rege, ob cujus insidias ibi latuit, ab Angelo vocatus est: Iudæa prædicat, ad cujus conversionem, tot signa & prodigia fecit: Golgotha loquitur, ubi in Crucem actus est: Et (ut cum Divo Gregor. cõcludam) omnia Elementa (Iesum verum Messiam) Auctorem suũ venisse testata sunt. Deum hunc Cœli esse cognoverunt, quia illo nato, protinùs Stellã miserunt: Mare cognovit, quia sub plantis ej⁹ calcabile se præbuit: Terra cognovit, quia eo moriente contremuit: Sol cognovit, quia lucis suæ radios abscondit: Saxa & parietes cognoverũt, quia tempore mortis ejus scissa sunt: Infernus agnovit, quia hos quos tenebat mortuos, reddidit: & tamen hunc, quem Dominum omnia insensibilia Elementa senserunt, adhuc vestra ô infideles Iudæi corda, Deũ ac verum Messiam Christũ Iesum advenisse minimè agnoscunt, & duriora saxis, ad pœnitentiã scindi nolunt.

Corollarium de Sabbathi cessatione.

SAbbathum observatum est propter beneficium Creationis, quæ tunc completa est, uti Genes. 2. dicitur, *Complevitq; Deus die septimo opus suum, & requievit ab omni opere &c.* Quia verò Deus die Dominico Opus Redemptionis per Resurrectionem perfecit, ideò cùm sit in omnium sententia majus beneficium Redemptionis, quàm Creationis, in Creatione namq; Deus dixit, & factus est mundus, in Redemptione verò non tantùm dixit, sed & fecit, & passus est, ideò Sabbathum, quantùm ad Cæremonias, in diem Dominicum mutatum est. Sabbathum enim, ut dictum, est institutum propter Creationem, quia verò jam facta est nova Creatio, sicut dicit Dominus Esaiæ 66. *Ecce ego creo Cœlos novos,* ideò verbis Hieremiæ 46. infertur Conclusio: Facessat à nobis illa Festivitas Creationis mundi, & liberationis Isráël de Ægypto &c. *Secunda ratio.* Omnes Divini testantur Vates, quòd Dominus repudiavit Iudæorum Festa, & ipsum Sabbathum. Esaias cap. 1. inquit: *Neomeniam, & Sabbathum, & Festivitates vestras non feram, iniqui sunt Cœtus vestri, Calendas vestras & Solemnitates vestras odit anima mea.* Hieremias itidem Thren. cap. 2: *Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, & Sabbathum in opprobrium, &c.* Oseæ 2. cap. *Cessare faciam Solemnitatem ejus, & Sabbathum ejus, & omnia Festa tempore ejus.*

stolorum, honorem Prophetarũ & Patriarcharum, à quibus isti omnes originẽ duxerunt, Ioan. 4: Salus ex Iudæis est. Secundò, *quia sunt librarij Christianorum, penes se enim habent libros authenticos, ex quibus nolint velint testimonia proferũtur de Christo.* Tertiò, *quia adhuc sunt credituri, de quo Osea 3. sic: Dies multos sedebũt filij Isráël sinè Rege, sinè Principe, sinè Sacrificio, & sinè Altari, & sinè Ephod, & sinè Theraphim. & post hæc revertentur filij Israel, & quærent Dominum Deũ suum, & David Regem suũ. Ubi Chaldaica translatio, quæ à Iudæis tanquam à Spiritu S. prolata accipitur, habet: Et obedient Messiæ Filio David, Regi suo. & pavebunt ad Dominum. & ad bonum ejus in novißimis diebus.*

NB. Notandum est, cum Sabbatho etiam Circumcisionem cessâsse, evacuatamq; esse per Baptismum, testante Rabbi Iosue in libro Hebamoth: *Qui baptizatur, & non circumciditur, ecce ipse est GHER, i. e. conversus de Gentilitate ad veram Fidem.*

De Præcepto Sabbathi, quod est inter decem Præcepta, hoc observandum, quòd illud fuerit partim Morale, partim Cæremoniale. Morale erat, ut septima aliqua dies celebraretur, in memoriam septimæ diei, quâ DEUS cessavit à Creatione, ut patet Exod. 20. ubi dicitur: *Sex enim diebus fecit DEUS Cœlum & terram, & requievit die septimo, &c. & sanctificavit eum.* Cæremoniale verò erat, in memoriam eductionis filiorum Israël ex Ægypto, ut patet Deuter. 5. ubi ratio Sabbathi allegatur: *Memento, quod ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te indè Dominus, &c. idcircò præcepit tibi, ut observes diem Sabbathi.* Undè bene observat Burgensis in Scrutinio Part. 1. distinct. 8. cap. 14. dum ait: *Sabbathum Judæorum non est anniversaria illius diei, quâ DEUS cessavit à Creatione, undè ad illius observantiam sufficit, quòd aliqua septima dies observetur, quam Apostoli in diem Dominicum instituerunt, in memoriam veræ liberationis à regno diaboli per Resurrectionem Christi Domini. &c.* Undè patet, quòd Præceptum Sabbathi, quò ad Morale, à Christianis servetur: at verò quò ad Cæremoniale, in memoriam eductionis ex Ægypto, propter majoris liberationis memoriam, in die Resurrectionis observatur, quò ad vacantiam ab operibus servilibus, non autem quò ad plura Judæis imposita, ut non coquant cibos, nec ad certum spatium tantùm ambulent, &c. sed ut vacarent DEO, saltèm per aliquod opus pium, quod Ecclesia ad audiendum Missæ Sacrificium determinavit, & à peccatis potissimùm.

Discursus Theolog.

De impia & absurda Mahometis Secta.

HÆc Secta refutationem magnam non requirit, sed impietas ejus satis patebit, si ejus Auctor & doctrina consideretur, quæ ex D. Joanne Damasceno, & alijs Authoribus Græcis, Mahometi contemporaneis, & ex Annalibus Græcorum, Baronius ad An. 630. quo ille impius obijt, & Reginaldus Anglus in Calvino-Turcismo, & Simon Majolus in diebus Canicul. Colloquio de Perfidia Judæorum in fine, ex Alcorano Mahometis, & alijs Saracenorum libris referunt. Auctor itaq; hujus impiæ Sectæ fuit Mahomet, circa Annum Domini 616. qui natus est in Arabia Felice, ex patre Ismaëlita.

Hic igitur Mahomet ex illa fera natus gente, primitùs Camelariam exercuit artem, servitioq; alicujus divitis nobilis viduæ inhæ-

rens,

rens, Camelos ejusdem pascebat, suoq; vafro ingenio effecit, ut illam in uxorem acceperit, postea in Palæstinam profectus, ibidem cum Judæis & Christianis versatus, ab ijsdem plura addiscere conatus est. Post finxit se Prophetam, & quòd ipsi apparuerit Angelus Gabriel, adhæsitq; Sergio Monacho, qui ob Arianam hæresim è Monasterio Constantinopol. expulsus fuerat, cujus etiam operâ & consilio adjutus, composuit quoddam Volumen, varijs figmentis plenum, quod è Cœlo delapsum asseruit, suisq; Sectatoribus observandum tradidit, Alcoranum dictum. Ut autem impius ille Mahomet omnem qualemcunq; populum ad se alliceret, doctrinam suam ex omnium, sive veræ, sive falsarum Religionum quibusdam Articulis corrasit, alijs additis figmentis. Nam ex vera Fide sumpsit Articulũ, quòd crederet, unum esse DEUM, Creatorem Cœli & terræ, negabat tamen Sanctissimam Trinitatem, scilicet DEUM unum in tribus Personis, Patrem, Filium, & Spiritum S., idq; hauserat à Sabellianis, qui SS. Trinitatem negârunt; ab Arianis, qui Verbum DEI DEUM negabant; & Macedonianis, qui Spiritum S. DEUM negabant.

Ex Secta Judæorum usurpavit Circumcisionem & abstinentiam à carne suilla, undè & Judæi primitùs ipsi ut Messiæ adhæserunt; sed quia posteà videbant, ipsum immundam, scilicet Cameli carnem, contra Legem comedere, loco Sabbathi diem Veneris solemnizare, & à vino abstinere, & circumcisionem non octavo die, sed circa 15. annũ ætatis servare, &c. non ita senserũt, licèt ipsi adhærerẽt.

Cæterùm à Christianis assumpsit Baptismum, ut etiam ipsemet à Sergio baptizatus est, verùm in nudam cæremoniam, ita ut Saraceni, quasi quotidiè lotiones & baptismata usurpent. Quò ad doctrinam verò Christianam, ex illa, præter Fidem unius DEI, etiam professus est, quòd crederet, Christum Dominum esse DEI Filium, ut S. Damascenus libro de Hæresibus refert, dicens: *Christum dicit Verbum esse DEI, & eius Spiritum, eumq; fatetur ex MARIA Virgine, sinè semine generatum.* Rursùs ex hæresi turpissima Manichæorum addebat, Judæos iniquè & contra leges Christum in Crucem agere voluisse, & cùm eum tenuissent, ejus quidem umbram egisse in Crucem, Christum autem nec in Crucem actum, nec mortuum esse, DEUM enim ad se in Cœlum transtulisse, quòd ei esset charissimus.

Ut autem Mahomet hanc fictionem magis confirmaret, in Alcorano Azoar. 11. Judæos damnat, dicens: *Judæi MARIÆ blasphemam*

mam, & immoderatam contumeliam inferunt, dum eius Filium Christum, DEI nuncium. se interemisse perhibent; eum enim nequaquam, sed alterum ei similem interfecerunt, quia DEUS eum ad se migrare fecit. &c. Hæc ibi. Verum quidem dixit, quòd Judæi blasphemiam inferant Christo, quasi justè ob blasphemias crucifixus sit, at verò ipse Mahomet, contra expressas Prophetias de Christo factas, contra ipsam Christianorum & Judæorum confessionem, negat Christum crucifixum, prout verè crucifixus est, pro veritate & totius mundi peccatis, & salute; quod diabolus, Crucis inimicus, ferre non valens, Mahometem & Manichæum concitavit, ut fingerent, alium loco Christi à Judæis occisum esse, & talia figmenta sinè ulla probatione spargerent. Cæterùm his fictionibus plures addidit, prout refertur ex antiquissimis Saracenorum libris, quos Canonicos vocant, apud Reginaldum lib. 3. cap. 11. quòd scilicet, cùm Mahomet Legem à DEO accepturus, à Gabriele in Cœlum duceretur, & in primis sex Cœlis singulos Patriarchas cum infinita Angelorum multitudine vidisset, Adamum, Noè, Abraham, Joseph, Moysen, & Joannem Baptistam, qui omnes Mahometi, tanquam Prophetæ ipsis excellentiori, & in majore apud DEUM gratia, humiliter supplicabant: in septimo, quod erat supremum, DEIq; throno proximum, conspicatus Christum Mahometes, seipsum Christo magna cum humilitate commendabat, perindè acsi Christus tantum superârit Mahometem, quantū ipse reliquis illis antecelluit. &c. Ecce quanta hîc figmenta!

In ipso autem Alcorano fœdissimas & absurdissimas fabulas ponit, quarum centum & tredecim recenset Euthymius in sua Panoplia. Item habet plures errores: Nempè docuit, esse fatum, ita ut homines vel ad malū, vel ad bonū destinati sunt. Persuasit, quòd sibi, tanquā fideli veritatis cultori, in die judicij tradendæ essent claves Paradisi. Fatebatur carnis resurrectionē futuram, sed addebat, quòd tunc sui Sectatores introducendi essent in consitum Paradisum, in quo ipsis omnia ad cibum & potum facilè, abundèq; suppeterent, & ad coitum carnalem pariter adforet pulcherrimarum multitudo fœminarum. &c. Quòd his delicijs potituri essent, qui hostes occiderent, vel ab hoste pro sua Secta occiderentur. &c. Mirum, quomodo honestas naturalis illa dici permiserit, aut qualiter Mahomet non erubuerit, cùm etiam profiteretur, Christum esse maximū Dei Prophetam, & à Virgine Matre natum, adeòq; nulli carnali copulæ permixta; nec ipsum Christum unquam tali coitu in hac vita usum

 fuisse,

fuisse, qui etsi Conjugium laudaverit, Virginitatem tamen suaserit. Quid de Christo & B. Virgine diceret? num & illi in futura vita nullam aliam felicitatē habituri, nisi quòd turpitudini carnali promiscuè vacarent? Ecce qualiter mentiatur iniquitas sibi, & confundatur! *De hac vita ulciscimini* (dicit in Alcorano) *injurias toto corde, habetote tot uxores, quot alere poteritis, ne ipsi quidem naturæ parcite, &c.* In Alcorano Azoar. 8. dicit de uxoribus: *Cùm contigerit vobis eas non diligere, unam pro alia mutare licet.* Ipse Mahomet, licèt plures ipse haberet uxores & concubinas, ut ex Chronicis Saracenorum refert Reginaldus lib. 2. cap. 10. non pepercit aliorum uxoribus, speciatim cujusdam famuli sui, Zeidi dicti, quod scelus ipse Zeid sentiens exhorruit, eamq; Prophetæ suo, cui contradicere non valebat, permisit. Mahomet autem, ut se purgaret, in Alcorano sive lege sua annotavit, quasi DEUS ipse sic locutus esset: *Cùmq; mulier illa displicuisset in oculis Zeidi, & eam repudiâsset, sociavimus illam Prophetæ nostro in conjugium, quod cæteris in exemplum, & posteris fidelibus id agere cupientibus non sit in peccatum, &c.* Hæc in Alcorano.

Referunt alij ex Alcorano Azoar. 43. quòd DEUS & Angeli orent pro Mahomete: quòd omnes salvari possint in suis legibus, Judæi, Saraceni, Christiani, &c. ex Azoar. 2. Quomodo hæc cohærent, quòd jubeat omnes ferro ad suam legē cogi? &c. Hæc in Alcor.

Ne autem miraculis caruisse videatur, licèt dicat, Christo miracula esse data, sibi gladium, tamen Azoar. 64. dicit, se in Luna miraculum fecisse, quod expositores dicunt contigisse, quando Luna in duas partes erat divisa, quam ipse in manus acceptam & reparatam ad Cœlum remiserit; sed neminem præter Mahometem illius conscium fuisse. &c. Ecce insanum figmentum!

Sciendum de Secta Mahometi, quòd ideò sit turpissima & abominanda, quia ex varijs & plurimis hæresibus sit compilata, ut fusè deducit P. Thomas à JESU, in suo Thesauro Sapientiæ de conversione omnium Gentium, lib. 10. à pag. 644. usq; ad pag. 755. nempè ex Arianis, Nestorianis, Iudæis, Paganis, Eunomio, Carpocrate, Cedrone, Manichæis, Donatistis, Origenistis, Cerintho, Ebionitis, quibus adjecit plures errores & fabulas: ut v. g. Quòd quilibet in sua Secta salvari possit; & iterum contrarium dicit, quòd nullus salvabitur, nisi in Saracenorum Secta: quòd Angeli sint facti de flamma ignis: quòd sint occidendi, & iterum resurgendi: quòd Angeli beati peccent: quòd Cœli producti sint ex fumo: quòd Sol & Luna fue-
rint

rint æqualis luminis, sed Gabrielis ala tangens Lunam, obscuravit illam: quòd licitū sit habere plures uxores, & repudiatâ unâ, alteram assumere: quòd post resurrectionem erit usus ciborum & uxorum. DEO tandem imponit multa falsa & mendacia, ut de Adam, de Caim & Abel, de prædicatione Nóè, de Pharaone, qui jussit sibi ædificium usq; ad Cœlum construi, ut videret DEUM, & multa alia obscœna, & rationi dissona. Sic stupidum illud Caput, quod illi insanum cerebrum excogitare potuit, hominibus persuasit, & quia astutus fuit, ut homines in his delirijs conservaret, de Lege Mahometana disputare severissimè prohibuit, cùm tamen asinis & porcis potiùs, quàm hominibus, ratione carentibus, hæc magis competant, quæ Mahometus suis permisit, ut clarè deducunt Authores Catholici, inter alios P. Thomas à IESU eodem cap. 10. à pag. 644. usq; ad pag. 698. & Gabriel Bariletanus, Ord. Prædicatorum. E contrà verò Mahometus in suo Alcorano (ut omittamus alia gravissima clarissi- Christi Dñi excellentiam prædicavit & magnifica- maq; testimonia) vit. Nam in 5. cap. Alcorani sic scriptum reliquit: Angeli Mariam alloquentes dixerunt: *O MARIA, omnibus viris & mulieribus splendi- ferimus tibi Summi Nuncij gaudium cum dior, mundior, & fœcundior, Verbo Dei, qui est JESUS, qui est facies omnium gentium in hoc sæculo & futuro, Vir sapiens & optimus, ab Universitatis Creatore mittitur, ipse Filium tuum cum Divina virtute venientem, librum legiferum, omnisq; Magisterij peritiam, & Testamentum atq; Evangelium edocebit: Filius tuus cacos & mutos curabit, leprosos mundabit, mortuos resuscitabit, quæ cuncta credentibus in Deum miracula censentur. Vetus Testamentum confirmabit, seq; cum Divina virtute ac potentia patefaciens dicet: Piè credentes in Deum me sequamini; Deus enim mei vestriq; Dominus est, quem adorantes recto procedunt tramite. Sciens autem Judæos in sua incredulitate obstinatos manere, ait: Quis in Dei nomine me sequetur? & viri quidam vestibus albis induti dixerunt: Nos in Dei nomine te sequentes in Deum credimus, te teste; dixeruntquè: O Creator, nos libro Evangelij fidem adhibentes, Legatumq; tuum JESUM imitantes, ascribe fidelibus tuis. Et Deus Jesum afflatus: Ego, inquit, tuam ad me reducens animam & exaltans, teq; ab incredulis liberans, eos qui te secuti sunt, ijs qui verbo tuo non crediderunt, usq; ad diem publicæ resurrectionis superponens, incredulos quoq; summis cruciatibus & hîc, & in futuro sæculo afficiam; fidelibus verò & benefacientibus merita sua cum gaudio conferam. De Virtutibus igitur & Justitijs JESV ita tibi revelare decrevimus.* Idem in Capite Abraham haber-

bentur hæc verba: *Dixerunt Angeli Beatæ Mariæ: O Maria, Deus præposuit te omnibus mulieribus.* Et in loco suprà citato: *O Maria,* (inquit) *omnibus viris & mulieribus splendidior, mundior, & fœcundior.*

Duobus modis iniquissimis Secta Mahometis turpissima crevit & conservatur. Primus est, quòd cùm Mahometus videret multa mendacia, suam legem & cum omni ratione, & sano judicio pugnare, multaq; absurda continere, severissimè prohibuit disputare de his absurdis & mendacijs, ut in his contineret homines, & finxit, sibi ad hoc datum gladium à Deo, ipseq; tulit mandatum, ut interimerentur, qui adversantur Alcorano; oblitus sui homo mendax, qui alibi dixerat, unumquemq; in sua Fide salvari, quasi Deus omnia scelera nefanda approbaret, quod Gentiles, Iudæi, Saraceni, Gnostici turpissimi, Anabaptistæ, & aliæ turpissimæ Sectæ exercent, & Deũ continuò offendũt. Et hæc verba Mahometes apposuit in suo Alcorano, *Interimite, interimite;* & ut scribit Richardus, quòd suũ avunculum interimere voluerit, si non susceperit Alcoranum; cui respondit avunculus: *Sequor te quocunq; volueris, linguâ tantùm, non corde, timore ensis.* Et quidam respondit etiam Mahometo: *Domine, tu scis, quòd solo timore fio Saracenus.* Undè lex Mahometi est plena cædis & mortis, aliena & contraria lumini naturali, tum Christo Domino & Apostolis, & primis fundatoribus Ecclesiæ, *qui non ferro nec cæde,* ut ait S. August, *sed prædicatione, miraculis, & sustinentia variarum afflictionum & martyriorum, Ecclesiam plantaverunt.* Alter modus iniquissimus & turpissimus, magis brutis quàm hominibus proprius: scilicet, permisit Mahometus omnia scelera & quæq; nefanda suis Sequacibus, ut his homines, proclives ad malum, allicerentur ad suam Sectam, vanè sperantes, & nunc his licitè uti, & post mortem ijsdẽ fruituros.

Vndè advertant hæretici recentiores, qui etiam talia permiserunt suis Sequacibus, quòd in hoc errore sunt similes Mahometanæ Sectæ, tamen Mahometani faciliores, præsertim sensati, ad suscipiendam Fidem Catholicam, cùm honorificam habeant æstimationem de Christo & Sanctissima Matre ejus, quàm nequissimi Iudæi, qui continuò blasphemant Christum & SSmam Matrem ipsius. Vndè Christiani Principes, & alij, deberent occurrere huic tam grandi injuriæ, illatæ Christo & SSmæ Matri illius, per amotionem Rabbinorum, qui illos in his blasphemijs confirmant, & librorum Thalmud, qui has blasphemias continent, & concessionem solius Sacræ Scripturæ, ex qua deberent confundi, & paulatim disponi ad Fidem Sanctam ex sua Iudaica cæcitate, ex qua Divina Majestas reducat illos, & lumen veræ Fidei infundat illis, mediantibus Operarijs Ecclesiæ S. Catholicæ, per prædicationem & ostensionem veritatis.

Erra-

Errata sic corrigenda.

Pag. 4. vers. 15. unus Deus, *corrige*, unus Dominus. Pag. 10. ℣. 8. Maxentium, *corrige*, Maximum. Pag. 10. ℣. 29. odio, *corrige*, otio. Pag. 59. circa med. articularis, *corrige*, auricularis. Pag. 100. ℣. 15. juriosa, *corrige*, injuriosa. Pag. 134. ℣. 3. perfectos Doctores, *corrige*, perpetuos Doctores. Pag. 135. circa med. litiganses, *corrige*, litigantes. Pag. 148. ℣. 6. à fine, opiimum, *corrige*, optimum. Pag. 151. circa med. professionem, *corrige*, possessionem. Pag. 152. ℣. 4. quæ, *corrige*, qui. Pag. 172. circa med. clamituri, *corrige*, clamaturi. Pag. 193. ℣. 1. Oecumenica, *corrige*, Oecumenico. Pag. 343. ℣. 18. præferte, *corrige*, proferte. Pag. 402. ℣. 4. mutare, *corrige*, mutire. Pag. 408. ℣. 9. affare, *corrige*, effare. Pag. 591. ℣. 3. à fine, Carpedinem, *corr.* Crepidinem. Pag. 843. ℣. 2. iinstituto, *corr.* instituto.

Si qui alij plures inveniantur errores, Benevolo Lectori corrigendi relinquuntur, si qui ob angustiam temporis, & varias in S. Religione occupationes irrepserunt: imò & ipse liber vel magis augendus, vel reimprimendus, vel in aliam linguam, puta Germanicam, vertendus, cum ingenti merito cooperanti saluti animarum, & huic Divinissimo operi intento: (ut ex tenebris hæresum in admirabile lumen Fidei Sanctæ, animæ reducantur seductæ) recommendatur. Motivum ad hoc obeundum meritorium opus, omnibus zelum animarum habentibus, insinuat perpetuus ille insectator hæreticorum Magnus Augustinus, qui Tom. 5. de Civit. DEI lib. 19. ait: *Multa quippè ad Fidem Cathol. pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversùs eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur, & ab adversario mota quæstio discendi existit occasio.* Et Tom. 1. lib. de vera Relig. c. 8. explicans 1. Cor. 1. ait: *Hæretici plurimùm prosunt, non verum docendo, quod nesciunt, sed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum spirituales Catholicos excitando. Utamur ergo hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut Catholicam disciplinam adversùs eorum insidias asserentes, vigilantiores & cautiores simus, etiamsi eos ad salutem revocare non possimus.* Si verò alicui hic meus modicus labor displicuerit, respondeo verbis ejusdem S. August. lib. de Gen. contra Manich. cap. 1. *Non ornato politoq; sermone, sed rebus manifestis convincendam esse vanitatem hæreticorũ*; vel cum doctissimo Rabario in Matth. in Prolog. *Verum quia nemo potest calumniam, & invidos morsus evitare, nisi qui omninò nil scribit,* secundùm illud:

Scribere me quereris velox Epigrammata longa;
Ipſe nihil ſcribis: tu breviora facis.

Igitur magis eligo ſurdâ aure tranſire hanc querimoniam, quàm otioſè torpens Chriſti cauſam negligere, & animarum ſalutem, tanto pretio conſtantem, relinquere. Mihi ſufficit cum Lactantio, lib. de Opificio DEI cap. 21. *ſi labor meus* (exiguus) *aliquos homines ab erroribus liberatos, ad iter cœleſte direxerit;* imò ſi ſaltim una anima, quæ coram DEO toto mundo eſt præſtantior, ſuâ converſione Chriſti Eccleſiam, univerſamq; Cœleſtem Curiam exhilaraverit, quod Ipſemet DEUS ſuâ gratiâ efficere dignetur, qui ſit per omnia, & in omnibus, in Sæcula Benedictus.

Profeſſio Catholicæ Fidei

In Sancta Romana Cathol. Eccleſia, ut illam in promptu habeant, qui gratiâ Divinâ illuminati, Fidem Sanctam Cathol. ſuſcipere voluerint.

EGo N. firmâ fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verũ de Deo vero: genitum, non factum, conſubſtantialem Patri; per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu S. ex MARIA Virgine: & Homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertiâ die ſecundùm Scripturas. Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum S. Dominum, & vivificantem; qui ex Patre Filioq; procedit: qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas. Et unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquasq; ejuſdem Eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones, firmiſſimè admitto, & ample-

plector. Item, S. Scripturam, juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione S. Scripturarum, admitto: nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque, ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta Novæ Legis, à Jeſu Chriſto Dño noſtro inſtituta, atq; ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis, neceſſaria: ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaq; gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem & Ordinem ſinè ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoq; & approbatos Eccleſiæ Cathol. ritus in ſuprà dictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione, in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter, in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis & defunctis: atq; in SSmo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus & Sanguiné, unà cum anima, & Divinitate Dñi noſtri Jeſu Chriſti: fieriq; converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem: quam converſionem Cathol. Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam, ſub altera tantùm ſpecie totum atq; integrum Chriſtũ, verumquè Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo, Purgatorium eſſe, animasquè ibi detentas fidelium ſuffragijs juvari: ſimiliter & Sanctos, unà cum Chriſto regnantes, venerandos, atq; invocandos eſſe; eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero, Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas, & retinendas eſſe, atq; eis debitũ honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarũ etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq; uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe, affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Roman. Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanoq; Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cætera item omnia, à Sacris Canonibus & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulq; contraria omnia, atq; hæreſes quaſcunq; ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram,

 tegram, & inviolatam usq; ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atq; à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum, Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.

TAndem Divina Bonitas meum adimplevit deſiderium, ut auxilio illius complerem hunc librum ad mentem Authoris Libri Tubæ Pacis, daremq; occaſionem omnibus cœtibus, ab Eccleſia Cath. Rom. ſeparatis, ſollicito animo quærendi ſalutem animarum ſuarum per veram & orthodoxam Fidem. Faxit Divina Majeſtas, ut te, mi liber, tanto mortales revolvant animo, quanto prodis in lucem, majoris ſcilicet gloriæ DEI, & copioſæ ſalutis animarum, JESU Chriſti pretioſo ſanguine redemptarum. Ego jam brevi in cineres mortalitatis reſolvendus, cùm te ſuperſtitem jam brevi deſeram, unicum tibi pro memoriali monitum relinquo, ut dum quieſcere cum Patribus meis incipiam, tu otiari caveas, ſed cauſam DEI, & animarum ſalutem invicto animo agas; Auguſtalia Regum intra Palatia, fulgentes auro Principum accede Tiaras, doctas & multiplici ſcientiâ decoratas adi Cathedras, omnibus ediſsere contentam in te veritatem. Experieris quidem inter mortales varios fortunæ eventus: erunt, qui cauſæ tuæ patrocinari ſeipſos ultrò offerent, vivesq; in cordibus multorum ob contentam in te veritatem; erunt iterum, qui te, non attentâ veritate, æterno malo ſuo repudiabunt. Tu interim inter tot varios fortunæ & mortalium luſus, quod tui muneris erit, reſoluto animo agas, & plures animas, auxiliante gratiâ divinâ, ex vanitate hæreticorũ ad Catholicam veritatem reducas, Cœloq; inſeras, quod tibi & omnibus mortalibus ex animo ſincero corde exopto, teq; judicio S. Matris Eccleſiæ Cathol. Rom. tanquam Magiſtræ omnium Eccleſiarum, totaliter ſubijcio. Et tu, Benevole mi Lector, optimè vale, & quidquid boni ex hoc libro pro bono animæ tuæ deſumpſeris, DEO Optimo Maximo totum adſcribe, quod te ex tenebris errorum in admirabile lumen veræ orthodoxæq; Fidei reduxerit, meq; in eadem Eccleſia Cathol. Rom. & naſci, & vivere, & mori, ſingulari gratiâ ſuâ voluerit, quam in perpetuas æternitates nunquam condignè rependere valebo. Illum mecum perpetuò lauda: Cui Honor & Gloria ſit ab omni creatura & nunc, & in perpetuum.

FINIS.

INDEX
Capitum & Discursuum, qui in hoc libro continentur.

CAPVT I.

CA.

CAPVT V.

Discursus Authoris. pag. 11.

Discursus Theologicus correspondens.

CAPVT VI.

Discursus Authoris. pag. 15.

Discursus Theologicus correspondens.

CAPVT VII.

Discursus Authoris. pag. 17.


Discur-

Discur-

Discur-

Ex ado-

Discur-


E. K.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0029847



